21. Epist.ª D. Augustini

Ex dono
Sac. C. [illegible] M.ª et
Alexandria [illegible]
1839.
P. Augustinus a [illegible]

A
1. 8.

DE TRIPLICI
EXAMINE
ORDINANDORUM, CONFESSARIORUM ET POENITENTIUM.

Authore M. LUDOVICO BAIL *Abbavillæo, Doctore Theologo, ac Propœnitentiario Parisiensi.*

EDITIO NOVA CORRECTIOR.

Ad Illustrissimum ac Reverendissimum Archiepiscopum Parisiensem.



Lugduni, Et væneunt
PARISIIS,
Apud ROBERTUM PEPIE, viâ Jacobeâ, sub signo Sancti Basilii.

M. DC. LXXXIV.

Cum Privilegio & Approbatione.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

EXTRAIT DU PRIVILEGE DU ROY.

PAr Privilege du Roy. Signé DESVIEUX à S. Germain en Laye le 27. Mars 1677. Il est permis à FREDERIC LEONARD Imprimeur ordinaire du Roy, d'imprimer & reimprimer, faire imprimer ou reimprimer, vendre & debiter par tout nostre Royaume en telles marges, caracteres, & volumes qu'il jugera à propos, *la Theologie Affective de Mr. Bail*, & le Traité *de Triplici Examine ordinandorum* du mesme Auteur, pendant l'espace de trente années, avec deffenses à tous autres d'imprimer ou vendre lesdits livres sans son consentement, ainsi qu'il est plus au long porté par ledit Privilege, & sur les peines y contenuës.

Led. Sr. Leonard s'est dessaisi & a cedé aux Srs. Pepie & de Launay Libraires tout le droit qu'il avoir à l'impression, & au debit desdits livres, par acte passé entre les parties sous seing privé le 5. Octobre 1683.

REVERENDISSIMO atque Illustrissimo Ecclesiæ Principi Ioanni Francisco de Gondi, primo Archiepiscopo Parisiensi, &c.

S*INE, me*, PRÆSVL ILLVSTRISSIME, *huius operis dedicatione, magnitudinem tuam colere, non vt nominis tui limites extendam, quod vbique fama percelebrat, sed ne obsequij mei testimonium diutius supprimam. Liber hic quem incipiebam de triplici examine ordinandorum, Confessariorum & pœnitentium, paulò auctior iterum prodit in lucem tuo nomini inscriptus. Nihil nouum est, non alteri antea consecratus erat, cum primum editus est ad instructionem, & vtilitatem Clericorum amplissimi Archiepiscopatus Parisiensis, cuius bona tua sunt cuius vtilitas tua est, Nec vero cuiquam alteri, si cuiquam inter mortales debebantur scripta mea, quàm illi debita erant in cuius obsequium à tot annis labores mei plurimi impensi sunt. Cuius est arbor, eius & sunt fructus, & cui persona se addixit, eidem & scripta debet, vt sic opere & sermone seruiat. Fateor tamen, mihi verti posse improperio, quod tam leue munus tam magno Præsuli sistere non erubui: sed pondus addet operi & nomen faciet, quod variâ ex lectione & experientia diuturnâ concinna-*

tum est ad aperiendos sinus conscientiarum, earum plerosque motus sedandos ac vulnera curanda. Deinde si munus exile est, at prodit ingentem offerentis affectum, quem iamdiu excitarunt diuersi generis beneficia quibus me donasti. Inter ea subit primum in memoriam benedictio illa, quam mihi singulariter impendisti, cùm primùm ad Propœnitentiarij munus vocatus sum. In fortitudine benedictionis illius, ambulaui per viginti tres annos vsque ad montē Dei, in quo nunc exaltatus humiliatus sum; Atque per tot annorum decursus inter casuum conscientiæ meandros & flexiones innumeras ac reflexiones versatus sum. Voluisti interim, vt qui examini Ecclesiastico seu ad ordines suscipiendos, seu ad iudicium super pœnitentes ferēdum, seu ad regimen animarum capessendum submittendi erant, sæpe sæpius nostra censura probarentur aut improbarentur; & si quando aliqui in me surrexerunt, authoritatis tuæ clipeo confestim protectus sum; atque vt nihil deesset, Ecclesiasticum beneficium contulisti. Quin & audio vestram in mea studia beneuolentiam maiora quædam meditari, vt in æternum tibi sim obstrictus. Ingratus ergo videar omnibus, ni quoquo modo possim, grati animi significationem exhibeam: & planè confido non ingratum fore opusculum hoc nostrum, qui persæpe tractatus nostros de Theologia affectiua tibi prælegi voluisti, quibus animum tuum, rerum altissimarum contemplatione, ad Deum efferres; tantáque existimatione eos complexus es, vt etiam persæpe laudares tam sublimi præconio, vt eius magnitudine confunderer. Scilicet hoc magnorum virorum est, illa etiam magni ducere quæ vere magna non sunt, sed in amantium affectu & amore. Sed & præclara vestra merita, id à me exigunt, vt si Illustrissimum quempiam suspicere hic deberem, non alium à te, qui gentis Gondæorum sol es splendidissimus: cui etsi post duos Ecclesiæ Romanæ Cardinales eminentissimos, vnum patruum, alterum fratrem, post heroas inuictissimos,

quorum

quorum terra marique acta sunt illustria, & post plura alia familiarum decora & ornamenta, nihil addi posse ad splendorem videretur: addidisti tamen plurimum, cum ad Archipiscopatum vrbis Principis imperij Gallici primus euectus es: quam dignitatem tanta cum prudentia ac moderamine in temporibus difficillimis sic à pluribus iam annis vsque ad senium tenuisti, vt gratus omnibus summis, mediis & infimis extiteris, habeantque in te vno quæ æmulentur boni, quæ timeant mali & quæ admirentur magni. Inde omnes, REVERENDISSIME ARCHIPRÆSVL, *certatim desiderant, vt te Deus optimus Maximus Ecclesiæ Catholicæ diutissimè seruet incolumem. Vt per te quamdiu victurus es, & post te per Illustrissimum Corinthiorum Archiepiscopum, quem in Coadiutorem meritissimum assumpsisti, diuini nominis gloria propagetur; ac salus plurimarum animarum procuretur. Amen.*

Lutetiæ Parisiorum 20. Maij 1651.

Tibi addictissimus & obsequentissimus seruus in Christo,

LVDOVICVS BAIL.

PRÆFATIO
ad Lectorem.

QVOD librum hunc publicæ vtilitati consecratum, in publicum euulgauerimus, induxit publica plurium necessitas, quibus commodum iudicauimus.

Etenim inter labores plurimos, inter quos à pluribus annis nobis desudandum fuit, sub iussu & obsequis Illustrissimi ac Reuerendissimi Archiepiscopi Parisiensis, etiam in pluribus examinum Ecclesiasticorum generibus opera nostra impensa est: vt exinde nobis difficile non fuerit, quid magis ad rem Examinandorum Typis mandari conduceret, deprehendere.

Quapropter si vnicuique in suâ arte credendum est, cum fiduciâ aliqua dicimus, nobis fidem omnem in istis denegari non debere, qui post multam experientiam opuscula hæc qualiacumque, conscribere proposuimus.

Quod autem tria hæc Examina Ordinandorum, Confessariorum & Pœnitentium simul collecta in vnum volumen compegerimus, obtinuit à nobis series & ordo ipsius doctrinæ quæ in iisdem continetur. Est siquidem primi examinis doctrina gradus ad secundum, & primi & secundi ad tertium, quod supponit priorum examinum doctrinam, velut necessaria præfacienda fundamenta: itavt triplex istud Examen sit *funiculus triplex* qui iuxta Ecclesiastem cap. 4. *difficilè rumpitur*, cum vix separari possint à se inuicem.

Et si verò primum non ita dependeat à posteriori, sicut posterius à priori. Attamen cum in animo nobis non esset edere librum quem ordinandi requirerent, ordinati reiicerent, vt quo amplius obtento fine & gradu ordinis non indigerent: sicut vindemia facta abiici solent sportæ & cophini à rusticis, commodè adiunximus tripertito Ordinandorum Examini duplex aliud examen etiam tripertitum, vt etiam, ordine suscepto, esset ordinatis idoneus, ac multa vtilia in praxi doceret, quibus adeptâ potestate fœliciter vterentur ad proximorum salutem & sanctæ Matris Ecclesiæ ædificationem. Quod magis abundè præstamus in hac quarta editione, in qua plura addimus

mus tum ad doctrinam vberiorem tum ad pietatem Clericis congruam spectantia. Cum interim multa alia sint de quibus etiam ordinandi examinandi sunt, cum ex Concilio Tridentino, præter doctrinam etiam genus, natalitia, persona, institutio, patria, vita, mores, fides, titulus & interstitia ab vno ordine ad alium, exercitiumque suscepti iam ordinis, inquirenda sint. Sed luculenter explicata sunt à pluribus, vt ab Augustino Barbosa I. V. Doctore Lusitano 2. parte de *Officio & potestate, Episcopi*, ab eximio Doctore Hallier 1. parte *de sacris electionibus & ordinat.* Abundantissimè vero à variæ & multiplicis Doctrinæ Saussaio Officiali ac Magno Vicario Parisiensi, in *Panoplia Clericali*, qui etiam hortatione sua, vt prouinciam hanc de praxi Examinis in Doctrina Ordinandorum susciperemus, animum nobis addidit, cum ipsum mente versaremus.

Quoniam autem viris sapientissimis ad perscrutandum Examinandorum Doctrinam deputatis aut Reuerendissimis ipsis Episcopis, videri legem vllam nondum præscribere, sed vel indicare, temerarium esset, cum pro arbitrio & sapientiâ suâ quæ latissimè patet, quæuis alia ab iis quæ damus possent inquirere ab examinandis, monemus nostram hanc non esse mentem, sed tantùm quædam hic proponere quæ magis scitu necessaria sunt ordinum sacrorum candidatis, & quæ si sciant omnia, cum se primo Subdiaconorum ordini sistunt, ita vt etiam intelligant, nec solum psittacorum instar è memoriâ sola reperant, sperandum est defectu scientiæ non defuturos ordinis officio quem postulant.

Et certè qualecumque sit istud Ordinandorum Examen à nobis concinnatum; conformè est sancti Caroli Borromæi Decretis in quinto Concilio Mediolanensi à summo Pontifice approbato; & ea continet quæ magis ordinariè inquiri solent in examine Ecclesiastico Archiepiscopatus Parisiensis, qui tot legibus regitur, maximè in admittendis, probandisque ordinandis, vt iure merito tanquam exemplar perfectissimum esse possit pluribus aliis Ecclesiæ vniuersæ Episcopatibus, sicut, & ipsa vrbs Florentissimi Regni Metropolis leges & normam viuendi cæteris ditionis Gallicæ ciuitatibus suppeditat, quæ ipsius mores certatim imitantur.

De duplici alio Examine Confessariorum & Pœnitentium, non est quod multis Lectorem hîc detineamus, cum opuscula suas habeant Præfationes præambulatorias, quibus rationes instituti nostri satis expromimus. Non dubito autem quin plura desideranda sint. Sed nobis propositum fuit dum-

taxat magis ordinaria ac magis necessaria & difficilia perstringere, plura tradituri in aliâ editione, si opportunum videatur. In hoc enim genere scriptionis tentandum est aliquid antequam progrediendum Scribimus enim in Galliâ in quâ non supperit tanta libertas de rebus moralibus disserendi quanta Italis aut Hispanis in suis regionibus.

Quot sunt enim apud nos è quorum faucibus erumpit vox imprudentissima, casuistas omnes igni comburendos: qui tamen in eis si quid suis difficultatibus commodum rebus inueniant, auidissimè arripiunt, vt strictam suam conscientiam dilatent. Scientiam hanc vituperant, quia nesciunt, & hanc volunt aboleri quæ fuit ab initio mundi & non nisi cum ipsa religione peritura est. Si aliquos saltem exciperent, nec ita omnes sub hoc hoc flammarum diluuio inuoluerent, nullo lo dempto. Quod ergo ferent iudicium de prima secuncundæ & secunda secundæ, & quæstionibus de Sacramentis in tertia parte Doctoris Angelici, in quibus, quot articuli, tot miracula, vt dicebat summus Pontifex Gregorius X. namque in iis infiniti casus conscientiæ discutiuntur, vt ex sola eorum collectione, non mediocris summa confici posset? Quodnam, inquam, iudicium dabunt de tot Theologis, qui cũ super omnes Thologiæ tractatus commentarios ediderint, etiam de casibus conscientiæ, sententias dederunt? Quid de Bernardino Senensi & S. Antonino Florentino Archiepicopo, qui post multa de casibus conscientiæ conscripta à se, in sanctorum albo scripti sunt? Æquumne est, vt reliquiæ spirituales, quales sunt libri, beatarum illarum animarum, ad ignem damnentur? Sed magni illi victores forsan verebuntur antiquos, & senectutis miserebuntur plusquam pueritiæ & iuuentis.

Idcirco nos vt eorum mordaces aculeos à nobis amoliremur, plura antiquorum Magistrorum, etiam facultatis nostræ Parisiensis, verbis ipsissimis voluimus afferere, nec inter eos prætermisimus D. Augustinum non infimum casuistam, cum aliunde iam inoleuerit consuetudo, vt rerum moralium definitores, aliorum authoritate sententias suas fulciant, vt si forsan minus probandi videantur per principia intrinseca, vt vocant, discursus Theologici, pondus sibi adsciscant ex principiis extrinsecis, quæ sunt aliorum præuiæ opiniones.

Nec tamen ita nos ab aliis petrrita, dicta, dictata discussaque decantamus, vt non etiam aliqua singularia adiungamus, ex quibus taurillus radius alicuius noui luminis effulgere possit ex libri huius lectione. Quamuis ad id sufficeret

sola

sola methodus, operisve recens dispositio, opinionum probabiliorum delectus, & denique dictorum ab aliis ad praxim applicatio.

Dicam cum Seneca Epist. 16. quicquid benè dictum est ab vllo, meum est & Epist. 64. *Veneror itaque inuenta sapientiæ, inuentoresque adire tanquam multorum hæreditatem iuuat. Mihi ista acquisita laborata sunt. Sed agamus bonum patrem familiæ: faciamus ampliora quæ accepimus, maior ista hæreditas à me ad posteros transeat, multum adhuc restat operis, multumque restabit, nec vlli nato post mille sæcula præcludetur occasio aliquid adhuc adiiciendi. Sed etiā si omnia à veteribus inuenta sunt: hoc semper nouū erit, vsus & inuentorum ab aliis scientia & dispositio, &c. Animi remedia inuenta sunt ab antiquis, quomodo autem admoueantur, aut quando nostri operis est quærere. Multum egerunt qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt.*

Quod si quispiam obtrectat, nos nonnunquam fluctuantes & aliquas quæstiones non satis constanter dissoluere, sed cum hæsitatione & dubio. Imo & aliquot opiniones dumtaxat indicare nostræ mentis assensu suspenso. Damus equidem. Sed de articulis fidei, qui soli sunt certissimi, non hîc scribimus, sed Confessarium agimus, qui respiciens vndique & ex omni parte pendulus & animo fluctuans hæret, rerum ipsarum difficultate fere oppressus. Sic nauta, quantumcumque peritus, qua nauim flectat, deliberat inter medias Syrtes, inter medios fluctus & varia naufragij pericula; sic medicus varia ægrotantis symptomata perpendens, non sine dubio de ordine curationis statuit. Vt enim semper deliberandum est in arte medica & nautica, sic in arte Confessariorum. Igitur dum hæc scribimus, pingimus veluti nos ipsos, & imaginem quamdam nostrarum angustiarum exhibemus.

Nec iuuat regerere Confessarium debere veritatem quæ in indiuisibili consistit, intrepidè omnino proponere Pœnitentibus suis: hoc enim verum est, quando cum scrupulosis agendum est, ad dissoluenda vana eorum, & nulli solidæ basi innixa dubia: at istud extendere ad quoscumque qui occurrunt casus, necessarium non est. Oculos nedum linceos, sed & mentem Angelicam in mortali homine inesse opporteret. Aut saltem cum Salomone, cum omnimodâ sapientia latitudinem cordis habere, id est, magnanimitatem ad confestim exequendū nullo metu aut scrupulo retardante, quæ prudētia ac sapientia suggerunt. Id vero cum paucis datū sit, nimia est aliquorū fiducia, qui æqualem in asserendis rebus moralibus,

Lib. 3. Reg. c. 4.

quarum

quarum veritas ſæpe ex prudentum iudicio & opinatione dignoſcitur, ac in articulis Symboli certitudinem requirunt.

Dixit quiſpiam, vt fertur, ſe Ariſtotelis opera omnia perlegiſſe, ac nihil in eis difficile ſibi occurriſſe. Quiſquis is eſt, ſi tamen verè vnquam fuerit, Ariſtotelem non intellexit omninò, vel mentitus eſt, dum ita loquitur. Sic cenſeo in rebus moralibus, qui dicit nihil in eis difficile inueniri, vel non intelligit, vel contra mentem loquitur. Plura ergo ſunt in iis non omninò certa, vnde tam variæ profluunt Doctorum ſententiæ in iis diſcutiendis: vt propterea non miremur nec ægrè laturi ſimus, ſi quiſpiam nobis contradixerit, & aſſertiones noſtras non amplexetur. Pugna hæc ſit ingeniorum, non voluntatum, dum *in charitate radicati & fundati* animas à falſitate ad veritatem, ab erroneâ conſcientiâ ad rectam, à morte ad vitam, à peccato ad gratiam & ab Iniquitate ad iuſtitiam in CHRISTO IESV tranſmittere conabimur, modo meliori quem nouerimus. Interim ſi aliâ mente ſcriptum hoc mordere pergant, dicam poſt D. Auguſt. 12. Confeſ. c. 25. *O vita pauperum Deus meus in cuius ſinu non eſt contradictio. Plue mihi mitigationes in cor, vt patienter tales feram, qui non mihi hoc dicunt quia diuini ſunt, ſed quia ſuperbi ſunt, nec nouerunt Moyſi ſententiam ſed amant ſuam, non quia vera eſt ſed quia ſua eſt: alioquin & aliam veram pariter amarent, ſicut & ego amo quod dicunt quando verum dicunt.*

Tranſtulimus autem in quarta hac editione ex calce ad examen Confeſſariorum quædam magis neceſſaria de Cenſuris & impedimentis Canonicis, quod in quibuſdam diœceſibus de iis interrogentur ordinandi, & neceſſaria ſit harum rerum ſcientia Confeſſariis. Omittimus tamen in iſto tractatu, triginta tres excommunicationes, quas induxerunt iura decreti & decretalium, triginta duas per Sixtum latas, quinquaginta per Clementinas, & Extrauagantes; decem per Concilium Tridentinum & alias innumeras per Bullarium & quorumdam Epiſcoporum decreta, quòd omnes iſtæ excommunicationes vim non obtineant vbique, ſed ſolum quædam ex illis; quarum rerum controuerſias definire hic refugimus, quod res ſit operoſior, & maius volumen requirat quam noſtrum. Remittimus itaque ad alios authores qui luculenter in iis ſe effundunt. Tu interim, Lector ſtudioſe, noſtrâ hac operâ fruere, & ſi quid ad rem Eccleſiaſticam conducens offenderis, Deum bonorum omnium authorem, nobiſcum intuere. Si quid minus aptũ & præpoſtere exaratum ſit, nobis tribue, vt nobis ſolis ſit confuſio faciei, & Deo ſoli honor & gloria.

EXTRAICT DV PRIVILEGE DV ROY.

PAr grace & Priuilege du Roy, donné à Paris le 16. iour de Feurier 1635. Signé DE MONCEAVX : il est permis à M. Louys Bail, Prestre, Docteur de la Faculté de Theologie, & Sous-Penitenrier dãs N. Dame de Paris de faire imprimer par tels Libraires ou Imprimeurs que bon luy semblera, les Liures qu'il a composez, intitulez. *La Theologie affectiue, ou S. Thomas en meditation. Summa Conciliorum cum additionibus & annotationibus suis. Tractatus de Triplici examine Ordinandorum. Tractatus de beneficio Crucis, seu Articuli disputati de Gratia. Et la Philosophie Affectiue, auec les Heures en François*, & ce pour le temps & espace de dix ans finis & accomplis, à commencer du iour que chacun desdits Liures sera acheué d'imprimer. Faisant tres-expresses inhibitions & deffenses à tous Libraires, Imprimeurs, ou autres personnes, de quelque qualité & condition qu'ils soient, de faire imprimer, vendre, ny debiter aucun desdits Liures sans le consentement dudit Bail, à peine de mil liures d'amande, confiscation des Exemplaires qui se trouueront auoir esté contrefaits, & de tous despens, dommages & interests, ainsi qu'il est plus au long porté par les Lettres dudit Priuilege.

Le 19. Iuillet 1654. ledit M. Louys Bail Prestre, Docteur de la Faculté de Theologie, & Sous-Penitentier dans N. Dame de Paris, a cedé & transporté son droict du Priuilege, dont l'Extraict est cy-dessus, à Iean Billaine, Marchand Libraire à Paris, pour en ioüyr pleinement le temps porté par iceluy suiuant l'accord fait entr'eux.

Et ledit Iean Billaine Marchand Libraire à Paris, a associé auec luy Iacques Dallin, Sebastien Huré, & Iean Pocquet aussi Marchands Libraires à Paris, pour iouyr ensemblement du contenu au susdit Priuilege, suiuant l'accord fait entr'eux, à Paris ledit iour 7. Iuillet 1654.

APPROBATIONES.

EGo infra ſcriptus Presbyter in ſacra Facultate Theologiæ Pariſienſis Doctor & Canonicus Eccleſiæ Bellouienſis legi librum, cui titulus eſt, *De Triplici examine Ordinandorum, Confeſſariorum, & Pœnitentium, cum Appendice de Cenſuris & Impedimentis Canonicis,* Authore Magiſtro *Ludouico Bail, in eadem Facultate Doctore ac Propœnitentiario Pariſienſi,* in quo nihil Orthodoxæ fidei ac probatis moribus diſſonum reperi, ſed plurima optima methodo digeſta, ſcitu digniſſima, & quæ Ordinatis, & Ordinandis vtiliſſima fore iudicaui, in cuius rei fidem hic ſubſcripſi. Datum Pariſiis tertia Februarij anni 1648. & prima Decembris anni 1655.

DE S. SIMON.

EGo in ſacra Facultate Pariſienſi Doctor Theologus euolui accuratè librum cui titulus eſt, *De Triplici examine Ordinandorum, Confeſſariorum, & Pœnitentium, cum Appendice de Cenſuris & Impedimentis Canonicis*, Authore Magiſtro *Ludouico Bail Abbauillæo, Doctore Theologo in dicta Facultate & Propœnitentiario Pariſienſi*, cuius quidem libri euulgationem vtiliſſimam eſſe iudicaui, vt qui multa contineat ex varia Authoris lectione, diuturnaque experientia ad inſtructionem Sacerdotum aptè & doctè concinnata, quæ inoffenſo pede cuiuis liceat decurrere. In cuius rei fidem ſubſcripſi die tertia Februarij anni 1648.

MAVGEL.

Die 12. Ianuarij 1656. F. IOANNES NICOLAI.
N. DE LESTOCQ. Die 24. Ianuarij 1656.

LOGICA PAVPERVM.

LOgicam hanc præmittimus triplici examini, tum ne vacet hic pagina, tum quia est janua ad triplex examen, tum in gratiam aliquot Ordinandorum quibus desunt facultates ad studendum in Vniuersitate & Philosophiam addiscendam, vnde & dicitur Logica pauperum, magis necessaria duntaxat Logicæ præcepta continens, omissis pluribus aliis minus vtilibus aut ad alias scientias pertinentibus.

Logica est *ars tradens præcepta definiendi, diuidendi & argumentandi.*

Præludia.

Inde dicitur habere pro obiecto tres mentis operationes, ad verum dirigibiles seu directiuas. Quia tres mentis operationes dialecticæ sunt definitio, diuisio, argumentatio, quæ diriguntur aut dirigunt ad verum seu ad veritatis notitiam in qualibet scientia, quia qui nouit aptè definire res, diuidere, & argumentari, facile in veritatis notitiam peruenit. Qui vero nescit artem definiendi, diuidendi, & argumentandi, non est idoneus ad scientias & ad veritates, quas docent, intelligendum.

Quare hoc?

Quia tota rerum scientia consistit in hoc quod quis sciat bene quid sit res & ex quibus rebus coalescit. 2. Quod sciat ipsam diuidere in suas partes aut species. 3. Quod sciat cum quibus rebus coniuncta est, & quid in eâ lateat ac ex ipsa consequi possit. Primum fit per definitionem rei. Secundum fit per diuisionem eiusdem. Tertium fit per argumentationem. Quare hæc tria sunt totidem organa aut instrumenta sciendi.

Vbi hæc tria docet Logica.

Docet in tractatu de vniuersalibus artem definiendi, docet in tractatu categoriarum artem diuidendi. In tractatibus aliis seu libris Aristotelis scilicet de interpretatione, libris priorum & posteriorum Analyticorum dictis. Itemque libris Topicorum, ac Elenchorum docet artem argumentandi: sicque tota Logica occupatur circa hæc tria prædicta. Quamuis plures hanc methodum non sequantur. Tu tamen acquiesce paulisper.

Prima pars Logicæ definitiua in tractatu de vniuersalibus.

Narratur apud Odonem Cancellarium *in floribus sermonum* Aristotelem ex inferis cuidã viuenti apparuisse à quo interrogatus

terrogatus Aristoteles quid genus quid species, respondit quid pœna & non pœna. Scilicet in altera vitâ inutilis est vniuersalium cognitio: At in hac vita vtilis est horum scientia, primo quidem ad definiendum, vt author est ipse Porphyrius homo, gentilis Christianis infestus, qui librum scripsit de quinque vniuersalibus quæ dicuntur etiam quinque *prædicabilia*, aut quinque *voces*. Est autem primum vtilis vniuersalium quinque cognitio ad rectè definiendum, quoniam id quod definitur est species: Definitio vero si sit propria constat ex genere & differentia: si sit impropria & tantum descriptiua, constat ex proprio & accidente, sicque omnia quinque vniuersalia inseruiunt definitioni. Quod maxime spectandum est in iis.

Quid definitio?

Definitio autem generalius sumpta alia indicat quid nominis quæ declarat quid per nomen importatur & vnde & ad quid sit impositum. Vt si dicam hominem ab humo dictum esse, terram à terendo. Quod magis ad Grammaticam pertinet. Alia indicat quid rei per quam declaratur essentia & natura rei per nomen significata: vt si dicam hominem esse animal rationale, terram esse elementum frigidum, siccum, ponderosum. Definitio autem rei quando propria est, *est oratio explicans naturam rei per genus & differentiam.* Cuius definitionis ratio est, quod scimus naturam alicuius rei, quando nouimus similitudinem eius cum aliis & dissimilitudinem eius ab aliis. Primum fit per genus: secundum per differentiam. Vnde ars definiendi est quoddam inuentum excellentissimum & subtilissimum.

Quando vero definitio rei est minus propria quæ vocatur descriptio est *oratio indicans naturam rei vel per proprietatem vel per accidentium congeriem, quæ simul posita soli reciprocè conueniunt*. Alij dicunt, descriptio *est oratio indicans essentiã rei per proprietates & effectus & similitudines.* Hæc autẽ descriptio rebus conuenit quas definire nõ possumus, quia earũ quidditates & essentias ignoramus, vt sunt fere res omnes; nã valde modica est hominis scientia, etiamsi Philolophus sit maximus, qui paret inter alios sicut inter cœcos regnat cocles.

Regulæ autem definiendi plures sunt seu definitio sit propria seu impropria. 1. debet enim definitio esse propriâ rei, non communis aliis rebus. 2. debet esse clara, breuis, nihil deesse debet, nihil redundare. 3. nomina debent esse propria non metaphorica 4. in ea idem bis poni non debet. 5. tamen debet esse clarior definito, vt illud notificet. Quæ vero definiri propriè

non poterunt describantur. Nam omne quod nominari potest definibile est vel descriptibile, neq; aliter esset nominabile. 6. vt non quæratur terminorum per se notissimorum definitio cum non sint vltra magis explicabiles, nec per aliquid notius designari valeant. Proderit autem ad perficiendam artem definiendi habere ob oculos definitionum plurium exempla in quibus admodum abundat Raymundus Lullius in arbore scientiali, vbi earum centurias proponit.

Est autem vniuersale Logicum, de quo tantum hic agitur. Id quod prædicatur de pluribus in quid vel in quale ad notificandum quid sint secundum essentialia vel qualia sint secundum accidentalia.

Atque in hoc differt vniuersale à singulari vel indiuiduo, quod dicitur solum de vno secundum rem significatam: at vniuersale de pluribus.

Sunt autem quinque vniuersalia, tria quæ prædicantur in quid & sunt essentia inferiorum, scilicet *genus species differentia*: duo vero quæ prædicantur in quale & sunt tantum accidentia vt sunt *proprium & accidens* dictum *commune*, vt distinguatur à proprio.

Quid essentia & accidens rei.

Essentia vel essentiale illud intelligitur quod est primum in re & à quo fluunt eius proprietates & accidentia, vt risibile in homine: accidens vero vel accidentale id quod conuenit alicui rei præter essentiam, vt esse album in homine, esse Laicum, esse Clericum.

Ac inter tria priora vniuersalia essentialia, species est vniuersale quod *prædicatur de multis solo numero differentibus tanquam integra eorum essentia*, vt cum dicitur Petrus est homo: Ioannes est homo illa autem solo numero differunt quæ distinguuntur in solis accidentibus vt Petrus & Ioannes. Differunt autem specie quæ distinguuntur in essentialibus, vt homo & brutum.

Differentia est vniuersale *quo constituitur & distinguitur vna species ab alia & prædicatur de omnibus indiuiduis solo numero distinctis ac sub illa specie contentis*, vt v.g. rationabile est differentia, quæ constituit & distinguit speciem hominis à specie bruti & prædicatur de omnibus indiuiduis hominis quæ solo numero differunt.

Nec obstat quod sit aliqua differentia generica, quia illa differentia est genus.

Genus est vniuersale *quod prædicatur de pluribus specie differentibus in quid & tanquam pars essentialis.* Vt animal quod

præ

prædicatur de homine & bruto estque pars essentiæ eorum. Vnde genus vna quodammodo multarum specierum similitudo est & magna quædam communitas, estque vniuersalius specie & differentiâ. Est etiam inter genera vnum alio vniuersalius & plures sub se habens communitates.

Porro duo alia vniuersalia proprium & accidens commune prædicantur in quale accidentale & sunt accidentia. Est autem accidens quod conuenit alicui rei præter vel extra eius essentiam. Attamen *si fluit ab essentia rei estque illi proprium non aliis*, vocatur proprium quartum vniuersale.. Si vero *non fluit ab essentia*, vocatur accidens commune quintum vniuersale, vt albedo respectu parietis & quia est istud accidens extra essentiam rei nec necessario essentiæ rei coniunctum est vt proprium, idcirco dicitur id *quod adest & abest sine subiecti interitu.*

Dices accidens prædicatur de vno subiecto in quo est, vt albedo de hoc pariete dicendo, hic paries est albus. Resp. Prædicatur de vnotantũ subiecto actu, sed potestate prædicatur de aliis quib. potest cõuenire, possũt enim alij parietes esse albi.

Secunda pars Logicæ diuisiua in libro de Categoriis.

Diuus Augustinus narrat de seipso in libris *Confessionum* quod adolescens legerit & solus sine Magistro intellexerit categorias Aristotelis. Forsan sine Magistro quis adolescens adhuc poterit easdem intelligere, obseruando quod voluit Aristoteles aut quis alius author huius libri tradere artem diuisionis, quæ est secundum instrumentum sciendi. Cum nihil aliud tradat, in hoc libro quam diuisiones & exempla diuisionum omnis generis & modi. Est autem vt dicit Philosophus Seneca Epist. Longum ita per præcepta breue per exempla. Hácque methodũ docendi per exempla sequitur Aristoteles.

Quid & quotuplex diuisio.

Est autem diuisio generatim *redactio vnius ad plura ex quibus constat aut ad quæ extenditur.* Vnde & multiplex est diuisio: 1. est diuisio vocis in plures significationes, vt est diuisio æquiuoci aut analogi.

2. Est diuisio totius actualis seu integri in partes ex quibus actu constat aut constabat, vt cum diuiditur corpus in membra, liber in tractatus.

3. Tertia est diuisio totius potentialis vniuersalis in partes subiectiuas seu in inferiora, vt est diuisio generis in species, speciei in indiuidua.

4. Est diuisio subiecti in accidentia vt hominum alij albi alij nigri, alij medij coloris.

5. Est

5. Est accidentis in subiecta, vt desiderabilia homini, alia sunt in corpore alia sunt in anima.

6. Est diuisio accidentis in varios modos quibus afficitur. Aristoteles autem in libro categoriarum assignat tantum diuisiones omnis generis: ac nihil fere aliud docet quam diuisiones.

Ac primo totus liber diuiditur in tres partes ex quibus actu componitur tanquam aliquod totum actuale seu integrum. Sunt autem illæ tres partes. Prima *Antepradicamenta* seu diuisiones quædam veluti procemiales, quas Isidorus vocat instrumenta categoriarum. Secunda pars *pradicamenta* categoriæ decem. Substantia quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, vbi, situm esse, habere. Quæ in his verbis continentur. *Augustinus, magnus orator, filius illius, stans in templo, hodie, disputando, fatigatur*, Suntque totidem series diuisionum supremorum generum in species, & specierum in indiuidua. Vnde sunt diuisiones totius vniuersalis in species & specierum in indiuidua. Tertia pars dicitur *post pradicamenta* quæ sunt quædam accidentia pluribus communia prædicamentis, vt sunt modi oppositorum, prioritatis, simultatis, & motus & habere, *Ante-pradica-menta.*

Quicquid vero ibi tractatur, rectè reuocabitur ad octodecim diuisiones, vt nihil aliud agat Aristoteles quam diuidere vel vocem in varias significationes, vt maximè in Anteprædicamentis, vel genus in species, vt in decem prædicamentis, vel subiectum in accidentia, vt in post prædicamentis, quæ sunt varia accidentia categoriarum, vt oppositio, prioritas, motus, habere, quæ sunt accidentia conuenientia prædicamentis; quæ tamen in varios modos subdiuiduntur. Porro sicut Chyrurgum peritiorem iudicamus qui melius callet anatomiâ & dissectionem corporis in omnes partes dissimilares: ita Logicum scientiorem qui melius diuisionem nouit.

1. Diuisio est terminorum vniuersalium in æquiuocum quod est communis terminus quoad vocem tantum & syllabas vt canicula respectu syderis & animalis domestici. Analogum quod est terminus communis quoad vocem & rem significatam sed vario modo & inæqualiter vt sanum respectu animalis & medicamenti. Et vniuocum quod est terminus communis quoad vocem & rem significatam, idque eodem modo & æqualiter, vt homo respectu Petri & Pauli.

2. Diuisio est rerum quæ de alio prædicantur, quædã enim dicuntur de alio simpliciter sine complexione, id est, sine aliquo addito vt Petrus est homo, quædã dicuntur cum com-

plexione siue cum aliquo addito vt Petrus est homo doctus.

5. Diuisio est substantiæ in primam & secundam, prima est singularis vt Petrus, secunda est vniuersalis vt homo. Vniuersale enim, vt dicit Aristoteles, aut nihil est aut posterius est, id est, post singularia. Atque hæc diuisio æquè accidenti conuenit quod etiam singulare & vniuersale est.

Prædicamenta. In prædicamentis continentur decem diuisiones, decem generum supremorum in species & specierum vsque ad indiuidua. In hoc enim occupatur Logica. Vnde exsurgit quædam series diuisionum & subdiuisionum ab vno quodam supremo genere vsque ad indiuidua, in qua serie genus prædicatur de speciebus & species de indiuiduis: Vnde istæ series prædicamenta dicuntur, quasi continentes ea quæ de aliis prædicantur; dicuntur etiam categoriæ quod nomen Græcum significat accusationem, quia sicut in accusatione forensi dicitur & enuntiatur id quod est de reo, sic in ista serie dicitur id quod est species vt homo est animal, & id quod est indiuiduum seu singulare vt Petrus est homo. *Nomen categoria vnde.*

Non est autem accipiendum hic genus supremum proprie & in rigore, quasi illud sit quod supra se nullum aliud habet genus: vnde decem categoriæ ab Aristotele post Architam antiquiorem Philosophum traditæ appellantur à pluribus famosæ & vulgares, quia vulgo tradi solebant discipulis, absque præiudicio iis addendi aut detrahendi, cum res magis exactè discutitur. Vnde fit vt quidam addant plures alias categorias & prædicamenta, & quo plura adduntur eo maior habetur scientia diuisionum. Licet istas diuisiones exactè disquirere pertineat ad alias scientias.

Additur 1. prædicamentum transcendentium: est autem transcendens id quod rebus omnibus conuenit. Et habet sub se tres species, ens, verum, bonum, ens quod est obiectum potentiæ, verum quod est obiectum sapientiæ & bonum quod est obiectum amoris. Nam quidquid est, est ens, est verum, & etiam bonum saltem bonitate entis, vt est dæmon.

2. Additur prædicamentum similitudinis & dissimilitudinis. Quæ tamen reuocantur ad relationem.

3. Prædicamentum signi, quod aliud præter se repræsentat vel naturaliter vt fumus ignem vel ad placitum vt hedera vinum venale.

4. Est prædicamentum circumstantiæ, quæ est aliquid rei alteri adhærens aut ad ipsam pertinens extra eius essentiam. Estque circumstantia, vel Physica vel moralis quæ septuplex assignatur infra.

5. Est

5. Est prædicamentum entis moralis, quod est ens dependens ab homine quatenus sciens & liberè agit, vt sunt actus humani eliciti aut imperati, interni, aut externi.

6. Est prædicamentum entium rationis quæ existunt tantum quatenus obiiciuntur intellectui; suntque duplicis speciei. Quædam fundata cum aliqua ratione quæ dicuntur entia rationis ratiocinatæ. Quædam non fundata quæ dicuntur entia rationis ratiocinantis. Vt si imaginor piscem cum cornibus cerui.

Quamuis vero multiplicari possint prædicamenta, consultum tamen est assuescere decem Aristotelicis ad vitandam confusionem sicque obseruate quomodo diuiditur substantia.

1. Substantia in spiritualem qualis est Angelus & in corpoream. Hæc autem in inanimatam vt est terra & animatam. Hæc autem in sensibilem vt est arbor & sensitiuam. Hæc porro in irrationalem vt est equus & rationalem vt est homo sub quo sunt indiuidua Petrus Paulus, &c.

2. Quantitas in continuam & discretam.

3. Qualitas in potentiam, habitum, patibilem qualitatem & formam prout determinat substantiam ad operationem per habitum & potentiam, vel inseruit ad sui ipsius conseruationem per patibilem qualitatem, vel ad ornatum per formam & figuram.

Quia autem exactè ista omnia diuidere magis pertinet ad alias scientias quam ad Logicam, ideo ad alias diuisiones in postprædicamentis contentas ac communes categoriis transimus.

Diuiduntur autem post-prædicamenta in quinque modos, scilicet oppositorum, motus, prioris, posterioris & habere. *Post-prædicamenta.*

Opposita subdiuiduntur immediatè in opposita se compatientia in eodem subiecto saltem in aliquo gradu remisso vt sunt opposita relatiuè & contrariè qualis sunt calor & frigus, & opposita non se compatientia simul vt sunt quæ opponuntur contradictoriè & priuatiuè, vt visus & cæcitas.

Motus species sunt sex generatio, corruptio, accretio, decretio, alteratio seu perfectiua vel corruptiua, & motus localis.

Modi prioris sunt esse prius ordine, tempore, honore, causalitate. Ac totidem modis dicitur aliquid esse posterius.

Modi habere sunt etiam diuisi. Quia habetur aliquid tanquam pars, vel vt vestitus. vel vt possessio, vel vt contentum in vase.

Sicque in libro Categoriarum continentur diuisiones omnis fere generis vt sit scopus Logicæ artem aut scientiam diuidendi in eo docere.

Morale. Si tibi labor in addiſcendis tot diuiſionibus Philoſophicis, addiſce diuiſionem Angelicam, quam nato Chriſto, decucerunt Angeli, *Gloria in altiſſimis Deo & in terrâ pax hominibus bona voluntatis.* Hæc eſt partitio vera, ſancta, Deo-grata; hominibus neceſſaria, tamen non contenti iſtâ diuiſione litigant inter ſe & gloriam ex ſuperbia ſibi aſſumunt, ait Pius quidam Philoſophus. *Helmeſius.*

Tertia pars Logicæ Argumentatiua ad libros de interpretatine, &c.

Tractaturus Ariſtoteles de Syllogiſmo & eius ſpeciebus in ibris Priorum & Poſteriorum Analyticorum, Topicorum & Elenchorum, prius de eius materia proxima tractat, id eſt, de propoſitione in libris Peri-Hermenias id eſt de interpretatione dictis, quod propoſitio ſit interpres & manifeſtatiua conceptus mentis: in his autem libris Ariſtoteles ſubtiliſſimus eſt, vt ait Iſidorus, & quando hos libros ſcriptitabat, dicitur quod calamum in mente tingebat, atque ideo tantum faciliora & magis neceſſaria vacat hic attingere.

Argumentatio.

Definitur argumentatio *oratio quâ vnum ex alio rectè colligitur.*

Notandū in quauis argumentatione eſſe diſcurſum, qui ex D. Thoma 1. p. q. 14. art. 7. Duplex eſt: vnus improprius ſeu ſucceſſionis, qua vnum poſt aliud cognoſcitur, ita vt tamen poſterioris cognitio à priori non pendeat: alter proprius ſeu cauſalitatis qua vnum poſt aliud cognoſcitur, ita vt tamen poſterioris cognitio à priori non pendeat vnde & & dicitur cognitio vnius ex alio prior vnius poſt aliud, à quibus diſtincta eſt cognitio vnius in alio vt cognitio imaginis in ſpeculo. Notandum inquam in ea eſſe diſcurſum cauſalitatis, non ſucceſſionis; quia per hunc non rectè infertur vnum ex alio.

Sex ſunt eius ſpecies, Exemplum, Inductio, Dilemma, Gradatio, Enthymema & Syllogiſmus.

Exemplum eſt argumentatio *in qua ex vno vel pluribus ſingularibus alud ſingulare colligitur ob quandam inter illa ſimilitudinem*, vt Cæſarem decuit clementia: Ergo Henricum.

Inductio eſt argumentatio in quâ ex *ſufficienti indiuiduorum enumeratione ſpeciem, & ex ſpeciebus genus colligimus*, vt Socrates, Plato, &c. Sunt rationales ergo & omnis homo. Homo eſt ſubſtantia, brutum eſt ſubſtantia ergo & omne animal.

Dilem

Dilemma est argumentatio *qua duplici parte constans vtrimque ita premit vt ex alterutra parte capiat aduersarium*; Dicitur etiam cornutus syllogismus. Sic Bias apud Gellium l.5. cap.11. Suadet non esse ducendam vxorem quia si pulchra habebis communem, si deformis habebis pœnam.

Gradatio siue Sorites est argumentatio, *qua per multas interiectas propositiones ad consequens deuenitur.* Sic Diaphantus apud Plut. de educandis pueris ait, quod mihi placet, matri placet, quod matri placet, Themistocli arridet quod Themistocli arridet Atheniensibus gratum est: ergo quod mihi placet Atheniensibus arridet.

Enthymema *qua ex vna tantum propositione infertur alia,* supple est argumentatio, dicitur etiam syllogismus imperfectus.

Syllogismus ab Arist. definitur oratio *in qua quibusdam positis aliud quidpiam ab his qua posita sint, eo quod ista sunt, necessariò sequitur* quam definitionem ita elegantius rediit Aulus Gellius, l. 15. n.26. Syllogismus, inquit, est oratio in qua consensis quibusdam & concessis, aliud quid quàm quæ concessa sunt, necessario conficitur.

Materia syllogismi id dicitur ex quò constat syllogismus, illa duplex, proxima tres propositiones sunt, remota tres termini ex quibus fiunt istæ propositiones: horum ille est maior qui in prædicato conclusionis & in maiori reperitur, minor qui in subiecto conclusionis & minori reperitur, medius qui in vtraque præmissa.

Forma syllogismi est ipsius materiæ apta ad quid concludendum dispositio; illa duplex: vna materiæ remotæ & dicitur figura, & cum materia illa tribus modis possit disponi, ideo figura triplex: prima quando medium est subiectum in maiori, prædicatum in minori: secunda quando est prædicatum in vtraque: tertia quando subiectum. Altera materiæ proximæ, & dicitur modus.

1. Quilibet syllogismus tribus tantum terminis debet constare. 2. Medium non debet poni in conclusione. 3. Conclusio sequitur deteriorem partem. 4. Non debent præmissæ ambæ esse negantes. 5. Non particulares.

In prima figura maior sit vniuersalis minor affirmans in modis directis: in secunda maior vniuersalis, alterutra negans: in tertia minor affirmans, alterutra vniuersalis. Quæ breuius ita exprimi possunt vt memoriæ mandentur.

Ter

Ter sit, non bis par-nec neg. med-clusio nescit,
est tamen hac partis deterioris amans.
Prima ma : vrl. sit mamque minor: ma vrlque secunda
Vnaque neg. : vna vrl. tertia sitque minor.

Propositio.

Propositio *est oratio affirmatiua vel negatiua alicuius de aliquo*, oratio est *vox significatiua ad placitum cuius partium aliqua significatiua est separatim sumpta.* Estque vel horratiua, vel optatiua cuiusmodi orationes ad poëtas aut rethores pertinent, vel est enuntiatiua quæ ad Logicum pertinet significatque verum vel falsum, constatque ex subiecto prædicato & copula, vel dubitatiua est quæstio.

Subiectum est *de quo aliud prædicatur*, vt cum dicitur homo est animal, animal prædicatur de homine. Prædicatum est *quod de alio prædicatur*, vt in eadem propositione animal prædicatur de homine; ideoq; homo est subiectum, animal prædicatum: copula est quod ligat subiectum cum prædicato estque vel explicita expressa in verbo *sum es est* vt homo est animal. Vel implicita & expressa per aliud verbum quod continet & copulam prædicatum & simul vt homo currit. i. homo est currens.

Vnde propositio resoluitur in nomen & verbum.

Est autem nomen *vox significatiua ad placitum sine tempore, cuius nulla pars separata significat.* Vt cum dicitur *homo.*

Verbum est *vox consignificatiua temporis, cuius pars separata nihil significat*, vt hoc verbum *amat* significat tempus præsens, partes vero istæ *a* aut *mat* nihi significant ordinariè.

Est vero vox *sonus ore animalis prolatus :* aut secundum alios aër tenuissimus ictus plectro linguæ.

Propositiones diuiduntur in vniuersales quæ afficiuntur signo vniuersalitatis *omnis* aut *nullus*: particulares quæ afficiuntur signo particularitatis *quidam aliquis* : indefinitæ quæ sine his signis proferũtur. Diuiduntur etiam in absolutas & hypotheticas quæ proferuntur sub conditione vt *si sol lucet dies est.* Iterum in simplices & modales quæ vltimæ proferuntur cum aliquo modo compositionis, qui est sextuplex *verò, falsò, contingenter, possibiliter*, *impossibiliter*, *necessario.* Et homo est contingenter albus, est propositio modalis.

Est etiam quædam propositio clara alia exponibilis quæ constat quibusdam terminis obscuris, quæ indigent ideo explicatione. Vt sunt *solum præter quatenus*, vnde sunt propositiones exclusiuæ, exceptiuæ & reduplicatiuæ.

Logici tractant de quibusdam propositionum proprietatibus scilicet

ſcilicet de earùm oppoſitione inter ſe, de oppoſitarum inter ſe æqui-pollentia, ac etiam conuerſione. Sed hæc minus vtilia.

Aliæ ſunt propoſitionum proprietates quarum cognitio multum prodeſſet eas ſcientibus.

1. Eſt veritas vel falſitas quæ conuenit omni propoſitioni Eſt enim vera vel falſa. Eſt autem illa veritas *conformitas propoſitionis cum ſuo obiecto*, falſitas vero eſt *defectus illius conformitatis.*

Porro veritas illa aut falſitas vel eſt euidenter & clarè nota ex apprehenſione terminorum ac veluti primo mentis intuitu ſine obſcuritate & hinc vocatur aliqua propoſitio euidens aut clara. Eſt ſiquidem euidentia quaſi videntia aut viſio obiecti. Quod ſi inſuper expellat omnem dubitationem rationabilem (nam dubitationes irrationabiles patuarum mentium non conſiderantur) & nitatur alicui fundamento, aut principio infallibili; ex quo clarè deducitur, dicitur propoſitio certa. Nam certitudo eſt *aſſenſus, mentis ad aliquam propoſitionem ſine formidine rationabili.* Vnde propoſitiones fidei, vt Deus eſt incarnatus, ſunt certæ, etſi mens formidet aliquantulum irrationabiliter tamen, nititur enim fundamento infallibili, vt eſt diuina reuelatio.

Quod ſi propoſitio ſit obſcura & incerta, tunc vel nititur graui fundamento vel leui. Si primum eſt propoſitio probabilis, ſi leui fundamento nititur eſt propoſitio improbabilis. Eſt enim propoſitio probabilis *illa quæ in re obſcura aut incerta graui nititur fundamento:* ſicut improbabilis quæ leui.

Fundamentum autem graue intelligitur quod tanto pondere ex ſe inclinat intellectum ad aſſentiendum propoſitioni, vt ſpectato modo naturali iudicandi de veritate rei & ei aſſentiendi, in rebus obſcuris & incertis, prudens quiſque ſine vlla notaleuitatis aut imprudentiæ propter tale fundamentum aſſentiri poſſit ac de rei veritate aut falſitate ferre iudicium.

Vnde apud Ariſtotelem *l.6. Topicorum* propoſitio probabilis dicitur. *Quæ videtur omnibus aut ſapientibus.* Quia tunc habet graue fundamentum: Vnde & inferetur quod ſit improbabilis ſi ſit tantum vnius aut alterius Doctoris contra multo plures, quia tunc auctoritas vnius contra plures eſt leue fundamentum. Item etiam ſi ſuppetat talis ratio quæ tollat obſcuritatem aut formidinem de oppoſitâ propoſitione, quamuis oppoſita habeat plures authores, cenſenda erit improbabilis & falſa nec licebit eam ſequi.

Quod autem tantæ ſint difficultates in iſtis, non mirabitur qui quæ docet Ariſtoteles l.1. *poſteriorum* & explicat Albertus magnus

magnus ad eum librum tract.1. c. 2.animaduerterit. Vt enim aurum varios habet ordines & status,primo enim est aurum obrizum omnino depuratum , secundo est aurum quod ex fabricatione habet aliquid admixtum,quod tamen non participat nisi purum:tertio est aurum quod tantum de alieno admixtum habet vt non nisi peritus illud percipiat.Quarto cum est falsum,ita tamen est simile auro vt possit fallere peritum, vt Orichalcum:quinto cum ita falsum est vt sua falsitas omni homini appareat. Sic propositio quinque habet ordines , in primo ordine est illa quæ sine dubitatione vera est,vt est propositio necessaria:in secundo est propositio proxima veritati, itavt difficile accidat fallacia licet possit eius veritas mutari & fallere.In tertio est propositio opinabilis opinione plurium non sapientum:in quarto verisimilis quæ cum dolo & simulatione occultâ habet similitudinem veræ propositionis etsi non sit probabilis : in quinto ordine est illa quæ scitur esse falsa.

Hæc autem annotare vtilissimum est ad discerpendas varias argumentationum syllogisticarum species:quia inter syllogismos quidam sunt *demonstratiui* , quia constant ex propositionibus euidentibus & certis : alij vero sunt tantum *Topici dialectici aut probabiles*, quoniam constant ex propositionibus tantum probabilibus , siue interim illatio conclusionis sit euidens & certa vel tantum probabilis. Quod si propositiones appareant euidentes & certæ non sunt tamen tales, fit syllogismus pseudographus , si vero appareant probabiles cum non sint tales , fit syllogismus Sophisticus , & vterque syllogismus generat errorem sicut demonstratiuus , generat scientiam & Topicus,generat opinionem.

Cæterum quæ pertinent ad Syllogismum Sophisticum pluribus explicandum restaret ad viranda præcipitia errorum. Sed hic est Logica pauperum ex affectu misericordiæ hic inserta ad leuandam tantisper inopiam,non omninò tollendam. Melius iudicauimus vt partem haberes quam toto careres. Vale & ora pro me.

MONITA

MONITA QVÆDAM
de vocatione ad Ordines.

IMPOSITIO manuum est ostium per quod intrant qui Ecclesiarum gubernaculis admouentur, proindè quia eiusmodi ostium diligenter custoditum non est, factum est vt tanta mala quæ sentimus agminatim, in Ecclesiam Dei irruperint, &c. *Concil. Coloni. sub Hermano Archiep. an.1536.*

Quamobrem omnibus qui præficiendi Ecclesiasticis muniis potestatem habent, illa Paulina admonitio semper ob oculos versabitur: *manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis.* Si enim ad honores mundi sine suffragio temporis, sine merito laboris indignum est peruenire, & honorari ambitus solent, quos probitatis documenta non adiuuat, quàm diligens & quàm prudens habenda est dispensatio diuinorum munerum & cœlestium dignitatum. *ibid.* 1. *Tim.* 5.

Ordinandi de quibus examinandis docet hoc distichon.

An confirmati, genus, ætas, quis titulus sit?
Ordo quis acceptus, mores, doctrina, fidésque?

Malderus in medit. Theolog. dies 27.

Si enim κλῆρος Græcè, sors Latinè appellatur: propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est pars clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, vt & ipse possideat Dominum, & ipse possideatur à Domino. *D. Hieronymus in Epistola ad Nepotianum, vbi totus est in vita clericorum delineanda.*

Videte vocationem vestram, ait vocatus Apostolus, consideremus & nos an vocati venerimus & vocati à Deo? Cuius nimirùm hæc vocatio est, quia quos prædestinauit, hos & vocauit; sed quid vocauerit vos in honorem cleri? vellem con-

uenire conſcientias veſtras, vt ſecundùm præceptum Domini loquar ad cor Ieruſalem. Huic enim parvulo adhuc, aut forſitan nedum nato, Eccleſiaſtica iam beneficia prouida ſanè parentum ſollicitudo parabat, *&c.* D. Bernardus ſerm. de *verbis Euangelij* dixit Simon Petrus ad Ieſum, ecce nos reliquimus omnia.

Audi querelas Domini, *&c.* Ipſi inquit regnauerunt & non ex me, principes extiterunt & non vocaui eos vniuerſos. Siquidem in ordinibus Eccleſiaſticis, cæteriſque ad ſanctuarium pertinentibus, honorem quærentes proprium aut diuitias ſeu corporis voluptatem, poſtremò quæ ſua ſunt non quæ Ieſu Chriſti, manifeſtè prorſus, & indubitanter, non ea quæ ex Deo eſt charitas, ſed externa à Deo, & quæ omnium malorum radix eſt cupiditas, introducit. Quid igitur temeritatis, imò quid inſaniæ eſt? Vbi timor Dei, vbi mortis memoria, vbi gehennæ metus & terribilis illa expectatio iudicij? Sponſa nec cubiculum, nec cellam ingredi, niſi rege introducente præſumit, tu irreuerenter irruis nec vocatus, nec introductus. *D. Bernardus ibidem.*

Irreuerenter confluunt
Omnes ad ſacrum ordinem,
Sed hominem veterem nunquam exuunt,
Nec fæditatis diluunt antiqua turpitudinem.
Hi calicis dulcedinem dant in amaritudinem,
Et in venenum aſpidis, Ieſúmque magnum ſordidis
Veſtimentis induunt, & polluunt teſtamenti ſanguinem,
Singultuoſis vocibus verbum ſalutis prædicant,
Et explicant monitis ſalutaribus quid agendum ſit omnibus,
Sed Eſaü ſunt manibus, & voce Iacob indicant.

Petrus Bleſenſis Epiſt. 57. ſeu in cantilenâ de luctâ carnis & ſpiritus.

Curritur paſſim ad ſacros ordines, & reuerenda ipſis quoque ſpiritibus Angelicis miniſteria, homines apprehendunt ſine reuerentiâ, ſine conſideratione; neque enim ſignum regni occupare cœleſtis, aut illius timent imperij geſtare coronam, in quibus auaritia regnat, ambitio imperat, dominatur ſuperbia, ſed & iniquitas & luxuria etiam principatur: in quibus & peſſima forte appareat intra parietes abominatio, ſi iuxta Ezechielis Prophetiam parietem fodiamus, vt in domo Dei videamus horrendum. *Idem D. Bernardus de conuerſione ad clericos, cap. 29.*

Non temerè dico, ſed vt affectus ſum & ſentio, non arbitror inter ſacerdotes multos eſſe qui ſalui fiant, ſed multò

plures qui pereant: in causa est, quoniam res excelsum requirit animum: multas enim habet causas, quæ depellant ipsum à suis moribus, & innumeris oculis opus illi vndique. *D. Ioannes Chrysostomus hom. 3. in cap.1. Actuum Apostolorum.*

Viro cuidam sancto & pio facta est reuelatio pœnarum purgatorij, inferni & gaudiorum paradisi: ille vnum inter cætera demiratus est, quòd cùm multi ex omni genere statuum flammis expiatoriis Purgatorij torquerentur, pauci sacerdotes ex impudicis in illo apparerent: cui ea de re rationem sciscitanti, responsum est, paucos sacerdotes per Purgatorij flammas expiari, quòd pauci contritionem haberent, & fere omnes damnarentur. Scilicet adeo excelsa est sacerdotis dignitas, vt qui eam deprauatis moribus commaculant, vix locum pœnitentiæ & misericordiam à Deo consequuntur: qui verò congruentem huic dignitati vitam ducunt, cum eos eminentis sanctitatis esse par sit, statim in cœlum rapiuntur, vel pauca expianda habent, vt propter ea quàm citò per Purgatorium transeant. *Refert Dionysius Carthusia. de quatuor nouissimis*, parte 3. art.13.

Iampridem conquestus est Christus de malis sacerdotibus in hunc modum. Ego sum quasi sponsus qui sponsam suam cum omni charitate ducit in domum suam. Sic ergo coniunxi sacerdotes mihi cum corpore meo, vt ipsi essent in me, & ego in eis; sed mihi respondent sicut adultera sponso: Verba tua non placent mihi, diuitiæ tuæ vanæ sunt, voluptas tua quasi venenum. Ego habeo tres quos magis diligere volo & sequi. Cui vir mansuetus respondit. Sponsa mea audi me, expecta magis, quia verba tua debent esse mea, voluntas mea voluntas tua, diuitiæ meæ diuitiæ tuæ, voluptas tua voluptas mea. Quæ nullo modo vult audire; sed discedit ad illos tres: cumque discessisset longè vt non videretur sponsus; Primus illorum, id est mundus, ait: Hîc est diuisio viarum & ego non possum amplius sequi eam, ideò ego volo habere omnes diuitias eius. Secundus dicit, id est corpus. Ego mortalis sum & cibus fiam vermium, ipsa autem immortalis, ideò relinquo eam hîc. Tertius ait, id est diabolus, Ego sum immortalis & sine fine mansurus, quia noluit esse cum viro suo, sine fine sequetur me. Sic faciunt mihi isti maledicti sacerdotes. Ipsi deberent esse membrum meum & ita excellentes præ aliis, sicut digitus in manu, sed ipsi deteriores sunt diabolo, & ideo præ omnibus diabolis, profundiùs submergentur in infernum, nisi se emendauerint. Ego voco eos quasi sponsus. Omne quod possum facio

eis , sed eò longiùs discedunt, quò plus voco. Verba mea non placent eis , diuitiæ meæ onerosæ sunt , dulcia verba mea quasi venenum abominantur. Curro post eos , monendo quasi pius pater , supportando eorum delicta quasi mitis Dominus, donis attrahendo,quasi bonus sponsus:sed ipsi eò magis auertunt se,quò plus voco. Tres amicos magis quàm me diligunt, id est mundum & corpus , ideò tertius , id est , diabolus recipiet eos & nunquam dimittet. Ideo væ eis quod vnquam sacerdotes & membra mea facti sunt. Ille sacerdos qui nunc moriebatur , habuit tria. Primò superbiam , quia vestiuit se sicut Episcopus. Secundò laudatus de sapientiâ. Tertiò ad quodcumque voluit & corpori placuit , flexit voluntatem suam , &c. Sed quid nunc profuit ei ? ideò pro superbiâ est ante me quasi homo ad medietatem corruptus , & fœtidus,& plenus vlceribus , & corruptâ carne. Pro laude est neglectus ante me & negligetur ab hominibus. Pro voluntate propriâ , corpus receperunt vermes , animam dæmones sine fine cruciantes. Ecce miseri quid diligunt & quid faciunt ? Vbi nunc amici eius,vbi bona,vbi honor,& gloria ? pro his omnibus habebit nunc æternam confusionem,&c. Væ talibus, quod vnquam nati fuerunt. Ipsi enim profundiùs cadunt in infernum, quàm aliquis alius. *In reuelationibus S. Brigittæ. libro 4. capite* 135.

Clericus quidam in Synodo Episcoporum prædicare compulsus augustiabatur quidnam dignè posset coram tot Ecclesiæ prælatis prædicare ? & vbi accessurus in oratione iacebat, venit ad eum diabolus , & dixit : Quid angustiaris istis clericis prædicare ? dic eis istud & non aliud : princeps inferni salutat principes Ecclesiæ , læti omnes eisdem referimus gratias,quia per eorum negligentiam ad nos fere totus mundus deuoluitur , quia cum ipsis Prælatis , nobis eorum subditi afferuntur , inuitus quidem dico, sed altissimi iussione coactus. *Ludolphus de Saxonia hæc narrat.cap.62. de ambit. & aliis defectibus religionis.* Item. *Matthæus Paris.& alij.*

Ingrediuntur electi sacerdotum manibus expiati cœlestem patriam,& sacerdotes ipsi per vitam reprobam ad inferni supplicia festinant , cui ergo rei cui similes dixerim sacerdotes malos nisi aquæ baptismatis , quæ peccata baptizatorum diluens , illos ad regnum cœleste mittit , & ipsa postea in cloacas descendit. *D.Greg.magnus,Homil.17. in Euang.*

Quem honorem homo etiam vocatus , etiam electus à Deo , non tutè, neque sine multo cadendi discrimine suscipit, testimonio sunt Saul & Iudas plurimique. Quis igitur manet exitus

exitus dum ingerit se quispiam prece, pretio, non vocatum, non electum, vtinam non reprobatum. *Gerson tom. 2. serm. ad Ecclesiæ cautelam.*

In primis Ecclesiæ sæculis cùm is sacerdotio honos deferebatur quem deferri par erat, prout res est dignissima & in summo pretio habenda, nemo ad illud admittebatur, nisi vt ad Episcopatum promoueretur, aut ad regimen animarum, vel nisi ob verbi Dei prædicationem magnam de se existimationem apud omnes sibi conciliasset. Cæteri Ecclesiastici in ordine & munere Diaconorum, vel Subdiaconorum aliorúmque minorum ordinum remanebant. Ac tunc quidem gradus infimos habebant, sed vitam præcelsam & sublimem ducebant. At hodie contra accidit: qui enim ad supremum Presbyteratus gradum euecti sunt, nequidem vitam degunt quæ inferioribus ordinibus conueniret: crede mihi, charissime, non alius ab ipso cacodæmone tantâ & tam enormi audaciâ corda plurimorum hominum huius sæculi incitauit ad acquirendum supremum sacerdotij honorem, nisi vt eosdem in eminentiorem templi partem exaltatos, inde eos in profundum deiiciat, &c. nec dici, nec explicari potest quanta sanctitas desideretur ad munus illud obeundum claudendi verbo & aperiendi januas cœli, & à cœlo creatorem omnium aduocandi, vt in altari sistat se, &c. *Ioannes Auila Epistolarum parte 1. Epist. 61. ad iuuenem cui sacerdotium dissuadet.*

Character Ordinis non necessario supponit characterem Confirmationis, vnde si non confirmatus ordinetur, verè accipit characterem & potestatem Ordinis, cuius exemplum habemus in Apostolis, qui ordinati sunt in cœna; sed confirmati in Pentecoste. Consentaneum est tamen vt ante Ordinationem sit confirmatus; non enim decet vt in Ecclesiâ assumatur quis in ducem qui in eâ nondum adscriptus est in militem. *Lessius in 3. p. de sacramento ordinis. c. 2. dubio 2.*

Ordinandi debent esse bonæ conscientiæ: ita vt non sint sibi conscij alicuius peccati mortiferi. Deinde debent esse bonæ famæ. Ratio est, quia ordinatio est Sacramentum non quidem institutum ad remissionem peccatorum, sed ad constituendum hominem mediatorem inter Deum & plebem. Nam sacerdotes debent Deo vota populi & sacrificia offerre, & populo diuinam doctrinam & Sacramenta ministrare, ad quæ & bona conscientia apud Deum, & bona fama apud homines requiritur. *Idem ibidem c. 5. dubio 1.*

Ac vt ab initiis exordientes, quascumque priùs personas ineptas, & à sacris alienas secludamus, hinc ad singulos gra-

dus progressuri, declaramus: in primis quoscumque Chrismatis Sacramento non confirmatos, rudes & ignaros, criminosos, solemniter pœnitentes, neophytos, ebrietati & gulæ deditos, impudicos, lapsos post ordinem susceptum, perjuros, vsurarios manifestos, infames, ratiociniis obligatos, seruos, corpore vitiatos, insigniter deformes, illegitimè natos, peregrinos & ignotos, excommunicatos, amentes, morbo caduco laborantes, energumenos, ab ordinationibus cleri longè arcendos, salua tamen Episcoporum potestate in casibus à iure permissis dispensandi. *Concilium Burdigalense anno* 1624. *c.6. num.*1.

Et ne quid adhuc temerè suscipiatur, sed deducat eos spiritus Domini per semitas iustitiæ, exercitiis spiritualibus octo dierum vacare, generali peccatorum confessione animam perpurgare, eosdem exhortamur, & monemus, & sic demum sperantes se, Deo auctore, continere posse, temporibus sacræ ordinationis, ad ordinem promoueri peroptamus. *Idem Concilium Burdigalense. cap. 6. num.*4.

Præparatio ad facienda exercitia. Primò considera quis sit finis quem in exercitiis istis intendere debes. Is nimirum, disponere & præparare animam ad affectiones omnes siue actuales, siue habituales inordinatas, antiquas aut de novo natas tollendas penitus, & sublatis illis ad quærendā & inueniendam Dei voluntatem circa vitæ tuæ statum, salutem, perfectionemque. Iraque pone ante oculos tuos internam animæ tuæ ruinam & sterilitatem & cogita te audire quod Hieremias. cap. 1. *Ecce constitui te hodie super gentes & regna, vt euellas & destruas, & disperdas & dissipes, & ædifices & plantes.*

Considera tibi insuper esse vtendum aptis mediis ad illum finem. Hæc autem media sunt exercitia spiritualia, quæ nihil aliud sunt quàm certa quædam methodus examinandi conscientiam, orandi mentaliter, legendi libros spirituales, & considerandi ea quæ cuique propria sunt. Hinc tam multi tanta lumina & gratias hauserunt ad suam perfectionem.

Considera opus esse vt ea instrumenta magni repures, eaque seriò adhibeas, omnia suis temporibus agendo, totúmque te in iis impendendo. Insuper in iis opus esse generoso animo, cum sine difficultate ad ima vsque veteris vitæ fundamenta eruenda, & perdenda peruenire non possit, ac ea dissipanda quæ in te construxit dæmon, mundus & caro, fundandámque sedem in te Deo dignam sanctis desideriis, solidisque propositis è cœlo aduectis. Opus etiam esse magna animi

animi quiete : ad hæc enim efficienda excludi debent cætera omnia,præter vnum Deum in solitudinem internam & externam concedendum est. Quare persuade tibi ita cum Deo agendum esse his diebus paucis, quasi tu solus cum eo in mundo esses. *Ducam*, inquit, *eam in solitudinem & loquar ad cor eius.* Hæc omnia monet *Legaudiere* in opere posthumo de perfectionis naturâ & causis sect. 18. c.24.

Ex quo autem fonte desumi debeant meditationes pro exercitiis decem dierum, varij varia sentiunt, puto eas commodas fore ordinandis, quarum indiculum dedimus inter prælndia Theologiæ affectiuæ. Cum præter pietatem, doctrinam ordinandis non inutilem contineant. Vnusquisque tamen vt in suo sensu abundet, per me licet.

Ioannes Carmelita. *De prudentia iustorum* parte 4. c.5.introducit Christum sic dolentem super Ecclesiasticis, & sic eos monentem.

Quomodo obtexit caligne in furore suo Dominus filiam Sion, dilectam sponsam meam delictis Ecclesiasticorum denigratam. Sanctitas illa antiqua Ecclesiasticorum cum Ecclesia antiquâ nascentium & sine fastu & astutiis sæculi simplici ac fideli corde in domo meâ ministrantium extincta est. Video ego gentes ingressas sanctuarium, de quibus præceperat altissimus pater meus ne intrarent in Ecclesiam suam. Gentilium peccata, ambitio, auaritia, incontinentia in Ecclesiasticos transierunt : qui facti sunt veluti tauri pingues per prata sine timore currentes, *&c.* væ genti consecratæ quæ in commotionem capitis versa est : Omnes qui bene considerant, obstupescunt & dicunt : Hæccine est gens perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ ? Debuerat quotidiano sacrificio & dulcissimo Ecclesiæ cantu ad pietatem inflammari & lapidea corda sæcularium exemplo suo mouere : & tamen alienata est retrorsum, & mercede conducta non purâ intentione mihi seruit. Reuertimini ad cor, filij mei & considerate nouissima vestra,&c. *cap.*3.

Monet sacerdotes.

Mundamini, qui fertis vasa Domini, & pollutum nolite tangere ne forte moriamini. Attendite verba mea, charissimi amici sacerdotes noui, & æterni testamenti mei,& induimini suauissimum iustitiæ decorem, vt sanctè sancta tractetis, & nomen meum infinita veneratione dignum non polluatis. Feci vos consortes sacerdotij mei, vt essetis mediatores populorum, quorum pondus portatis. Et ideo deberetis niue candidiores esse,& corda, manusque puras extollere in

ſancta, vt decor ſacrificij veſtri aſcenderet ad altiſſimum Patrem meum, & donaret vobis delicta populi. Conſiderate dignitatem veſtram, quia vncti eſtis oleo ſancto meo, & panem vitæ, qui de cœlo deſcendit, quotidie comeditis. Tanta eſt profectò altitudo dignitatis veſtræ, vt montium vertices ſuperetis, & cœli cœlorum vobis inclinentur. Quid ego dicam vobis, cùm videam vos in cœleſti dignitate conſtitutos homines eſſe & ſecundùm hominem ambulare? Mirabile eſt, vos corpore & ſanguine meo quotidie paſci, & vitiis cæterorum hominum, qui profanè viuunt, deformari. Quid eſt hoc? quomodo non transformamini in me, & innocentiâ vitæ reſplendetis? Exuite jam, filij mei, veterem hominem, vt ſingulari pietate tantum cæteris hominibus præſtetis, quantum illos dignitate præceditis. Adhæreat eſca, quam ſumitis viſceribus veſtris: & corpora veſtra, quæ Dei templum facta ſunt, ab omni corruptione præſeruate. Luceat lux veſtra ſole clarior coram hominibus, quorum culpas abluitis, vt exemplo vitæ veſtræ emolliti atque conuerſi, glorificent per fructus iuſtitiæ clementiſſimum Patrem meum, qui in cœlis eſt. Fugite commercia filiorum huius ſæculi, qui vitæ puritatem oderunt: Diſcant alij prudentiam quæ de terrâ eſt, qui merguntur in terrenis deſideriis, quaſi plumbum in aquis vehementibus. Vos verò qui pane vitaliſſimo nutrimini, cauete ne regales epulas immundis cibis maculetis. Altiores mundo eſtis: cœleſtia cum mundi contemptu cogitate atque diligite, & altiſſimum iuſtitiæ ſacrificium in mei memoriam puriſſimis affectibus ſacrificate. Et non ſolùm placebit mihi holocauſtum veſtrum pluſquàm ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, qui inquinatos ſanctificat, ad emundationem carnis, ſed ſupra omnia mundi bona iucundabor in caſtis, & humilibus cordibus veſtris, quæ ardebunt igne charitatis in conſpectu meo. *Idem c.* 7.

Atque quoniam monita illa omnia eò tendunt, vt Ordinandi vocationem ſuam ad ſtatum Eccleſiaſticum probè diſcernant, addam pro eorum complemento, quæ vir perdoctus Stapletonus, *in diſputatione ſcholaſticâ principiorum fidei doctrinalium controuerſiâ* 2. *q.* 4. *art.* 2. eruditè tradit, vt quis poſſit rectè vocationem ſuam examinare: etſi enim illam multi vrgeant verbis terrificis ac potentiſſimis, nullus tamen methodum adeò perſpicuam docet, quâ probè diſcutiatur. Sed verba eius etſi pluſculâ attentâ mentis conſideratione libranda ſunt, quibus nihil melius ſcriptum in hac difficili materiâ, hactenus mihi occurrit.

Vocatio,

Vocatio, inquit, est duplex: interna & externa.

Vocatio interna & externa.

Interna est quando non solum ab hominibus, sed etiam à Deo se vocari aliquis intelligit.

Hoc autem duobus modis intelligi potest.

Primum; quando quis dotibus illis à Deo donatus videtur, quæ ad functiones Ecclesiasticas requiruntur. Hæc sunt eruditio competens, vitæ integritas, zelus ac desiderium salutis animarum. Horum trium vno qui caret, si se à Deo vocatum existimat, seipsum mirabiliter fallit. Vt hæc autem sibi adesse tutâ conscientiâ persuadeat, magnam adhibere debet vnusquisque prudentiam & humilitatem: prudentiam vt tum seipsum rectè discutiat, tum muneris, ad quod vocatur, magnitudinem diligenter perpendat; humilitatem, vt vocanti Ecclesiæ obtemperet. Lege his de rebus Gregorium Magnum *de curâ pastorali*, parte 1. Chrysostomi libros *de sacerdotio*, & August. librum *de pastoribus*.

Alter modus cognoscendi vocationem internam est, quando purâ intentione suscipitur functio Ecclesiastica, ad quam quis vocatur. Qua in re innumeri seipsos decipiunt. Sciendum est igitur, quòd pura est intentio, quando media ad finem diriguntur: obliqua autem & præpostera, quando finis ipse ad media proportionatur, & illis subseruire cogitur. Finis autem omnis vocationis nostræ est, vt in ea ad laudem Dei & ad salutem nostram atque aliorum versemur. Media ad illum finem consequendum sunt varia; tot sanè, quot sunt legitimæ in hac vitâ vacationes. Sed vt non omnia omnibus conueniunt, nec quælibet vacatio vnicuique salutaris aut idonea est; ita in omni vacatione vel sponte eligenda, vel quando offertur, primùm & ante omnia diligenter considerandum est, an talis vacatio mihi ad finem meum consequendum sit vtilis; id est, an ego, consideratis viribus & imperfectionibus meis, possim in eâ laudabiliter ad honorem Dei, ad salutem meam & aliorum versari: quod si perspexero, tunc audacter assumenda est illa vocatio. Hoc enim est, primum quærere regnum Dei, vt postea cætera nobis adjiciantur; *Matth.6.*

Non est autem primò eligendum hoc vel illud vitæ genus, vt postea despicias quomodo, & quatenus in illo genere vitæ Deo possis placere atque seruire: sic enim medium fini præponis, & finem medio subordinas, quod est absurdum & impium. Multò minus considerandum an talis vocatio sit mihi temporaliter commoda, vtpote honorifica, lucrosa, quieta, iucunda, & similia. Hæc enim consideratio non so-

lùm finem non aduertit, sed etiam ea considerat quæ à fine plurimum auertunt. Quare qui cum alterutrâ hac consideratione, vel neglectâ primâ, officium Ecclesiasticum accipit, non est internè à Deo vocatus, quantumcumque externè vocatus fuerit. Non enim ad Deum & ad finem tendit rectâ, sed obliquè ipsum finem ac Deum ad sua peruersa vota trahere conatur. Postmodum enim eatenus tantum Deo seruire volet, quatenus vocatio eius exigit atque permittit, quam existimans à Deo esse, cum à se ipso & à suis concupiscentiis, non à Deo sit occasiones vel peccandi, vel minus feruenter Deo seruiendi, quas in illa reperiet: vocationi suæ imputabit; quasi à Deo ad tale genus vitæ vocatus esset, ideoque à Deo vel tolerari, vel condonari debere periculosè præsumet. Hic enim mercenarius est, & qui non est pastor, id est, coram Deo, quia non est vocatus à Deo cuius non sunt oues propriæ: quia non ille pascit eas, sed Deus. Hic igitur error, & huius rei inaduertentia, multos perdidit & perdet nisi caueatur. Est ergo diligentissime distinguenda vocatio interna ab externâ; ipsaque interna, quæ Deum authorem habet, ab ea quæ à nobis ipsis nostrisque concupiscentiis ortum accepit.

Hìc tamen adhuc duo obserua.

Primùm, quod externa vocatio absque internâ, legitima esse potest ad functiones quas exercet, & aliis prodesse, licet ipsi vocatio sit perniciosa.

Secundò, quod interna vocatio præpostera & obliqua in statu immutabili, vt sacerdotio, vel coniugio, bonorum operum solertia pensanda est; in statu mutabili (vt beneficio vel officio) corrigenda est, vel isto statu deposito, vt in aliquo alio vberiùs Deo seruiatur, & certiùs saluti consulatur, vel saltem intentione mutatâ & rectificatâ. Hæc obiter.

Nunc de externa vocatione, quæ propriè ad hunc locum spectat. Vocatio externa consistit in reliquis duabus partibus, electione & ordinatione. Fit enim externa vocatio per Ecclesiam mediantibus illis, &c.

Ex istis colliges duplicem esse vocationem: externam vnam, quæ fit ab Ecclesiâ mediante electione aut ordinatione. Internam alteram quæ fit à Deo, si bona est; à cupiditate si mala est.

Deus autem vocat quempiam internè ad ordines aut aliquem statum Ecclesiasticum, quod etiam de aliis statibus dici potest dupliciter.

Primo donando illi qualitates necessarias ad hunc statum,

Ecclesia

Ecclesiasticum, scilicet eruditionem sufficientem, probitatem morum, adde immunitatem ab iis omnibus, quæ ex canonibus Ecclesiasticis, arcent hominem ab illo statu.

Secundo donando illi puram intentionem diuini honoris, zeli animarum, ac salutis propriæ.

Hæc duo igitur debebit examinare sedulò ac diligenter quicumque vult scire an sit vocatus à Deo ad ordines & statum Ecclesiasticum, ac illa perpendere quæ monet sapienter Stapleton.

Quod autem spectat ad eruditionem, poterit examinatorum iudicio credere, ad quos attinet ordinandorum tentare scientiam & alia quædam ad ordinum susceptionem prærequisita.

De probitate morum, quæ res est occultior, vix ausim asserere illum eâ esse præditum, quantumcumque se de præteritis dolere, ac imposterum ab iis cauere præsumit, qui post vitam corruptissimam, in quâ diu vixerit statim ad ordines transire non reformidat. In eodem quippe statu videtur esse ac Neophytus recenter ex infidelitate conuersus, quem canones ab ordinibus excludunt: imò & in peiori statu videtur esse, cùm peccata post fidem & agnitionem veritatis admissa, deteriora sint.

Si quis autem sine vocatione internâ statum Ecclesiasticum assumpsit, corrigat quantum poterit, aut suppleat adhibitâ omni diligentiâ, quæ illi desunt: maximè sese excitet, inuocato diuino auxilio, ad puram & rectam intentionem, aliquando etiam, si status sit mutabilis, demittat se ab eo, memor illius verbi Guigonis Carthusiani, *facilis ad Deum via est, quia exonerando itur*, & quod non sit aliquis cui desit sufficiens gratia, ad dimittendum illud officium quod exercet cum interitu sempiterno animæ propriæ.

Denique ex deprauatis moribus post susceptum ordinem, nemo satis rectè inferet, se sine vocatione illum assumpsisse, cùm aliqui etiam legitimè vocati, non respondeant vocationi, aut ea pro libertate abutantur.

DE EXAMINE AD quatuor minores Ordines.

CONCILIVM Mediolanense V. sub S. Carolo Borromæo, parte 3. *Constitutionum* præscribit inter cætera, vt etiam ij qui minoribus Ordinibus adscribi volunt, examini Episcopali subijciantur & ab iis quæratur, experiundóque cognoscatur. *An saltem primordia Grammatica in linguam Latinam intelligant. An scientia spes tales eos ostendat, qui digni sint, vt ad maiores Ordines aliquando ascendant.* Quod Decretum sanctissimum nouum non debet existimari, cum antiquis temporibus singuli minores Ordines, non nisi seruatis aliquot dierum interstitiis & præmissa eorum executione qui primò recipiebantu seiunctim conferri solerent iis qui ex inferiori gradu ad alium superiorem conscendere idonei per examen putabantur. Quare sanctissimè & consultissimè factum est in plerisque Galliæ Diœcesibus à tempore primæ editionis huius libri *de triplici examine*, vt etiam initiandi ad quatuor minores per examen probarentur, quod antea in vsu erat pro solis tribus majoribus Ordinibus. Vnde cum in tribus primis editionibus huius libri tantum dedissemus quæ apta erant ad tentandam doctrinam Ordinandorum ad Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum habita ratione consuetudinis tunc vigentis, in hac quarta editione addimus examen Acolytorum, seu pro quatuor minoribus, & quia sicut indecorum est artifici ignorare artem quam profitetur, sic Clerico nescire Ordinem ad quem adspirat, ideò singula examina initium ducunt ab ipsis Ordinationibus, nequando ab Examinatoribus audiant cum *Mat. 20.* filiis Zebedæi, *nescitis quid petitis*, qui Ordines ambiunt quorum sunt ignari.

PRIMA PARS EXAMINIS PRO quatuor minoribus, de ipsis quatuor minoribus.

Quid petis?

PEto admitti, cum vestro beneplacito, ad quatuor minores Ordines.

Qui sunt illi quatuor minores Ordines?

Acolytatus, Exorcistatus, Lectoratus, Ostiariatus.

Quid est Acolytatus?

Est Ordinatio quâ traditione vrceolorum vacuorum sub præscriptâ verborum formâ datur potestas ad eosdem vrceolos cum vino & aquâ porrigendum Sacerdoti in sacrificio missæ.

Quare Acolytus ita vocatur?

Dicitur Acolytus quasi pedisequus, quod eius officium secundarium sit sequi Diaconum ad locum Euangelij cum candelabro, in quo sit cereus accensus, vnde etiam alio nomine dicitur ceroferarius, quod cereum deferat.

Quid est Exorcistatus?

Est Ordinatio quâ traditione libri exorcismorum cum præscriptâ verborum formâ datur potestas ad legendos exorcismos super Energumenos ad diabolum ab iis expellendum.

Qui dicuntur Energumeni?

Arreptitij seu possessi à dæmone quos vexat dæmon & in eorum corporibus residet.

Quid est Lectoratus?

Est Ordinatio quâ traditione libri prophetiarum veteris Testamenti cum certâ verborum formâ datur potestas ad legendum ex pulpito ea quæ inseruiunt ad instructionem magis vtilem populi.

Quid est Ostiariatus?

Est Ordinatio in quâ traditione clauium sub præscripta verborum formâ datur potestas ad claudendas, & aperiendas Ecclesiæ ianuas, & ad admittendos fideles repellendósque infideles & excommunicatos.

Quænam requiruntur vt Ordinatio sit valida?

Tria requiruntur: debita materia, debita forma & debita intentio tam ministri conferentis, quàm hominis suscipientis, si sit adultus.

Quæ requiruntur vt Ordinatio sit fructuosa & gratiam conferat?

Vt qui suscipit, non habeat conscientiam peccati mortalis.

Quid est materia in Ordinatione?

Est aliquod instrumentum quod traditur tangendum Clerico Ordinando in signum illius potestatis quam recipit, sicut sunt claues in Ostiariatu.

Quid est forma in Ordinatione?

Est prolatio verborum à ministro eam conferente in signum eius potestatis quam recipit Ordinandus. Scilicet, accipe potestatem, &c.

Nunquid etiam tonsura est Ordo?

Respondeo tonsuram non esse Ordinem sed dispositionem & proximam quamdam capacitatem ad Ordines, sicut sunt sponsalia ad matrimonium, & nouitiatus ad professionem, & statum religiosum.

Quare tonsura non est Ordo?

Quia nullam tribuit functionem & potestatem ad inseruiendum sacrificio missæ. Etsi sine eâ aliquis non est capax beneficij, estque conditio *sine quâ non* beneficium ecclesiasticum non obtinetur.

SECVNDA PARS EXAMINIS PRO *quatuor minoribus de Catechismo Clericali abbreuiato.*

Quæ methodus optima Catechismi?

Illa, quâ doctrina christiana docetur in tribus præceptorum generibus, ad consequendam vitam æternam necessariis, contenta.

Quæ sunt illa tria præcepta?

Præcepta fidei, præcepta proborum morum in decalogo contentorum & præcepta sacramentorum.

Nunquid præcepta Dei solo decalogo continentur?

Præcepta fidei morum & sacramentorum.

Respondeo in decalogo sola morum præcepta expresse contineri: nam cum decalogus etiam Iudæis conueniat à quibus christiani differunt in religione, necesse est vt sint alia Dei præcepta præter decem decalogi.

Quare ad consequendam vitam æternam obligant tria illa genera præceptorum?

Quia perficiunt hominem, voluit Christus ad illa homines obligare: præcepta siquidem fidei perficiunt intellectum quem ab errore liberant, & notitia rerum altissimarum illustrant. Præcepta morum perficiunt voluntatem quæ horum beneficio declinat à malo & bonum operatur. Præcepta sacramentorum, præter gratiam interiorem quam ipsius animæ substantiæ imprimunt, excitant memoriam ad recolendam gratiam quam sanguinis effusione acquisiuir.

Quomodo probabis tria hæc præcepta?

Probabo præcepta fidei per illa Scripturæ loca in quibus requiritur fides tanquam necessaria ad salutem, vt cum dicitur ad Romanos. 10. *Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem*, & ad Hebræos. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Probabo etiam præcepta morum in Euangelio, vt

vt cum Dominus noster Iesus Christus. Matthæi 5. & 6. capitibus ea fusè explicat. Et illo textu cap. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Denique præcepta sacramentorum probabo ex capite Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu sancto, &c.* & ex Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Item cap. 21. Probatur præceptum Sacramenti Pœnitentiæ his verbis, *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt, &c.*

An non alia Dei præcepta præter illa tria?

Potest etiam dici aliqua esse præcepta particularia, quibus vnusquisque tenetur quædam seruare juxta proprium statum, vnde aliæ sunt obligationes seruorum, aliæ dominorum, aliæ sacerdotum, aliæ judicum. Sed hîc agitur de præceptis quæ communia sunt omnibus christianam religionem profitentibus, quæ tria esse dicimus, cum ad hæc commodè reduci possint ea omnia ad quæ communiter obligantur homines in conscientia, maximè si legitimè explicentur tria illa præcepta.

Explica ergo primum Fidei præceptum: quid Fides?

Virtus est à Deo infusa, quâ firmiter assentimur ac pro certo habemus quod à Deo reuelatum sanctæ matris Ecclesiæ authoritas comprobarit. *Fides.*

Quare Deus reuelauit ea quæ sunt Fidei?

Quia cum per religionem Deus velit eleuare hominem ad statum altiorem, quàm qui naturali virtute acquiri posset, necesse erat vt de fine & de mediis illius à Deo instrueretur.

Quæ sunt illa quæ pro certo habere debent Christiani?

Illa quæ Fidei duces doctoresque sancti Apostoli diuino spiritu afflati duodecim Symboli articulis distinxerunt, vt christiani omnes in fidei professione conuenirent, & ab infidelibus discernerentur.

Quid in illo Symbolo continetur?

Mysterium sanctissimæ Trinitatis, ac opera mirabilia personarum diuinarum; juxta partitionem commodam illius Symboli in tres potissimum partes, quarum prima Patrem primam personam respicit: secunda Filium qui est secunda persona, & tertia Spiritum sanctum qui est tertia persona.

Explica totam istam partitionem.

In prima parte Symboli explicatur diuinæ naturæ prima persona & mirum creationis opus, quâ ex nihilo & nullâ præsuppositâ materiâ cœlum & terram condidit, cum iis omnibus quæ in eis sunt. Quod continetur his primi articuli verbis. *Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem.* *Symbolum.*

In secundâ parte Symboli scribitur secunda persona & humanæ redemptionis mysterium quod operata est, cum naturam humanam induit per incarnationem. Quod continetur in sequentibus sex articulis.

Et in Iesum Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum.
Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.
Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.
Descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit à mortuis.
Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.
Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

In tertia parte exhibetur tertia Trinitatis persona Spiritus sanctus cum aliquot eius operibus, in posterioribus quinque his articulis.

Credo in Spiritum sanctum.
Sanctam Ecclesiam Catholicam.
Sanctorum communionem.
Remissionem peccatorum.
Carnis resurrectionem.
Vitam æternam. Amen.

Cur ista duodecim Symboli partes articuli vocantur?

Articuli. Quod vt corporis membra articulis distinguntur qui sunt partes distinctæ: sic in hoc Symbolo quod ab aliis partibus eiusdem Symboli distinctum est & peculiarem difficultatem continet, vocatur articulus.

Cur maior pars Symboli est de Christo?

Quod circa Christum versetur potissimum fides & religio christiana, quæ in eo maximè est vt explicet discrimen primi hominis Adam, per quem perditio inuecta est & mors in hunc mundum intrauit: ac secundi Adam qui Christus est, qui moriendo reparauit hominem.

Quæ mala per inobedientiam primi Adam inuecta sunt.

Tria mala ex peccato Adami. Primò propter illam inobedientiam homines priuati sunt auxiliis gratiarum ac in quadam impotentia ad salutem consequendam constituti, nisi aliunde iis prouideretur. Secundò priuati sunt gratia sanctificante per peccatum originale. Tertiò quoad corpus mortales effecti sunt: & quoad animam priuati beatitudine cœlesti & damnationi addicti.

Quo pacto damna ista reparauit Christus.

Tres gradus redemptionis. Moriendo pro hominibus ac satisfaciendo pro illis meruit & obtinuit tria hæc. Primum, vt omnibus hominibus darentur auxilia sufficientia, aut media aliqua quibus jam possent ablatâ impotentiâ per Adamum inuectâ, ex peccato ad gratiam sanctificantem transferri. Secundum, vt de facto gratia sanctifican

ctificans daretur iis omnibus, qui benè auxiliis sufficientibus vterentur, aut quibus illa media applicarentur, quemadmodum cum baptismus datur infanti. Tertium vt ij qui in gratia sanctificante perseuerarent, etiamsi nunc corpore moriantur, aliquando tamen gloriosi resurgerent & interim eorum animæ visione Dei in cœlo fruerentur. Propter quod dicit Apostolus de Christo. *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* ad Hebr. 5.

Cur addit hanc particulam obtemperantibus?

Quia passio Christi non est acceptata ad hoc vt homines de facto saluarentur, nisi sub hac & cum hac conditione quod obedirent præceptis eius. Vnde damnatio plurimorum pro quibus Christus mortuus, est, quia non obtemperant cum perseuerantia præceptis eius omnibus fidei, morum, ac sacramentorum.

Quotuplex Fides?

Vna implicita, quâ credimus quidquid credit Ecclesia, etiamsi illud in particulari ignoremus: alia explicita, quâ ea quæ credimus, distinctè scimus.

An vtraque in præcepto?

Omninò, quia & explicitè multa tenemur scire de articulis fidei; vnusquisque plus aut minus, provt ad altiorem gradum in Ecclesia promouemur: & quæ aliquis ignorat, tenetur implicitè credere, ita vt nullum errorem velimus tueri quem ab Ecclesia damnari aut improbari nouerimus.

Quid fides mortua & fides viua?

Mortua fides dicitur cum quis assentitur articulis fidei, nec tamen Deum charitate diligit, nec spem habet: viua vero dicitur cum animata est charitate & spe in Deum.

An vtraque ista fides in præcepto?

Ita est: quia cum Deus præcepit vt habeatur fides, intelligit de fide quam spes & charitas comitentur, cum sine fide impossibile sit placere Deo.

Quid continet aliud genus præceptorum decalogi, aut proborum morum?

Continet decem præcepta in duabus tabulis data à Deo per Angelos & Moysen populo Hebræorum, quem Deus vocabat suum & cui se cognoscendum & colendum præbebat, donec ex eo Iesus Christus redemptor hominum, tempore præstituto, nasceretur.

Quid in prima tabula?

Tria prima præcepta ad Deum spectantia, nempe hæc.

1. Non habebis Deos alienos coram me, &c.

2. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

3. Memento vt diem Sabbati sanctifices.

Quid in secunda tabula?

Hæc septem reliqua quæ nos circa proximum dirigunt.

4. Honora patrem tuum & matrem tuam, &c.

5. Non occides.

6. Non mœchaberis.

7. Non furtum facies.

8. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

9. Non concupisces domum proximi tui.

10. Nec desiderabis vxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

Aliter decem hæc præcepta his versibus exponuntur;

Vnum crede Deum, nec iures vana per ipsum.
Sabbata sanctifices, & venerare patres.
Non sis occisor, fur, mœchus, testis iniquus:
Viciniique torum, resque caueto suas

Quæ imagines prohibitæ.

An imaginum cultus vetitus est per illa verba primi præcepti, non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo & in terra? *&c.*

Respondeo sensum eorum verborum esse de non facienda aut non colenda similitudine earum rerum, quæ à gentilibus pro vero Deo adorabantur, ita vt non liceret Iudæis facere similitudinem aliquam Martis, aut Mercurij, aut Iunonis, nam jussu Dei in scripturis simulacra & imagines effectas legimus, vt duorum Cherubin ad latera arcæ propitiatorij in tabernaculo Iudæorum, ac etiam serpentis ænei in deserto ad sanandos eius aspectu qui à serpentibus morsi erant. Quapropter existimandum majorem partem hominum quæ imagines aduersatur, hallucinari circa hoc præceptum.

Cur Sabbatum non seruatur cum lex Dei illud præcipiat?

Respondeo illud præceptum qua parte tangit septimum diem, esse ceremoniale: quia sufficit quod aliquis dies addicatur specialiter cultui diuino, quisquis ille sit. Cæremonialia autem antiquæ legis non amplius obligant, promulgato Euangelio Christi: quapropter potuit Ecclesia substituere pro Sabbato diem Dominicum, maximè in honorem & memoriam Resurrectionis Iesu Christi. Vt sic Christiani sint in spiritu in Dominica die, id est, in operibus spiritualibus.

Cur hæc tria præcepta data sunt ad Dei cultum spectantia.

Sicut miles tria debet principi, fidelitatem, reuerentiam, &

& famulatum actualem: sic homo debet Deo fidelitatem, vt non alium Deum agnoscat. Debet reuerentiam, vt nihil iniuriosum contra ipsius nomen admittat. Debet quoque seruitium aliquod tanquam memor beneficiorum illius. Ad hæc autem tria ordinantur, tria prima præcepta.

Cur septem reliqua circa proximum sic ordinantur?

Primum ex his præceptis est circa honorem debitum patri & matri, quia tenent primum locum inter omnes proximos: reliqua autem sex prohibent omne nocumentum contra proximum secundum actum operis, oris & cordis, hoc ordine, vt illi non noceamus opere in propria persona; & ad hoc est quintum præceptum, *non occides*, nec in Persona illi coniuncta, qualis est vxor; & ad hoc est sextum præceptum, *non mœcaberis*, nec in eius possessione: ad quod est septimum præceptum, *non furtum facies.* Item non noceamus ore, ad quod est octauum præceptum, *non loqueris contra proximum*, vt denique non noceamus nequidem corde & affectu, ad quod sunt duo vltima præcepta, *non concupisces*, &c.

Quid intelligitur per patrem & matrem in primo præcepto secundæ tabulæ?

Non solùm intelligitur pater qui genuit; sed etiam princeps & magistratus qui regit: nec solùm mater secundum carnem; sed etiam secundum spiritum, vt est Ecclesia, cuius mandatis Deus vult nos esse obedientes.

Quæ sunt mandata Ecclesiæ?

Septem sunt ab Ecclesia præcepta generaliter omnes ligantia. 1. de celebratione festorum. 2. de auditione missæ. 3. de ieiunio. 4. de confessione annua. 5. de communione Paschali. 6. de solutione decimarum. 7. de vitandis excommunicatis: præter quæ sunt alia quæ tangunt speciales personas.

DE TERTIO GENERE PRÆCEPTORVM quæ spectant ad Sacramenta.

Quid est Sacramentum?

Est signum institutum à Christo ad dandam gratiam iis qui illud suscipiunt legitimè dispositi.

Quid est signum?

Id quod præter sui ipsius repræsentationem adhuc aliud à se distinctum repræsentat. Vt fumus qui præter seipsum denotat adhuc ignem: sic etiam Sacramentum repræsentat seipsum & præterea gratiam inuisibilem in anima existentem.

Quot sunt Sacramenta?

Septem; Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœniten-

tia, Extrema-Vnctio, Ordo, Matrimonium.

Vnde tot?

Ex beneficientiâ Dei id prouenit, vt plura ad gratiam in præsenti vita, & gloriam in futura consequendam adiumenta & media parata haberemus.

Cur nec plura, nec pauciora, quàm septem?

Licet voluntas Dei sit ratio huius numeri, attamen ex iis rebus quæ per similitudinem à naturali vitâ ad spiritualem transferuntur, numerus hic ratione quadam probabili ostendi poterit.

Quomodo hoc?

Vt ad vitam corporalem requiritur, primò vt partus in lucem edatur: sic homo debet Christo renasci per Baptismum. 2. vt partus debet augeri per accretionem: sic homo renatus per Baptismum, augetur & corroboratur per Confirmationem. 3. vt homo debet nutriri ad vitam corporalem seruandam: sic Eucharistia necessaria est ad sustinendam animam veluti pane quodam cœlesti. 4. vt homo si in morbum incidat, indiget medicinâ: sic Christianus lapsus in peccatum mortale, indiget pœnitentiâ. 5. vt indiget quoque quod post morbum imbecillitas virium reficiatur: sic Extrema-Vnctio requiritur ad tollendas reliquias peccatorum. 6. vt vita non subsisteret nisi essent Reges & Magistratus qui regerent: sic vita spiritualis nisi essent Sacerdores perpetuò in Ecclesiâ, ac ideo Sacramentum ordinis quo illis potestas traditur, adhuc necessarium est. 7. quia homines mortales sunt, necesse est quod seipsos propagent ad conseruationem generis humani. Sic cum homines transferantur in Cœlum quoad animas post mortem, necessarium quoque est Sacramentum Matrimonij, in quo noui filij Dei procreentur & religiosè educentur in vita spirituali.

Omnia & singula Sacramenta suntne de præcepto diuino?

Non omnia; sed aliqua ex omnibus, præcipitur enim Baptismus omnibus, pœnitentia iis qui post Baptismum in peccatum mortale lapsi sunt. Eucharistia quoque est de præcepto diuino, tempus verò eius percipiendæ determinatum est ab Ecclesiâ pro paschate. De reliquis non eadem est ratio: nam contentio est inter Theologos de confirmatione & extrema-vnctione an sint de consilio, vel etiam de præcepto. Porro, ordo, & matrimonium relicta sunt cuiusque libertati, vt videat quid magis ipsi conueniat.

Vnde habemus doctrinam de Sacramentis?

Partim ex scriptura, partim ex traditione in scriptis sanctorum

ctorum Patrum, ac partim ex Conciliis, vt ex Concilio Florentino in instructione Armenorum & Iacobitarum, quibus Ecclesiasticorum Sacramentorum veritatem sub breui satis formula tradidit.

Benè est, præstat illam formulam nosse, quàm multa alia quæ librorum paginas occupant.

Quæ est illa formula?

Nouæ legis septem sunt Sacramenta, scilicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Vnctio, Ordo, Matrimonium. Quæ multum à Sacramentis antiquæ legis differunt. Illa enim non causabant gratiam; sed eam solum per Passionem Christi dandam figurabant. Hæc verò nostra & continent gratiam & ipsum dignè suscipientibus conferunt. *In quo differunt Sacramenta noua & antiqua legis.*

Horum quinque prima ad spiritualem vniuscuiusque hominis in seipso perfectionem, duo vltima ad totius Ecclesiæ regimen ordinata sunt. Per Baptismum enim spiritualiter renascimur: per Confirmationem augemur in gratiâ, & roboramur in fide: renati autem & roborati nutrimur diuinâ Eucharistiæ alimoniâ. Quod si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per pœnitentiam spiritualiter sanamur, spiritualiter etiam & corporaliter, prout animæ expedit, per Extremam-Vnctionem: per ordinem verò Ecclesia gubernatur & multiplicatur spiritualiter: per Matrimonium corporaliter propagatur. *Quæ vtilitas?*

Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam forma & persona ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum. *Quibus rebus cõstant?*

Inter hæc Sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio & Ordo: quæ caracterem, id est, spirituale quoddam signum à cæteris distinctum imprimunt in anima indelebile, vnde in eadem persona non reiterantur: reliqua verò quatuor caracterem non imprimunt & reiterationem admittunt. *Quæ cõferunt caracterem?*

Primum omnium Sacramentorum tenet Baptismus quod vitæ spiritualis ianua est, per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ, & cum per primum hominem mors introierit in vniuersos, nisi ex aquâ & Spiritu sancto renascamur, non possumus, vt inquit veritas, introire in regnum cælorum. *Quæ necessitas Baptismi?*

Materia huius Sacramenti est aqua vera & naturalis: nec refert frigida sit, an calida: forma autem est: *Ego te baptizo, in* *Quæ materia,*

& forma? Baptismus apud Græcos. *nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Non tamen negamus quin & per illa verba, baptisetur talis seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; vel baptisatur manibus meis talis, in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti, verum perficiatur Baptisma, quoniam cum principalis causa ex qua Baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister qui tradit exterius Sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum cum sanctæ Trinitatis inuocatione, perficitur Sacramentum

Quis Minister. Minister huius Sacramenti est Sacerdos, cuius officio competit baptisare, in casu autem necessitatis, non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam Laicus & Mulier, imò etiam Paganus & Hæreticus baptisare potest, dummodo seruet formam Ecclesiæ & facere intendat quod facit Ecclesia.

Quis effectus? Huius Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis: omnis quoque pœnæ quæ pro ipsa culpâ debetur, propterea baptisatis nulla pro peccatis præteritis iniungenda est satisfactio: sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cœlorum & visionem Dei perueniunt.

Confirmationis qua materia, qua forma? Secundum Sacramentum est Confirmatio, cuius materia est chrisma confectum ex oleo quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo quod odorem significat bonæ famæ per Episcopum benedicto. Forma autem est: *signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Quis Minister? Ordinarius Minister est Episcopus, & cum cæteras vnctiones simplex Sacerdos valet exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre, quia de solis Apostolis legitur (quorum vicem tenent Episcopi) quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant. Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesiâ Confirmatio. Legitur tamen aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili & vrgente admodum causâ simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Cõfirmationis Sacramentum.

Quis Effectus? Effectus autem huius Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur; sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, vt Christianus audacter Christi confiteatur nomen: ideoque in fronte vbi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipuè crucem eius quæ Iudæis est scandalum gentibus autem stultitia: propter quod signo crucis signatur.

DE

DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

Tertium eſt Euchariſtiæ Sacramentum, cuius materia eſt panis triticeus & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet. *Euchariſtia quæ materia?*

Aqua autem ideo admiſcetur, quoniam iuxta teſtimonia ſanctorum Patrum creditur ipſum Dominum in vino aqua permiſto hoc inſtituiſſe Sacramentum. Deinde quia hoc conuenit Dominicæ Paſſionis repræſentationi, inquit enim Beatus Alexander Papa Quintus à Beato Petro in Sacramentorum oblationibus, quæ inter Miſſarum ſolemnia Domino offeruntur, panis & vinum aqua permiſtum offerri debet, quia vtrumque, id eſt, ſanguis & aqua ex latere Chriſti profluxiſſe legitur. Tertio etiam conuenit ad ſignificandum huius Sacramenti effectum, qui eſt vnio populi Chriſtiani ad Chriſtum, aqua enim populum ſignificat. *Cur aqua vino miſcetur?* *Apoc. 17.*

Forma huius Sacramenti ſunt verba Saluatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum. Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens hoc conficit Sacramentum. Nam ipſorum verborum virtute ſubſtantia panis in Corpus Chriſti & ſubſtantia vini in ſanguinem conuertuntur, ita tamen quod totus Chriſtus continetur ſub ſpecie panis & totus ſub ſpecie vini: ſub qualibet quoque parte Hoſtiæ conſecratæ & vini conſecrati ſeparatione factâ totus eſt Chriſtus. *Quæ forma?*

Huius Sacramenti effectus, quem in anima operatur dignè Sumentis, eſt adunatio hominis ad Chriſtum. Et quia per gratiam homo Chriſto incorporatur & membris eius vnitur, ſequitur quod per hoc Sacramentum in ſumentibus dignè gratia augeatur: omnemque effectum quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, hoc idem quoad vitam ſpiritualem & hoc Sacramentum operatur. *Quis effectus?*

Quartum Sacramentum eſt Pœnitentia, cuius quaſi materia ſunt actus Pœnitentis, qui in tres diſtinguntur partes. Quarum prima eſt cordis Contritio, ad quam pertinet vt doleat de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Secunda eſt oris Confeſſio, ad quam pertinet vt peccator omnia peccata quotum memoriam habet, ſuo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia eſt Satisfactio pro peccatis ſecundum arbitrium Sacerdotis: quæ quidem præcipuè fit per orationem, ieiunium, & eleëmoſinam. *Pœnitentia materia quæ?*

Forma huius Sacramenti eſt: *Ego te abſoluo: In nomine Patris*, &c. *Forma.*

Minister. Minister huius Sacramenti est Sacerdos habens authoritatem absoluendi, vel Ordinariam, vel ex cōmissione Superioris.

Effectus. Effectus huius Sacramenti est Absolutio à peccatis.

Extremæ Vnctionis materia quæ? Subiectum. Quintum Sacramentum est Extrema-Vnctio: cuius materia est oleum oliuarum per Episcopum benedictum.

Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet, qui vngendus est in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentibus.

Forma. Forma huius Sacramenti est hæc: per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid peccasti per visum, *&c.* & similiter in aliis membris.

Effectus. Effectus vero est mentis sanatio, in quantum autem expedit ipsius etiam corporis. De hoc Sacramento habetur Iacobi 5.

Ordinis materia quæ. Sextum Sacramentum est Ordinis, cuius materia est illud per cuius traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino & patenæ cum pane porrectionem.

Diaconatus verò per libri euangeliorum dationem.

Subdiaconatus per calicis vacui cum patenâ vacuâ superpositâ traditionem. Et similiter de aliis per rerum ad sua ministeria pertinentium assignationem.

Forma. Forma Sacerdotij talis est. *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesiâ pro viuis & mortuis, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Et sic de aliorum Ordinum formis.

Minister. Ordinarius minister huius Sacramenti est Episcopus.

Effectus augmentum gratiæ, vt quis sit idoneus minister.

Matrimoniū. Septimum est Sacramentum Matrimonij quod est signum coniunctionis Christi & Ecclesiæ secundum Apostolum.

Causa efficiens Matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.

Tria bona Matrimonij. Tria sunt bona Matrimonij. Primum proles suscipienda & educanda ad cultum Dei. Secundum fides quam vnus coniugum seruare debet alteri. Tertium indiuisibilitas Matrimonij, propter hoc quod significat indiuisibilem coniunctionem Christi & Ecclesiæ. Quamuis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere est, cum Matrimonij vinculum legitimè contracti perpetuum sit.

Nota

Nota in his paucis Concilij Florentini instructionibus contineri doctrinam fundamentalem Sacramentorum. Ea quoque omnia esse de fide, cum Concilium istud sub Eugenio IV. habitum fuerit generale. Vt plenius in summâ nostrâ Conciliorum explicatum est ; *tomo* 1. *classe* 3. Quia vero aliquid amplius desiderari posset ad perfectiorem Sacramentorum notitiam, dabitur infra in sequentibus examinibus. Interim istud videtur sufficere vt benè teneatur ab Ordinandis ad quatuor minores, paulatim etiam à magis generalibus procedendum est scientiis, nec par eruditio requirenda statim in primis gradibus Ordinationum ac in Superioribus.

TERTIA PARS EXAMINIS ORDINANDORVM pro quatuor minoribus.

De Oratione Dominica.

EXcellentissima orationum existimenda est, ratione institutoris & authoris illius qui Christus est cœlestis jurisperitus, qui cum supplicationem patri summo offerendam haberemus, hanc nos edocuit, tum ratione contentorum in eâ oratione, quippe praxim excellentissimam diuinæ charitatis continet quâ & Deum diligimus & nos ipsos & proximum nostrum. Vt qui hanc orationem cum vero affectu & sensu eorum quæ in illa continentur recitet sæpè, non potest quin omninò spiritualis euadat. *Cur oratio Dominica est excellentissima.*

Sed in hoc cardo est difficultatis vt mentem Christi bene quis penetret, & spiritu eius repleatur dum verba diuinæ illius orationis profert. Sic autem intelligo hanc orationem intelligendam esse juxta mentem ipsam Christi Domini, vt post breuissimam præfationem ad Patrem cœlestem cui offertur, septem petitiones contineat, quæ sint omnes petitiones charitatis & amoris tum erga Deum, tum erga nos ipsos. *Quot petitiones.*

Tres etenim primæ petitiones actus sunt amoris & charitatis erga Deum, quem solum & vnicum spectant, quatuor vero vltimæ petitiones actus sunt amoris & charitatis erga nos ipsos, quibus bonum nostrum intendimus & petimus à summo Patre cœlesti, quod non obscurum est, si quis consideret tres primas petitiones, bonum Dei spectare sub hoc verbo *tuum.* Scilicet *sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua*, &c. Quatuor autem reliquas bonum dumtaxat nostrum exprimere sub hoc nomine *Tres primæ petitiones Deum respiciũt. Quatuor reliquæ proximum.*

nostrum, aut *nos. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra*, &c. *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.*

Quomodo Deus est Pater. Dicimus primò in Præfatione. *Pater.* Quia Deus Pater est creatione, nutritione, & adoptione qua iustos ad hæreditatem suam cœlestem vocat per infusionem gratiæ sanctificantis, de qua dicit D. Petrus 1. Epist. cap 2. *Magna & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.*

Quomodo est noster. Dicimus, *noster.* Quippe Deus non est Pater huius, aut illius, sed est Pater omnium. Quippe est origo & creator omnium visibilium & inuisibilium. Dicitur *noster.* Quia omnes vocat ad salutem æternam, non discernendo ex massa perditionis hos & illos vt aliis det media ad salutem sufficienta, aliis ea deneget, vt opinantur malè de illo hæretici plures. Dicitur etiam *noster*, vt discamus habere charitatem ad inuicem, vt qui simus eiusdem Patris Filij, omnem iram & odium deponamus dum vel prima huius orationis verba depromimus.

Cur dicitur de Deo qui es. Sequitur. *Qui es.* Est enim proprium Dei esse, & nomem illius est; Ego sum qui sum, sicut manifestauit Moysi. *Exod.* 3. Hoc autem Deo conuenit triplici ratione. 1. Propter vniuersalitatem omnium perfectionum quas continet. Ipse enim habet quandam totalitatem entis. Est omnia eminenter. Creaturæ habent plus de non esse, quam de esse. 2. Propter æternitatem, est enim Deus ab æterno & erit in æternum qui est, qui erat & qui venturus est. Patres nostri secundum carnem fuerunt, & mortui sunt, & non possumus semper dicere Patri nostro terreno, qui es, Psal. 26. Pater meus & mater mea dereliquerunt me. Thren. 5. Pupilli facti sumus absque patre. Patres nostri peccauerunt & non sunt: & nos iniquitates eorum portauimus. 3. Propter immensitatem; qui enim est Deus, est vbique. Creatura est hic aliquid, extra hunc locum nihil est: at Deo conuenit vbique & in omni loco vt illi dicatur, qui es.

Cur dicitur, in cœlis. Additur *in cœlis.* Propter refulgentiam majestatis eius quæ in cœlis conspicuam se reddit. Est quippe Deus in omnibus locis quasi non esset, cum vix appareat nisi sapientibus, qui profundiori meditatione ad opera eius attendunt. Dicitur etiam in cœlis, vt discamus sperare hæreditatem cœlestem à Patre cælesti, nihilque nos existimemus habere commune cum terrâ, sicque nobili spe ac fiducia erigamur, sed & abjecta omni terrena cogitatione attentissimè ei jungamur in oratione nostrâ, quasi coram tota curia cœlesti adstaremus præsentes, sicque cum magna reuerentia, & sine distractionibus dicamus. *Pater noster qui est in cœlis.*

ACTVS CHARITATIS TRES ERGA *Deum in tribus primis petitionibus Orationis Dominicæ.*

Sic omnia à Deo ordinata sunt, vt cum sit ipse Dominus omnium & omnia sint in eius iure ac Dominio, prima omnia pro parte sua sibi vendicet. Sic primitias omnium, suas esse voluit; quin & primogenita hominum. Si spectemus symbolum nostræ fidei, primi articuli credendi ad ipsum spectant, si attendamus ad decalogum, tria prima præcepta respiciunt eius cultum: itidem in oratione Dominica, tres primæ petitiones ipsum bonum diuinum complectuntur, quatuor vltimæ bonum nostrum. Voluitque Deus nos de seipso prius esse sollicitos quàm de nobis ipsis. Iuxta illud Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei*, Et quod respondit Beatæ Catharinæ Senensi. *Filia tu cogita de me & ego cogitabo de te.* Vnde incipienda est oratio Dominica à praxi & actibus charitatis. *Cur initium est à Deo.*

1. Petitio *sanctificetur nomen tuum.* Id est sanctum habeatur ab omnibus. Nominetur cum reuerentia & deuotione. Quicumque proferent nomen istud, prolatum audient, aut sancto tremore concutiantur in cogitatione tantæ & tam præcelsæ majestatis, cuius ideam sibi in animo effingant. Nemo temerè & irreuerenter nomen illud pronuntiet jurando, vel blasphemando. Bene monebat D. August. in Psal. Memor esto nominis Dei, & Deus de tuo nomine curabit, vt nempe non deleatur de libro viuentium. Sic sancti nomen Dei sanctum habent. Et Isaïas cap. 6. Videns sublimem Dei majestatem in throno sedentem intuetur quoque Seraphim alter ad alterum clamantes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* Sic Apoc. cap. 5. Puto ego quod Christus Dominus nominis & gloriæ patris sui æterni amantissimus, spectacula hæc Seraphim & beatorum ante oculos mentis habebat, & ex amore complacentiæ in gloria Patris voluerit à nobis quotidie pronuntiari ex intimo affectu: *sanctificetur nomen tuum.* *Nomen Dei quomodo sãctificetur.* *B. Ioannes similes acclamationes omnium sanctorũ audit.*

2. Petitio, *adueniat regnum tuum.* Malè quidam addunt, *nobis,* cum nec textus Græcus, nec vulgata editio istud, *nobis,* habeat. Et reuera primæ petitiones nihil exhibent nisi diuinum, in iis de nobis obliti soli Deo vacamus, solum illius bonum petimus ac desideramus. Vt nempe viuat ac regnet in sæcula sæculorum. Quod est bonum quod inter maxima eminet. Quid enim regno majus, quod qui possidet, omnia simul in eo possidet?

Intelligitur autem verè & propriè regnum Dei de regno illo

illo quo Deus in præsenti etiam vita regnat in cordibus hominum per fidem, spem, charitatem ac veram religionem. De quo regno dicebat Christus *Luc.* 17. *Regnum Dei intra vos est.* Hoc regnum Deo exoptare nos docuit Christus, qui Patrem suum cœlestem in omnibus regnare desiderat. Vt ab omnibus colatur, omnes ei obediant sicut subditi regi suo.

Quid regnum Dei?

Vnde & Abbas Isaac dicit hanc petitionem esse mentis purissimæ, quæ aduenire regnum patris exoptat, extincto prius dæmonis imperio. Vt pro fœtentibus vitiis fragrantia virtutum dominetur, deuicta fornicatione castitas, superato furore tranquilitas, calcata superbia humilitas. Possit que dicere vnaquæque anima cum sancto Dauide. Psalm. 5. *Rex meus & Deus meus.* Nec enim omnium ista est vox, nec singuli possunt hoc dicere, sed ij dumtaxat in quorum mentibus nec auaritia, nec superbia, nec aliud peccatum dominatur, vt annotat D. Hieronymus in hunc Psalmum, & in Psalmum 145. Dolebat Christus vbique fere dæmonem regnum suum stabiliuisse per idolelatriam, per heresim, per varia peccatorum genera, quibus implicitos ac inuolutos esse homines sentiebat: ideo regnum istud collabi desiderabat & regnum Patris sui erigi, idcirco docuit nos orare, *adueniat regnum tuum.* Atque vt regnum inter omnia apparentia bona primatum quemdam videtur obtinere, amorem suum maximum ad patrem patefecit Christus in hac petitione: quippe eo magis amamus, quo bonum maius amico ex amore desideramus. In hoc serui regis fideles se produnt & eius amantes, si cum regnum eius imminui videant, aut ab aliis occupari, toto feruntur animo, neruis ac viribus vt illud illi asserant; sic est de hominibus Deo magis addictis, illius regnum toto animo concupiscunt, ad sanguinem vsque pro eo seruando decertant. Nihil illis potius quam vt Deus regnet in omnibus & super omnia. Nec verò justius quidpiam exoptare possunt justi, cum etiam Deus ipsis regnum parauerit ab origine mundi, iisque dicturus sit, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi:* Cur non ergo & justi Deo regnum desiderabunt quem in omnibus regnare justum est, qui omnium conditor & conseruator. Vox ista sit impiorum Iudæorum, *Nolumus hunc regnare super nos & non habemus regem nisi Cæsarem.* Nos contra clamabimus de Deo nostro, volumus hunc regnare super nos. *Adueniat regnum tuum.*

3. Petitio, *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terrâ.* Et hic elucet diuini amoris scintilla. Cum amicorum sit idem velle,

velle, & verus amicus nollet quidquam accidere præter voluntatem amati & quod ei repugnaret, ipsique esset contrarium. Sed quid opus est petere vt fiat voluntas Dei, nunquid illa inuicta est. Psalm. 113. *Deus autem noster in cælo omnia quæcumque voluit, fecit.* ad Rom. 6. *Voluntati eius quis resistit?* Equidem ita est, velint, nolint homines, adimplebitur voluntas Dei. Illa circulus est intra quem omnia continentur, qui eam effugere putat ex vnâ parte; ex aliâ in illam incidit. Quod grande mysterium, vt explicat D. Augustinus, repræsentat nobis diuinam voluntatem, quasi ex duabus rebus circa statum hominum alterutrum tantum vellet disiunctiue, vult scilicet hominem suis præceptis obedire, aut damnari, hæc est voluntas Dei completa. At hæc semper impletur: alterutrum enim ex his duobus certissimè eueniet, ita vt nisi fiat voluntas Dei iubentis per hominem, fiat voluntas Dei punientis in homine. Qui enim dicit, ait: D. Augustinus lib. *de spiritu & litterâ.* cap 33. Volo vt omnes isti serui mei operentur in vineâ, ita vt quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper mollat, videtur quicumque contempserit cõtra Domini sui voluntatem facere: *Sed tunc eam vincet si & pistrinum effugerit, quod nullo modo fieri potest sub Dei potestate*, & lib. 1. contra *aduersarium legis & Prophetarum.* cap. 14. Nec enim Deus voluit quod non potuit, *Hoc enim voluit, vt aut obediens homo esset, aut inobediens impunè non esset.* Quæ cum ita se habeant, considerabat Christus voluntatem Dei vbique in cœlo & in inferno etiam à damnatis & dæmonibus impleri cum ex decreto illius vretentur. Et in hac diuinæ voluntatis executione sibi complacens dicebat. Benè est. *Fiat, fiat voluntas tua.* Omnia ex illius nutu pendeant. Vnde ista tertia petitio, actus est amoris complacentiæ, quo nobis placere debet bonum istud diuinum. Quod Dei voluntas impleatur.

Voluntas Dei an semper impleatur.

Non diffitebor tamen quin etiam ad aliud respexerit Christus in hac tertia petitione, nam sub duplici facie spectari potest adimpletio illa diuinæ voluntatis. 1. Quatenus est bonum ipsius Dei. 2. Quatenus est bonum nostrum & sub vtroque modo illam à nobis peti edocuit, est enim ista adimpletio bonum ipsius Dei. Annon bonum est patrisfamilias si in domo sua ab omnibus voluntatem suam custodiri videat? Annon bonum principis & gloria si per omnes regiones ditionis suæ edicta sua in pretio esse agnouetit? Idem ego puto esse de Deo summo, est illi gloria & triumphus perpetuus quod omnia sub eius voluntate curuentur, etiam Angeli, cœli, elemẽta. Idcirco ex affectu amoris erga ipsum istud pronuntiamus,

Fiat

Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terrâ. Hoc tuum bonum est tibi conuenientissimum. Sed & est etiam illa adimpletio bonum nostrum. Quippe salus nostra,sanctitas,perfectio,beatitudo in eo est, vt Deo subditi & obtemperantes simus, eiusque beneplacito conformes. Quid enim è statu fœlicitatis dejecit primum hominem, nisi inobedientia & infractio voluntatis diuinæ? Quid Saulem regno priuauit? at contra quid super Abrahamum tot benedictiones effudit,nisi adimpletio diuinæ voluntatis? Hanc Christus ipsemet vnicè dilexit & propriæ vitæ anteposuit. Hæc adimpletio sanctos omnes ad culmen beatitudinis euexit. Quidni ergo illam etiam vt bonum nostrum spirituale desiderantes dicamus, *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terrâ*, & in animâ, & in corpore, & in omnibus nostris. Exemplo D.Petri qui cum audisset Christum sibiipsi comminantem quod secum patrem non haberet,nisi pateretur pedes suos à se lauari, dixit,*Non tantum pedes, sed & caput & manus:* Sic etiam,dicamus, *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terrâ*, in animâ & corpore, in intellectu,in voluntate, in memoriâ, in phantasiâ nostrâ, in vtroque appetitu nostro inferiori concupiscibili & irascibili, in omnibus Sensibus & membris. Nihil tibi sese opponat, omnia tibi seruiant.

Actus charitatis erga nos & proximos in quatuor vltimis petitionibus.

Hactenus vsi sumus verbo significante bonum ipsum Dei, *Sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua.* In reliquis petitionibus ad nos ipsos cōuersi & nostræ paupertatis & indigentiæ conscij ac etiam miseriæ proximorum, vtimur aliis verbis, *nostrum*, *nobis*,*nos*, quibus significamus nos ea jam petere & desiderare quæ ad nos pertinent. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, &c. Verum antequam istas petitiones explicemus, juuat quærere cur tamdiu in oratione quæ propter nostras necessitudines instituta fuit, bonum ipsum diuinum & ad Deum spectans desiderauimus & exoptauimus. Quippe videretur conueniens vt in oratione de nobis solliciti solum bonum nostrum desideremus, quid enim Deo afferimus si illius bonum exoptemus; an eum ditiorem & locupletiorem reddemus qui est sibi sufficientissimus? Equidem justa est admirationis causa; non tamen sine ratione à bono diuino sumpsit exordium nostra precatio. nam. 1. Sic exordiendo nos illi gratos reddimus ac eius beneuolentiam

Cur bonum Dei primò spectamus.

uolentiam nobis conciliamus, cum de eius bonis solliciti apparamus, sicut filij qui patris optimi cõmodum spectant. Non enim talis modus agẽdi potest non esse Deo acceptissimus, cui sic primas reddimus. 2. Sic debemus spectare bonum diuinum, quasi nostrum bonum sit, ex affectu charitatis qua bonum diuinum quasi nostrum diligimus, sicque non nisi bonum nostrum desideramus cum diuinum inquirimus. Denique hic est Ordo emanationis bonorum vt à Deo ad nos profluant tanquam à fonte: oportet autem primo fontem ipsum plenissimum esse vt aquæ eius foras deriuentur: sic itaque desideramus Deum plenum esse bonis omnibus, vt de plenitudine eius accipiamus; neq; enim deceret nos prius vllius boni participes esse quam quicquid bonorum Deo competit, illi attributum esset.

ORDO QVATVOR VLTIMARVM petitionum.

Duo petimus pro nobis & proximis omnibus, affluentiam boni, & mali omnis absentiam. Primum cum dicimus. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Secundum cum reliquas petitiones subjungimus. *Et dimitte nobis debita nostra*, &c. Tria quippe mala sunt à quibus liberari exopramus, præteritum, futurum, & præsens. A præterito petimus liberari dicendo, *Et dimitte nobis debita nostra*, &c. A futuro cum subjungimus, *Et ne nos inducas in tentationem*, A præsenti denique cum ita finimus orationem, *Sed libera nos à malo.* Primam autem harum quatuor petitionum pronuntiamus vt mendici. Secundam vt rei coram judice. Tertiam vt infirmi contra hostem potentissimum pugnantes. Quartam vt malis præsentibus oppressi. Vtimur autem verbo plurali *nos, nobis*, quia charitas vrget nos vt proprium bonum ac simul proximi bonum diligamus. 4. Petitio. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Triplicem panem intellexerunt hîc patres. Sacramentalem Eucharistiæ sanctæ. Spiritualem cogitationis alicuius bonæ, & materialem huic vitæ necessarium. Vnde in hac petitione omnia ad salutem tam corporis quàm animæ nobis à Deo concedi exoptamus, qui dat omnibus affluenter & non improperat, qui dat jumentis escam ipsorum & pullis coruorum inuocantibus, qui operit manum suam & implet omne animal benedictione. Ideóque dicitur, Psal. 144. *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno.* Vnde & pauit Eliam in deserto, & Danielem in lacu leonum per Habacuc Prophetam. Et miris modis

Triplex malum.

Triplex panis.

dis sæpe cibos suppeditauit sperantibus in se. Dicitur autem triplex ille panis quotidianus. Nam panis Eucharistiæ quotidie offertur in sacrificio missæ. Et quotidie indigemus pane spirituali sanctæ alicuius cogitationis, considerationis & verbi Dei interioris; *Non enim sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis.* Panis verò materialis etiam quotidianus est propter vitæ infirmitatem: & non nisi ope diuina haberi potest, qui ad hoc & solem suum oriri facit, *Super bonos & malos*, & pluit: *Super iustos & iniustos*, & perenni cursu machinas orbium cœlestium circumagi iubet per Angelorum ministerium, vt ex vniuersâ mundi mole pro hominum vitâ laborante, frustum panis detur hominibus, quod non aliter produci posset, stante rerum præsentium statu. Res ergo magna est panis iste quotidianus materialis, & maior adhuc panis spiritualis sanctæ inspirationis ad bonum peragendum, sine quo vitam æternam non adipisceremur, & qui nobis pretio sanguinis Christi comparatur, sed maximus est panis cælestis, vt in quo Christus ipse nobis exhibeatur. O quanto ardore spiritus à Patre cœlesti tanquam illius mendici panem hunc debemus indigitare? Sed nec minori ardore remissionem peccatorum nostrorum.

Cur peccata, vocantur debita?

5. Petitio, *Et demitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Peccata nostra debita sunt, quia & per ea ius Dei violauimus, honorem subiectionis & obedientiæ nostræ ipsi debitum rapuimus, vnde ad reparationem tenemur & obligamur. Sed & debita sunt, cum per ea obnoxij sumus pœnis omnibus temporalibus & æternis huius & alterius vitæ; tam amarum est dereliquisse Deum & in illum peccasse, & si vero per pœnitentiam culpæ remissionem consequuti fuerimus, adhuc remanet obligatio ad luendam temporalem pœnam & in hac vita, & in purgatorio. Quis explicet quam grauia illa debita sunt? debita sunt plusquam decem millium talentorum. Quibus soluendis cum simus impares, ad misericordiam summi patris recurrimus. *Et dimitte nobis.* Hæc est petitio sanctorum omnium, iuxta quod dicit Dauid Psal. 31. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* Preces, clamores, sacrificia omnia ad dimissionem iniquitatis tendunt. Quantum ergo rei nos & conscij plurium criminum vocem attollere debemus supplices & pectora nostra percutientes, sicut publicanus, dicentes Deus propitius esto mihi peccatori. Nihil frequentius precatur Ecclesia & in sacro-sanctæ missæ officio, & in orationibus fere omnibus, sciens nihil nobis magis esse necessarium, nulla quippe nocebit nobis aduersitas

ſitas ſi nulla dominetur iniquitas. Quam metuendum eſt multi dum perfunctoriè cœleſtem illam & diuinam oranem recitant, ſimiles ſint filiis Zebedæi neſcientibus quid erent.

Quid enim tam magnum, tam pretioſum, ac illud quod in petitione aſſequi deſideramus? ſcilicet petimus nobis doi & applicari valorem paſſionis Chriſti Domini, donari nofructum ac vtilitatem omnem quæ profluere poterat ex nibus eius actibus ac paſſionibus. Quaſi diceremus quicd meriti ac ſatisfactionis haberi potuit per coronam neam, per flagellorum grādinem, per clauorum preforation, per fellis & aceti potationem, per opprobriorum perpeſnem, per ipſam denique animæ à corpore ſeparationem, hoc um dona nobis. Hic enim fructus eſt rerum iſtarum mnium, remiſſio peccatorum. Ad hanc concedendam homibus verbum Dei incarnatum eſt, ad hanc promerendam vitæ e actus omnes & paſſiones direxit. Neque creaturæ oms humanæ etſi ſanguinem omnem effudiſſent, nec ipſi gelorum nouem chori, ſi coadunata virtute ſatisfaionem condignam præſtare voluiſſent, pares illi fuiſſent. oc ſolius erat Verbi incarnati, vt propter reuerentiam pernæ ſuæ infinitæ compararet nobis remiſſionem peccatom: quæ quoniam perpetrata ſunt in Deum infinitum, maiæ habent quamdam infinitatem, vt neceſſe fuerit, illa reompenſari per infinitatem aliam in perſona ſatisfaciente. Et men, quæ eſt noſtra imbecillas orationem illam in qua tam agna petimus, vix cum aliqua attentione effundimus! ô conſiderationem noſtram! ô imbecillitatem! ô indeuotion noſtram.

Remiſſio peccati quid magnum eſt.

Sed ne effluat tam cito ex animis noſtris magnitudo rei, t adhuc aliud perpendendum in illa petitione. Remiſſio im peccatorum non fit ſine iuſtificatione, iuſtificatio ve non fit ſine infuſione gratiæ ſanctificantis? Quid porro atia eſt illa ſanctificans, ac iuſtificans animam? Quaas nempe ſupernaturalis inenarrabilem pulchritudinem imæ conferens, imaginem diuinæ pulchritudinis illi imimens, reddens Dei-formem, Deo gratam & acceptam vitam æternam, ad quam poſſidendam jus etiam confert. ec enim remittit peccata, ſicut homo aduerſario ſuo parcens. i nihil propter ea donat aut confert, ſed tantum acceptę initiæ obliuiſcitur: at non ita Deus, cum remittit peccatum, nat magna & pretioſa quædam animæ, infundit illi gram ſanctificantem, charitatem, virtutes infuſas. Eſtque iuſti-

ficatio hominis sicut illuminatio diei, quæ expellit tenebras & immittit lumen, quo nihil pulchrius oculi adspiciunt. Idcirco cum dicimus, *Et dimitte nobis debita nostra*, etiam petimus à Deo nobilissimam illam qualitatem gratiæ sanctificantis, petimus illud lumen ineffabile, quo fruuntur Angeli, quo efficiuntur homines Filij Dei, &c. Ne vero incredibile istud propter suam magnitudinem putetur, verba Concilij Tridentini tantisper perpendamus, Sess. 6. cap. 7. Hæc iustificatio non est sola peccatorum remissio, *sed & sanctificatio & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum*. Et c. 4. dixerat de prima iustificatione loquens. *Est translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adæ in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum.* O status vere status, res parmanens, dignitas non transitoria! quâ Spiritus Sanctus inhabitat in nobis. Quid eo majus cogitari potest. Vnde cum res illa sit adeo sublimis, non impigrè, nec somnolenter, debemus sæpius animo ad cœlum recto clamare, *Et dimitte nobis debita nostra*.

Quis modus obtinēdi remissionem peccati? Sed quid istud additum isti petitioni potius quam aliis, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Scilicet res tanta est, tamque necessaria remissio peccatorum, vt etiam peculiarem modum ad illam consequendam voluerit Christus nobis aperire, ne vnquam ab illa petitione excideremus: aperuit nobis ianuam, quâ ad Dei misericordiam ingredi & peruenire valeremus, sicut est dimissio iniuriarum, amor inimicorum nostrorum; quales enim nos erga ipsos præstabimus, talem se Deus erga nos exhibebit: si parcamus & ipse parcet, si iniurias obliuione deleamus, & ipse obliuione perpetuâ delebit iniurias, quas in illum commisimus. Posuit enim in nostro arbitrio qualiter ab ipso iudicemus. Vnde metuenda vox est omnibus quam ab ore crucifixi obturatis prius cum duobus digitis auribus constat exilisse ad quēdam mortuum nobilē cuius funus agebatur in Ecclesia & pro quo cantabant requiem

Vox crucifixi. æternam, &c. *Non pepercit, neque ego parcam*. Tantus est obex non pepercisse hostibus ad remissionem consequendam. Quare cū eum illam orationem Dominicam proferre cogitamus, nos ipsos primò tentemus atque examinemus, vtrum omne odium proximi longè sit à nostro corde, ne qua radix amaritudinis relicta inficiat veluti quadam amaritudine preces nostras, easque Deo reddat exosas.

Quid est induci in tentationem? 6. Petitio, *Et ne nos inducas in tentationem*. Tantum malum est peccatum tanto horrore & odio dignum, vt etiam quicquid ad illud potest hominem adducere & prouocare debeat

beat metum aliquem incutere. Ideo cum fuerimus magno quodam horrore erga peccatum affecti, dicamus, *Et ne nos inducas in tentationem*, id est, ne permittas nos in peccatum per tentationem inferri, ne permittas nos hostium nostrorum insidiis succumbere & malis suggestionibus consentire. Hoc enim sensu diceretur Deus in tentationem inducere, quo dicitur in scripturis eum plura facere quia permittit fieri, sicut dicitur Exod. 4. *Indurabo cor Pharaonis* i. Permittam indurari & ab Apostolo, ad Rom. 11. *Conclusit Deus omnia sub peccato* i. Concludi permisit. Proinde idem est petere à Deo, vt nos in tentationem non inducat ac petere, vt non permittat nos à tentatione vinci.

Quæ petitio adeo necessaria est, vt multis D. Augustinus retundere conatus sit hæresim Pelagij, qui quæ creduntur de peccato originali, ac de infirmitate naturæ humanæ in statu corruptionis pro nihilo ducens, necessitatem orationis excludebat ad repellendas tentationes, satis virium in naturâ esse putans ad eas debellandas absque auxilio gratiæ interioris ex merito Christi crucifixi profluentis. Hæc opinio pro hæresi habita est, & per plures Synodos damnata. Quia vana est præsumptio pares nos arbitrari ex viribus naturæ ad propulsandos hostium animæ nostræ insultus. *Hæresis Pelagij.*

Triplicem quippe hostem sustinemus, primum domesticum qui caro nostra est, ac appetitus sensitiuus, seu concupiscibilis, seu irascibilis cum comitatu passionum vndecim. De quo hoste dicebat D. Bernardus Serm. 3. de Domin. 6. post Pentecosten, *Hostem hunc ô anima, nec fugere, nec fugare possumus*, quam perniciosus hostis! quam intestina lucta! perimere eum non licet, sustentare eum cogimur. Est secundus hostis familiaris mundus iste, id est, homines mundi istius, qui siue persequantur nos, siue nimis abblandiantur ad varia peccatorum genera prouocant. Nec magis timendus est mundus, quàm cum magis blandus est. Est enim similis Iudæ dicenti Iudæis, *Quemcumque osculatus fuero, ipse est: tenete eum.* Prodit dæmonibus quos maiori honorum plausu cumulat, maiorique beneuolentiâ complecti videtur, tam falsa, insincera & fucata sunt omnia in hominibus huius sæculi. Tertius hostis est inuisibilis & ideo terribilior, quis enim deffenderet se aduersus hostem quem non viderit. De quo Apostolus ad Eph. 6. *Non enim est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus rectores mundi huius & potestates tenebrarum.* His circumdati hostibus, impares sumus ex nobis ipsis ad resistendum, atque ideo necesse habemus humiliter diuinam opem implorare per *Triplex hostis.*

verba centies reperita huius sextæ petitionis, *Et ne nos inducas in tentationem.* Quid enim facerent ciues in vrbe per potentissimum exercitum obsessi, quàm auxilium aliorum implorare? Quid in mari à piratis impetitus, quàm ad preces confugere? est enim vita hominis, *militia super terram*, aiebat sanctus Iob cap. 7. in hac militia non inexpertus miles, Alia porro versio habet *piraterium*, belli genus naualis longè omnium periculosissimi. Alia rursus totam rem explicans habet, *vita hominis est tentatio super terram.* Nullus est qui non tentetur & boni & mali tentationibus variis subditi sunt. Sed in hoc est discrimen, quod mali tentationi succumbunt, boni resistunt. Illi confestim se suaque omnia dedunt aduersario, hi firmissimè ab eo dissentiunt memores huius dicti à sapiente Ecclesiastes 10. *Si spiritus potestatem habentis super te ascenderit locum tuum, ne dimiseris.*

Triplex modus vincendi tentationes.

Porrò non vnus modus est vincendi tentationem. Triplex est potissimum. 1. Vigilare supra seipsum, tum ob notitiam propriæ infirmitatis, tum ob metum aduersariæ potestatis insidiantis, ne si oscitabunda remaneat anima, subito impetatur 1. Petri 5. *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide*, dicebat Dauid: *Anima mea in manibus semper*, vigilem eius custodiam getens, sicut rei quam in manibus gerimus ne subripiatur nobis. 2. Resistere initio tentationis prius quàm vires validiores contra nos habeat. Psal. 136 *Beatus qui allidit paruulos suos ad petram*, qui conterit tentationes cum adhuc sunt exiguæ, considerando Christum, *capite nobis vulpes paruulas*, aiebat sponsa, Cant. 2. *Quæ demoliuntur vineas:* nam si creuerint, difficillimè capientur, vt nimium luctuosa docet plurium experentia. 3. Inuocare Dei auxilium, vt nos Christus docuit in hac oratione, *Et ne nos inducas in tentationem.* Hæc est medicina omnibus consulens, omnia tumentia comprimens, omnia infirma corroborans. Sic Moyses in monte expansis manibus orans victoriam populo suo obtinuit contra Amalec iter illius impedientem. Exemplis similibus plena sunt omnia. Nec maiores vnquam clades in mundo hoc acciderunt, quàm ex eo quod homines, non benè, non deuotè, non assiduè, non perseueranter orationem hanc effuderint. Omnes damnati ideo damnati sunt, quia non bene orationem hanc recitarunt. Nam si benè, si attentè, si feruenter Deum orassent, exorassent & vberius auxilium obtinuissent, quo hostem suum superassent potius quàm ab illo superati fuissent.

Quæstio est ardua cur ex duobus hominibus simili tentatione

tione pulsatis in eadem temperamenti naturalis constitu-one, iisdemque circumstantiis constitutis, vnus vincat ten-tionem: at vero alter vincatur. Etsi enim casum hunc qui-im putent impossibilem, nescio qua opinione vnicæ gra-tiæ efficacis cum exclusione sufficientis præuenti, mihi tamen probatissimum est, & possibilem esse, & frequenter accidere. *Sicut sub vno igne aurum rutilat, palea fumat: ita vna eadem-que vis irruens bonos probat, purificat, eliquat; malos damnat, vastat, exterminat: tantum interest non qualia, sed qualis quis-que patiatur: nam pari motu exagitatum & exhalat horribi-liter cœnum, & suauiter fragrat vnguentum.* Ait D. August. lib. 1. de Ciuit. c. 8. Sed & vnus, & idem homo in eadem ten-tatione positus hodie resistit, cras succumbit. Cur non vno tempore ex duobus hominibus vnus resistet altero succum-bente? visus est autem, idem D. August. hunc ipsum casum vo-luisse dissoluere, proponens nunc duos homines in conspectu eiusdem puchritudinis ad concupiscendum allectos, hunc-que concupiscentiæ cedentem, alterum obnitentem & castum se seruantem, ob id quia voluit castum se seruare. Nunc duos reges Pharaonem & Nabuchodonosor filios Israël cap-tiuos tenentes, & illum quidem immisericorditer illos affli-gentem, nec liberos dimittere volentem; hunc vero magnifi-cè eos libertate donantem. Hi duo reges in simili causa diuer-simodè se gesserunt. Cur hoc? quia vnus libero voluntatis arbitrio captiuos retinere, alter liberos dimittere voluit, benè hoc, sed si profundiùs quæstionem hanc penetrare libeat, & perscrutari cur iste voluit, iste noluit, sufficientem enim gra-tiam in vtroque constituo ad præstandum quod Deus ab vtro-que postulabat.

Non proponenda quæstio in examine hoc.

l. de Ciuit. Dei cap. 16. l. de prædest. & gratiâ in appen. to. 7.

Dicet aliquis, hominem Dominum esse actus suæ volunta-tatis, nec petendas esse rationes ab eo qui Dominus est re-rum suarum, cur sic & sic de eis disponat, cum sit proprium Domini velle, nec teneatur alteri homini, qui Dominus eius non est, rationem reddere.

Esto, adhuc veruntamen videtur quod possit adhuc satis-fieri difficultati huius quęstionis, si dicamus vnum ad auxilium Dei per orationem confugisse, alterum orationem neglexisse, quasi confisum suæ virtuti. Hanc sane causam affert scriptu-ra sacra, cur perierint gigantes illi, ac præferoces homines qui ante diluuium erant super terram. Eccles. 16. *Non exora-uerunt pro peccatis suis antiqui gigãtes, qui destructi sunt confi-dentes virtuti suæ.* Hæc est causa perditionis horum magna-tum, non orauisse Deũ & vt peccata dimitteret, & vt à futuris

Solutio quæstionis.

præseruaret. Cum enim vbique, sit præsens, ait D. Augustinus lib. 3. *de libero arbitrio.* cap. 19. Qui multis modis per creaturam sibi Domino seruientem auersum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem: *Non tibi deputatur ad culpam quod inuitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras: neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis*, &c. *Nulli enim hominum ablatum est scire vtiliter quærere*, &c. Hæc igitur causa est tot delictorum nostrorum, tot aberrationum, tot præuaricationum, omissio orationis, ac maximè petitionis istius sextæ, *Et ne nos inducas in tentationem.*

A quibus tentationibus petimus præseruari. Sed à quibus tentationibus petimus præseruari? non enim vnica est tentatio in hoc mundo qui totus quantus est, laqueis plenus est ad decipiendas animas. Est enim tentatio vna aperta, altera fraudulenta. Illa prouocat animas ad id faciendum quod euidenter & apertè malum est: hæc sub specie boni pellicit hominum mentes. Illa mali & ignari & mundo addicti homines tanguntur: hac magis deuoti & spirituales, cum enim noscat dæmon hos in tali statu ac mentis dispositione esse, vt non facile illud quod apertè malum est & peccatum perpetrarent, sub prætextu & specie boni ac virtutis ad vitium propellere nititur: idcirco dicit regius vates. Psal. 123. *Absconderunt superbi laqueum*: & Psalm. 29. *Insidiatur in abscondito quasi leo.* Mille nocendi artibus præditus est Sathan, transfigurat se in Angelum lucis & si non possit inducere ad malum homines virtuti deditos, tum ad bonum aliquod quod sit supra vires, & supra rectam rationis mensuram inducere molitur. Hunc nimio ieiunio & nimiâ austeritate debilitat, hunc nimiis orationibus cerebro expoliat, illum nimiis laboribus & quibus vires sunt impares, enecat, aut exsuccum omni deuotione, ac vnione ad Deum efficit. Denique fraudulentus hostis omnia exequitur ad perdendam animam, & eò magis, quò Deo applicatam magis inspicit, & ad finem vitæ accedere. Tunc enim grauiores sunt eius tentationes, quò mors propinquior, vt indicatur illo loco. Apoc. cap. 12. *Væ terræ & mari, quia appropinquat ad vos diabolus habens iram magnam, quia modicum tempus habet.* Sicut enim in fine magni huius mundi geret se: sic & in fine microcosmi, ac parui mundi, qui homo est. Auget vires cum infirmatur magis, quia tunc, aut nunquam victoria illi reportanda est de Dei plasmate, de Dei imagine. Tunc aut nunquam frustraneas omnes Christi pro homine passiones reddere debet. Ex quibus omnibus

mnibus inferimus non satis frequẽter ingeminare posse mortales hanc sextam petitionem, *Et ne nos inducas in tentationẽ.*

Atque vt id verum sit satis superque demonstratum hactenus de sexta petitione, fallor tamen si minus necessaria sit sequens & attenta septimæ petitionis repetitio, *Sed libera nos à malo.* Quot enim mala nos vndique circumdant à quibus erui & liberari cum magno ardore desiderare debemus. Psal. 39. *Circumdederunt me mala quorum non est numerus.* Quæ illa mala, præterita, præsentia, futura. Mala ab aduersariis, mala ab amicis & domesticis. Mala corporis, mala animæ, mala culpæ, mala pœnæ, mala huius vitæ præsentis, mala alterius vitæ, mala in morte, mala in iudicio Dei, mala in inferno. *Circumdederunt me mala quorum non est numerus.* Mala sunt in intellectu hominis per varios errores & ignorantias, mala in voluntate per inordinatas affectiones, mala in memoriâ per obliuionem rerum quarum recordatio necessaria est, & per recordationem eorum quæ præstaret sempiternâ obliuione sepulta esse. Mala sunt in appetitu sensitiuo per immortificationem passionum, mala in phantasiâ per impressiones plurium imaginum terrenarum, quibus mens à Deo auocatur & ab eius præsentiâ, vt tales imagines Dei expultrices, non incongrue vocarint plures, *Sed libera nos à malo.*

Quæ hominis mala & miseriæ?

Istorum malorum fons & origo est in primo homine Adamo. Si ille innocens & fidelis perstitisset, benè erat omni humano generi, omnia in mundo illi erant prospera, sed vbi primus Adam mandatum Dei est transgressus, diluuium malorum super terram inundauit, simul cum culpâ originali pœnæ omnes in hominem irruerunt, vt tot hodie miserias patiatur, quot in illo fœlici statu innocentiæ expertus fuisset fœlicitatis species. Et si verò culpa originalis remittatur, manent pœnalitates vsque ad mortem ad exercitium humilitatis, ac virtutis. Vnde semper habemus, vnde ad Deum dicamus, *Sed libera nos à malo.*

Origo miseriarum quæ?

At quid prodest hæc petitio, cum ex decreto Dei pœnalitates manere debeant in nobis vsque ad mortem, nec quispiam ab his liber euadat, nec sanctorum quidem optimates, ac primi inter ipsos. Nihilominus ab ipsis liberari petimus. Quoniam duplex est apud Deum liberationis modus: primo cum malum ipsum aufert, secundo cum non aufert malum, sed vertit illud in bonum, dando nobis patientiam & animi submissionem talem ad sanctam eius in aduersis voluntatem, vt id nobis prosit ad augmentum gra-

Duplex modus liberationis à malo

tiæ & gloriæ. Hicque modus liberationis ſæpe glorioſior eſt : ideóque non debemus ceſſare in omni ſtatu & anguſtia ab iſta petitione, *Sed libera nos à malo*, à malâ aduerſitate quæ impatienter toleratur, à malâ egeſtate quæ ad peccandum prouocat, à malâ morte quæ à Paradiſo ſeparat. Ita enim ſe habent iſta omnia, vt bonis bona ſint, malis mala ſint. Bonis enim omnia cooperantur in bonum, vt apes ex omnibus floribus mel conficiunt, araneæ ex omnibus cibis venenum : ſic omnia bona ſunt bonis, improbis omnia mala.

Perſeuerantia. Sed nec hic prætereundum, quod in iſta petitione perſeuerantiam à Deo efflagitemus, vt liberet nos à malo inconſtantiæ quâ deſinamus in bono perſeuerare. Sed nec in iſtâ ſolâ petitione, ſed in aliis quoque omnibus antecedentibus. Quod etiam aduertit D. Auguſtinus *de dono perſeuerantiæ*. cap. 2. Et aliquot ſequentibus ex D. Cypriano, qui ad petitionem perſeuerantiæ viſus eſt referre, ac flectere omnes orationis Dominicæ petitiones, Deo ſic præparante antidotum multò ante futuro Pelagij veneno, qui perſeuerantiam in bono, donum naturæ non orationis & gratiæ diuinæ eſſe volebat. Dicentes enim : *Sanctificetur nomen tuum*, petimus vt in baptiſmo ſanctificati in eo quod eſſe cœpimus, perſeueremus. Dicimus : *Adueniat regnum tuum*, quod non niſi perſeueraturis vſque in finem venturum. Dicimus : *Fiat voluntas tua*, vt cum iam facta ſit, in ea perſeueremus. Dicimus : *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. Ne intercedente aliquo grauiori delicto dum à pane cœleſti prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur. Iam verò remiſſio delicti hoſtem ipſum perſeuerantiæ tollit, & liberatio à tentatione obſtaculum perſeuerantiæ amouet, vt in ſanctitate perſeueremus.

DE EXAMINE ORDINANDORVM.

Examen Subdiaconorum.

OMnino tenentur Epiſcopi promouendos ad Ordines diligenti probare examine, quandoquidem ſacra Concilia,

ncilia, & Patres, hoc ſtricte præceperunt & adnet etiam his verbis Paulus Apoſtolus 1. ad Timoth. nto, *Manus cito nemini impoſueris.* Quod explicans Chryſoſt. quid ſibi vult, inquit, *Cito, non ex prima tim probatione, nec ſecunda, nec tertia, ſed vbi conſideio diuturna præceſſit, exactiſſimaque diſcuſſio, tunc imito manus, neque enim ea res periculo caret, eorum enim, quæ peccauerit, tu quoque pœnam dabis, qui in initio dediſti præentiam delictorum.* Hæc Chryſoſt. & addit Primaſius ibi- ,abſque probatione indignis Ordines conferre, eſſe *ante por- Margaritas ponere*, & Bernardus Epiſtol. 152. ad Monachos penſes aſſerit, Epiſcopos *ſanctum dare canibus*, & porcis argaritas, cum Ordines, & beneficia indignis, abſque præuio amine tribuunt, idem quoque annotauit Dionyſius Caruſianus, & gloſſa interlinearis in locum citatum Pauli; Hanc tem diligentem inquiſitionem de vitâ, & moribus Ordiındorum faciendam eſſe per Eccleſiaſticos viros, vt ſcilicet c docuit Concilium Tridentiuum Seſſ. 23. cap. 8. de reforat. In hæc verba, *Epiſcopus Sacerdotibus, & aliis præſentibus ris, peritis diuinæ legis, ac in Eccleſiaſticis ſanctionibus exercitis ſibi aſcitis, Ordinandorum genus, perſonam, ætatem inſtitunem, mores, doctrinam & fidem diligenter inueſtiget, & exainet.* Hæc ad Illuſtriſſ. Epiſcopos Cõſaluus Durãdus in notis Reuelationes S. Brigittæ l. 7. c. 12. Quod præmittimus datâ erâ examini Subdiaconatus quo primùm ligatur Ordinãdi. Quapropter cum non leue ſit incommodum, ſi quis Subdiaconatus oneri obſtrictum ſe eſſe videat, vt nec erius progredi ad Superiores Ordines poſſit, nec anteriùs gredi: non conuenit indulgentiores eſſe examinis præctos circa promouendos ad hunc gradum: *& circa eos qui maiores Ordines erunt aſſumendi*, vt monet Concilium rdigalenſe vltimum anno 1624. celebratum. c. 6. num. 4. *m ſemel arctam viam ingreſſi ab eâ minimè reſilire poſſint, niſque pœnitentia ſera ſit eis & inutilis, eſt cur maior cautio iis deligendis adhibeatur.* Cum autem nobis propoſitum tractare de ſolo examine in Doctrina, & ſcientia, omiſſis teris quæ à pluribus egregiè diſcutiuntur, has ſolum quæones hîc proponimus, ex quarum ſolutione, Ordinandi ſpenen aliquod ſuæ doctrinæ exhibere poterunt, initium dutes à promouẽdis ad Subdiaconatum, à quibus in examine c inquiri ordinat Concilium Mediolanenſe quintũ ſub S. rolo Boromæo celebratum, Conſtitutionum parte 3. tit. de ıminandi ratione. *A Subdiaconis*, inquit, *potiſſimum de Or-*

tiæ & gloriæ. Hicque modus liberationis sæpe gloriosior est: ideóque non debemus cessare in omni statu & angustia ab ista petitione, *Sed libera nos à malo*, à malâ aduersitate quæ impatienter toleratur, à malâ egestate quæ ad peccandum prouocat, à malâ morte quæ à Paradiso separat. Ita enim se habent ista omnia, vt bonis bona sint, malis mala sint. Bonis enim omnia cooperantur in bonum, vt apes ex omnibus floribus mel conficiunt, araneæ ex omnibus cibis venenum: sic omnia bona sunt bonis, improbis omnia mala.

Perseuerantia. Sed nec hic prætereundum, quod in ista petitione perseuerantiam à Deo efflagitemus, vt liberet nos à malo inconstantiæ quâ desinamus in bono perseuerare. Sed nec in istâ solâ petitione, sed in aliis quoque omnibus antecedentibus. Quod etiam aduertit D. Augustinus *de dono perseuerantiæ.* cap. 2. Et aliquot sequentibus ex D. Cypriano, qui ad petitionem perseuerantiæ visus est referre, ac flectere omnes orationis Dominicæ petitiones, Deo sic præparante antidotum multò ante futuro Pelagij veneno, qui perseuerantiam in bono, donum naturæ non orationis & gratiæ diuinæ esse volebat. Dicentes enim: *Sanctificetur nomen tuum*, petimus vt in baptismo sanctificati in eo quod esse cœpimus, perseueremus. Dicimus: *Adueniat regnum tuum*, quod non nisi perseueraturis vsque in finem venturum. Dicimus: *Fiat voluntas tua*, vt cum iam facta sit, in ea perseueremus. Dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Ne intercedente aliquo grauiori delicto dum à pane cœlesti prohibemur, à Christi corpore separemur. Iam verò remissio delicti hostem ipsum perseuerantiæ tollit, & liberatio à tentatione obstaculum perseuerantiæ amouet, vt in sanctitate perseueremus.

DE EXAMINE ORDINANDORVM.

Examen Subdiaconorum.

Omnino tenentur Episcopi promouendos ad Ordines diligenti probare examine, quandoquidem sacra Concilia,

Concilia, & Patres, hoc ſtricte præceperunt & admonet etiam his verbis Paulus Apoſtolus 1. ad Timoth. quinto, *Manus cito nemini impoſueris.* Quod explicans D. Chryſoſt. quid ſibi vult, inquit, *Cito, non ex prima ſtatim probatione, nec ſecunda, nec tertia, ſed vbi conſideratio diuturna præceſſit, exactiſſimaque diſcuſſio, tunc imponito manus, neque enim ea res periculo caret, eorum enim, quæ ille peccauerit, tu quoque pœnam dabis, qui in initio dediſti præcedentiam delictorum.* Hæc Chryſoſt. & addit Primaſius ibidẽ, abſque probatione indignis Ordines conferre, eſſe *ante porcos Margaritas ponere*, & Bernardus Epiſtol. 152. ad Monachos Alpenſes aſſerit, Epiſcopos *ſanctum dare canibus*, & porcis Margaritas, cum Ordines, & beneficia indignis, abſque præuio examine tribuunt, idem quoque annotauit Dionyſius Carthuſianus, & gloſſa interlinearis in locum citatum Pauli; Hanc autem diligentem inquiſitionem de vitâ, & moribus Ordinandorum faciendam eſſe per Eccleſiaſticos viros, vt ſcilicet hoc docuit Concilium Tridentiuum Seſſ. 23. cap. 8. de reformat. In hæc verba, *Epiſcopus Sacerdotibus, & aliis præſentibus viris, peritis diuinæ legis, ac in Eccleſiaſticis ſanctionibus exercitatis ſibi aſcitis, Ordinandorum genus, perſonam, ætatem inſtitutionem, mores, doctrinam & fidem diligenter inueſtiget, & examinet.* Hæc ad Illuſtriſſ. Epiſcopos Cõſaluus Durãdus in notis ad Reuelationes S. Brigittæ l. 7. c. 12. Quod prẹmittimus datâ operâ examini Subdiaconatus quo primùm ligatur Ordinãdi.

Quapropter cum non leue ſit incommodum, ſi quis ita Subdiaconatus oneri obſtrictum ſe eſſe videat, vt nec vlterius progredi ad Superiores Ordines poſſit, nec anteriùs regredi: non conuenit indulgentiores eſſe examinis præfectos circa promouendos ad hunc gradum: *& circa eos qui ad maiores Ordines erunt aſſumendi*, vt monet Concilium Burdigalenſe vltimum anno 1624. celebratum. c. 6. num. 4. *cum ſemel arctam viam ingreſſi ab eâ minimè reſilire poſſint, omniſque pœnitentia ſera ſit eis & inutilis, eſt cur maior cautio in iis deligendis adhibeatur.* Cum autem nobis propoſitum ſit, tractare de ſolo examine in Doctrina, & ſcientia, omiſſis cæteris quæ à pluribus egregiè diſcutiuntur, has ſolum quæſtiones hic proponimus, ex quarum ſolutione, Ordinandi ſpecimen aliquod ſuæ doctrinæ exhibere poterunt, initium ducentes à promouẽdis ad Subdiaconatum, à quibus in examine hæc inquiri ordinat Concilium Mediolanenſe quintũ ſub S. Carolo Boromæo celebratum, Conſtitutionum parte 3. tit. de examinandi ratione. *A Subdiaconis*, inquit, *potiſſimum de Or-*

dinum minorum quaratur & maiorum differentia, an in minoribus Ordinibus probatus sit, de voto item continentia quod Subdiaconatus Ordini coniunctum est. De Sacramentorum etiam doctrinâ saltem generatim, tum eorundem periculum experimentumve fiat in Officij Diuini recitandi ratione.

His verò addendum putamus vt etiam interrogentur de Christianæ Doctrinæ principiis & articulis præcipuis, quod omissum est à Concilio Mediolanensi, quod supposuerit examen de his principiis præcessisse, cum Ordinandi suscepturi erant tonsuram, & quatuor minores. Quia vero sæpe sæpiùs nullum præbere coguntur Doctrinæ suæ experimentum qui minoribus initiantur, penitusque indigni sint, qui ad maiores ascendant Ordines, qui Catechismi alicuius eruditioris & solidioris, quam qui infantibus datur addiscendus, doctrinam ita apprimè non nouerint, vt in ea etiam alios erudire possint; ideo ex his omnibus Subdiaconorum examen contexuimus: quamuis non sit mentis nostræ, vllum canonem præfigere doctissimis examinatoribus: sed tantum opellam aliquam multis subministrare, quibus opuscula hæc nostra, non fore inutilia certâ coniecturâ ex multis ductâ experientiis, assequuti sumus, vt cum Theologiæ Scholasticæ operam non dederint, muti tamen omninò in examine Ecclesiastico non inueniantur, nec scientiâ necessariâ destituti sint, si beneficio examinis huius ad Subdiaconatum admittantur.

Cæterum formulas istas ad examen Ordinandorum, secundum diuersos gradus idoneas, à re Ecclesiasticâ alienas non esse, satis prodit Concilium Coloniense sub Adolpho Archiepiscopo celebratum ann. 1549. cuius decretum hic sisto, cui titulus inscriptus est: *de formulis ad examinationem aptis.* Quoniam, inquit, diuersi Ordines, officiorumque ac dignitatum gradus, alias atque alias requirunt in hominibus conditiones: & ratio prætereà habenda est eorum religiosorum, qui perpetuo delitescere quærunt in suis monasteriis & ad nullas animarum curas euocari, sed tantum cupiunt chori officiis in suis monasteriis adhiberi, sacrificiumque in Missis offerre & monasticæ indulgere: visum fuit præsenti Concilio expedire, *vt extarent formulæ, ad quas examinarentur Ordinandi secundum diuersos suscipiendorum Ordinum gradus, & instituendi & confirmandi secundum conditiones munerum & officiorum quibus adsciscuntur.* Petentibus suffraganeorum nostrorum comprouincialium legatis, negotium tales formulas congerendi dabimus eruditis aliquot viris, qui non modo in literis sint exercitati, verum etiam cognitionem Ecclesiastico-

rum

rum officiorum teneant & conscribant in genere, &c. Ex quibus videre est omnino conformem esse instituto Ecclesiæ examinum istorum conscriptionem : Singula autem examina in tres partes diuidimus, vt vbi fuerint plures examinatores, in variis quæstionibus tentent, si illis visum fuerit, Ordinum candidatos. Sic autem exordiri poterunt.

PRIMA PARS EXAMINIS Subdiaconorum, de ipso Ordine.

Quem petis Ordinem?

Subdiaconatus Ordinem.

Quid est Ordo?

Est Sacramentum, quo traditione certorum instrumentorum & verborum prolatione ab Episcopo, datur potestas spiritualis ad conficiendum corpus & sanguinem Christi, vel ad inseruiendum altari, in quo conficitur corpus & sanguis Christi.

Quot sunt Ordines?

Septem, quorum tres maiores dicuntur & sacri, scilicet Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus; quatuor verò dicuntur minores & non sacri, scilicet Acolytatus, Exorcitastus, Lectoratus, & Ostiariatus.

Quare tres ex his Ordinibus appellantur maiores?

Quia per eos recipitur maior & excellentior quædam potestas circa sacrificiũ, & per eos proprius ad altare propriis acceditur, non conferuntur etiam nisi maioribus ætate & sapientia, requirit enim Subdiaconatus, annum vigesimum secundum saltem inchoatum, Diaconatus annum vigesimum tertium, & Presbyteratus vigesimum quintum,

Quare etiam tres dicuntur sacri; nunquid quatuor alij sunt etiam Sacramenta?

Respondeo quod quamuis omnes septem Ordines sint Sacramenta ex communiori opinione, sintque omnes sacri, si considerentur secundum se, peculiari tamen ratione tres dicuntur *Sacri*, quia circa materiam consecratam versantur: Presbyteratus scilicet circa Corpus & Sanguinem Christi consecrandum : Diaconatus verò circa Sanguinem Christi administrandum fidelibus, vt moris erat in antiqua Ecclesia: Subdiaconatus autem circa præparationem materiæ sacrificij in vasis consecratis: reliqui autem dicuntur *non sacri* quia materiam consecratam non contrectant. Quare & tres primi habent votum castitatis annexum, non alij

Quis

Quis instituit septem Ordines?

Christus Dominus qui est author omnium Sacramentorum.

Fueruntne semper in Ecclesia aliqui ordinati tantum ad minores Ordines?

Videntur fuisse statim post tempora Apostolorum: nam D. Ignatius martyr *epistolâ ad Antiochenos* mentionem facit Lectorum, Ostiariorum & Exorcistarum, & Cornelius Papa *epistolâ ad Fabianum*, quam refert Eusebius lib. 6. cap. 3. dicit in Ecclesia Romana suo tempore, id est, circa annum Domini 254. fuisse Presbyteros quadraginta sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acolytos quadraginta duos, Exorcistas & Lectores cum Ostiariis simul quinquaginta duos. Vbi numerantur septem Ordines, sicuti etiam numerantur in duobus Conciliis Romanis sub Siluestro primo habitis. Vnde patet Ordinationes septem non esse aliquid nouum in Ecclesia.

Quomodo differunt Ordines maiores & minores inter se?

Differunt 1. in formâ & materiâ quæ in omnibus est diuersa. 2. Differunt in effectu quia conferunt diuersos characteres & diuersas potestates. 3. Differunt in modo, quo conferuntur, quia minores simul & vno die conferuntur: maiores verò conferuntur separatim & seruatis interstitiis vnius anni inter singulos, nisi dispenset Episcopus proprius. 4. Differunt circa subiectum cui conferuntur, quia maiores non nisi prouectioribus ætate & scientia conferuntur, & minores etiam minoribus ætate & scientia. 5. Differunt quod in minoribus sufficit si per Archidiaconum tradantur instrumenta tangenda: at in maioribus debent tradi per Episcopum. 6. Etiam differunt quod maiores versantur circa materiam consecratam quæ non nisi à puris contrectari debet, at minores circa non consecratam, quæ est origo cur non habeant obligationem continentiæ seruandæ, sicut habent maiores. Vnde etiam 7. Differunt, quod qui tantum minores susceperunt, possint adhuc Matrimonium contrahere, non verò qui aliquem ex maioribus.

Quare tanta multitudo Ordinum?

Id Deus instituit propter dignitatem Sacerdotij & consecrationis Eucharistiæ, quæ cum sit excellentior actio, quæ fit in Ecclesia, requirebat plures ministros qui illi inseruirent: non decebat etiam vt homines è statu Laïcorum statim ad Sacerdotij culmen ascenderent, sed potiùs vt primùm segregati à populo per tonsuram clericalem, gradatim per Minores ascenderent, sicque ex officio Sacerdoti inseruirent.

Si tot ſint Ordines, ergo Sacramentum Ordinis non eſt vnum Sacramentum.

Reſpondeo poſſe dici vnum genere, & vnum vnitate coordinationis ad vnum finem, ſcilicet ad ſacrificium ad quod omnes ſpectant, quamuis non ſit vnum vnitate indiuiſibilitatis aut continuitatis, aut vnitate ſpeciei infimæ, ſic enim eſt multiplex ſacramentum.

Quomodo tot Ordines inſeruiunt Sacerdoti ex officio?

Reſpondeo Diaconatum, Subdiaconatum, & Acolytatum cooperari directè ad conſecrationem, ſubminiſtrando materiam conſecrationis; eam enim ſubminiſtrat Acolytus in vaſis non ſacris; aquam ſcilicet & vinum in vrceolis, aſſiſtens Diacono & Subdiacono ad altare. Subdiaconus eam ſubminiſtrat in vaſis ſacris, porrigens calicem cum patena & hoſtia ſuperpoſita, Diacono qui Sacerdoti mox eam daturus eſt: tres vero alij Ordines cooperantur indirectè conſecrationi, remouendo indignos, ne ei aſſiſtant. Exorciſtatus enim remouet dæmonem, Lectoratus ignorantem, & Oſtiariatus malum hominem: Exorciſta enim eijcit dæmonem ab eo, qui debet adeſſe celebrationi Euchariſtiæ. Lector legendo Prophetias veteris Teſtamenti, & prima Chriſtianæ fidei rudimenta tradendo, repellit ignorantiã. Oſtiarius verò cuſtodiendo claues Eccleſiæ, arcet infideles & excõmunicatos ab eius ingreſſu.

Aliter etiam dici poteſt, quod quatuor minores Ordines diſponunt Corpus Chriſti myſticum quod eſt Eccleſia, ſeu congregatio fidelium, ad ſuſcipiendum Corpus Chriſti verum, vel impedimentum remouendo; Oſtiarius ſiquidem impedit malum hominem & Exorciſta dæmonem; vel auxilium præſtando, ſiquidem Lector illuminat intellectum, legendo vetus & nouum Teſtamentum, extra Miſſam, & Acolytus inflammat affectum, cereos portando, quibus excitatur deuotio. *De Graſſis 2. parte deciſ. aurearum l. 1. c. 9. Item Scotus in 4. Sent. diſt. 24. quæſt. vnica.*

Quomodo Subdiaconus obligatur ad ſeruandum caſtitatem cùm expreſsè non promittat caſtitatem cùm ordinatur?

Reſpondeo ex decreto Eccleſiæ annexam eſſe obligationem caſtitatis ſeruandæ, Ordini Subdiaconatus: Diſt. 28. cap. *nullum* & cap. *de his.* Vnde qui recipit Subdiaconatum, eo ipſo ſe obligat ad caſtitatem; quamuis expreſſis verbis id non profiteatur, tamen ſilentium eius pro conſenſu reputatur.

Quid eſt Subdiaconatus?

Eſt Ordo ſeu ordinatio, per quam traditione calicis vacui cum patenâ vacuâ, ſub præſcriptâ verborum formâ, datur

tur poteſtas ad inſeruiendum altari ad porrigendum Diacono calicem cum vino, & patenam cum hoſtia, dum Miſſa celebratur,

Quæ eſt materia Subdiaconatus?

Reſpondeo duplicem eſſe materiam in ſingulis Ordinationibus, ſcilicet, remotam & proximam. Remota eſt res illa quæ traditur ſuſcipienti Ordines, proxima eſt traditio ipſius rei. Igitur dico materiam remotam Subdiaconatus, eſſe calicem vacuum cum patena vacua, & ſine hoſtia: proximam verò eſſe traditionem calicis vacui cum patena vacua.

Quæ eſt forma Subdiaconatus?

Hæc verba prolata ab Epiſcopo. *Videte cuiuſmodi miniſterium vobis traditur*, ideo vos admoneo, vt ita vos exhibeatis, vt Deo placere poſſitis. Ita tamen vt illa verba, *ideo vos admoneo, &c.* non ſint de eſſentiâ formæ.

Nunquid etiam traditio libri Epiſtolarum eſt materia Subdiaconatus, & illa verba ſunt forma, Accipe librum Epiſtolarum & habeto poteſtatem legendi eas in Eccleſiâ ſanctâ Dei, tam pro viuis, quàm pro defunctis.

Reſpondeo quoſdam Theologos probabiliter exiſtimare traditionem libri Epiſtolarum eſſe partialem materiam Subdiaconatus, & verba allata *accipe poteſtatem*, &c. eſſe partialem formam, vt ita Subdiaconatus habeat duplicem materiam partialem, & duplicem formam, ſicut Presbyteratus. Probabilius tamen eſt ritum illum traditionis libri Epiſtolarum, &c. non eſſe eſſentialem in Ordinatione Subdiaconi, cùm non ſit antiquus in Eccleſiâ, nec de eo meminerint antiqui authores qui de ritibus Eccleſiæ & Sacramentis tractant, *Hallier de ſacris elect. & Ordin. parte 2. tract. 2. cap. 1. art. 1. §. 16.*

Nunquid alij poſſunt legere Epiſtolam, qui non ſunt Subdiaconi?

Non poſſunt legere ſolemniter cum manipulo, & ex officio.

Quas conditiones requirit Eccleſia vt quis Ordinetur in Subdiaconum?

Vt receperit tonſuram clericalem & quatuor minores Ordines: vt attigerit annum ætatis vigeſimum ſecundum ſaltem inchoatè: vt habeat titulum legitimum, & teſtimonium bonum de vitâ & moribus: Vt nullâ ſit cenſurâ, & irregularitate irretitus: vt intendat omnia Subdiaconi munia obire: vt ſit in ſtatu gratiæ, & denique vt examine probetur ſufficiens.

Si aliqua ex his conditionibus deſit, eritne verè Subdiaconus

conus qui Ordinatus fuerit in Subdiaconum?

Erit verè Subdiaconus, quia erit valida eius Ordinatio, quamuis illicita.

Poteritne progredi ad alios Ordines?

Non poterit, nisi priùs absoluatur à censuris & obtineat dispensationem de irregularitate, & alios defectus suppleuerit.

Subdiaconatus nunquid obligat ad aliud quid præter castitatem?

Obligat etiam ad horas canonicas, quæ in Breuiario continentur.

Quid sunt horæ Canonicæ?

Sunt preces ex Canone & regulâ, seu lege Ecclesiæ recitandæ singulis diebus à Subdiaconis ad laudandum Deum, ad gratias ei agendum, & ad eum orandum.

Quæ ratio septem horarum Canonicarum?

Ad honorandum Deum de beneficio creationis quod septem diebus completum est, & de beneficio redemptionis quod in septem horis magis enituit, in quarum idcirco memoriam septem horæ Canonicæ recitantur, vnde hi versus.

Hæc sunt septenis, propter quæ psallimus horis.
Matutina ligat. Deludit vestibus albis
Prima. Caput spinis redimitum, Tertia præbet.
Figit Sexta cruci. Morientem nona reuelat.
Vespera deponit, tumulo Completa recondit.

Respondet autem matutina nocti, & tres nocturni tribus noctis vigiliis. Prima hora sextæ matutinæ. Tertia nonæ. Sexta meridiei. Nona tertiæ post meridiem. Vespera sextæ vespertinæ: Completorium septimæ, *Vide Præfat. horol. spir. in Phil. affect.*

PARS SECVNDA EXAMINIS Subdiaconorum, de Symbolo & Sacramentis in genere.

Quid est Ecclesia?

Ecclesia, si latiùs sumatur nomen Ecclesiæ, est congregatio eorum, qui vera Dei cognitione, seu clarâ, seu obscurâ, ac iisdem actibus virtutum ad Deo seruiendum coniuncti sunt.

Quotuplex Ecclesia sic sumpta?

Duplex, Militans, & Triumphans. Militans illa est quæ adhuc pugnat in terris contra salutis hostes, mundum, carnem, & dæmonem, habétque adhuc inter se commixtos bonos & malos. Triumphans est cœtus beatarum animarum, atque etiam Angelorum in cœlo cum pace regnantium, & Dei faciem

ciem semper intuentium cum lætitia inenarrabili.

Ecclesia Militans fuitne semper in terra ab initio mundi?

Fuit ab initio mundi, & perseuerauit vsque ad hunc diem, & perseuerabit vsque ad finem mundi; sed tamen in diuersis temporibus habuit diuersos status & diuersa præcepta, saltem aliqua.

Explica manifestius quæ nunc dicis?

Fuit semper ab initio mundi aliquis cœtus hominum debito modo, & legitimè Deo seruientium, primo quidem per præcepta legis naturalis, fideique & spei & quorumdam aliorum quæ Deus dederat primis hominibus ab Adam vsque ad Moysem, per spatium circiter bis mille annorum, poteſtque vocari ille cœtus Ecclesia ante legem.

Secundo per præcepta legis scriptæ, seu Mosaïcæ aut veteris & antiquæ legis, quæ præcepta erant partim moralia, partim cæremonialia respectu sacrificiorum, & Sacramentorum; partim iudicialia seu politica ad continendum populum in tranquillitate, & finiendas lites. Tuncque Ecclesia, seu cœtus hominum Deo inseruientium cum his præceptis vocabatur Synagoga, durauitque per spatium fere bis mille annorum à Moyse vsque ad Christum filium Dei, qui legem nouam & Gratiæ condidit, Ecclesiamque in alio statu perfectiori fundauit, vt homines in ea Deo inseruirent, ab eoque cœpit illa congregatio, quæ simpliciter vocatur Ecclesia.

Quæ definiri potest, multitudo hominum qui vero Dei cultu & cognitione fidei in Sacramento Baptismi susceptæ, siue apparenter, siue de facto, coniuncti sunt sub vno summo pastore in Terris.

Quid fecit Christus ad fundandam hanc Ecclesiam in meliori statu?

Præcepta iudicialia antiquæ legis abrogauit, eo quod Ecclesia per totum orbem diffundenda, non posset vti iisdem legibus ciuilibus & politicis. Præcepta etiam cæremonialia similiter abrogauit, quia erant tantum figuræ vitæ, & passionis suæ. Præcepta autem fidei quæ obligant ad credendum, aliquomodo adauxit, inquantum Christiani tenentur credere distinctè & expresè plura mysteria quæ implicitè & obscurè tantùm credebantur à Iudæis, vt sunt mysteria Trinitatis, Incarnationis, Mortis & Resurrectionis suæ: propterea enim dicitur, Marci 16. *Qui verò non crediderit, condemnabitur*, & Ioan. 8. *Si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro:* Et Apostoli condiderunt Symbolum in quo continentur credenda à singulis Christianis. Quod spectat ad præcepta

cepta moralia quæ continentur in Decalogo, ea Christus explicauit & perfecit additione consiliorum, Matth. 5. 6. & 7. capitibus. Præcepta autem Sacramentalia de nouo instituit, quibus homines obligauit ad Sacramenta, vt patet ex Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, & 6. cap. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, & cap. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c.

Quid est Symbolum Apostolorum?

Est collectio præcipuorum articulorum fidei per Apostolos facta, quos Christiani explicitè debent credere.

Quare Apostoli condiderunt Symbolum?

Quia cum omnes non possint addiscere sacras Scripturas, in quibus credenda continentur, partes sacrarum Scripturarum magis necessarias in vnum coadunare, opportunum iudicauerunt, vt faciliùs populi credenda addiscerent, & omnes eodem modo, & sine varietate fidem suam profiteri possent, ac hæreticæ prauitati contradicere. Deinde vt solent sodales cum aliquem in sodalitium suum admittunt, Symbolum dare, & ita initum fidei pactum confirmare: ad hanc similitudinem sancti Apostoli spirituale sodalitium inter se connectentes hoc Symbolum confecerunt, quo sodalitium suum intrare cupientes, fidei commercio sibi colligerent, & sic cœlestis mensæ participes secum efficerent. *Iuo Carnotensis.* serm. 23.

Quid sibi vult initium Symboli Apostolorum, Credo in Deum, *estne aliud credere in Deum, quàm credere Deum, vel credere Deo?*

Aliud plane est: credere enim Deo est credere verum esse quod Deus dicit: credere Deum, est credere Deum esse, quod & Dæmones credunt: credere verò in Deum est amando credere in ipsum, seu ire amore in Deum credendo, vnde duo isti versus.

Crede Deo, credasque Deum, plus credo valere,
Si credas in eum, quam quod ei, vel eum.

Quid est Trinitas?

Est vnus Deus in tribus personis Patre, Filio, & Spiritu sancto.

In quibus conueniunt, & in quibus distinguuntur tres personæ Trinitatis?

Tres personæ conueniunt in eadem & vnicâ naturâ, seu

essentiâ Diuinitatis; conueniunt etiam in omnibus attributis absolutis, vt potentiâ, magnitudine, sapientiâ, fœlicitate, bonitate, immensitate, infinitate & aliis: conueniunt similiter in omnibus actionibus ad extra, quibus agunt aliquid circa creaturas, vel creando, vel conseruando, vel sanctificando, vel glorificando; vnde axioma Theologicum, *actiones ad extra sunt communes toti Trinitati.* Vel, *opera ad extra sunt indiuisa.* Distinguuntur verò in eo quod Pater à nullo est & nullum habet principium, Filius verò & Spiritus sanctus sunt à Patre. Itemque quod Pater est generans & est Pater: Filius verò non est generans nec Pater, sed genitus, & est Filius. Spiritus verò sanctus non est genitus, nec Filius, sed est procedens à Patre & Filio simul tanquam vno principio. Vnde Patri proprium est vt sit generans, Filio vt sit genitus, Spiritui sancto vt sit procedens.

Dixisti opera Trinitatis ad extra esse indiuisa & communia omnibus personis, quomodò ergo in Symbolo dicitur Pater creator cœli & terræ, & Christus conceptus de Spiritu sancto?

Respondeo, Etsi opera Dei circa creaturas sint realiter communia omnibus personis; tamen esse quædam opera, quæ per appropriationem attribuuntur vni personæ potius quàm alteri. Opera scilicet in quibus elucet maxima potentia, attribuuntur Patri, quia est principium sine principio. Opera verò in quibus elucet maxima sapientia, attribuuntur filio, quia producitur per intellectum. At opera in quibus elucet maximè Dei amor, attribuuntur Spiritui sancto. Hinc ergo est quod Pater dicitur omnipotens creator cœli & terræ, quia in creatione mundi maximè enituit diuina omnipotentia. Conceptio verò Christi & formatio humanitatis eius in vtero Virginis, etsi facta fuerit à tribus personis simul, attribuitur tamen specialiter Spiritui sancto, quia est præcipuum opus amoris diuini erga creaturas.

Quare tertia persona Trinitatis dicitur Spiritus sanctus? Annon Pater etiam Spiritus est sanctus, sicut etiam est Filius, neque enim Pater & Filius habent corpus, aut carent sanctitate?

Respondeo, si disiunctiuè sumatur nomen Spiritus sancti, conuenire Patri & Filio, si verò sumatur coniunctiuè, vt dicitur Spiritus sanctus, persona procedens per spirationem & amorem infinitè sanctum, proprium esse tertiæ Trinitatis personæ, quia procedit per spirationem à Patre & Filio, sicut docent Theologi.

Quid est Incarnatio?

Est vnio filij Dei, seu verbi Diuini, aut secundæ Trinitatis personæ, cum humanitate.

Vel, est assumptio humanitatis propriâ personalitate destitutæ ad vnionem cum persona Verbi.

Quid est Christus?

Est filius Dei Incarnatus.

In Christo quot personæ, & quot naturæ?

In Christo vnica est persona, quæ est persona Verbi diuini, duæ vero sunt naturæ, diuina & humana.

Christus habebátne animam rationalem sicut cæteri homines, an verò Verbum diuinum fuerit illi, loco animæ?

Christus habuit veram animam rationalem, quia erat perfectus homo, nec potuisset esse homo perfectus, sine anima rationali.

Incarnatio erátne necessaria ad saluandos homines?

Absoluté non erat necessaria, quia Deus poterat per puram misericordiam, vel alio modo saluare omnes homines, si voluisset. Sed supposito quod exigeret satisfactionem perfectam pro peccato, necesse erat vt persona Diuina vniretur creaturæ, vt cum esset persona infinita satisfaciens, satisfactio esset infiniti valoris & æquiualens malitiæ infinitæ peccati contra Deum infinitum commissi.

Omnésne homines redemit Christus?

Respondeo distinguendos esse tres gradus redemptionis hominum per Christum. Primus gradus est redemptionis, seu liberationis ab impotentiâ salutis consequendæ, quam impotentiam omnes homines contraxerant ex peccato Adami, propter quod priuari debebant omni gratiâ sufficienti, & mediis ad salutem operandam necessariis. Secundus gradus est redemptionis à peccato per iustificationem. Tertius est redemptionis ab omni pœna & miseria per collationem gloriæ, & beatitudinis alterius vitæ. Dico igitur Christum omnes homines redemisse quoad primum gradum redemptionis, quia ex virtute passionis eius, nulli hominum salus est impossibilis, sed suppetunt media ad salutem omnium. Quoad secundum gradum, eos tantum liberauit quibus peccata remittuntur. Quoad tertium gradum redemptionis, eos tantum redemit qui in statu gratiæ ex hac vita decedunt. *Legi poterit liber de beneficio crucis, seu articuli disputati de gratia, nam hi tres gradus redemptionis, huic libro edendo ansam nobis dederunt.*

Quare non omnes redempti sunt, quoad illum secundum gradum, & etiam tertium redemptionis?

Quia non obtemperant præceptis Christi, vtendo mediis quibus gratiam sanctificantem in hac vitâ & gloriam in alte-

ra conſequi deberent. Vt enim ait Apoſtolus ad Hebr.5. *Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ*, & per obſeruantiam mandatorum, atque vſum ſacramentorum participatur fructus Paſſionis ac redemptionis, quam in illa operatus eſt Chriſtus Dominus.

Nullóne ergo modo redemit à peccatis, & ab eius pœnis eos qui pereunt?

Poteſt dici quòd etiam eos redemerit ſufficienter, in quantum obtulit pretium ſufficiens pro eorum redemptione, ſi vellent gratiæ eius non deeſſe. Sed non redemit efficaciter, id eſt, effectiuè, & de facto, quia non volunt fieri participes redemptionis eius obtemperando eius mandatis. Quemadmodum ſi quis daret pretium ſufficiens pro redimendis omnibus captiuis alicuius vrbis, quidam tamen propriâ voluntate egredi nollent è captiuitate, ſed mallent in ea remanere, iſte diceretur omnes ſufficienter redemiſſe, non tamen efficaciter & de facto, quandoquidem aliqui non eſſent de facto redempti. Idem videtur dicendum de Chriſto, omnes homines redemit ſufficienter, quia obtulit paſſionem ſuam tanquam pretium redemptionis omnium: at non omnes redemit efficaciter & de facto, quia multi nolunt frui beneficio redemptionis eius, qui malunt degere in captiuitate perpetuâ peccati, quàm obtemperando eius mandatis frui libertate filiorum Dei. Redempti ſunt tamen omnes efficaciter, & de facto ab impotentia ſalutem conſequendi, & participant primum gradum redemptionis eius, quia omnes habent gratias ſufficientes, & per eos ſtat ſi non ſaluentur.

Quid eſt mors Chriſti?

Eſt ſeparatio animæ à corpore illius.

Quando Chriſtus mortuus eſt, vbi fuit eius anima, eius corpus & eius Diuinitas?

Anima eius deſcendit ad inferos, id eſt ad limbum Patrum, vbi erant omnes animæ ſanctæ, tam virorum quam mulierum, expectantes aſcenſionem illius in cœlum, vt poſt eum in illud ingrederentur.

Corpus eius poſitum fuit in ſepulchro.

Diuinitas autem manſit vbique vt ſemper fuerat & erit, vnita remanens corpori & animæ, licet diſiungerentur à ſe inuicem vſque ad reſurrectionem.

Quid eſt reſurrectio Chriſti?

Eſt reunio animæ ad corpus cum exitu de ſepulchro.

Quid eſt ſeſſio Chriſti ad dextram Patris?

Eius quies & regnum pacificum in loco gloriæ Eminentiſſimo

ſimo & Fœliciſſimo, qui tropicè appellatur dextera patris, cum propriè loquendo, non ſit in Deo dextera, vel ſiniſtra.

Cur præter Symbolum Apoſtolorum aliud Symbolum Concilij quod maius eſt in Miſſa canitur?

Id inſtitutum eſt ab Eccleſiâ ad clarius profitendam fidem Catholicam contra varios errores & hæreſes ſubinde pullulantes poſt tempora Apoſtolorum.

Nunquid iſta multitudo Symbolorum indicat aliquam in fide contrarietatem?

Nullo modo, quia poſterius Symbolum nihil aſſerit quod ſit contrarium alicui articulo Symboli Apoſtolorum, ſed tantùm illud magis explicat addendo aliqua verba articulis illis circa quos errores noui exoriebantur.

Quibus articulis aliquid magis perſpicuè explicatum eſt?

Circa primum articulum, ſecundum, tertium, ſeptimum octauum, nonum, decimum, vndecimum, duodecimum.

Quid magis explicatum circa primum articulum?

Primus articulus Symboli Apoſtolotum eſt, *Credo in Deum patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ.* Pro quo habet Symbolum maius, *Credo in vnum Deum patrem omnipotentem factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inuiſibilium.* Vbi additur particula *vnum*, contra errorem Manichæorum qui duos Deos, vnum bonum, alterum malum admittebant. Et quia iidem dicebant omnia non fuiſſe facta ab vno ſolo Deo, ſed quædam à malo quodam Deo, idcirco additur, *factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inuiſibilium*, quibus verbis ſignificatur Deum produxiſſe tam ea quæ ſunt ex nihilo, quam ea quæ ſunt ex aliqua præexiſtente materia; ſpiritus etiā qui non videntur oculis corporeis, ſeu bonos, ſeu malos omnes à Deo productos eſſe. Quod negabāt illi hæretici de malis ſpiritibus.

Quid explicatum circa ſecundum articulum?

Articulus ſecundus eſt, *Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Dominum noſtrum.* Ad cuius atticuli expoſitionem maius Symbolum habet, *Et in Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum filium Dei vnigenitum, & ex patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum conſubſtantialem patri per quem omnia facta ſunt.* Quæ addita ſunt ad excludendos errores hæreticorum Arrianorum, qui dicebant filium eſſe tantum creaturam productam in tempore à Deo, nec habere eamdem ſubſtantiam diuinitatis cum patre, nec eſſe filium Dei per naturam, ſed tantum per adoptionem, nec omnia quæ facta ſunt per ipſum facta fuiſſe, ad quos errores excluden-

dos à mente fidelium, hæc verba omnia addita sunt in primo Concilio generali Niceno. Specialiter autem dicitur filius lumen de lumine, vt ostenderetur quod sicut lumen producit aliud lumen sine aliqua sui imminutione, aut desitione: ita quod Pater æternus non est imminutus in generatione filij sibi omninò æqualis, sicut nec est lumen productum lumini producenti.

Quid circa tertium articulum?

Articulus ille est, *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.* Symbolum autem maius habet, *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, & homo factus est.*

Quæ verba ita addita sunt contra Pelagianos qui negabant hominem contraxisse peccatum originale & esse in aliquo statu naturæ corruptæ & perditæ per primum parentem Adamum, nec ad reparandum & saluandum hominem opus esse Incarnatione Verbi, vnde dicitur expressè, *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis*: Id est, in carne humili apparuit ad hunc finem, vt saluaret genus humanum, ac cum Deo reconciliaret.

Quid circa septimum?

Septimo articulo qui erat *inde venturus est iudicare viuos & mortuos*, additum est istud *cuius regni non erit finis*; ad excludendum errorem eorum qui dicti sunt Millenarij seu Chiliastæ, qui dicebant Christum regnaturum cum sanctis suis per spatium mille annorum in hac terra, contra quos symbolum profitetur regnum eius futurum æternum.

Quid circa octauum?

Octauus est *Credo in Spiritum Sanctum.* Symbolum autem maius habet. *Et in Spiritum sanctum dominum & viuificantem qui ex patre filioque procedit, qui cum patre & filio simul adoratur & conglorificatur: qui locutus est per prophetas.* Quibus verbis excluduntur tres errores, primus error Macedonij qui dicebat Spiritum Sanctum non esse Deum, sed esse seruum Patris & Filij, idcirco hic dicitur Dominus & viuificans & quod eodem honore & cultu quo Pater & Filius glorificari debeat. Secundus error est Photij & Græcorum qui dicunt Spiritum Sanctum à solo patre procedere, contra quos dicitur *qui a patre filioque* procedit. Tertius error est Montanij & quorumdam aliorum qui dicebant prophetas locutos fuisse sicut phantasticos sine nexu & ordine. Contra quos dicitur Spiritum Sanctum per eos locutum fuisse.

Quid

Quid circa nonum ?

Nonus articulus est *Sanctam Ecclesiam Catholicam : Sanctorum communionem.* Pro quo Symbolum maius habet. *Ecclesiam Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.* Quæ explicatio facta est contra alios hæreticos & scismaticos ad designandam per quatuor notas veram Christi Ecclesiam, quæ habet vnitatem in ordine ad vnum & idem caput visibile quod est summus Pontifex ; Sanctitatem in Doctrina quæ nihil prauum ac bonis moribus aduersarium continet: est etiam Catholicâ seu vniuersalis in quantum in omnes orbis partes diffusa est, est quoque Apostolica quatenus super Doctrina & fide Apostolorum fundata est, & pastorem summum agnoscit qui D. Petro Apostolo successit in regimine Ecclesiastico.

Quid circa decimum ?

Decimus articulus est *remissionem peccatorum*, pro quo Symbolum maius habet. *Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum.* Ad explicandum magis medium per quod primum fit remissio peccatorum , vt hoc primo medio statuto, aliud etiam intelligatur quod est pœnitentia in qua sacerdotes remittunt peccata confessis & pœnitentibus, quod non pauci hæritici negarunt.

Quid circa vndecimum ?

Vndecimus articulus Symboli Apostolorum habet *carnis resurrectionem*, supple credo. Pro quo Symbolum maius habet *& expecto resurrectionem mortuorum*, ad profitendum magis explicitè arduum illud mysterium resurrectionis , circa quod non pauci hæsitauerunt , vt inter alios Eutiches Patriarcha Constantinopolitanus ; quem Diuus Gregorius Magnus adhuc Diaconus Ecclesiæ Romanæ ad sanam fidem reduxit.

Quid circa duodecimum ?

Cum Symbolum Apostolorum habeat *& vitam æternam Amen* , Symbolorum maius habet *& vitam venturi sæculi Amen.* Vt magis pro futuro sæculo quàm pro præsenti speremus beatitudinem.

Quibus mediis Christus salutem hominum operatur?

Maximè Sacramẽtis, quæ instituit ad cõferendam sanctitatẽ.

Quid est Sacramentum ?

Est signum sensibile à Deo institutum ad significandam sanctitatem , eamque producendam in subiecto suscipiente illud debitè. *De Sacramentis in genere,*

Qua in re consistit illud signum , quod est de essentia , & ratione Sacramenti ?

In certâ quadam ceremoniâ sensibili, quæ suo vsu subiectum

Deo consecrat, sanctitatemque aliquam, seu perfectam, seu imperfectam significat, ac eius causa est.

Quare dicis ceremoniam illam significare aliquam sanctitatem, seu perfectam, seu imperfectam, ac eius causam esse?

Quia Sacramenta veteris legis, saltem secundùm magis communem sententiam, non producebant veram sanctitatem ac gratiam; sed tantum sanctitatem legalem, quæ in eo consistebat, quòd secundum legem reputabantur mundi, qui illa receperant, quamuis forsan coram Deo non essent. Sacramenta autem nouæ legis, veram sanctitatem ac gratiam, & significant, & producunt.

Quomodo definitur Sacramentum nouæ legis?

Signum sensibile à Christo institutum ad significandam gratiam, eamque producendam in subiecto illud debitè suscipiente.

Quotuplex signum reperitur in quolibet Sacramento?

Vnum totale, duplex verò partiale, quorum vnum significat gratiam obscuriùs, & vocatur materia Sacramenti, aliud verò significat gratiam magis determinatè, & expressè, & vocatur forma Sacramenti. Verbi gratiâ, in Baptismo reperitur duplex signum gratiæ, scilicet aqua, & verba ista, *Ego te baptizo*, &c. Aqua autem significat gratiam, & animæ munditiem magis confusè, quia significare potest etiam frigiditatem, & alia; ideo est materia Baptismi. Verba verò ista, *Ego te baptizo*, &c. determinatè significant ablutionem animæ, ideò tenent locum formæ.

Quomodo ergo discerni poterit materia à forma in quolibet Sacramento?

In eo quod materia est signum gratiæ magis confusum, & indeterminatum, quemadmodum in Physicis materia est magis indeterminata. Forma verò est signum gratiæ magis expressum, & determinatum ad eam significandam; vnde fortiter nomen formæ, quæ determinat materiam ex se indifferentem ad plures formas. Sic enim in Sacramentis, signum magis expressum gratiæ determinat illud quod est magis indeterminatum, & minus repræsentatiuum gratiæ, ad eam determinatè significandam.

Quid vocas signum?

Illud quod præter se aliquid aliud repræsentat, vt fumus præter seipsum repræsentat adhuc ignem. Sic materia Baptismi, quæ est ablutio, præter seipsam repræsentat ablutionem interiorem animæ per gratiam: sic etiam forma Baptismi repræsentat euidentiùs eamdem ablutionem: in omni enim Sacramento

cramento materia est signum obscuriùs repræsentās gratiam, forma signum paulò euidentiùs repręsentans eamdem gratiā.

Ostende mihi istud in materia, & forma Sacramenti Pœnitentiæ?

Materia Sacramenti Pœnitentiæ consistit in actibus pœnitentis, scilicet in Contritione, in Confessione, & Satisfactione peccatorum: Hi actus sunt aliquod signum gratiæ, quia ordinariè, qui confitetur peccatum cum dolore, & pro eo satisfacit, solet obtinere veniam; id tamen non est certum omnino, & infallibile, ideòque signum istud non satis expresse gratiam significat, sed est tantum illius aliquod indicium, quod fallere potest. At verò verba ista, *ego te Absoluo à peccatis tuis*, quæ sunt forma Sacramenti pœnitentiæ, absque vlla ambiguitate, & obscuritate significant gratiam remissiuam peccatorum, ideóque tenent locum formæ.

Ostende mihi idem in Sacramento Matrimonij, neque enim ibi apparet duplex illud signum.

Ex probabiliori sententiâ materia Matrimonij est consensus legitimus coram Parocho, & testibus, quatenus datur: forma vero est idem consensus quatenus acceptatur; acceptatio enim consensus est veluti illius forma, & perfectio, seu complementum. Iam verò consensus viri ad mulierem, & mulieris ad virum, est aliquod signum vinculi & amicitiæ inter Deum & animam, & ideo gratiæ; sed consensus, vt acceptatur ab vtraque parte, magis expresè, & perfectè significat gratiam Dei, quia repræsentat vinculum perfectum & complementum amicitiæ per acceptionem mutuam: consensus verò, vt datur tantum, & nondum cogitatur acceptari, non significat expresè amicitiam mutuam, & perfectam, in qua tamen amicitiâ gratia consistit. Aliquis enim potest se velle dare alteri, à quo eius amor non acceptabitur, sed rejicietur.

Non ergo verba sunt forma in omnibus Sacramentis.

Etsi verba teneant locum formæ in omnibus fere Sacramentis, quia verba sunt aptiora ad significandum, & tenent veluti quemdam principatum in significando, id tamen non est in omnibus necessarium, vt patet in Sacramento Matrimonij in quo nutus aliquando sufficienter consensum exprimunt, & sufficiunt.

Quæ est illa gratia quæ confertur vi Sacramentorum,

Respondeo duplicem conferri gratiam per singula Sacra-

menta. Vna est habitualis sanctificans; altera dicitur Sacramentalis, quæ est actualis, & consistit in quodam auxilio speciali, quod datur ad attingendum finem ad quem vnumquodque Sacramentum destinatur, cùm id est necessarium.

Vide in 2. parte examinis Diaconorum vbi agitur de gratia.

Gratia habitualis quæ confertur per Sacramenta, est-ne gratia prima, an secunda?

Respondeo quædam Sacramenta esse mortuorum, id est eorum qui degunt in statu peccati mortalis, cùm recipiunt ea, alia verò dicuntur Sacramenta viuorum quæ administrantur iis qui supponuntur esse in statu gratiæ, quæ est vita animæ. Dico igitur, Sacramenta mortuorum, vt sunt Baptismus, & pœnitentia, conferunt primam gratiam sanctificantem quâ delentur peccata; Sacramenta verò viuorum, vt sunt Confirmatio, Eucharistia, Extrema-vnctio, Ordo & Matrimonium conferunt secundam gratiam, quâ augetur prima Gratia iam ante habita.

Possésne dilucidè explicare gratiam Sacramentalem quæ est peculiaris cuilibet Sacramento?

Gratia Sacramentalis Baptismi, qui est ianua Ecclesiæ, & cæterorum Sacramentorum, est quoddam auxilium ad recipienda alia Sacramenta, ac ad vitam ducendam quæ Christianum decet. Gratia Confirmationis est quoddam auxilium ad profitendam fidem coram tyrannis: & in persequutionibus, & tentationibus, cum opus est. Gratia Eucharistiæ est aliquis feruor, & sensus deuotionis quo anima delectatur ac corroboratur velut cibo optimo. Gratia Pœnitentiæ est auxilium contra recidiuum in eadem peccata. Gratia Extremæ-vnctionis est auxilium contra vltimas tentationes & difficultates mortis. Gratia Ordinis est auxilium quo Ordinatus benè fungitur munere Ordinis suscepti. Gratia vero Matrimonij est auxilium ad ferenda facilius onera omnia Matrimonij.

Illa gratia Sacramentalis datúrne statim vbi receptum est Sacramentum?

Datur tantùm cum necessaria est: attamen vbi receptum est Sacramentum, datur jus aliquod ad illam obtinendam, tempore & loco, si non ponatur obex.

Datúrne gratia æqualis in omnibus, qui recipiunt idem Sacramentum, puta Baptismum vel Eucharistiam?

Respondeo gratiam dari in Sacramentis ex duplici parte, scilicet ex opere operato & ex opere operantis. Dico igitur in pluribus idem Sacramentum recipientibus dari æqualem gratiam ex opere operato; at vero non dari semper æqualem ex opere operantis.

Quid

Quid intelligis per gratiam datam ex opere operato, & ex opere operantis?

Respondeo gratiam illam dari ex opere operato quæ datur præcise vi Sacramenti ex ipso quod subiectum non habet obicem vel indispositionem; & in hoc Sacramenta conferunt ex se, & eo ipso quod applicantur subiecto non indisposito, certam mensuram gratiæ quæ est æqualis. Illa verò gratia datur ex opere operantis quæ datur in receptione Sacramenti, propter indispositiones positiuas, & actus virtutum qui exercentur ad ea fructuosiùs suscipienda, & hæc gratia datur inæqualiter ratione inæqualium dispositionum. Vndè melius dispositi per actus feruentiores virtutum, maiorem gratiam recipiunt, quàm alij qui minus sunt dispositi.

Nihilne confertur aliud per Sacramenta præter gratiam sanctificantem & Sacramentalem?

Tria sunt Sacramenta quæ insuper conferunt characterem spiritualem & indelebilem in anima, scilicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo!

Quid est ille Character?

Est qualitas spiritualis impressa diuinitùs in animâ ad signandum & discernendum subiectum quod illam habet, ab iis qui non habent.

Quare tria tantum Sacramenta imprimunt characterem?

Tota ratio est voluntas Christi sic instituentis. Conuenientia autem huius rei aliqua potest afferri, quod scilicet, vt in magni Regis familiâ domestici, milites & duces exercitus peculiaribus signis notantur & designantur, sic in imperio Christi, Baptizati, Confirmati, & Ordinati peculiari notâ seu signo designantur: quod baptizati sint veluti domestici Christi, & subditi eius; confirmati verò sint milites ad defendendam fidem coram tyrannis, & Ordinati sint duces ad regendum populum. Itaque cùm per tria tantum Sacramenta quidam constituti sint in aliquo officio aut ministerio ad Christum pertinente, peculiari Christi nota insigniuntur, quæ vocatur character.

An Character sit tantum signum ad discernendum, an habeat aliquam actiuitatem ad aliquid operandum?

Dico probabile esse characterem nihil agere nisi moraliter in ordine ad eos, quibus cognitus est, vt in ordine ad Deum & Angelos; Angeli enim viso charactere baptizati, excitantur ad specialem curam de eo habendam, vt qui sit de familiâ Christi, Deus etiam propter characterem Confirmati & Ordinati

Ordinati excitatur ad danda ſpecialia auxilia : in illo ad profitendam fidem, in hoc ad conficienda & adminiſtranda Sacramenta. Non eſt tamen penitus improbanda multorum Theologorum ſententia, qui aſſerunt characterem eſſe aliquam potentiam paſſiuam in baptiſmo ad recipienda alia Sacramenta, actiuam verò in Ordine, ad conficienda Sacramenta.

Quare tria Sacramenta quæ imprimunt characterem, non reiterantur?

Quia relinquunt charactetem qui nunquam deletur, & qui non debet imprimi, niſi ſemel.

Quæ intentio requiritur in Sacramentis?

Reſpondeo vel eſſe ſermonem de ſuſcipiente, vel de conferente Sacramentum : ſi ſermo ſit de ſuſcipiente, ſi ſit adultus, debet, conſentire vt detur illi Sacramentum. Si vero ſermo ſit de adminiſtrante, debet habere intentionem faciendi quod facit Eccleſia, vel quod fecit Chriſtus.

Intentio illa debetne eſſe actualis?

Reſpondeo triplicem diſtingui intentionem : prima eſt actualis, ſecunda eſt habitualis, tertia eſt virtualis. Etſi autem actualis intentio ſit omnium excellentiſſima, non tamen neceſſariò requiritur, quia ſufficiens eſt intentio virtualis in adminiſtratione Sacramentorum.

Quid eſt intentio actualis, habitualis & virtualis?

Dico illum actualiter intendere qui habet actum elicitum & expreſſum circa id quod intendit: ſic abſoluens dicitur intendere abſolutionem à peccato, quando illam vult & intendit conferre : ille verò dicitur habitualiter intendere, qui habet habitum inclinantem ad talem actum, etſi de facto de illo non cogitet. Ille verò dicitur virtualiter intendere, qui agit virtute alicuius actûs prius habiti actualiter & ante ordinati ad omnes actus ſequentes. Vnde intentio actualis eſt volitio actualis & expreſſa faciendi id quod fit; habitualis tantùm eſt habitus remanens in anima ad faciendum aliquid etſi non cogitetur de eo, vt eſt in dormiente habitus canendi. Virtualis vero eſt intentio quæ fuit alias & præterita eſt, necdum tamen retractata, faciendi aliquid propter talem finem quotieſcumque fieret : vt ſi quis ſemel apud ſe dixiſſet, quotieſcumque proferam verba conſecrationis præſente pane in altari, intendo conficere corpus Chriſti : aut quotieſcumque dabo eleemoſynam pauperi, intendo dare in ſatisfactionem meorum peccatorum.

Forſan

Forſan iſta melius animo concipis quàm ore explices, vlteriùs à te quæro.

Quid eſt intentio faciendi quod facit Eccleſia? eſtne intentio faciendi opus externum, vel conferendi gratiam & effectum Sacramenti?

Eſt intentio agendi nomine Chriſti, vel vt miniſter Chriſti, qui deputauit quoſdam adminiſtros Sacramentorum velut in ſui locum, ad conferendam ſanctitatem & gratiam.

Quot ſunt Sacramenta noua legis?

Septem Baptiſmus, Confirmatio, Pœnitentia, Euchariſtia, Extrema-Vnctio, Ordo & Matrimonium.

Suntne omnia ad ſalutem neceſſaria?

Sunt quidem omnia neceſſaria, ſed non omnibus.

Suntne omnia de præcepto diuino?

Reſpondeo Baptiſmum eſſe præceptum abſolutè ad remiſſionem peccati originalis. Pœnitentiam eſſe præceptam à Deo, lapſis in peccatum mortale poſt baptiſmum. Euchariſtiam eſſe etiam præceptam certo tempore quod determinauit Eccleſia, & in mortis periculo. Confirmationis & Extremæ-Vnctionis præcepta reuocantur in dubium à Theologis. Ordo autem & Matrimonium ſunt tantùm præcepta reſpectu communitatis Eccleſiæ, non reſpectu ſingulorum, quia neceſſe eſt vt aliqui in Eccleſia Matrimonio copulentur, alij ordinentur; non eſt tamen neceſſe, vt ſint hi vel illi.

Quare non ſunt plura Sacramenta quàm ſeptem?

Ratio eſt voluntas Chriſti qui ſeptem Sacramenta tantùm inſtituit. Cuius voluntas nobis innoteſcit ex Eccleſiâ & praxi eius continuâ.

Lotio pedum nonne debet cenſeri inter Sacramenta, cum ſit à Chriſto inſtituta ad modum Sacramenti & ſignificet etiam gratiam?

Reſpondeo non eſſe inſtitutam directè ad ſanctificandum, ſed tantùm ad exercitium humilitatis, & ideo non eſt propriè Sacramentum.

Poſſetne ſummus Pontifex, aut Concilium generale inſtituere nouum aliquod Sacramentum?

Non poſſet, quia eius tantùm eſt inſtuere Sacramenta, cuius eſt conferre gratiam & ſanctitatem ex virtute propria: id autem pertinet ad ſolum Chriſtum, non ad Papam aut Eccleſiam: & ſolus Chriſtus poteſt ſignis quibuſdam ſenſibilibus annectere promiſſionem infallibilem gratiæ conferendæ iis quibus applicabuntur.

Quid

Quid significat quod vulgò dicitur à Theologis: Datur in Sacramentis aliquid quod est res tantum, Sacramentum tantum, & res & Sacramentum simul.

Respondeo per hæc verba significari à Theologis, quod in Sacramentis datur aliquid quod significat & non significatur, & hoc appellatur *Sacramentum tantùm*; rursus quod datur aliquid quod significatur tantum & non significat, & hoc appellatur *res tantum*. Deniquè quod datur aliquid quod significat & significatur, & hoc appellatur *res simul & Sacramentum.*

Possésne istud ostendere in omnibus Sacramentis?

In tribus Sacramentis quæ conferunt characterem, Baptismo, Confirmatione & Ordine, facile ostendi potest: nam materia & forma sunt Sacramentum tantùm: significant enim gratiam & alios effectus, & non significantur. Gratia verò est res tantum, quia significatur & non significat. Character autem est res simul & Sacramentum, quia significatur per ipsum Sacramentum, & significat coram Angelis & animabus quæ eum intuentur, gratiam.

In Eucharistiâ idem manifestè patet; species enim sunt Sacramentum tantùm, quia significant corpus Christi & gratiam, nec ipsæ significantur. Gratia autem est res tantum, quia significatur & non significat; Corpus autem Christi est res & Sacramentum simul, quia significat gratiam & significatur à verbis formæ & à speciebus.

In Matrimonio similiter, verba enim contrahentium sunt Sacramentum tantùm, gratia Sacramentalis est res tantùm; indissolubile autem vinculum Matrimonij, est res & Sacramentum simul, quia significatur per verba contrahentium, & significat vnionem Verbi cum naturâ humanâ, ac Christi cum Ecclesiâ, atque etiam cum animâ iusta.

Difficultas maior est in Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Vnctionis. In his tamen adhuc idem ostendi potest; nam confessio & absolutio in pœnitentia sunt Sacramentum tantùm, gratia res tantùm; pax autem & serenitas quædam conscientiæ, quam magis ordinariè sentiunt feruentiores pœnitentes, est res & Sacramentum simul; significat enim pacem & reconciliationem cum Deo, & significatur per materiam & formam Sacramenti.

Demum in extrema-Vnctione materia & forma sunt Sacramentum tantum, quia significant gratiam & alios effectus, &

& non significantur, gratia autem est res tantum,quia significatur & non significat. Sanitas autem corporis,ad quam causandam Sacramentum ex se vim habet, si non impediatur, est res & simul Sacramentum, quia significatur à materia & forma,& significat sanitatem animæ spiritualem.

Quo pacto differunt Sacramenta & Sacramentalia?

Respondeo differre quòd Sacramentalia sint res quædam ab Ecclesia institutæ ad eum finem, vt per earum vsum,venialium peccatorum remissio obtineatur,idque virtute actus contritionis quem exercet is qui eis vtitur,qui actus contritionis est virtute gratiarum excitantium,quas sæpe sæpius concedit Deus in deuoto eorum vsu propter Ecclesiæ preces & merita, quam sæpe exaudit.

Vndè differunt Sacramenta à Sacramentalibus,primo quòd Sacramenta sint à Christo instituta, Sacramentalia ab Ecclesia. Secundò quod Sacramenta conferant gratiam ex opere operato,ex seipsis:Sacramentalia verò non ex seipsis,sed tantum virtute actus contritionis,quando in iis exercetur.Tertiò quod Sacramenta sint etiam instituta ad remissionem mortalium: Sacramentalia verò ad remissionem venialium. Quartò quod Sacramenta infallibilem consequuntur effectum in non ponentibus obicem, quia habent annexam promissionem Christi de gratiæ collatione: at Sacramentalia non ita infallibilem habent effectum, quia non est certum semper Ecclesiam exaudiri à Deo.

Inter Sacramentalia autem numerantur, aqua benedicta, panis benedictus,confessio generalis peccatorum cum tunsione pectoris;benedictio Episcopi,& quædam alia.

Fuerúntne semper aliqua Sacramenta ab initio in quolibet statu Ecclesiæ?

Dico in statu innocentiæ ante peccatum Adami nulla fuisse Sacramenta à Deo instituta, quia præuidebat Deus statum hunc parùm duraturum, si verò perseuerasset, cum Adamo non peccante, potuissent filij eius peccare, verissimile est Deum instituturum fuisse aliqua Sacramenta in remedium peccatorum; quamuis quid facturus fuisset Deus in hoc casu non possit certò omninò asseri.

Certius autem est in lege naturæ quæ durauit ab Adamo vsque ad Moysem per duo millia annorum, fuisse aliqua Sacramenta, potissimùm ad remissionem peccati originalis, vt erat forsitan oblatio infantium facta Deo à fidelibus petentibus in hunc finem vt remitteret peccatum originale, vel aliqua alia sancta & pia ceremonia,quæ satis nobis non est nota.

Certissi-

Certiſſimum eſt denique in lege Moſaïca, quæ durauit à Moyſe vſque ad Chriſtum, fuiſſe Sacramenta, quorum aliqua pertinebant ad totum populum, vt Circumciſio, eſus agni paſchalis, purificationes ab externis immunditiis: alia vero ad ſacerdotes & leuitas, vt conſecratio ſacerdotum, eſus panum propoſitionis, & alia.

In quo differebant Sacramenta veteris legis à noſtris Sacramentis?

Veteris legis Sacramenta conſtabant rebus, non verbis: noſtra & rebus & verbis ſimul, aut re aliqua verbis æquipollente, vt in Matrimonio,

Illa ſecundum magis communem ſententiam non conferebant ex ſe gratiam ſanctificantem, ſed tantùm quamdam iuſtitiam legalem, qua reputabantur iuſti coram hominibus, quia ea ſuſceperant, quamuis forſan coram Deo immundi eſſent: Noſtra conferunt veram ſanctitatem coram Deo.

In illorum receptione ſolùm contriti recipiebant gratiam ex vi diſpoſitionis ſolius in qua erant, non ex vi Sacramenti; in noſtrorum receptione etiam attritis confertur gratia, non ſolùm ex vi diſpoſitionis recipientium, ſed etiam ex vi ipſius Sacramenti.

Nunquid remittebatur peccatum originale, & conferebatur gratia in Circumciſione?

Reſpondeo non ſatis conſtare de hac difficultate apud Patres, & Theologos, his affirmantibus, illis negantibus. Sed quamuis contuliſſet gratiam paruulis, tamen quia inſtituta erat ante legem Moſaïcam, primùm pro Abraham, & eius familia, non ſequitur Sacramenta legis Moſaïcæ, & à Moyſe data, contuliſſe gratiam, aut aliud fuiſſe quàm *infirma & egena elementa*, vt loquitur Apoſtolus, ad Gal. 4.

Quis eſt miniſter Sacramentorum noua legis?

Homo, non Angelus, Si ſermo ſit de Sacramentis generatim, nec requiritur vt habeat fidem, vel charitatem, vt validè conficiat. Quamuis peccet mortaliter, quiſquis ſine neceſſitate, conficit Sacramentum exiſtens in peccato mortali.

Deſcendendo autem ad Sacramenta in particulari; Quilibet poteſt eſſe miniſter Baptiſmi, propter eius neceſſitatem. Epiſcopus eſt miniſter ordinarius Confirmationis & Ordinis: Sacerdos Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, & Extremæ-vnctionis: contrahentes verò miniſtri ſunt Matrimonij, qui idcirco peccant mortaliter, ſi contrahant exiſtentes in peccato mortali.

TERTIA

TERTIA PARS EXAMINIS DE OFFICIO *Diuino seu de horis Canonicis.*

Quid est hora Canonica?

Est Officium Diuinum certâ horâ diei naturalis Deo persoluendum ab Ecclesiasticis personis.

Quot sunt horæ canonicæ?

Septem; Matutinum: Prima: Tertia: Sexta: Nona: Vesperæ & Completorium.

Qui tenentur ad horas canonicas?

Subdiaconus à die suæ Ordinationis: in qua saltem Vesperas tenetur recitare.

Moniales & Religiosi deputati ad chorum ex consuetudine tenentur recitare.

Beneficiarius cum pacifica possessione beneficij, nisi esset beneficium adeò tenue, vt non sufficeret ad tertiam partem mediocris sustentationis. Quod si collatio esset nulla ob aliquem defectum cum non haberet verum titulum nec faceret fructus suos recitare non teneretur.

Qui eximuntur à recitatione officij ex his personis?

Ægri & infirmi quibus recitatio officij nocitura esset, vel si dubitat Medicus an nocitura esset.

Cæci vel ita cæligantes vt totum officium legere nequeant: & si possent cum socio.

Qui inculpatè carent breuiario: & si scirent memoritet aliquos Psalmos, non tenerentur illos recitare sine lectionibus & responsoriis. Quamuis consilium esset sanum, vt qui non posset totam persoluere partem, quam posset notabiliorem persolueret.

Qui defectus occurrunt circa recitationem officij?

Deus qui nouit omnia, scit quanta sint delicta Ecclesiasticorum in hac parte. Septem tamen sunt frequentiores, 1. circa mutationem officij, 2. circa tempus, 3. circa locum, 4. circa ordinem, 5. circa pronuntiationem, 6. circa interruptionem, 7. circa attentionem, in quibus omnibus variè & grauiter à pluribus peccatur.

Qui defectus circa mutationem officij?

Cum quis cum aduertentia recitat officium aliud quam in calendario breuiarij annotatum est: aut si quis ratione beneficij alicuius Ecclesiæ choro obligatus eius Ecclesiæ breuiario non vtitur: aut si quis officium alicuius sancti recitat, qui secundum rubricas breuiarij in Calendario reponi non

debet iuxta decretum sacræ congregationis 8. Aprilis 1628. licet eadem congregatio definierit 29. Nouembris 1603. posse recitari officium aliquod ex deuotione pro eo quod est ex obligatione, quod intelligendum est pro vna aut altera vice & vt raró fiat,non ordinariè.

Qui defectus circa tempus?

Et si cum alias regulæ Ecclesiasticæ in viridi obseruantia custodirentur,peccatum esset non leue non seruare horas debitas in recitando officio, vt propter ea legatur de anima S. Seuerini quod in flammis Purgatorij propter hoc passa fuerit: hodie tamen extra contemptum Dei, vel Ecclesiæ qui priuatim recitant officium non peccant plusquam venialiter qui non dicunt horis debitis; & si sit aliqua rationabilis causa,nec venialiter peccant, vt si scolasticus differet horas circa tempus Vespertinum, ne studia interrumperet. Hora autem debita non est punctualiter intelligenda, sed largo modo,ait Angelus in summa verbo *hora canonica*, sicut dicete matutinum in Aurora vel secundum alios,ab hora quarta post Meridiem dicere matutinum insequentis diei.

Qui defectus circa locum?

Debet recitari officium in loco decenti sic,vt ex loco non turbetur attentio aut mens distrahatur. Nec necessarium est vt in Ecclesia aut alio sacro loco recitent, qui non sunt deputati & adstricti ex beneficio Ecclesiæ Cathedralis aut Collegiatæ choro,nec sunt regulares. Clericus autem beneficiatus & alicui Ecclesiæ deputatus in qua dicuntur solemniter horæ Canonicæ, tenetur in Ecclesia perfungi officio iuxta fundationem beneficij nisi necessitas aliqua excuset, aut Papa dispensauerit, aut consuetudine aliqua legitimè introducta obligationi huiusmodi derogatum sit.

Qui defectus circa Ordinem?

Qui sine causa legitima immutat ordinem horarum,vt dicendo Primam ante Matutinum,peccat mortaliter secundum quosdam: licet venialem tantum offensam agnoscat Diana 2. p.tract. 12.resol. 16. quia ordo non est de substantia recitationis. Est autem causa legitima si vt choro vocem tuam adiungas ordine præpostero horas recites.

Qui defectus circa pronuntiationem?

Qui priuatim officium recitati satis est, vocem format labia mouendo, etiamsi à nemine nequidem à seipso audiatur. Diana 2. p.tract.12. resol.11. qui verba non integrè pronuntiat nisi vitio linguæ excusetur, ad minus venialiter peccat, ait Azor. l. 10. c. 6. q. 11.

Qui

Qui defectus circa interruptionem?

Qui partem alicuius horæ ab alia separaret ad tempus aliquod notabile, teneretur probabiliter ad repetitionem horæ integræ Nauar. in manuali c.16. num.75. aliter si fieret ad breue tempus, quamuis & tunc veniale admitteretur si fieret sine causa legitima. Si quis tamen priuatim sine vlla etiam causa laudes à matutino seiungeret, nullum peccatum committeret ex Diana 5.p.tract. 14. resol.48. nec qui nocturnum à nocturno seiungeret cum aliqua causa legitima, si interruptio non excederet tres horas, ait Bonacina disp. 1. q. 3. puncto 3. num. 17.

Qui defectus circa attentionem?

Primus est defectus intentionis cum quis non habet intentionem impetrandi à Deo aut debitum cultum illi exhibendi, aut muneri suo satisfaciendi in recitatione officij. Secundus defectus est occupatio in aliquo actu exteriori qui secum non patitur attentionem: sicque est peccatum mortale directè contra præceptum c.*dolentes*, de celebratione Missarum, vbi iubetur vt deuotè & studiosè recitetur officium. Tertius defectus est euagatio voluntaria & cum aduertentia secundùm actum interiorem ad cogitationes extraneas à fine & scopo horarum. Quod si euagatio mentis sit ex infirmitate & sine aduertentia cum animo recolligendi se in Deo post reflexionem circa tales euagationes, vix est peccatum, multoque magis id dici poterit si alicuius mens ita sit disposita, vt simul ad plura attendere valeat, ita vt cogitatio vnius obiecti non auferat cogitationem alterius, Est autem quadruplex attentio in recitando officio, quarum vel vnica est sufficiens ad vitandum peccatum. Prima attentio est ad verba debitè pronuntianda, 2. ad sensum qui sub verbis continetur, 3. ad gratiam quæ petitur, & 4. ad Deum qui est finis orationis, cum interim mens se applicat ad eius attributa meditanda.

An modus recitandi diuinum officium cadat sub præcepto Ecclesiæ?

Videtur id Tutius secundum prædictum caput *dolentes* de celebratione Missarum, quia Ecclesia præcipere potest actus internos vt sunt rationes & veluti formæ actionum externarum, modus autem præceptus in hoc capite est vt deuotè & studiosè celebretur. *Deuotè* id est alacri & bono animo iuxta quod D. Thomas 2. 2. q. 82. ait deuotionem esse promptam voluntatem faciendi quod ad seruitium Dei pertinet: vnde multi aberrant qui ægrè recitant officium quasi ex necessitate officij adacti aut metu non faciendi fructus suos. Studiosè

autem significat cum attentione : quam attentionem non amittit qui horas incipit cum intentione vacandi Deo , licet quandoque inaduertenter vagetur , quia non dicitur voluntariè vagari ab officio cum actus humanus ex intentione iudicetur,& intentio non sit mutata.

An tenetur restituere qui cum attentione non recitauit officium.

Quia pœna restitutionis imposita est omittentibus recitationem non tenetur ex defectu attentionis.

Medulla cuiusdam Meditationis Christophori.

Ex libro medit. 100. *Verrucini Capucini ad recitandum horas cononicas.*

Punctum. 1. considera pensum quotidianum horarum canonicarum , seu in choro cum aliis, seu extra chorum priuatim recitentur , continere actus multarum virtutum. Est enim actus latriæ eo quòd in hoc officio adorandus sit Deus tanquam curator , Gubernator , Redemptor , Iustificator & Glorificator. Est actus humilitatis in quo se creatura submittit & commendat suo Creatori , vt in miseriis quibus plena est , adiuuetur. Est actus iustitiæ cum multis beneficiorum fructibus gaudeant clerici multisque priuilegiis , vt hoc debitum persoluant , & si nondum beneficia assecuti sunt , apti tamen sunt & idonei qui ea assequantur,est actus gratitudinis , vt pro innumeris beneficiis à Deo collatis gratiæ referantur. Est actus obedientiæ, si quidem ex præcepto Ecclesiæ sanctæ matris adstringuntur Subdiaconi ad istud onus quotidianum. Est actus quoque necessitatis cum homo propter impotentiam diuino auxilio quotidie indigeat ad vincendas tentationes & perseuerandum in statu gratiæ. Propter tot rationes agnosce,ô homo Dei, per singulos dies cum magna deuotionis alacritate, reuerentia, attentione, & charitatis feruore tibi incumbendum esse , vt muneri tuo circa rem istam satisfacias Propone ergo tibi defungi isto officio cum debitâ reuerentiâ. Psalle Deo omnipotenti in conspectu Sanctorum Angelorum quasi vnus ex eis esses.

Quot virtutes exercentur in recitatione officij.

Punctum 2.considera vt distractiones à te repellas , generosâ & constanti mente , quod Deus quotidie dignetur descendere ad ostium cordis tui & ad illud pulsare ictusque geminare vt illi aperias ac quodammodo ad cœnandum tecum te inuitare, vt officium hoc recites in conspectu interiori diuinæ eius maiestatis,quasi os ad os sicut quondā Moyses in mōte loquereris , ac deliciis spiritualibus ex cœlesti hac conuersatione prodeuntibus fruereris.Quod si opus aggredi renuas , cum te Deus inspirat & cogitationem imprimit , Deum à te hac die

die repulisti : vel si cum inceperis distractiones per negligentiam tuam te huc illúcque transferunt & abripiunt, expende te esse similem cuipiam aulico improbo & extra regis gratiam constituto, qui licet in iram Domini sui ac principis incurrerit, nihil tamen minus curabat quàm vt eum placaret: non enim aliter tu consistis in presentiâ Dei & Angelorum, nec verecundaris intentus esse tuis reculis & solatiis ipso neglecto. Propterea cogitabis ipsum benignissimum Dominum surgere de solio suo & ad te sursum venire vt socordiam tuam à te excutiat, interinsque te his verbis compellare. *Adam vbi es?* Heus stupide & insensate, quid rerum agis; Cur inertia torpes nec ad vigilantiam excitaris; Quo mentis; tuæ gressibus processisti & quid moliris? quod si ista te parum mouent nec maiori obseruantiâ quod reliquum est tui pensi reddas, non tantum Deum non placasti, sed ad maiorem indignationem prouocasti ibi vbi placare ac tibi propitium reddere debueras. Eumque qui tecum manere constituerat, eliminasti, exturbasti, ac in fugam quodammodo coegisti. Eia ergo infœlicissime, insequere eum veloci cursu, prosterne te ad pedes eius, culpam agnosce, personisque sanctæ Trinitatis humiliter supplica vt regrediantur ad te, ac benedicant te dignentúrque in tribus animæ tuæ contritæ potentiis sedem constituere. Pater in memoria eam excitando à sopore obliuionis, Filius in intellectu eum illuminando, Spiritus Sanctus in voluntate cum sancto sui amore inflammando.

Punctum 3. cum ad terminum & finem precum accesseris ne inani lætitiâ propter hoc efferatis, sed potiùs cordolium tibi sit quod à consortio diuino tam citò abstraharis: ac si nullum dolorem sentias, propter hoc ingemisce. O cæce ac mente capte, nunquid non animaduertis te nunc ab officio Angelorum ad officia brutorum animantium transiturum? te negotiis cœlestibus dimissis ad terrena commercia inclinandum? te à diuinis laudibus forsitan ad offendendum Deum properaturum: & non displicebit tibi finis orationis, si vel modicum mentis tibi supersit. Et tamen necessarium est eam interrumpere & concludere, vt necessitatibus corporis huius cura aliqua impendatur. Quod cum ita sit vt minimum sic age. Propone firmiter te alio tempore orationi adhuc præstito expeditis negotiis maiori cum feruore ad eam accessurum in gratiâ ac beneficiû animæ tuæ egenæ ac miseræ, nec te cessurum aliis in sancto feruore, vt maiora meritorum incrementa capias ex sanctâ hac & piâ æmulatione: ac interim mente per-

Actus quintus orationis. curras actus quinque fini orationis à Doctoribus contemplatiuis assignatos, qui sunt, veniæ petitio, gratiarum actio, oblatio, commendatio & rerum necessariarum petitio. O amabilissimè Domine tibi ex toto cordis mei affectu gratias ago, quia me permisisti orationi insistere. Progredere ampliùs ad commendandum ei necessitates omnes, tum publicas, tum priuatas. Sed antequam è loco orationis discedas aspectu pietatem & amorem præ se ferente, Christum dilectum tuum respicias, quasi ab eo peteres facultatem ad corporalia seruitia, & ministeria transeundi, nec matrem eius sanctissimam prætermittas. Sicque Filium ac matrem inuoca. O Christe! ô Maria! vos mihi quæso auxilio estote neque me vnquam præsidio vestro destituite.

Finis officij.

EXAMEN

DIACONORVM.

QVANTA sit dignitas Diaconorum, aperit D. Ignatius Martyr. in Epist. ad Trallianos. *Quid vero Diaconi*, inquit, *quam imitatores Angelicarum virtutum? qui purum, & inculpatum ministerium illis exhibent* (puta Episcopis & Sacerdotibus) *vt Sanctus Stephanus Beato Iacobo: Timotheus & Linus Paulo: Anacletus & Clemens Petro.* Quare etsi soleant esse indulgentiores examinis Præfecti circa promouendos ad Diaconatum, quod post hunc dignitatis gradum, sedulam adhuc operam studiis nauare teneantur, vt in vltimo examine repulsam non ferant: Id tamen non impedit, quominùs appendantur in statera iusti examinis, ita vt inueniantur minus habentes, vt de Rege illo Babylonico refert scriptura Daniel. c.5. si plus non habeant, quàm cum pro Subdiaconatus Ordine probati sunt. Hinc est quod Zephirinus 1. Epist. 2. ad Episcopos Ægypti, & allegat Gratianus Dist. 85. cap. *Ordinationes*, non vult nisi Doctos ad Leuitarum, seu Diaconorum Ordinem assumendos. *Ordinationes Presbyterorum*, inquit, *& Leuitarum tempore congruo, & multis coràm adstantibus solemniter agite, & probabiles, & Doctos viros ad hoc opus prouehite*, vt de eorum Societate, & adiumento

mento plurimum gaudeatis. In quo autem probandi ſunt, aperit Concilium Mediolanenſe quintum ſub ſancto Carolo Boromæo, Conſt. parte 3. tit. de Examinandi ratione. *Diaconorum examen experimentumve fiat, præterea aliquantò diligentius de Sacramentorum Doctrina. Experimentum item aliquod fiat in concionibus habendis.* Vbi ad duo capita reducuntur quæ à Diaconatus candidatis inquirenda ſunt; primum eſt de Sacramentis, ſecundum de Doctrina morali, quæ concionibus optior eſt. Quia verò quæ pertinent ad Sacramenta, tum in examine Acolytorum, tum etiam generatim explicauimus in cenſurâ Subdiaconorum; particularia autem Sacramenta in cenſurâ Presbyterorum elucidantur, idcircò (quia omninò conuenit, eum qui ſuſcepturus eſt Ordinem, noſſe primum, quid ſit Ordo ille, quæ eius partes & munia, ne forte audiat ab ore examinatorum, quod dictum eſt à Chriſto filiis Zebedæi (Matth. 20.) *neſcitis quid petatis*: aut aliquando etiam ad aliam Ordinationem remittantur) poſt aliquas quæſtiones de Ordine Diaconatus, præcipuas definitiones & diuiſiones Theologiæ practicæ moralis, prout tractari ſolet à Theologis, poſt D. Thomam in ſecundâ parte, hîc tradere duximus operæpretium; quam ſi optimè nouerint Ordinandi, ita demum pro Diaconatu probandos exiſtimamus, ſi non obliti Doctrinæ de Sacramentis in genere, & earum omnium quæſtionum, quæ Acolytis & Subdiaconis tentandis aptæ erant, etiam ex parte Theologiam practicam Sacramentalem imbiberint, vt ex eius ſaltem præcipuis quæſtionibus ſe ſe valeant expedire.

PRIMA PARS EXAMINIS DIACONORVM *de ipſo Ordine,*

Ad quem petis Ordinem promoueri?

Ad Diaconatum.

Quid eſt Diaconatus?

Eſt Ordinatio, quâ impoſitione manus ab Epiſcopo, & traditione libri Euangeliorum, traditur poteſtas ad inſeruiendum Sacerdoti celebranti, & ad legendum Euangelium in Miſſa.

Quare in definitione Diaconatus non apponis nomen Sacramenti, nunquid Diaconatus Sacramentum non eſt?

Reſpondeo Diaconatum eſſe Sacramentum, ſed rem quamlibet definiendam eſſe potius per genus proximum, quàm per genus remotum, quemadmodum melius definitur homo animal rationale, quàm ſubſtantia rationalis. Eſt autem ge-

nus proximum Diaconatûs, Ordinatio ; qua autem Ordinatio est Sacramentum, genus remotum Diaconatûs est Sacramentum.

Estne discrimen inter Diaconatum & Diaconum?

Omninò, nam Diaconus est homo: Diaconatus verò est ipsa cæremonia seu actio transiens, qua Episcopus hominem ordinat in Diaconum.

Quæ materia Ordinationis Diaconatûs?

Impositio manuum super caput Ordinati ab Episcopo simul cum traditione libri Euangeliorum.

At Concilium Florentinum in Decreto, non assignat nisi dationem libri Euangeliorum pro Materia Diaconatûs, nulla factâ mentione impositionis manuum.

Respondeo non esse moris Conciliorum explicare totum ritum Sacramentorum, quia non scribunt rituales: sed tantùm aliquam partem attingunt pro necessitate temporum: erat autem tunc tantùm difficultas cum Armenis de libro Euangeliorum, non de impositione manuum.

Quid significat ista manuum impositio?

Significat obumbrationem gratiæ Spiritûs sancti, ac veluti quandam protectionem, sub qua constituuntur Diaconi, tanquam ministri Christi. Moraliter etiam designare potest Diaconos omnino consecratos esse Deo, tanquam victimas ei oblatas: nam antiquitùs super victimas manus imponebantur.

Quo pacto traditio libri Euangeliorum potest esse materia Diaconatûs, quandoquidem initio Ecclesiæ Ordinati fuerunt Diaconi per solam manuum impositionem, antequam libri Euangeliorum conscripti essent?

Respondeo initio nascentis Ecclesiæ Diaconos Ordinatos fuisse per solam manuum impositionem ex peculiari Christi dispensatione, sicut etiam Confirmationis Sacramentum sine Chrismate per solam manuum impositionem conferebatur.

Vnde poteris hoc probare?

Ex facto Apostolorum, qui Actorum sexto capite, septem Diaconos ordinauerunt cum sola cæremonia impositionis manuum, & ex Concilio Florentino, quo definitur traditionem libri Euangeliorum esse materiam Diaconatûs. Cùm enim Apostoli non errauerint, nec Concilium etiam Florentinum, necessarium est, vt Apostoli dispensati fuerint, vt ita conferrent Sacramentum Diaconatûs.

At in actis Apostolorum, qui Ordinati dicuntur Diaconi, eo fine Ordinati dicuntur, vt ministrarent mensis, id est cibos distri

distribuerent primis Christianis, qui proiectis bonis ad pedes Apostolorum videbant ex eleëmosynis, & ex bonis communibus: igitur non videntur fuisse Diaconi, quales hodie Ordinantur, vnde nec quicquam colligi potest ex eorum exemplo?

Respondeo ex murmure exorto de mensis, occasionem sumpsisse Apostolos creandorum Diaconorum, iuxta institutionem Christi ac consequenter eis demandasse omnia officia à Christo sancita, tam spiritualia quam corporalia, vt erat mensarum, & eleëmosynarum distributio. Vnde instituti sunt ad ministrandum mensis, non solum corporalibus, sed etiam mensis sacris celebrationis Eucharistiæ, quia Christiani tunc quotidie communionem percipiebant & post simul comedebant. Vnde septem primi Diaconi vera ordinatione Sacramentali Ordinati fuerunt, vt etiam in altari ministrarent: nec enim, vt ait D. Ignatius Martyr, *Diaconi ciborum & potuum ministri sunt*, (supple tantum) *sed Ecclesiæ Dei administratores.* In Epist. ad Trallianos.

Quæ est forma Ordinationis Diaconi?

Hæc est. *Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei, tam pro viuis quam pro defunctis in nomine Domini?*

Quare in formâ tam huius Ordinationis quàm aliarum non exprimitur effectus illius qui est gratia?

Ratio est quòd Sacramentum Ordinis non sit primariò institutum in vtilitatem suscipientis, sed aliorum, ideò in huius forma exprimitur tantùm potestas spiritualis quæ in aliorum vtilitatem datur.

Quid est Euangelium?

Est Historia vitæ, operum, sermonum, mortis & Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi conscripta per Euangelistas canonicos, & probatos ab Ecclesia.

Legere Euangelium est-ne primarius actus Diaconi?

Legere Euangelium est tantùm secundarius actus Diaconi: nam primarius illius actus, est offerre Presbytero calicem cum vino, & patenam cum hostia, vel, secundum quosdam, dispensare fidelibus Eucharistiam sanguinis Christi. *Scotus in 4. sent. dist. 24. Durandus distinct. eadem.*

Quare traditio calicis & patenæ est primarius actus?

Quia Diaconus per huiusmodi traditionem magis directè respicit sacrificium, magisque illi inseruit.

Cur ergo non exprimitur per aliqua verba actus ille primarius Diaconi quando ordinatur, sed magis exprimitur actus eius secundarius, qui est legere Euangelium?

Respondeo non potuisse exprimi actum illum primarium Diaconi traditione alicuius materiæ distinctæ. Etenim cum

ordinatur Subdiaconus traditione patenæ vacuæ & calicis vacui, Presbyter verò ordinetur traditione patenæ cum hostiâ & calicis cum vino, non restabat modus aliquis medius & distinctus, quo traderentur patena & calix Diacono, idcircò in eius ordinatione exprimitur tantùm actus eius secundarius per traditionem & contactum libri Euangeliorum, ob illius libri dignitatem. *Thomas Sanchez consiliorum moralium parte 2.l. 7. c.1.dubio 12.*

Quæ sunt officia Diaconorum?

Episcopum perpetuò sequi, Concionantem custodire, eique & Sacerdoti sacra facienti, vel alia Sacramenta administranti præsto esse, & in Missæ Sacrificio Euangelium legere. Olim ex commissione Sanguinem Christi ministrabant fidelibus, vbi erat consuetudo communicandi sub vtraque specie, Eleemosynas etiam olim distribuebant pauperibus, necnon etiam Euangelium explanabant, ac publicè prædicabant.

Quid est Prædicatio?

Est ars quâ prædicator informat populum ad habendos bonos mores, & euitandum malos. *R. Lullus.*

Quomodo populum sic informabit?

Excitando potissimùm ad amorem finis vltimi, & mediorum quæ ad eum conducunt, prout traduntur in Theologiâ practica morali.

PARS SECUNDA EXAMINIS *Diaconorum; de Doctrinâ morali.*

Quis est vltimus finis hominis, propter quem creatus est?

Videre Deum facie ad faciem, cum eiusdem amore, & glorificatione æternâ.

Quibus nominibus vocatur hic finis?

Vocatur summum bonum, quia nullum aliud bonum homini melius est. Vocatur etiam beatitudo hominis, quia adepto hoc fine, verè beatus est.

Visio illa Dei sitne per oculum mentis an carnis?

Per oculum mentis solius, scilicet per intellectum confortatum lumine gloriæ ad eliciendam visionem hanc.

Quare Deus creauit hominem propter hunc finem?

Ad maiorem sui gloriam: quia homo videns Deum intuitiuè, & facie ad faciem totus rapitur in admirationem, in laudem, & glorificationem diuinarum perfectionum.

Visio illa Dei, estne tota hominis beatitudo?

Beatitudo hominis duplex est: vna animæ, altera corporis. Visio

Visio igitur illa, est tota beatitudo animæ, præter illam verò alia est beatitudo corporis.

Quæ est illa beatitudo corporis?

Concursus quatuor nobilissimarum qualitatum, quibus dotabitur corpus post resurrectionem.

Quæ illæ qualitates?

Impassibilitas quâ corpus reddetur expers omnis pœnæ & doloris, claritas quâ fulgebit sicut Sol, agilitas quâ mouebitur celerrimè pro beneplacito animæ,& subtilitas quâ poterit penetrare quæcumque alia corpora, non secus ac radius Solis pellucida corpora penetrat sine resistentiâ.

Quibus mediis assequuntur homines finem illum vltimum,propter quem creati sunt?

Alij solius Christi meritis vt infantes baptisati, alij insuper mediantibus bonis operibus, iuxta verba Christi Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Quod quidem fuit conueniens, vt homo per quemdam suum motum, assequeretur summam suam perfectionem. Hic autem motus continetur maximè in virtutum exercitio & in actionibus humanis quæ bonæ fuerint, laudabiles,& meritoriæ,

Quid est actio humana?

Actio libera ex pleno liberóque iudicio homini proficiscens.

An aliquod est discrimen inter actionem hominis & actionem humanam?

Ita est, si propriè loquendum sit. Dicitur enim actio hominis quæcumque actio, quocumque modo ab homine procedat, seu liberè, seu necessariò, seu cum aduertentiâ, seu sine aduertentiâ : At verò actio humana dicitur illa quæ procedit ab homine voluntariè & scienter agente.

Quid maximè considerandum in actione humanâ?

Duo, quæ sunt variæ eius species, & variæ eius principia, quorum aliqua sunt externa,vt leges,alia verò interna,vt gratia Dei & habitus virtutum tam Theologicarum quàm Cardinalium.

Quomodo diuidis actiones humanas?

Diuido tripliciter. Primò ratione principij in elicitas & imperatas. Secundò ratione subiecti in actiones homini cum Angelis communes, & actiones homini cum brutis communes, quales sunt passiones appetitus sensitiui. Tertiò ratione obiecti in actiones bonas & malas, vt sunt peccata.

Quid sunt actiones elicitæ & imperatæ?

Elicitæ sunt quæ immediatè emanant à voluntate : imperatæ

peratæ autem quæ emanant ab aliis potentiis, mediante imperio voluntatis.

Actiones autem elicitæ sex numerantur quarum tres versantur circa finem, tres circa media. Circa finem versantur volitio, intentio & fruitio, circa media consensus, electio & vsus.

Volitio est actio quâ voluntas versatur circa finem præcisè, vt est bonum amabile. Intentio quâ certis mediis finem vult prosequi. Fruitio quâ circa bonum iam adeptum versatur & in illo quodam modo vitali conquiescit. Consensus est actio quâ voluntas varia media ab intellectu proposita ad fidem assequendum approbat. Electio quâ vnum ex illis vel plura approbat. Vsus quâ medium applicat, & eo vtitur ad finem adipiscendum.

Quæ communes Angelis & hominibus?

Intelligere spiritualia & ea desiderare.

Quæ sunt actiones communes brutis & hominibus?

Vndecim passiones appetitus sensitiui quibus appetitus amat bonum vt sibi commodum, & fugit malum vt sibi incommodum. Quorum sex resident in appetitu concupiscibili, qui fertur in bonum appetendum vel malum fugiendum, abstrahendo à difficultate in illo consequendo, & in hoc vitando. Quinque verò in appetitu irascibili qui fertur in bonum, vt est difficile ad assequendum, & contra malum vt est difficile ad euitandum.

Vndecim passiones sunt; Amor, Desiderium, Gaudium, Odium, Fuga, Tristitia, Spes Desperatio, Timor, Audacia, Ira.

Quid sunt actiones bonæ moraliter?

Illæ quæ nullâ carent debitâ perfectione quam homo ratione & voluntate vtens debeat adhibere circa hanc & illam materiam, & ex hypotesi quod agat, sed sunt prorsus rectæ rationi conformes.

Malæ verò actiones dicuntur quæ carent aliquâ perfectione debitâ, & sunt rectæ rationi difformes.

Quotuplex bonitas in actione morali?

Duplex: vna essentialis quæ sumitur ex obiecto quod rectæ rationi conforme est: altera accidentalis quæ sumitur ex circumstantiis vt circumstantiæ sunt materialiter, & accidentia actionum.

Omnis actio moralis estne bona vel mala?

Probabilius est dari quasdam actiones singulares, quæ sint indifferentes, nec bonæ, nec malæ. Vt tollere festucam à terrâ.

Quæ

Quæ sunt regulæ actionis bonæ?

Recta ratio, conformitas ad voluntatem diuinam, & conuenientia cum lege diuina & humana.

Differuntne inter se malum, vitium & peccatum?

Differunt, quòd malum sit defectus alicuius perfectionis debitæ, nihil vltra addendo. Vitium est habitus malus seu facilitas & propensio ad malum, ex consuetudine malè agendi orta. Peccatum verò moris, de quò hic agitur est defectus voluntarius perfectionis debitæ quo homo deficiat à lege modum determinante ad assequendum finem vltimum beatitudinis. Seu vt definit D. Ambrosius *de Paradiso, c.* 8. Est diuinæ legis transgressio ac cœlestium inobedientia mandatorum.

Illustra aliquibus exemplis quæ in medium profers.

Motus inuoluntarius iræ, vel concupiscentiæ est malum, quia est defectus subiectionis appetitus inferioris ad rationem, qui defectus debebatur homini, si Adam non peccasset. Facilitas quam detractor habet ad infamandos proximos, est vitium. Transgressio verò legis diuinæ, & mendacium est peccatum, quia per illud deficit homo à veritate per quam debet peruenire ad finem vltimum.

Quæ sunt celebriores peccati diuisiones.

1. Peccatum aliud originale quod est priuatio subiectionis habitualis, & perfectæ ad Deum, ex Adami præuaricatione orta. Peccatum verò personale est, quod propria voluntate committitur.

2. Peccatum aliud cordis, aliud oris, aliud operis.

3. Peccatum aliud commissionis quo positiuè aliquid committitur contra legem diuinam, vt blasphemia, furtum. Aliud omissionis quo omittitur, & non fit, quod præceptum est, vt omissio sanctificationis festi.

4. Peccatum aliud infirmitatis quod fit ex animo perturbato, & ex vehementi passione. Aliud ignorantiæ quod fit à nesciente qui deberet scire. Et aliud malitiæ quod fit ab eo qui nec ignorans, nec vehementiori passionis motu concitatus est.

5. Peccatum aliud actuale, quod est ipsa actio mala contra legem Dei. Quia verò illa actio protinus transit, & tamen manet in peccatore aliquid quod multò post actionem malam, tolli dicitur per pœnitentiam, ideò admittendum est peccatum habituale manens per modum habitûs post actionem malam. Atque si actio mala sit mortaliter, relinquitur post illam peccatum habituale mortale, quod definiri potest, priuatio charitatis & gratiæ sanctificantis post actionem malam relicta. Si verò actio sit tantum venialiter mala, relinquitur

tur peccatum habituale veniale,estque priuatio habilitatis ad feruens exercitium charitatis,& amicitiæ cum Deo.

Differt autem peccatum habituale à vitio, quòd vitium dicat per se propensionem quamdam & facilitatem ad peccandum, cùm sit habitus malus positiuus: at verò peccatum habituale, est mera priuatio gratiæ sanctificantis, nec per se includit hanc propensionem ad peccandum. Deindè peccatum habituale deletur per pœnitentiam & Baptismum; non verò vitium, quòd remanet donec per multos actus contrarios destruatur.

6. Peccatum diuiditur in mortale & veniale. Illud est quòd ita offendit Deum propter suam grauitatem, vt priuet hominem gratiâ Dei, quæ est vita animæ. Hoc verò est, quòd ita offendit Deum,vt non quidem penitùs alienet Deum ab homine, & destruat gratiam & charitatem in homine, sed tamen remoretur frequens exercitium charitatis ac eius feruorem destruat.

Est autem feruor charitatis secundùm aliquos frequens exercitium charitatis. Secundum alios & meliùs, est quædam teneritudo diuini amoris, quâ ita charè & intimè Deum diligit anima, vt ne quidem in re leuissima vellet ei displicere.

Dicitur autem istud peccatum veniale, quòd cùm anima retineat adhuc radicem & principium amicitiæ Dei, scilicet charitatem & gratiam sanctificantem, facile potest veniam à Deo obtinere,omnemque iacturam spiritualem resarcire.

Non priuat autem gloria æterna peccatum veniale,sed tantùm eius possessionem remoratur post mortem. Ratio est,quia non opponitur perfectioni, quæ sit simpliciter necessaria ad acquirendam gloriam, vt opponitur peccatum mortale, sed tantùm opponitur perfectioni, quæ est necessaria vt gloria sine dilatione obtineatur post hanc vitam.

7. Peccatum diuiditur in capitale & non capitale;illud est septuplex iuxta illum versum.

Dat septem vitia dictio saligia:

Superbia, Auaritia, Luxuria, Ira, Gula, Inuidia, Acedia. Dicuntur autem capitalia, non quòd sint mortalia;sæpe enim in eis venialiter tantum peccatur, sed quòd plura alia peccata sub se contineant,vt caput plura membra, vel quòd sint radices plurium aliorum peccatorum : vnde singula illa peccata habent suas filias, per quas intelliguntur quædam peccata, quæ ex iis gigni solent : sic inter filias auaritiæ numerantur obduratio cordis,inquietudo, fraus, fallacia, periurium,violentia, proditio. Et inter filias Luxuriæ numerantur cæcitas

mentis

mentis, præcipitatio, inconſideratio, inconſtantia, amor ſui, odium Dei, amor huius mundi, horror futuri ſæculi, & ſic de aliis.

Qui ſunt præcipui peccati effectus?

Duo: ſcilicet macula & reatus. Cùm enim omne peccatum ſit priuatio perfectionis debitæ, hæc autem perfectio metaphoricè ſit quidam nitor animæ quo peccando priuatur anima, ideò ex peccato naſcitur macula in anima, quæ ita definiri poteſt. Macula eſt priuatio nitoris animæ, propter priuationem perfectionis, quam aufert peccatum. *Macula & reatus.*

Reatus verò eſt debitum & obligatio ad pœnam ſubeundam, quam Deus peccato conſtituit.

An ſublatâ maculâ remittatur pœna peccati?

Reſpondeo ablatâ maculâ peccati, non ſemper tolli totam pœnam, ſed remanere, remiſſa culpa, obligationem ad aliquam pœnam, non quidem æternam, ſed temporalem longiorem vel breuiorem, prout Deus conſtituerit.

Proba hoc.

Probo exemplo Adami, cui remiſſa fuit culpa, cùm tamen remanſerit hæc pœna Geneſ. 3. *Maledicta terra in opere tuo* Probo etiam ex 2. Regum 12. exemplo Dauid Regis, cui Nathan Propheta dixit. *Tranſtulit quoquè Dominus peccatum tuum, veruntamen filius qui natus eſt tibi, morietur.* En pœna poſt remiſſam culpam.

Quæ ſunt principia externa actionum humanarum?

Leges & præcepta ſuperiorum. Leges ſunt regulæ communitati præſcriptæ, Præcepta verò particularibus tantùm dantur.

Quid eſt lex?

Eſt decretum rectum ab eo qui curam habet communitatis ſufficienter conſtitutum propter commune bonum & neceſſitans ad ſui obſeruationem.

Lex quotuplex?

Duplex: diuina, & humana: Diuina rurſus duplex: naturalis & poſitiua: lex diuina naturalis eſt naturale rationis iudicium, & dictamen, quo per lumen nobis impreſſum naturaliter cognoſcimus euidenter recta eſſe facienda; turpia autem & rationi diſcongrua eſſe vitanda.

Lex diuina poſitiua eſt decretum Dei, hominibus præſcribens modum neceſſarium, vt aptè peruenire poſſint ad beatitudinem ſupernaturalem. Quæ lex diuiditur in veterem latam per Moyſem, & in nouam quæ lata eſt per Chriſtum.

Lex humana eſt rectum rationis decretum per rationem aliquam

aliquam probabilem ab habente publicam authoritatem sancitum, præscribens aliquid à subditis necessariò seruandum conueniensque legi naturali.

Lex humana alia sæcularis quæ fertur à sæculari potestate ad finem naturalem, puta tranquillitatem Reipublicæ. Alia Ecclesiastica, seu Canonica, quæ fertur ab habente potestatem spiritualem ad finem supernaturalem beatitudinis consequendum.

Lex humana quosnam obligat?

Omnes obligat potestati Legislatoris subditos, quos intendit obligare Legislator. Ad Rom.c.13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.*

Quandonam obligat lex humana?

Quando promulgata est sufficienter; cognita & acceptata à subditis, ita vt maior pars communitatis acceptauerit.

Obligatne etiam sub pœna peccati?

Omnino. *Qui potestati resistit*, inquit Apostolus, *Dei ordinationi resistit?* ad Rom.13.

Quoniam modo quis eximitur ab obligatione legis humanæ?

Primò per priuilegium, si quis ex intentione Legislatoris, in lege non fuerit inclusus. Secundò per dispensationem, quâ quis legi obligatus, eximitur ab eius obseruatione per eum qui potestatem habet. Tertiò per Epicheiam, & interpretationem legis, quæ iudicatur in aliquo casu particulari non obligare, quia non potuit Legislator omnes casus comprehendere, & præsagire, nec voluit in omnibus obligare. Quartò per contrariam consuetudinem, quæ introducta est, videntibus Legislatoribus, nec contradicentibus efficaciter. Quintò per legis abrogationem ab habente potestatem.

Quæ sunt principia interna actionum humanarum?

Gratia & virtutes Theologicæ, & Cardinales.

Quid est gratia?

Est donum dilectionis diuinæ supernaturalis, nobis infusum gratuitò ad assequendum beatitudinem.

Dicitur nobis infusum, vt distinguatur à gratiis non inhærentibus, vt sunt Incarnatio, & Sacramenta, quæ sunt gratiæ Diuinæ; si nomen gratiæ latiùs sumatur, sed non sunt gratiæ, strictè loquendo.

Quomodo diuiditur gratia?

Primò diuiditur in gratiam gratis datam, & gratiam gratum facientem.

Gratia gratis data est gratia, quæ ex sola Dei voluntate

&

& extraordinariè, datur quibusdam hominibus ad aliorum vtilitatem,& beatitudinem procurandam.

Hæ gratiæ nouem numerantur ab Apostolo, 1. Cor. 12. *Alij per spiritum datur sermo sapientiæ: Alij sermo scientiæ secundum eumdem spiritum: alteri fides eodem spiritu: alij gratia sanitatum: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij discretio spirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio sermonum?*

Quare hæ gratiæ dicuntur gratis datæ?

Quia dantur ita hominibus ex mero Dei beneplacito, vt nullum sit medium à Deo institutum ad eas obtinendas, vt est institutum ad acquirendam potestatem Sacerdotij, & ad obtinendas multas gratias gratum facientes.

Quid est gratia gratum faciens?

Est gratia quæ datur hominibus ad propriam beatitudinem consequendam.

Hæc gratia diuiditur in actualem & habitualem, quæ complectitur gratiam sanctificantem, seu iustificantem, & virtutes quæ cum eâ infunduntur in iustificatione.

Quid est gratia actualis?

Est motus aliquis in anima diuinitùs excitatus vt inuitetur ad actiones virtutum.

Quis ille motus, & vbi recipitur?

Partim in intellectu, partim in voluntate, & in intellectu quidem dicitur illuminatio, seu pia aliqua cogitatio: in voluntate verò dicitur inspiratio, seu pia motio, aut affectio voluntatis ad bonum.

Quomodo diuiditur gratia actualis?

In gratiam per quam Deus mouet hominem ad aliquod bonum non perfectum. Id est non sufficiens ad iustificandam animam immediatè, vt cum mouetur homo ad audiendam concionem, ad meditandum de inferno, &c. Et in gratiam quæ statim & immediatè mouet ad bonum perfectum. Vt est actus charitatis & contritionis, qui inducit iustificationem in anima quæ illi non resistit. D. Thom. 1. 2. q. 112. art. 2.

Quibus nominibus gratiæ istæ actuales vocantur?

Vocantur præuenientes in quantum præueniunt hominem qui forsan est auersus à Deo. Vocantur gratiæ vocantes & excitantes in quantum excitant hominem: vocantur subsequentes in quantum vna datur aliquando post aliam: vocantur etiam sufficientes, vel mediatè, vel immediatè. Nam cum excitant ad bonum imperfectum, sunt tantum mediatè sufficientes, ad iustificationem scilicet: cum verò ad bonum perfectum excitant, sunt immediatè sufficientes.

Qua iterum diuisio gratia sufficient is ?

In non efficacem, cum accidit, vt voluntas ei resistat: & efficacem cum voluntas obedit & id amplectitur id ad quod mouetur.

Post gratiam sufficientem & efficacem requiriturne ad hoc aliqua gratia ?

Respondetur adhuc requiri concursum Dei generalem supernaturalem, sicut requiritur concursus ille generalis in omni actione hominis. Qui concursus generalis supernaturalis dici potest gratia concomitans, aut coopetans, aut aliis nominibus affici. Præter illud nihil requiritur, cum gratia illa sufficiens est ad bonum perfectum.

Vnde post illam gratiam si peccator non iustificatur, de illo conqueritur Deus Prouerb. 1. *Vocaui & renuistis, extendi manum meam & non fuit qui adspiceret*, quia stat per peccatorem ne gratiam iustificantem recipiat.

Attamen talis gratia non est efficax ?

Respondeo esse efficacem in actu primo & in potentia proxima, licet non sit efficax in actu secundo, id est de facto non habet effectum iustificandi.

Vnde hoc prouenit quod de facto non sit efficax ?

Quia non est congrua & contemperata homini cum ei datur, idcirco illi resistit, nec se determinat liberè, vt posset ad eliciendum actum ad quem allicit.

Nunquid ergo excusabit se peccator dicendo se non habuisse sufficientem gratiam qua esset congrua ?

Respondeo se tenere ex parte hominis quod gratia hæc non sit illi congrua & contemperata, quia scilicet à tali consortio non se abstinet, aut à tali cibo, aut potu, aut tali exercitio, aut officio periculoso & aliis huiusmodi, vt posset, vnde culpa in eum recidit cum gratiæ sufficienti non obtemperat.

Estne talis gratia actualis necessaria homini ?

Omnino necessaria tum ad intelligendum articulos supernaturales fidei, tum ad facienda omnia Dei præcepta, idque propter infirmitatem naturæ humanæ post peccatum originale ac varias tentationes & difficultates huius vitæ.

Nunquid multa bona opera non superant vires hominis, quare ergo gratia erit necessaria ?

Respondeo quod gratia adhuc est necessaria ad ista opera vt sint opera *vt oportet.*

Quid est opus vt oportet ?

Est opus tale quod sit idoneum & aptum vt possit inseruire homini ad consequendam iustificationem, aut merendam

dam gloriam æternam : nullum enim aliud opus ad hoc à Deo acceptatur, quam illud quod producitur ex motione gratiæ.

Vnde hoc ?

Ex Ordinatione Dei : sic Deo placuit, iuxta illud Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Et hoc maximè considerandum est.

Daturne maior gratia sufficiens in vno, quàm in altero ?

Omnino : est enim illa gratia magna, maior, maxima : seu specialis, specialior, & specialissima. Vnde sunt tria incitamentorum genera, quædam Ordinaria, & omnibus ratione vtentibus communia, quibus facile resistitur, & vocantur auxilium speciale sufficiens : vt quis conuertatur; quædam sunt extraordinaria, quibus raro, & difficile resistitur, vocanturque auxilium magis speciale : quædam adhuc magis extraordinaria, quibus insuperabiliter, & infallibiliter mouetur voluntas humana, & hæc vocantur auxilium specialissimum, quale fuit in anima Christi, beatissimæ Virginis, & quorumdam Sanctorum insignium quos Deus eximie prædilexit.

Daturne omnibus gratia sufficiens, saltem secundum aliquem ex his gradibus ad vitanda peccata, & præcepta Dei seruanda ?

Datur omnibus adultis ratione vtentibus, pius aliquis motus interior, quo excitentur ad bonum salutis æternæ consequendum, ad vitanda peccata, & præcepta Dei gradatim seruanda, primò præcepta naturalia, deinde præcepta fidei, & Sacramentorum.

Isaiæ 49. *Dixit Sion, oblitus est mei Dominus, & Dominus oblitus est mei ? Nunquid obliuisci poterit mulier infantem suum, vt non misereatur filij vteri sui ? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Ioan. 1. *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* 1. ad Timot. 2. *qui vult omnes homines saluos fieri.* Apoc. 3. *ego sto ad ostium & pulso,* & pluria alia loca in scripturis passim id denotant.

Qui consentit primo motui gratiæ, semperne iustificatur ?

Si primus ille motus sit tantùm ad dispositionem remotam gratiæ sanctificantis, non ex consensu, statim iustificaretur. Si verò primus ille motus excitet ad dispositionem proximam iustificationis, vt est contritio perfecta, statim iustificatur qui consentit.

Non sufficit ergo primus motus ad iustificationem consequendam ?

Vel sufficit ad iustificationem consequendam, vel ad habenda cætera quæ requiruntur ad iustificationem ipsam, &

in hoc tantum ſenſu vocatur ſufficiens.

Quid eſt conſentire gratiæ Dei?

Id agere liberè ad quod nos incitat, ſcilicet timere Deum, peccatum odio proſequi, pœnitentiam agere, Deum amare, virtutes amplecti.

Quid eſt gratia efficax?

Eſt ipſamet gratia ſufficiens, quatenus eſt victrix liberi conſenſûs, & importat actionem, quæ ſit vltima diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem.

Poſſeſne probare aliquam gratiam ſufficientem eſſe efficacem?

Hoc videtur manifeſtum in D. Paulo, cùm dixit illi Dominus, 2. Cor. 12. *ſufficit tibi gratia mea*, id eſt gratia mea eſt tibi ſufficiens ad vincendas tentationes, & tamen ipſamet talis gratia in D. Paulo erat gratia efficax.

Ad quid gratia dicitur efficax?

Ad declinandum à malo per victoriam tentationum, & ad faciendum bonum, ſcilicet ad obediendum Deo in omnibus præceptis fidei, morum, Sacramentorum. Aliquando etiam ad ſequenda conſilia perfectionis. Aliquando verò eſt tantùm efficax ad aliquos actus imperfectos, qui tantum remotè diſponunt animam ad iuſtificationem, vt Attritio extra Sacramentum; ſed tunc non niſi lato modo, & impropriè gratia eſt efficax.

Quid eſt gratia habitualis iuſtificans?

Eſt qualitas à Deo infuſa quâ delentur peccata, & anima grata Deo efficitur, & acceptatur ad vitam æternam.

Quotuplex gratia habitualis?

Duplex, prima & ſecunda: prima eſt quæ datur illam non habenti, vt cùm peccator, pœnitet de peccato, & recipit gratiam quâ peccatum deletur. Secunda eſt quæ datur iam habenti gratiam vt augeatur. Ideóque gratia prima, eſt velut initium gratiæ, ſecunda eſt eius augmentum.

Diſtinguiturne à Charitate?

Diſputant ea de re Theologi. Probabilius autem eſt diſtingui; gratia enim confert velut quoddam eſſe nouum, & ſupernaturale animæ, quo redditur mirabiliter pulchra coram Deo & Angelis; Charitas verò & aliæ virtutes infuſæ dant illi operandi virtutem.

Effectus gratiæ. *Qui effectus præcipui gratiæ iuſtificantis?*

Iuſtificatio ſeu deletio peccatorum, & meritum.

Quid eſt iuſtificatio?

Tranſitus à peccato, ad ſtatum gratiæ.

Quid

Quid si dubium sit an reuelatio diuina sit talis?

Respondeo in casu in quo est dubium an verè sit reuelatio diuina; opus esse aliquo iudice qui controuersiam definiat, cum aliter non esset satis prouisum hominibus, vt in rebus fidei certi essent.

Quis ille Iudex in controuersiis de fide?

Est Ecclesia quæ est tanquam Organum locutionis Spiritus Sancti, per quam declarat quid sit verè reuelatum tanquam obiectum materiale fidei.

Numquid scriptura sacra est Iudex controuersiarum fidei?

Respondeo non esse Iudicem propter has rationes. 1. Quia scriptura sæpe nihil dicit de rebus in fide controuersis, vt patet si esset controuersia num aliquis liber esset canonicus & à Spiritu Sancto dictatus. 2. Quia Iudex debet audire partes contendentes inter se ad finiendum lites quas habent inter se: at scriptura est surda & nullum audit. 3. Quia Iudex examinatis prius testimoniis & variis instrumentis de ipsa lite debet pronunciare clarè & modo intelligibili super articulis controuersis: & hoc non conuenit scripturæ; sed magis Ecclesiæ ac potissimum in concilio generali.

Quid si Ecclesia erraret?

Respondeo Ecclesiam esse infallibilem in rebus fidei definiendis ob peculiarem Spiritus Sancti assistentiam qua fulta est, vnde vocatur Ab apostolo *columna & firmamentum veritatis*, & D. Hieronymus in fine dialogi contra Luciferianos. *Poteram omnes propositionum riuulos vno Ecclesiæ fonte siccare, in illa Ecclesia est permanendum quæ ab Apostolis fundata vsque ad hanc diem durat.*

Quid si ergo aliquis nolit credere Ecclesiæ?

Respondet Christus Mat. 18. *sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus* id est, tanquam infidelis & publicus peccator, à regno Dei alienus.

Quid est Ecclesia?

Congregatio hominum baptisatorum eamdem fidem profitentium & iisdem Sacramentis vtentium sub vno Pastore summo visibili, qui est Pontifex Romanus.

Quare in Ecclesiâ est vnus Pontifex supremus & super alios Pastores?

Quia Christus cum esset sapientissimus, fundauit Ecclesiam in regimine omnium optimo, quale est regimen monarchicum, in quo vnus regit ad tollendam omnem diuisionem. Vnde vt in Synagoga Iudæorum vnus erat summus Pontifex,

peratæ autem quæ emanant ab aliis potentiis, mediante imperio voluntatis.

Actiones autem elicitæ sex numerantur quarum tres versantur circa finem, tres circa media. Circa finem versantur volitio, intentio & fruitio, circa media consensus, electio & vsus.

Volitio est actio quâ voluntas versatur circa finem præcisè, vt est bonum amabile. Intentio quâ certis mediis finem vult prosequi. Fruitio quâ circa bonum iam adeptum versatur & in illo quodam modo vitali conquiescit. Consensus est actio quâ voluntas varia media ab intellectu proposita ad fidem assequendum approbat. Electio quâ vnum ex illis vel plura approbat. Vsus quâ medium applicat, & eo vtitur ad finem adipiscendum.

Quæ communes Angelis & hominibus?

Intelligere spiritualia & ea desiderare.

Quæ sunt actiones communes brutis & hominibus?

Vndecim passiones appetitus sensitiui quibus appetitus amat bonum vt sibi commodum, & fugit malum vt sibi incommodum. Quorum sex resident in appetitu concupiscibili, qui fertur in bonum appetendum vel malum fugiendum, abstrahendo à difficultate in illo consequendo, & in hoc vitando. Quinque verò in appetitu irascibili qui fertur in bonum, vt est difficile ad assequendum, & contra malum vt est difficile ad euitandum.

Vndecim passiones sunt; Amor, Desiderium, Gaudium, Odium, Fuga, Tristitia, Spes Desperatio, Timor, Audacia, Ira.

Quid sunt actiones bonæ moraliter?

Illæ quæ nullâ carent debitâ perfectione quam homo ratione & voluntate vtens debeat adhibere circa hanc & illam materiam, & ex hypotesi quod agat, sed sunt prorsus rectæ rationi conformes.

Malæ verò actiones dicuntur quæ carent aliquâ perfectione debitâ, & sunt rectæ rationi difformes.

Quotuplex bonitas in actione morali?

Duplex: vna essentialis quæ sumitur ex obiecto quod rectæ rationi conforme est: altera accidentalis quæ sumitur ex circumstantiis vt circumstantiæ sunt materialiter, & accidentia actionum.

Omnis actio moralis estne bona vel mala.?

Probabilius est dari quasdam actiones singulares, quæ sint indifferentes, nec bonæ, nec malæ. Vt tollere festucam à terrâ.

Quæ

Quæ sunt regulæ actionis bonæ?

Recta ratio, conformitas ad voluntatem diuinam, & conuenientia cum lege diuina & humana.

Differuntne inter se malum, vitium & peccatum?

Differunt, quòd malum sit defectus alicuius perfectionis debitæ, nihil vltra addendo. Vitium est habitus malus seu facilitas & propensio ad malum, ex consuetudine malè agendi orta. Peccatum verò moris, de quò hic agitur est defectus voluntarius perfectionis debitæ quo homo deficiat à lege modum determinante ad assequendum finem vltimum beatitudinis. Seu vt definit D. Ambrosius *de Paradiso, c.* 8. Est diuinæ legis transgressio ac cœlestium inobedientia mandatorum.

Illustra aliquibus exemplis quæ in medium profers.

Motus inuoluntarius iræ, vel concupiscentiæ est malum, quia est defectus subiectionis appetitus inferioris ad rationem, qui defectus debebatur homini, si Adam non peccasset. Facilitas quam detractor habet ad infamandos proximos, est vitium. Transgressio verò legis diuinæ, & mendacium est peccatum, quia per illud deficit homo à veritate per quam debet peruenire ad finem vltimum.

Quæ sunt celebriores peccati diuisiones.

1. Peccatum aliud originale quod est priuatio subiectionis habitualis, & perfectæ ad Deum, ex Adami præuaricatione orta. Peccatum verò personale est, quod propria voluntate committitur.

2. Peccatum aliud cordis, aliud oris, aliud operis.

3. Peccatum aliud commissionis quo positiuè aliquid committitur contra legem diuinam, vt blasphemia, furtum. Aliud omissionis quo omittitur, & non fit, quod præceptum est, vt omissio sanctificationis festi.

4. Peccatum aliud infirmitatis quod fit ex animo perturbato, & ex vehementi passione. Aliud ignorantiæ quod fit à nesciente qui deberet scire. Et aliud malitiæ quod fit ab eo qui nec ignorans, nec vehementiori passionis motu concitatus est.

5. Peccatum aliud actuale, quod est ipsa actio mala contra legem Dei. Quia verò illa actio protinus transit, & tamen manet in peccatore aliquid quod multò post actionem malam, tolli dicitur per pœnitentiam, ideò admittendum est peccatum habituale manens per modum habitûs post actionem malam. Atque si actio mala sit mortaliter, relinquitur post illam peccatum habituale mortale, quod definiri potest, priuatio charitatis & gratiæ sanctificantis post actionem malam relicta. Si verò actio sit tantum venialiter mala, relinquitur

tur peccatum habituale veniale,estque priuatio habilitatis ad feruens exercitium charitatis,& amicitiæ cum Deo.

Differt autem peccatum habituale à vitio, quòd vitium dicat per se propensionem quamdam & facilitatem ad peccandum, cùm sit habitus malus positiuus : at verò peccatum habituale, est mera priuatio gratiæ sanctificantis, nec per se includit hanc propensionem ad peccandum. Deindè peccatum habituale deletur per pœnitentiam & Baptismum; non verò vitium, quòd remanet donec per multos actus contrarios destruatur.

6. Peccatum diuiditur in mortale & veniale. Illud est quòd ita offendit Deum propter suam grauitatem, vt priuet hominem gratiâ Dei, quæ est vita animæ. Hoc verò est, quòd ita offendit Deum,vt non quidem penitùs alienet Deum ab homine, & destruat gratiam & charitatem in homine, sed tamen remoretur frequens exercitium charitatis ac eius feruorem destruat.

Est autem feruor charitatis secundùm aliquos frequens exercitium charitatis. Secundum alios & meliùs, est quædam teneritudo diuini amoris, quâ ita charè & intimè Deum diligit anima, vt ne quidem in re leuissima vellet ei displicere.

Dicitur autem istud peccatum veniale, quòd cùm anima retineat adhuc radicem & principium amicitiæ Dei, scilicet charitatem & gratiam sanctificantem, facile potest veniam à Deo obtinere,omnemque iacturam spiritualem resarcire.

Non priuat autem gloria æterna peccatum veniale,sed tantùm eius possessionem remoratur post mortem. Ratio est,quia non opponitur perfectioni, quæ sit simpliciter necessaria ad acquirendam gloriam, vt opponitur peccatum mortale, sed tantùm opponitur perfectioni, quæ est necessaria vt gloria sine dilatione obtineatur post hanc vitam.

7. Peccatum diuiditur in capitale & non capitale;illud est septuplex iuxta illum versum.

Dat septem vitia dictio saligia :

Superbia, Auaritia, Luxuria, Ira, Gula, Inuidia, Acedia. Dicuntur autem capitalia, non quòd sint mortalia;sæpe enim in eis venialiter tantum peccatur, sed quòd plura alia peccata sub se contineant,vt caput plura membra, vel quòd sint radices plurium aliorum peccatorum : vnde singula illa peccata habent suas filias, per quas intelliguntur quædam peccata, quæ ex iis gigni solent : sic inter filias auaritiæ numerantur obduratio cordis, inquietudo, fraus, fallacia, periurium, violentia, proditio. Et inter filias Luxuriæ numerantur cæcitas

mentis, præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, amor sui, odium Dei, amor huius mundi, horror futuri sæculi, & sic de aliis.

Qui sunt præcipui peccati effectus?

Duo: scilicet macula & reatus. Cùm enim omne peccatum sit priuatio perfectionis debitæ, hæc autem perfectio metaphoricè sit quidam nitor animæ quo peccando priuatur anima, ideò ex peccato nascitur macula in anima, quæ ita definiri potest. Macula est priuatio nitoris animæ, propter priuationem perfectionis, quam aufert peccatum. *Macula & reatus.*

Reatus verò est debitum & obligatio ad pœnam subeundam, quam Deus peccato constituit.

An sublatâ maculâ remittatur pœna peccati?

Respondeo ablatâ maculâ peccati, non semper tolli totam pœnam, sed remanere, remissa culpa, obligationem ad aliquam pœnam, non quidem æternam, sed temporalem longiorem vel breuiorem, prvt Deus constituerit.

Proba hoc.

Probo exemplo Adami, cui remissa fuit culpa, cùm tamen remanserit hæc pœna Genes. 3. *Maledicta terra in opere tuo* Probo etiam ex 2. Regum 12. exemplo Dauid Regis, cui Nathan Propheta dixit. *Transtulit quoquè Dominus peccatum tuum, veruntamen filius qui natus est tibi, morietur.* En pœna post remissam culpam.

Quæ sunt principia externa actionum humanarum?

Leges & præcepta superiorum. Leges sunt regulæ communitati præscriptæ, Præcepta verò particularibus tantùm dantur.

Quid est lex?

Est decretum rectum ab eo qui curam habet communitatis sufficienter constitutum propter commune bonum & necessitans ad sui obseruationem.

Lex quotuplex?

Duplex: diuina, & humana: Diuina rursus duplex: naturalis & positiua: lex diuina naturalis est naturale rationis iudicium, & dictamen, quo per lumen nobis impressum naturaliter cognoscimus euidenter recta esse facienda; turpia autem & rationi discongrua esse vitanda.

Lex diuina positiua est decretum Dei, hominibus præscribens modum necessarium, vt aptè peruenire possint ad beatitudinem supernaturalem. Quæ lex diuiditur in veterem latam per Moysem, & in nouam quæ lata est per Christum.

Lex humana est rectum rationis decretum per rationem aliquam

aliquam probabilem ab habente publicam authoritatem sancitum, præscribens aliquid à subditis necessariò seruandum conuenienſque legi naturali.

Lex humana alia ſæcularis quæ fertur à ſæculari poteſtate ad finem naturalem, puta tranquillitatem Reipublicæ. Alia Eccleſiaſtica, ſeu Canonica, quæ fertur ab habente poteſtatem ſpiritualem ad finem ſupernaturalem beatitudinis conſequendum.

Lex humana quoſnam obligat?

Omnes obligat poteſtati Legiſlatoris ſubditos, quos intendit obligare Legiſlator. Ad Rom. c. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.*

Quandonam obligat lex humana?

Quando promulgata eſt ſufficienter; cognita & acceptata à ſubditis, ita vt maior pars communitatis acceptauerit.

Obligatne etiam ſub pœna peccati?

Omnino. *Qui poteſtati reſiſtit*, inquit Apoſtolus, *Dei ordinationi reſiſtit?* ad Rom. 13.

Quoniam modo quis eximitur ab obligatione legis humanæ?

Primò per priuilegium, ſi quis ex intentione Legiſlatoris, in lege non fuerit incluſus. Secundò per diſpenſationem, quâ quis legi obligatus, eximitur ab eius obſeruatione per eum qui poteſtatem habet. Tertiò per Epicheiam, & interpretationem legis, quæ iudicatur in aliquo caſu particulari non obligare, quia non potuit Legiſlator omnes caſus comprehendere, & præſagire, nec voluit in omnibus obligare. Quartò per contrariam conſuetudinem, quæ introducta eſt, videntibus Legiſlatoribus, nec contradicentibus efficaciter. Quintò per legis abrogationem ab habente poteſtatem.

Quæ ſunt principia interna actionum humanarum?

Gratia & virtutes Theologicæ, & Cardinales.

Quid eſt gratia?

Eſt donum dilectionis diuinæ ſupernaturalis, nobis infuſum gratuitò ad aſſequendum beatitudinem.

Dicitur nobis infuſum, vt diſtinguatur à gratiis non inhærentibus, vt ſunt Incarnatio, & Sacramenta, quæ ſunt gratiæ Diuinæ; ſi nomen gratiæ latiùs ſumatur, ſed non ſunt gratiæ, ſtrictè loquendo.

Quomodo diuiditur gratia?

Primò diuiditur in gratiam gratis datam, & gratiam gratum facientem.

Gratia gratis data eſt gratia, quæ ex ſola Dei voluntate

&

& extraordinariè, datur quibusdam hominibus ad aliorum vtilitatem,& beatitudinem procurandam.

Hæ gratiæ nouem numerantur ab Apostolo, 1. Cor. 12. *Alij per spiritum datur sermo sapientiæ: Alij sermo scientiæ secundum eumdem spiritum: alteri fides eodem spiritu: alij gratia sanitatum: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij discretio spirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio sermonum?*

Quare hæ gratiæ dicuntur gratis datæ?

Quia dantur ita hominibus ex mero Dei beneplacito, vt nullum sit medium à Deo institutum ad eas obtinendas, vt est institutum ad acquirendam potestatem Sacerdotij, & ad obtinendas multas gratias gratum facientes.

Quid est gratia gratum faciens?

Est gratia quæ datur hominibus ad propriam beatitudinem consequendam.

Hæc gratia diuiditur in actualem & habitualem, quæ complectitur gratiam sanctificantem, seu iustificantem, & virtutes quæ cum eâ infunduntur in iustificatione.

Quid est gratia actualis?

Est motus aliquis in anima diuinitùs excitatus vt inuitetur ad actiones virtutum.

Quis ille motus, & vbi recipitur?

Partim in intellectu, partim in voluntate, & in intellectu quidem dicitur illuminatio, seu pia aliqua cogitatio: in voluntate verò dicitur inspiratio,seu pia motio, aut affectio voluntatis ad bonum.

Quomodo diuiditur gratia actualis?

In gratiam per quam Deus mouet hominem ad aliquod bonum non perfectum. Id est non sufficiens ad iustificandam animam immediatè, vt cum mouetur homo ad audiendam concionem, ad meditandum de inferno, &c. Et in gratiam quæ statim & immediatè mouet ad bonum perfectum. Vt est actus charitatis & contritionis, qui inducit iustificationem in anima quæ illi non resistit. D. Thom. 1. 2. q. 112. art. 2.

Quibus nominibus gratiæ istæ actuales vocantur?

Vocantur præuenientes in quantum præueniunt hominem qui forsan est auersus à Deo. Vocantur gratiæ vocantes & excitantes in quantum excitant hominem: vocantur subsequentes in quantum vna datur aliquando post aliam: vocantur etiam sufficientes, vel mediatè,vel immediatè. Nam cum excitant ad bonum imperfectum, sunt tantum mediatè sufficientes, ad iustificationem scilicet: cum verò ad bonum perfectum excitant,sunt immediatè sufficientes.

Quæ iterum diuisio gratiæ sufficient is?

In non efficacem, cum accidit, vt voluntas ei resistat: & efficacem cum voluntas obedit & id amplectitur id ad quod mouetur.

Post gratiam sufficientem & efficacem requiriturne ad hoc aliqua gratia?

Respondetur adhuc requiri concursum Dei generalem supernaturalem, sicut requiritur concursus ille generalis in omni actione hominis. Qui concursus generalis supernaturalis dici potest gratia concomitans, aut cooperans, aut aliis nominibus affici. Præter illud nihil requiritur, cum gratia illa sufficiens est ad bonum perfectum.

Vnde post illam gratiam si peccator non iustificatur, de illo conqueritur Deus Prouerb. 1. *Vocaui & renuistis, extendi manum meam & non fuit qui adspiceret*, quia stat per peccatorem ne gratiam iustificantem recipiat.

Attamen talis gratia non est efficax?

Respondeo esse efficacem in actu primo & in potentia proxima, licet non sit efficax in actu secundo, id est de facto non habet effectum iustificandi.

Vnde hoc prouenit quod de facto non sit efficax?

Quia non est congrua & contemperata homini cum ei datur, idcirco illi resistit, nec se determinat liberè, vt posset ad eliciendum actum ad quem allicit.

Nunquid ergo excusabit se peccator dicendo se non habuisse sufficientem gratiam qua esset congrua?

Respondeo se tenere ex parte hominis quod gratia hæc non sit illi congrua & contemperata, quia scilicet à tali consortio non se abstinet, aut à tali cibo, aut potu, aut tali exercitio, aut officio periculoso & aliis huiusmodi, vt posset, vnde culpa in eum recidit cum gratiæ sufficienti non obtemperat.

Estne talis gratia actualis necessaria homini?

Omnino necessaria tum ad intelligendum articulos supernaturales fidei, tum ad facienda omnia Dei præcepta, idque propter infirmitatem naturæ humanæ post peccatum originale ac varias tentationes & difficultates huius vitæ.

Nunquid multa bona opera non superant vires hominis, quare ergo gratia erit necessaria?

Respondeo quod gratia adhuc est necessaria ad ista opera vt sint opera *vt oportet.*

Quid est opus vt oportet?

Est opus tale quod sit idoneum & aptum vt possit inseruire homini ad consequendam iustificationem, aut merendam

dam gloriam æternam : nullum enim aliud opus ad hoc à Deo acceptatur, quam illud quod producitur ex motione gratiæ.

Vnde hoc?

Ex Ordinatione Dei : sic Deo placuit, iuxta illud Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me,nisi Pater meus traxerit eum.* Et hoc maximè considerandum est.

Daturne maior gratia sufficiens in vno,quàm in altero?

Omnino : est enim illa gratia magna, maior, maxima : seu specialis,specialior,& specialissima. Vnde sunt tria incitamentorum genera, quædam Ordinaria, & omnibus ratione vtentibus communia, quibus facile resistitur, & vocanrur auxilium speciale sufficiens.: vt quis conuertatur;quædam sunt extraordinaria, quibus raro, & difficile resistitur, vocanturque auxilium magis speciale : quædam adhuc magis extraordinaria, quibus insuperabiliter, & infallibiliter mouetur voluntas humana, & hæc vocantur auxilium specialissimum, quale fuit in anima Christi, beatissimæ Virginis, & quorumdam Sanctorum insignium quos Deus eximie prædilexit.

Daturne omnibus gratia sufficiens,saltem secundùm aliquem ex his gradibus ad vitanda peccata,& præcepta Dei seruanda?

Datur omnibus adultis ratione vtentibus, pius aliquis motus interior, quo excitentur ad bonum salutis æternæ consequendum,ad vitanda peccata,& præcepta Dei gradatim seruanda,primò præcepta naturalia,deinde præcepta fidei,& Sacramentorum.

Isaiæ 49. *Dixit Sion, oblitus est mei Dominus, & Dominus oblitus est mei? Nunquid obliuisci poterit mulier infantem suum, vt non misereatur filij vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Ioan. 1. *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* 1. ad Timot. 2. *qui vult omnes homines saluos fieri.* Apoc. 3. *ego sto ad ostium & pulso*, & pluria alia loca in scripturis passim id denotant.

Qui consentit primo motui gratiæ, semperne iustificatur?

Si primus ille motus sit tantùm ad dispositionem remotam gratiæ sanctificantis, non ex consensu,statim iustificaretur. Si verò primus ille motus excitet ad dispositionem proximam iustificationis, vt est contritio perfecta, statim iustificatur qui consentit.

Non sufficit ergo primus motus ad iustificationem consequendam?

Vel sufficit ad iustificationem consequendam, vel ad habenda cætera quæ requiruntur ad iustificationem ipsam, &

Quid si dubium sit an reuelatio diuina sit talis?

Respondeo in casu in quo est dubium an verè sit reuelatio diuina; opus esse aliquo iudice qui controuersiam definiat, cum aliter non esset satis prouisum hominibus, vt in rebus fidei certi essent.

Quis ille Iudex in controuersiis de fide?

Est Ecclesia quæ est tanquam Organum locutionis Spiritus Sancti, per quam declarat quid sit verè reuelatum tanquam obiectum materiale fidei.

Numquid scriptura sacra est Iudex controuersiarum fidei?

Respondeo non esse Iudicem propter has rationes. 1. Quia scriptura sæpe nihil dicit de rebus in fide controuersis, vt patet si esset controuersia num aliquis liber esset canonicus & à Spiritu Sancto dictatus. 2. Quia Iudex debet audire partes contendentes inter se ad finiendum lites quas habent inter se: at scriptura est surda & nullum audit. 3. Quia Iudex examinatis prius testimoniis & variis instrumentis de ipsa lite debet pronunciare clarè & modo intelligibili super articulis controuersis: & hoc non conuenit scripturæ; sed magis Ecclesiæ ac potissimum in concilio generali.

Quid si Ecclesia erraret?

Respondeo Ecclesiam esse infallibilem in rebus fidei definiendis ob peculiarem Spiritus Sancti assistentiam qua fulta est, vnde vocatur Ab apostolo *columna & firmamentum veritatis*, & D. Hieronymus in fine dialogi contra Luciferianos. *Poteram omnes propositionum riuulos vno Ecclesiæ fonte siccare, in illa Ecclesia est permanendum quæ ab Apostolis fundata vsque ad hanc diem durat.*

Quid si ergo aliquis nolit credere Ecclesiæ?

Respondet Christus Mat. 18. *sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus* id est, tanquam infidelis & publicus peccator, à regno Dei alienus.

Quid est Ecclesia?

Congregatio hominum baptisatorum eamdem fidem profitentium & iisdem Sacramentis vtentium sub vno Pastore summo visibili, qui est Pontifex Romanus.

Quare in Ecclesiâ est vnus Pontifex supremus & super alios Pastores?

Quia Christus cum esset sapientissimus, fundauit Ecclesiam in regimine omnium optimo, quale est regimen monarchicum, in quo vnus regit ad tollendam omnem diuisionem. Vnde vt in Synagoga Iudæorum vnus erat summus Pontifex,

cuius,imperio qui nolebant obedire,morte damnabantur, ex lege Dei (Deutero. 17.) ſic in Eccleſia vnus eſt ſummus Pontifex , cui in controuerſiis fidei tenentur omnes acquieſcere ſub pœna mortis animæ.

Quis ille ſupremus pontifex?

Pontifex Romanus Locum & Cathedram Romanam D. Petri Apoſtoli tenens , cui primò authoritatem regendi Eccleſiam vniuerſalem Chriſtus tradidit , vt patet ex Euangeliſtis. (Ioan. 21.) *Paſce oues meas* , nullas determinando , ſed generatim omnes illi attribuendo , etiam reliquos Apoſtolos, qui erant ex ouibus Chriſti.

At non legitur in Euangeliſtis aliis præter. D. Petrum auctoritatem illam tributam eſſe?

Reſpondeo illam authoritatem tributam eſſe D. Petro & eius ſucceſſoribus , quia cum ſit eadem neceſſitas regendi Eccleſiam ac tollendi Schiſmata,debuit D. Petrus habere ſucceſſores , ſicut habebat Pontifex ſynagogæ.

Quomodo ſciri poteſt quod Rom. Pontifex ſit ſucceſſor. D. Petri?

Reſpondeo eodem modo id ſciri poſſe, quomodo ſcitur Ludouicum XIV. Regem Galliæ eſſe ſucceſſorem S. Ludouici, vel Caroli Magni , aut Clodouci , quia ſcilicet eorum dominatum occupat via legitima ſucceſſionis : ac quo modo ſciebatur,vltimos Pontifices Iudæorum fuiſſe ſucceſſores Moiſis, quia ſuper illius cathedram ſedebant & auctoritate eius fungebantur.

Poteſtne ſummus Pontifex pro libito & modo quocumque res fidei determinare?

Reſpondeo , quod vt legitimè fungatur ſua auctoritate debet adhibere aliqua media & conſulere aliquas regulas , ſcilicet ſcripturam ſacram , traditiones , conſenſus Doctorum & fidelium,concilia antiqua , ac noua etiam indicere.Non quod ſemper omnes iſtas regulas ſimul debeat conſulere , ſed has vel illas pro ratione rei ad definiendum propoſitæ,vt ſic iuxta Vincentium Lirinenſem , *non noua fidei dogmata conſtituantur,ſed eruantur vetera.*

Poteſtne ſummus Pontifex determinare controuerſias fidei extra concilium generale?

Poteſt vtique , cum ad optimam Reipublicæ gubernationem , vbi præſertim regimen eſt Monarchicum,ad ſuperiorem ſpectet lites & controuerſias definire ac leges ſancire,quibus ſubditi parere teneantur. Nec aliter benè prouiſum eſſet Eccleſiæ , cum concilia interdum per centum , aut ducentos

Quid meritum?

Opus liberum bonum ad alterum aliqua ratione ſpectans, quod proinde ſecundum aliquem modum iuſtitiæ compenſari debeat.

Meritum apud Deum eſt opus bonum liberum ex gratia profectum, quod à Deo ſecundùm aliquem iuſtitiæ modum compenſari debeat.

Quot conditiones ad meritum requiſita?

Hæ quinque. Vt opus ſit ex ſe bonum. Vt ſit factum in ſtatu gratiæ ſanctificantis. Vt fiat liberè ſine coactione & neceſſitate. Vt ſit factum in hac vita, quæ eſt ſtatus vitæ, & vt ſpectet aliquo modo ad Deum, ideoque ad illum referatur.

Quid poteſt homo mereri?

Augmentum gratiæ ſanctificantis, & gloriam æternam pro ſeipſo tantùm, non pro aliis, quia Priuilegium Chriſti eſt nulli conceſſum, mereri gratiam aliis.

Nunquid ſancti obtinent aliis gratiam?

Poſſunt obtinere viâ impetrationis orando Deum, qui eorum orationes exaudiendo ex liberalitate, gratiæ auxilia, & ipſam conſequenter gratiam iuſtificantem quibuſdam concedit. Non poſſunt autem iſtud obtinere viâ meriti, ita vt Deus gratiam concedat, ex iuſtitia, & obligatione tanquam aliquid debitum.

Quid eſt virtus?

Eſt habitus afficiens potentiam hominis aliquo modo rationalem, ad eliciendam operationem eius naturæ conſentaneam.

Quare virtus dicitur in medio conſiſtere?

Quia attingit obiectum ſuum ita conuenienter regulæ rectitudinis ſuæ, vt neque illam excedat, neque ab illa deficiat.

Quomodo diuiditur virtus?

In intellectuales & morales diuiditur.

1. Virtus intellectualis eſt virtus afficiens Intellectum, & inclinans ad aſſenſum verum, & iudicium rectum. Eius quinque vulgò numerantur ſpecies, ars, ſcientia, prudentia, ſapientia, intellectus.

Virtus moralis eſt virtus afficiens potentiam appetitiuam ad obiectum rectæ rationi conſentaneum attingendum.

2. Virtus diuiditur in acquiſitam, & infuſam, illa bonis actibus acquiritur, hæc à Deo infunditur, vt inſeruiat directè ad beatitudinem ſupernaturalem, & ad agendum propter Deum.

3. Virtus diuiditur in Theologicas & Cardinales. Theologicæ ſunt quæ inclinant potentiam ad Deum attingen-

gura, in quantum lex vetus & Mosaïca est figura legis Christianæ, 1. Cor. 7. *Omnia in figura contingebant illis.*

Apostasia est infidelitas quæ contrariatur fidei, receptæ in rei veritate, eam penitus respuendeo.

Hæresis est infidelitas qua resistitur non toti fidei, sed tantùm parti. Definiturque error in intellectu cum pertinacia assertus ab eo qui fidem recepit.

Cum pertinaciâ, id est, cum scientiâ quod repugnet fidei, Ecclesiæ Catholicæ, cui nolit quis esse subditus.

Quid est spes?

Est virtus Theologica, quâ voluntas fertur in Deum, seu in beatitudinem quatenus auxiliis diuinæ gratiæ & bonis operibus acquiri potest.

Obiectum spei quotuplex?

Duplex, primarium & secundarium. Illud est Deus ipse, quatenus illum nobis volumus propter commodum nostrum; quòd nempe sit summum bonum nostrum infinitum ac beatitudo nostrâ. Hoc complectetur omnia beatitudinis accidentia, & etiam media ad eam consequendam necessaria.

Quæ peccata spei opposita?

Duo; desperatio, & præsumptio.

Desperatio est motus voluntatis qua desistit à procuratione beatitudinis, & ab ea auerti tur, tanquam sibi esset impossibilis.

Præsumptio est motus, seu actio voluntatis, quâ intendit propriæ virtuti innixa, id quod est supra vires. Exemplum est in Pelagianis, qui sine Dei gratiâ sperabant beatitudinem; Vel quâ intendit beatitudinem sine mediis à Deo institutis: Exemplum est in peccatoribus obstinatis, qui sperant beatitudinem sine pœnitentiâ. Item in hæreticis, qui eamdem sperant, sine obseruatione præceptorum fidei & Sacramentorum.

Timor contrariaturne spei?

Minimè: timemus enim ex parte nostra propter nostram infirmitatem. Sed speramus ex parte Dei, propter auxilia gratiæ quæ confert, & quibus infirmitatem nostram superat.

Quid timor seruilis, filialis & initialis?

Timor seruilis est is quo quis timet pœnas inferni, tanquam ingens malum suum; & hinc ad benè agendum mouetur.

Timor filialis est is quo quis malum culpæ timet, quia offendit Deum summè bonum.

Timor initialis est mixtus ex seruili & filiali, estque is timor quo quis ita timet Dei offensam, vt etiam pœnam timeat, & hinc ad benè agendum mouetur.

Quid

Quid est charitas?

Est virtus Theologica quâ voluntas amat Deum, vt bonus est, proximum vt est bonitatis diuinæ particeps.

Quid est amare Deum?

Est velle bonum Dei, vt Dei bonum est, seu per desiderium respectû bonorum externorum, honoris & gloriæ: super complacentiam in bonis Dei internis, & etiam externis quæ actu habet.

Nunquid amatur Deus vt est omnipotens & sapiens, quare ergo dicis per charitatem amari Deum, vt bonus est?

Respondeo, Bonitas in Deo intelligitur dupliciter. 1. Vt est attributum à cæteris distinctum. 2. Vt est omnimoda eius excellentia, seu perfectio, & in hac acceptione bonitatis, charitas versatur circa Deum, vt bonus est.

Quid est amare proximũ, vt est bonitatis diuinæ particeps?

Theol. affect. 2. 2. tra. te 2. medit. 16.

Respondeo id dupliciter posse intelligi. 1. Vt proximus, est capax ad acquirendam beatitudinem per quam fit particeps bonitatis & fruitionis Dei. 2. Vt proximus, est quoddam bonum diuinum, id est, vt creatura Dei est pertinens ad Deum & capax eum glorificandi in æternum.

Quos effectus producit actus amoris Dei?

Alios internos, alios externos.

Interni sunt tres: gaudium, pax & misericordia. Gaudio si sit de bono Dei opponitur Acedia, si de bono proximi, opponitur inuidia.

Paci opponitur discordia in corde, contentio in ore, & in opere schisma, bellum, rixa, seditio.

Bellum definitur à quibusdam ars exercendi iustitiam per vim

Externi effectus charitatis sunt beneficentia & eleemosyna.

Eleëmosyna vel est spiritualis, vel corporalis, & vtriusque species his versibus continentur.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo,
Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Correctio fraterna pertinet ad eleëmosynam spiritualem, estque actio quâ vel verbis, vel signis aliquis proximum à peccato retrahere nititur, & ad virtutem traducere, spectando bonum proximi particulare.

Scandalum.

Correctioni fraternæ opponitur scandalum actiuum, quod est dictum vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ. Estque scandalum actiuum vnum per se; alterum per accidens.

Ipsa

annos celebrari non possent ob ingentes difficultates in congregandis Episcopis totius orbis.

Fuitne istud in vsu in primis sæculis?

Fuit. Cum enim inter prima sæcula hæreses exortæ fuerint, per summum Pontificem, damnatæ sunt extra concilia generalia ; quorum primum fuit tantum circa annum 324. tales fuerunt hæreses Marcionis, Manichæorum, Montanistarum, quæ à solis Pontificibus damnatæ sunt absque conciliis, sicut & error Episcoporum Africanorum de rebaptizandis iis qui ab hæreticis baptisati fuerant, quem damnauit Stephanus Papa, & error Asiaticorum Episcoporum de celebrando Paschate luna decima quarta, quos Victor Papa excommunicauit. Sed & cum Pelagiani damnati à summis Pontificibus concilium peterent, acriter eos corripit D. Augustinus l. 4. contra duas epist. Pelag. c. 12. *Quasi*, inquit, *nulla heresis nisi synodi congregatione damnata sit : cum potius rarissima inueniantur propter quas damnandas, necessitas talis extiterit &c. Verum istorum superbia hanc etiam gloriam captare intelligitur, vt propter illos Orientis & Occidentis synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam, Domino eis resistente, peruertere nequeunt, saltem commouere conantur, &c.*

Cum Christus ita instituerit Ecclesiam cum indice controuersiarum, vnde tot Schismata & Hæreses?

Venit inimicus homo & super seminauit zizania errorum in medio tritici sanæ doctrinæ, cum dormirent homines qui præsunt Ecclesiæ, nec satis sibi & doctrinæ attendunt. Sed & plerique mortalium iugo nolunt subiici, nec vllis terminis coerceri. Primus homo miserrimus in paradiso terrestri non se seruauit : sic quotidie varij homines rebelles sunt aduersus legitimam potestatem, nullis legum cancellis contenti, quibus peruicaciter obluctantur. Alij non reputantes scripturæ diuinæ profunditatem, putant se in eius intelligentia magistros esse posse, cum numquam fuerint Discipuli, imaginantur, phantasiam eorum dæmone illudente, se in ea videre quod non est in ipsâ, seque iudices quæstionum illius constituunt, abdicato eo iudice quem Christus constituit, ac priuato suo sensui postposito. Palliata quoque species religionis ac maioris deuotionis, multos decipit simplices ac quosdam etiam astutos seducit, ita vt vbique scateant erronei Magistri, & Hæretici. Sed & in plerisque peccatum errorem gignit, dum corrupto affectu per varia peccata quod verè pium est ac religiosum, abhorrere, incipiunt, ac ipsammet Eccle-

Ipſa ruina proximi vocatur ſcandalum paſſiuum ; eſtque vnum datum ſeu infirmorum , aliud ſcandalum acceptum ſeu Phariſæorum , cùm quis non ex infirmitate, ſed ex malitia ſumit occaſionem peccandi ex dicto vel facto alterius.

Σκάνδαλον vox Græca , ſignificat paruum lignum in muſcipula , cuius motu cum mus eſcam attigit , ſequitur caſus aſſerculi muſcipulam concludentis. Hinc metaphoricè omne offendiculum dicitur ſcandalum.

Quid ſunt virtutes Cardinales?

Virtutes quædam , inter cæteras virtutes morales , præcellentiores aliis & ad quas cæteræ reducuntur.

Quare ſic dictæ?

Quod vt oſtium circa cardinem verſatur , ſic tota moralis honeſtas circa has virtutes,quæ ſunt, Prudentia,Iuſtitia,Temperantia,& Fortitudo.

Qua in re magis præcellunt?

In iuuando hominem contra maiora virtutis impedimenta: quæ impedimenta ſunt , agendorum ignorantia , delectabilia, terribilia , & amor ſuiipſius inordinatus. Contra ignorantiam eſt prudentia , quæ oſtendit agenda:contra delectabilia retrahentia à virtute eſt temperantia,quæ eſt virtus delectationum moderatiua : contra terribilia terrorem incutientia, eſt fortitudo , quæ eſt virtus corroborans animum ne terroribus ſuccumbat. Et contra amorem inordinatum ſui ipſius , eſt iuſtitia inclinans rectè ad alterum ſe habere.

Ad quam ex virtutibus Cardinalibus reducitur religio?

Ad iuſtitiam quâ redditur alteri ius ſuum, religio enim Deo reddit quæ Dei ſunt.

Quid eſt religio?

Virtus moralis quæ hominem inclinat vt Deo debitum cultum & honorem exhibeat , tanquam omnium creatori & Domino.

Quis eſt ille cultus & honor?

Conſiſtit in quibuſdam actibus tum internis , tum externis, quæ ſint teſtimonia Diuinæ excellentiæ & maieſtatis

Qui ſunt actus interni religionis?

Deuotio & oratio.

Deuotio eſt voluntas promptè tradendi ſe ad ea , quæ pertinent ad Dei famulatum.*D. Thomas.* 2. 2. *q.* 82. *art.*1.

Oratio eſt petitio decentium à Deo. *D. Damaſc.l.* 3. *fidei art.c.*2.

Poteſt

Poteſtne qui odio habet proximum ſine mendacij peccato recitare orationem dominicam?

Poteſt. Quia hæc oratio recitatur in perſona totius Eccleſiæ, quæ odium non habet. *Maior in cap.6.Matt.*

Qui ſunt actus externi regionis?

Adoratio, ſacrificium, oblatio, primitiæ, decimæ, votum & iuſiurandum.

Quid eſt adoratio?

Actus externus religionis quo per conuenientem aliquem corporis geſtum proteſtamur noſtram ſubiectionem erga Deum, tanquam ſummum omnium rerum Dominum.

Nonne poſſumus Deum adorare actu interiori?

Poſſumus equidem, ſed adoratio eſt imperfecta, niſi nos integros Deo ſubiiciamus ſecundùm corpus & animam.

Quid eſt Sacrificium?

Actus externus religionis quo ad diuinam maieſtatem recognoſcendam & noſtram erga eum ſeruitutem proteſtandam, res aliqua certo ritu ac cæremoniâ ei offertur ac immutatur, ſeu deſtruitur.

Ad quid prodeſt immutatio, ſeu deſtructio rei oblatæ in ſacrificio?

Ad teſtificandum creaturam coram Deo infinito eſſe veluti nihilum quoddam; hac enim teſtificatione Deus ſummè honoratur, dum creatura ſui ipſius deſtructione coram ipſius magnitudine humiliatur.

Quid eſt votum?

Promiſſio Deo facta de meliori bono.

Quid iuramentum?

Actus religionis quo quis aſſumit Deum in teſtem.

Quid prodeſt aſſumere Deum in teſtem, cùm non reddat teſtimonium?

Adhibebit pro certo teſtimonium in futuro quando illuminabit abſcondita tenebrarum & manifeſtabit concilia cordium. 1. Cor. 4. Et illud teſtimonium nulli iuranti deficiet; vel pro eo, vel contra eum. *D. Thomas. 2.2. q.89. art.2.*

Quid ſignificant iſta verba Ierem.4.

Iurabis, viuit Dominus in veritate, in iudicio & iuſtitia.

Denotantur tres comites iuramenti, qui ſunt veritas, diſcretio & iuſtitia, quâ nemini in iurando damnum inferatur. *Itaque iurabis, viuit Dominus in veritate*, id eſt, non aſſeres falſum per iuramentum. *In Iudicio,* id eſt non iurabis leuibus de cauſis & ex præcipitatione, ſed cum diſcretione. *In iuſtitia,* id eſt nemini tuo iuramento damnum procreabis.

Quod

Quod peccatum religioni directè oppositum ?

Maximè superstitio, quæ exhibet cultum diuinum, vel cui non debet, vel eo modo quo non debet.

Quotuplex superstitio ?

Duplex, vna quæ vocatur superstitio indebiti cultus, quæ exhibet cultum verò Deo, sed modo indebito, vt si quis bouem sacrificaret in honorem Dei. Altera est superstitio falsi cultus, quæ exhibet Diuinum cultum ei cui non debet. Vt idololatria, qua adorantur falsi Dei & Dæmones.

Quotuplex superstitio falsi cultus ?

Triplex. Secundum quòd cultus Deo debitus, reddi potest Dæmoni propter tres fines. 1. ad reuerentiam ei exhibendam simpliciter, estque Idololatria. 2. ad recipiendam ab eo aliquam Doctrinam, & instructionem, & talis superstitio vocatur Diuinatio, qua consuluntur Dæmones exhibendo illis reuerentiam ad aliquid cognoscendum. 3. ad recipiendam directionem actuum suorum ab illo, vt nempè fiant ex eius præscripto, & est superstitio obseruationum: qualis reperitur in maleficis, qui pacto inito expresè vel tacitè cum Dæmone, ex eius præscripto actiones suas dirigunt ad nocendum proximo.

Est autem maleficium duplex; amatorium quod ordinatur ad amorem carnalem malè inflammandum vel extinguendum.

Aliud dicitur veneficum, quod ordinatur ad damnum inferendum: vt ad procurandos morbos insanabiles; aut etiam mortem tam in pecoribus, quam in hominibus, ad destruendum segetes & alia detrimenta inferenda, quæ accidunt dæmonum opere, dum malefici actiones suas dirigunt ex eorum regulâ.

Nunquid cultus qui redditur sanctis, opponitur religioni & diuino honori ?

Minimè, si debitè fiat secundùm doctrinam Ecclesiæ, alia enim species cultus religionis redditur Deo quàm sanctis.

Quotuplex est cultus religionis ?

Triplex, scilicet, cultus Latriæ, cultus Duliæ & Hyperduliæ.

Quid est cultus Latria ?

Est cultus Deo debitus propter infinitam & increatam eius excellentiam. Qui cultus maximè fit per adorationem & sacrificium, quod est præcipuus actus religionis.

Quid est cultus Dulia ;

Est cultus qui redditur sanctis propter eorum sanctitatem

tem & excellentiam communem & quodammodo vulgarem inter illos.

Quid est cultus Hyperduliæ?

Est cultus qui etiam ſanctis redditur; ſed illis dumtaxat, qui ſunt præcipui & eminentiores in ſanctitate & gloria, propter valde magnam eminentiam ſanctitatis & gloriæ, vt eſt in beatiſſima Virgine, in primo Angelo, & Sanctis quibuſdam maximè inſignibus. Cultus autem, ſeu Duliæ, ſeu Hyperduliæ eſt longè inferior cultu Latriæ, quæ ſoli Deo redditur, iuxta verba D. Hieronymi Epiſt. *ad Richarium.* Sanctos honoremus, Deum verò adoremus.

An Hyperdulia ſoli beatæ Virgini tribui debeat, diſputatio erit de nomine: nam & D. Thomas 3. part. quæſt. 25. art. 2. eam etiam tribuit humanitati Chriſti, ſi intelligeretur vt ſeparata à Verbo: & plures ſcriptores eâ colendos putant aliquos ex ſanctis, qui primas tenent. Vide ſuplementum noſtrum de ante ſupernat. diſp. 4. q. 5.

TERTIA PARS EXAMINIS DIACONORVM de Miſsâ & officio Diaconi in eâ.

Quibus Verbis perficitur ſacrificium Miſſæ?

Verbis Ieſu Chriſti prolatis ſuper panem & vinum in vltima Cœna. Scilicet *hoc eſt enim corpus meum, & hic eſt enim calix ſanguinis mei, &c.*

Quid ergo tot alia Verba, tot preces & ceremoniæ adduntur Verbis Chriſti?

Reſpondeo id ſanctè & religioſè Eccleſiam inſtituiſſe, vt in celebratione huius ſacrificij præter Verba eſſentialia adiungerentur quædam alia partim antecedentia, partim ſubſequentia, quæ vel ad Dei laudes & gratiarum actiones, vel ad populum inſtruendum in fide, excitandamque eius attentionem, vel ad eius vota Deo præſentanda: vel etiam quibus Sacerdos ſeipſum magis præpararet ad dignius offerendum hoc ſacrificium, ac de illo participandum per communionem. Cum enim iſta omnia nihil ſuperſtitioſum, nihil falſum contineant, nihilque quod deceat diuinam maieſtatem, ſed potius tanti ſacrificij reuerentiæ, ac fidelium vtilitati expediant, non poteſt talium rerum vſus non eſſe ſanctus & religioſus, quæ etſi non conficiant ſacrificium, ornant tamen maximè.

Quis

Quis Ordo tot orationum & aliorum quæ dicuntur, aut fiunt in Missâ?

Is Ordo est, vt eorum quæ dicuntur, aut fiunt in Missa, quædam magis propriè spectent ad sacrificium & oblationem incruentam corporis & sanguinis Iesu Christi : alia verò ad participationem & communionem eiusdem corporis & sanguinis : vnde generali quadam diuisione Missa diuidi potest in duas partes. Prima quæ spectat ad sacrificium, ab initio Missæ vsque ad orationem Dominicam, altera quæ spectat ad communionem ab illa oratione Dominica vsque ad finem.

Explica Ordinem & rationem eorum quæ sunt in prima parte & spectant magis ad sacrificium?

Cum sacrificium Missæ & consecratio sit actio sanctissima & excelsissima actio in Ecclesia, non decebat Sacerdotes illam facere sine multa præparatione, ac attentione; ideo præmittuntur quædam antecedentia quibus Sacerdos magis proximè se præparat & deuotionem populi excitat : quia vero in illo sacrificio Christus redditur præsens summè venerandus & summè beneficus, ideò adduntur quædam subsequentia ad reddendum ipsi adorationis debitæ cultum & postulandum ab eo plura bona, quæ ex tanto sacrificio sperari possunt pro viuis & defunctis.

Quæ sunt illa antecedentia quibus præparatur Sacerdos & deuotio excitatur?

Illa ad decem capita reduci possunt commode ; etsi minutatim singula expendendo plura annotari possent à magis studiosis.

Quod horum primum?

Imploratio diuini auxilij ad rem tam arduam aggrediendam per Psalmum *Iudica me Deus*, in quo continetur iste versus, *Emitte lucem tuam & veritatem tuam.*

Quomodò audet Sacerdos petere iudicari se à Deo?

Non hic sermo est de iudicio discussionis peccatorum quam vnusquisque iustus debet formidare, sed de iudicio discretionis à malis & impiis à quibus segregari desiderat Sacerdos.

Quid secundum?

Humilis confessio peccatorum dicendo, *Confiteor Deo omnipotenti*, vt se ad compunctionem eorum excitet, quod est consentaneum consilio sapientis. Prouerb. 18. Iustus in principio accusator est sui.

Quid tertium?

Imploratio diuinæ misericordiæ, dicendo nouies, cum

Kyrie, aut *Christe eleison.* Ter ad Deum Patrem, ter ad Filium, ter ad Spiritum sanctum. Idque contra triplicem miseriam ignorantiæ, culpæ & pœnæ.

Quid quartum?

Purificatio intentionis, vt sit pura & ad solam Dei gloriam directa, dicendo: *Gloria in excelsis Deo*, &c.

Quo sensu dicitur in illo hymno gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam?

Vel gratias agere sumitur ibi pro benedicere, vt aliqui explicant. Vel si in vulgato sensu sumatur gratiarum actio, hic gloria Dei consideratur tanquam causa propter quam institutum est hoc sacrificium, specialiter enim propter gloriam Dei, est Ordinatum, vt eius suprema maiestas debito cultu afficeretur, ideo tenemur gloriam Dei suspicere & ei quodammodo obligati sumus in hoc sacrificio, cuius causa est.

Quid quintum ex his quibus præparatur Sacerdos & excitatur deuotio?

Oratio multiplex quæ dicitur in collectis, quæ orationes ita dicuntur, vel quia continent simul collectas populi petitiones quas Sacerdos harum conscius Deo offert: vel quod colligatur populus vt fiant. Concluduntur autem cum diriguntur ad Patrem per Dominum nostrum Iesum Christum quod ab eo omnia bona debeamus expectare, ac propter eius merita, iuxta illud Ioan. 14. *Si quid petieritis Patrem, in nomine meo dabit vobis.*

Quare Sacerdos præmittit collectis, Dominus vobiscum?

Quia excitat populum ad orandum, & sine Dei ope non benè fit oratio.

Cur respondet populus, & cum spiritu tuo?

Tres sunt causæ. Prima quia Sacerdos totus debet esse in spiritu & abstractus esse ab omni sollicitudine corporis sæculi quasi raptus esset ad diuina inter cœlum & terram. Secunda quia sæpe errat spiritus Sacerdotis, aut non rectè intendendo, aut non diligenter attendendo, sed euagando. Tertia vt Sacerdos spiritum purum, seu animam mundam ab omni peccato habeat, vt magis gratum Deo sit eius sacrificium ad vtilitatem populi.

Quid sextum?

Instructio populi per Epistolam, Graduale & Euangelium, quibus idcirco iungitur professio fidei in recitatione alta symboli, quia illa professio fructus est instructionis & per illam testatur populus se fidei consentire.

Quid

Quid ſeptimum?

Deuotio in Offertorio quo ſeipſum Deo tradit Sacerdos præſentans Deo materiam conſecrandam ſacrificij ſimul cum oblationibus populi. Quam deuotionem comitantur thurificatio, lotio digitorum ad poteſtandum quod vel à minimis peccatis mundus eſſe optaret, & multiplex oratio in ſecretis excitato etiam populo per verba, *Orate fratres*, quod eius orationibus ſe indigere Sacerdos agnoſcat ad rem adeò arduam ad quam iam propius acceſſit.

Cur in Offertorio vtitur his verbis Sacerdos, Suſcipiamur à te Domine?

Quod nemo digne Deo ſacrificat, qui non prius ſeipſum per ardentem zelum & deuotionem perfectam Deo veluti ſeipſum ſacrificauerit in hoſtiam viuam & rationabilem, prout grauiter monebat Gregorius Nazianzenus, Orat. 1. *Cum ſcirem inquit, quod nemo magno illo, vel Deo, vel Sacrificio, vel Pontifice dignus eſſet qui non prius ſemetipſum Deo ſacrificium viuum & ſanctum obtulit*, &c.

Quid octauum?

Iubilatio & exultatio mentis in Deum ex deuotione proueniens propter quam Præfationem inchoat excitato populo, vt ſurſum corda, habeat nihil paruum, ac terreſtre de ſacrificio cogitans, ſed quæ Dei omnipotentia & magnificentia digna ſunt. *Surſum corda:* ait, id eſt, ea eleuate. *Surſum*, inquam, intellectu veritatis, ſurſum affectu charitatis, ſurſum virtute conuerſationis, ſurſum rectitudine intentionis, vt explicat Albertus Magnus de ſacrif. Miſſæ tract. 3. cap. 2.

Quid continet illa præfatio?

Multiplicem Dei laudem ac glorificationem cum firma adſertione, quod id maximè dignum, iuſtum, equum & ſalutare eſt, quaſi Sacerdos perſentiret effectum primæ ſuæ orationis ad Deum qui lætificaret iuuentutem ſuam, ac geſtiret ſpiritibus Angelicis ſociari ad concinendum ſacrum triſagium in honorem ſanctæ Trinitatis exclamans *Sanctus*, *Sanctus Sanctus*.

Quid nonum?

Oratio feruentior in canone Miſſæ *Te igitur* vſque ad *qui pridie*, vt fiat illa conſecratio mox futura ſalutaris & fructuoſa, vnde & fit eius applicatio pro iis pro quibus offertur, aduocato etiam auxilio Sanctorum maiorum cœleſtis curiæ, qui nominatim exprimuntur vt omnes pro parte ſua cooperentur ad hoc ſacrificium ne effectu ſuo priuetur, aut fruſtra fiat.

Quid meritum?

Opus liberum bonum ad alterum aliqua ratione ſpectans, quod proinde ſecundum aliquem modum iuſtitiæ compenſari debeat.

Meritum apud Deum eſt opus bonum liberum ex gratia profectum, quod à Deo ſecundùm aliquem iuſtitiæ modum compenſari debeat.

Quot conditiones ad meritum requiſita?

Hæ quinque. Vt opus ſit ex ſe bonum. Vt ſit factum in ſtatu gratiæ ſanctificantis. Vt fiat liberè ſine coactione & neceſſitate. Vt ſit factum in hac vita, quæ eſt ſtatus vitæ, & vt ſpectet aliquo modo ad Deum, ideoque ad illum referatur.

Quid poteſt homo mereri?

Augmentum gratiæ ſanctificantis, & gloriam æternam pro ſeipſo tantùm, non pro aliis, quia Priuilegium Chriſti eſt nulli conceſſum, mereri gratiam aliis.

Nunquid ſancti obtinent aliis gratiam?

Poſſunt obtinere viâ impetrationis orando Deum, qui eorum orationes exaudiendo ex liberalitate, gratiæ auxilia, & ipſam conſequenter gratiam iuſtificantem quibuſdam concedit. Non poſſunt autem iſtud obtinere viâ meriti, ita vt Deus gratiam concedat, ex iuſtitia, & obligatione tanquam aliquid debitum.

Quid eſt virtus?

Eſt habitus afficiens potentiam hominis aliquo modo rationalem, ad eliciendam operationem eius naturæ conſentaneam.

Quare virtus dicitur in medio conſiſtere?

Quia attingit obiectum ſuum ita conuenienter regulæ rectitudinis ſuæ, vt neque illam excedat, neque ab illa deficiat.

Quomodo diuiditur virtus?

In intellectuales & morales diuiditur.

1. Virtus intellectualis eſt virtus afficiens Intellectum, & inclinans ad aſſenſum verum, & iudicium rectum. Eius quinque vulgò numerantur ſpecies, ars, ſcientia, prudentia, ſapientia, intellectus.

Virtus moralis eſt virtus afficiens potentiam appetitiuam ad obiectum rectæ rationi conſentaneum attingendum.

2. Virtus diuiditur in acquiſitam, & infuſam, illa bonis actibus acquiritur, hæc à Deo infunditur, vt inſeruiat directè ad beatitudinem ſupernaturalem, & ad agendum propter Deum.

3. Virtus diuiditur in Theologicas & Cardinales. Theologicæ ſunt quæ inclinant potentiam ad Deum attingen-

gura, in quantum lex vetus & Mosaïca est figura legis Christianæ, 1.Cor.7. *Omnia in figura contingebant illis.*

Apostasia est infidelitas quæ contrariatur fidei, receptæ in rei veritate, eam penitus respuendeo.

Hæresis est infidelitas qua resistitur non toti fidei, sed tantum parti. Definiturque error in intellectu cum pertinacia assertus ab eo qui fidem recepit.

Cum pertinaciâ, id est, cum scientiâ quod repugnet fidei, Ecclesiæ Catholicæ, cui nolit quis esse subditus.

Quid est spes?

Est virtus Theologica, quâ voluntas fertur in Deum, seu in beatitudinem quatenus auxiliis diuinæ gratiæ & bonis operibus acquiri potest.

Obiectum spei quotuplex?

Duplex, primarium & secundarium. Illud est Deus ipse, quatenus illum nobis volumus propter commodum nostrum; quòd nempe sit summum bonum nostrum infinitum ac beatitudo nostrâ. Hoc complectetur omnia beatitudinis accidentia, & etiam media ad eam consequendam necessaria.

Quæ peccata spei opposita?

Duo; desperatio, & præsumptio.

Desperatio est motus voluntatis qua desistit à procuratione beatitudinis, & ab ea auerti tur, tanquam sibi esset impossibilis.

Præsumptio est motus, seu actio voluntatis, quâ intendit propriæ virtuti innixa, id quod est supra vires. Exemplum est in Pelagianis, qui sine Dei gratiâ sperabant beatitudinem; Vel quâ intendit beatitudinem sine mediis à Deo institutis: Exemplum est in peccatoribus obstinatis, qui sperant beatitudinem sine pœnitentiâ. Item in hæreticis, qui eamdem sperant, sine obseruatione præceptorum fidei & Sacramentorum.

Timor contrariaturne spei?

Minimè: timemus enim ex parte nostra propter nostram infirmitatem. Sed speramus ex parte Dei, propter auxilia gratiæ quæ confert, & quibus infirmitatem nostram superat.

Quid timor seruilis, filialis & initialis?

Timor seruilis est is quo quis timet pœnas inferni, tanquam ingens malum suum; & hinc ad benè agendum mouetur.

Timor filialis est is quo quis malum culpæ timet, quia offendit Deum summè bonum.

Timor initialis est mixtus ex seruili & filiali, estque is timor quo quis ita timet Dei offensam, vt etiam pœnam timeat, & hinc ad benè agendum mouetur.

Quid

Quid est charitas?

Est virtus Theologica quâ voluntas amat Deum, vt bonus est, proximum vt est bonitatis diuinæ particeps.

Quid est amare Deum?

Est velle bonum Dei, vt Dei bonum est, seu per desiderium respectu bonorum externorum, honoris & gloriæ: super complacentiam in bonis Dei internis, & etiam externis quæ actu habet.

Nunquid amatur Deus vt est omnipotens & sapiens, quare ergo dicis per charitatem amari Deum, vt bonus est?

Respondeo, Bonitas in Deo intelligitur dupliciter. 1. Vt est attributum à cæteris distinctum. 2. Vt est omnimoda eius excellentia, seu perfectio, & in hac acceptione bonitatis, charitas versatur circa Deum, vt bonus est.

Quid est amare proximũ, vt est bonitatis diuina particeps?

Theol. affect. 2. 2. tra.té 2. medit. 16.

Respondeo id dupliciter posse intelligi. 1. Vt proximus, est capax ad acquirendam beatitudinem per quam fit particeps bonitatis & fruitionis Dei. 2. Vt proximus, est quoddam bonum diuinum, id est, vt creatura Dei est pertinens ad Deum & capax eum glorificandi in æternum.

Quos effectus producit actus amoris Dei?

Alios internos, alios externos.

Interni sunt tres: gaudium, pax & misericordia. Gaudio si sit de bono Dei opponitur Acedia, si de bono proximi, opponitur inuidia.

Paci opponitur discordia in corde, contentio in ore, & in opere schisma, bellum, rixa, seditio.

Bellum definitur à quibusdam ars exercendi iustitiam per vim

Externi effectus charitatis sunt beneficentia & eleemosyna.

Eleëmosyna vel est spiritualis, vel corporalis, & vtriusque species his versibus continentur.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo,
Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Correctio fraterna pertinet ad eleëmosynam spiritualem, estque actio quâ vel verbis, vel signis aliquis proximum à peccato retrahere nititur, & ad virtutem traducere, spectando bonum proximi particulare.

Scandalum.

Correctioni fraternæ opponitur scandalum actiuum, quod est dictum vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ. Estque scandalum actiuum vnum per se; alterum per accidens.

Ipsa

annos celebrari non possent ob ingentes difficultates in congregandis Episcopis totius orbis.

Fuitne istud in vsu in primis sæculis?

Fuit. Cum enim inter prima sæcula hæreses exortæ fuerint, per summum Pontificem, damnatæ sunt extra concilia generalia; quorum primum fuit tantum circa annum 324. tales fuerunt hæreses Marcionis, Manichæorum, Montanistarum, quæ à solis Pontificibus damnatæ sunt absque conciliis, sicut & error Episcoporum Africanorum de rebaptizandis iis qui ab hæreticis baptisati fuerant, quem damnauit Stephanus Papa, & error Asiaticorum Episcoporum de celebrando Paschate luna decima quarta, quos Victor Papa excommunicauit. Sed & cum Pelagiani damnati à summis Pontificibus concilium peterent, acriter eos corripit D. Augustinus l. 4. contra duas epist. Pelag. c. 12. *Quasi*, inquit, *nulla hæresis nisi synodi congregatione damnata sit: cum potius rarissima inueniantur propter quas damnandas, necessitas talis extiterit &c. Verum istorum superbia hanc etiam gloriam captare intelligitur, vt propter illos Orientis & Occidentis synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam, Domino eis resistente, peruertere nequeunt, saltem commouere conantur, &c.*

Cum Christus ita instituerit Ecclesiam cum indice controuersiarum, vnde tot Schismata & Hæreses?

Venit inimicus homo & super seminauit zizania errorum in medio tritici sanæ doctrinæ, cum dormirent homines qui præsunt Ecclesiæ, nec satis sibi & doctrinæ attendunt. Sed & plerique mortalium iugo nolunt subiici, nec vllis terminis coerceri. Primus homo miserrimus in paradiso terrestri non se seruauit: sic quotidie varij homines rebelles sunt aduersus legitimam potestatem, nullis legum cancellis contenti, quibus peruicaciter obluctantur. Alij non reputantes scripturæ diuinæ profunditatem, putant se in eius intelligentia magistros esse posse, cum numquam fuerint Discipuli, imaginantur, phantasiam eorum dæmone illudente, se in ea videre quod non est in ipsâ, seque iudices quæstionum illius constituunt, abdicato eo iudice quem Christus constituit, ac priuato suo sensui postposito. Palliata quoque species religionis ac maioris deuotionis, multos decipit simplices ac quosdam etiam astutos seducit, ita vt vbique scateant erronei Magistri, & Hæretici. Sed & in plerisque peccatorum errorem gignit, dum corrupto affectu per varia peccata quod verè pium est ac religiosum, abhorrere, incipiunt, ac ipsammet Eccle-

Ipſa ruina proximi vocatur ſcandalum paſſiuum ; eſtque vnum datum ſeu infirmorum , aliud ſcandalum acceptum ſeu Phariſæorum , cùm quis non ex infirmitate, ſed ex malitia ſumit occaſionem peccandi ex dicto vel facto alterius.

Σκάνδαλον vox Græca , ſignificat paruum lignum in muſcipula , cuius motu cum mus eſcam attigit , ſequitur caſus aſſerculi muſcipulam concludentis. Hinc metaphoricè omne offendiculum dicitur ſcandalum.

Quid ſunt virtutes Cardinales ?

Virtutes quædam , inter cæteras virtutes morales , præcellentiores aliis & ad quas cæteræ reducuntur.

Quare ſic dictæ ?

Quod vt oſtium circa cardinem verſatur , ſic tota moralis honeſtas circa has virtutes,quæ ſunt, Prudentia,Iuſtitia,Temperantia,& Fortitudo.

Qua in re magis precellunt ?

In iuuando hominem contra maiora virtutis impedimenta: quæ impedimenta ſunt , agendorum ignorantia , delectabilia, terribilia , & amor ſuiipſius inordinatus. Contra ignorantiam eſt prudentia , quæ oſtendit agenda:contra delectabilia retrahentia à virtute eſt temperantia,quæ eſt virtus delectationum moderatiua : contra terribilia terrorem incutientia, eſt fortitudo , quæ eſt virtus corroborans animum ne terroribus ſuccumbat. Et contra amorem inordinatum ſui ipſius , eſt iuſtitia inclinans rectè ad alterum ſe habere.

Ad quam ex virtutibus Cardinalibus reducitur religio?

Ad iuſtitiam quâ redditur alteri ius ſuum, religio enim Deo reddit quæ Dei ſunt.

Quid eſt religio ?

Virtus moralis quæ hominem inclinat vt Deo debitum cultum & honorem exhibeat , tanquam omnium creatori & Domino.

Quis eſt ille cultus & honor ?

Conſiſtit in quibuſdam actibus tum internis , tum externis, quæ ſint teſtimonia Diuinæ excellentiæ & maieſtatis

Qui ſunt actus interni religionis ?

Deuotio & oratio.

Deuotio eſt voluntas promptè tradendi ſe ad ea , quæ pertinent ad Dei famulatum. *D. Thomas.* 2. 2. *q.* 82. *art.*1.

Oratio eſt petitio decentium à Deo. *D. Damaſc. l.* 3. *fidei art.c.*2.

Poteſt

Poteſtne qui odio habet proximum ſine mendacij peccato recitare orationem dominicam?

Poteſt. Quia hæc oratio recitatur in perſona totius Eccleſiæ, quæ odium non habet. *Maior in cap.6. Matt.*

Qui ſunt actus externi regionis?

Adoratio, ſacrificium, oblatio, primitiæ, decimæ, votum & iuſiurandum.

Quid eſt adoratio?

Actus externus religionis quo per conuenientem aliquem corporis geſtum proteſtamur noſtram ſubiectionem erga Deum, tanquam ſummum omnium rerum Dominum.

Nonne poſſumus Deum adorare actu interiori?

Poſſumus equidem, ſed adoratio eſt imperfecta, niſi nos integros Deo ſubiiciamus ſecundùm corpus & animam.

Quid eſt Sacrificium?

Actus externus religionis quo ad diuinam maieſtatem recognóſcendam & noſtram erga eum ſeruitutem proteſtandam, res aliqua certo ritu ac cæremoniâ ei offertur ac immutatur, ſeu deſtruitur.

Ad quid prodeſt immutatio, ſeu deſtructio rei oblata in ſacrificio?

Ad teſtificandum creaturam coram Deo infinito eſſe veluti nihilum quoddam; hac enim teſtificatione Deus ſummè honoratur, dum creatura ſui ipſius deſtructione coram ipſius magnitudine humiliatur.

Quid eſt votum?

Promiſſio Deo facta de meliori bono.

Quid iuramentum?

Actus religionis quo quis aſſumit Deum in teſtem.

Quid prodeſt aſſumere Deum in teſtem, cùm non reddat teſtimonium?

Adhibebit pro certo teſtimonium in futuro quando illuminabit abſcondita tenebrarum & manifeſtabit concilia cordium. 1. Cor. 4. Et illud teſtimonium nulli iuranti deficiet; vel pro eo, vel contra eum. *D. Thomas. 2.2. q.89. art.2.*

Quid ſignificant iſta verba Ierem.4.

Iurabis, viuit Dominus in veritate, in iudicio & iuſtitia.

Denotantur tres comites iuramenti, qui ſunt veritas, diſcretio & iuſtitia, quâ nemini in iurando damnum inferatur. *Itaque iurabis, viuit Dominus in veritate*, id eſt, non aſſeres falſum per iuramentum. *In Iudicio*, id eſt non iurabis leuibus de cauſis & ex præcipitatione, ſed cum diſcretione. *In iuſtitia*, id eſt nemini tuo iuramento damnum procreabis.

Quod

Quod peccatum religioni directè oppositum?

Maximè superstitio, quæ exhibet cultum diuinum, vel cui debet, vel eo modo quo non debet.

Quotuplex superstitio?

Duplex, vna quæ vocatur superstitio indebiti cultus, quæ hibet cultum verò Deo, sed modo indebito, vt si quis bon sacrificaret in honorem Dei. Altera est superstitio falsi tus, quæ exhibet Diuinum cultum ei cui non debet. Vt lolatria, qua adorantur falsi Dei & Dæmones.

Quotuplex superstitio falsi cultus?

Triplex. Secundum quòd cultus Deo debitus, reddi pot Dæmoni propter tres fines. 1. ad reuerentiam ei exhibenm simpliciter, estque Idololatria. 2. ad recipiendam ab eo quam Doctrinam, & instructionem, & talis superstitio vocur Diuinatio, qua consuluntur Dæmones exhibendo illis uerentiam ad aliquid cognoscendum. 3. ad recipiendam dictionem actuum suorum ab illo, vt nempè fiant ex eius prætipto, & est superstitio obseruationum: qualis reperitur in aleficis, qui pacto inito expresse vel tacitè cum Dæmone, x eius præscripto actiones suas dirigunt ad nocendum proimo.

Est autem maleficium duplex; amatorium quod ordiatur ad amorem carnalem malè inflammandum vel extinguendum.

Aliud dicitur veneficum, quod ordinatur ad damnum inferendum: vt ad procurandos morbos insanabiles; aut etiam nortem tam in pecoribus, quam in hominibus, ad destruendum segetes & alia detrimenta inferenda, quæ accidunt dæmonum opere, dum malefici actiones suas dirigunt ex eorum regulâ.

Nunquid cultus qui redditur sanctis, opponitur religioni & diuino honori?

Minimè, si debitè fiat secundùm doctrinam Ecclesiæ, alia enim species cultus religionis redditur Deo quàm sanctis.

Quotuplex est cultus religionis?

Triplex, scilicet, cultus Latriæ, cultus Duliæ & Hyperduliæ.

Quid est cultus Latria?

Est cultus Deo debitus propter infinitam & increatam eius excellentiam. Qui cultus maximè fit per adorationem & sacrificium, quod est præcipuus actus religionis.

Quid est cultus Dulia;

Est cultus qui redditur sanctis propter eorum sanctitatem

tem & excellentiam communem & quodammodo vulgarem inter illos.

Quid est cultus Hyperdulia?

Est cultus qui etiam ſanctis redditur ; ſed illis dumtaxat, qui ſunt præcipui & eminentiores in ſanctitate & gloria, propter valde magnam eminentiam ſanctitatis & gloriæ, vt eſt in beatiſſima Virgine, in primo Angelo, & Sanctis quibuſdam maximè inſignibus. Cultus autem, ſeu Duliæ, ſeu Hyperduliæ eſt longè inferior cultu Latriæ, quæ ſoli Deo redditur, iuxta verba D. Hieronymi Epiſt. *ad Richarium.* Sanctos honoremus, Deum verò adoremus.

An Hyperdulia ſoli beatæ Virgini tribui debeat, diſputatio erit de nomine: nam & D. Thomas 5. part. quæſt.25.art.2.eam etiam tribuit humanitati Chriſti, ſi intelligeretur vt ſeparata à Verbo: & plures ſcriptores eâ colendos putant aliquos ex ſanctis, qui primas tenent. Vide ſuplementum noſtrum de ante ſupernat. diſp. 4.q.5.

TERTIA PARS EXAMINIS DIACONORVM de Miſsâ & officio Diaconi in eâ.

Quibus Verbis perficitur ſacrificium Miſſæ?

VErbis Ieſu Chriſti prolatis ſuper panem & vinum in vltima Cœna. Scilicet *hoc eſt enim corpus meum, & hic eſt enim calix ſanguinis mei,&c.*

Quid ergo tot alia Verba,tot preces & ceremoniæ adduntur Verbis Chriſti?

Reſpondeo id ſanctè & religiosè Eccleſiam inſtituiſſe, vt in celebratione huius ſacrificij præter Verba eſſentialia adiungerentur quædam alia partim antecedentia, partim ſubſequentia, quæ vel ad Dei laudes & grâtiarum actiones, vel ad populum inſtruendum in fide, excitandamque eius attentionem, vel ad eius vota Deo præſentanda : vel etiam quibus Sacerdos ſeipſum magis præpararet ad dignius offerendum hoc ſacrificium, ac de illo participandum per communionem. Cum enim iſta omnia nihil ſuperſtitioſum, nihil falſum contineant, nihilque quod deceat diuinam maieſtatem, ſed potius tanti ſacrificij reuerentiæ, ac fidelium vtilitati expediant, non poteſt talium rerum vſus non eſſe ſanctus & religioſus, quæ etſi non conficiant ſacrificium, ornant tamen maximè.

Quis

Quis Ordo tot orationum & aliorum quæ dicuntur, aut fiunt in Missâ?

Is Ordo est, vt eorum quæ dicuntur, aut fiunt in Missa, quædam magis propriè spectent ad sacrificium & oblationem incruentam corporis & sanguinis Iesu Christi: alia verò ad participationem & communionem eiusdem corporis & sanguinis: vnde generali quadam diuisione Missa diuidi potest in duas partes. Prima quæ spectat ad sacrificium, ab initio Missæ vsque ad orationem Dominicam, altera quæ spectat ad communionem ab illa oratione Dominica vsque ad finem.

Explica Ordinem & rationem eorum quæ sunt in prima parte & spectant magis ad sacrificium?

Cum sacrificium Missæ & consecratio sit actio sanctissima & excelsissima actio in Ecclesia, non decebat Sacerdotes illam facere sine multa præparatione, ac attentione; ideo præmittuntur quædam antecedentia quibus Sacerdos magis proximè se præparat & deuotionem populi excitat: quia vero in illo sacrificio Christus redditur præsens summè venerandus & summè beneficus, ideò adduntur quædam subsequentia ad reddendum ipsi adorationis debitæ cultum & postulandum ab eo plura bona, quæ ex tanto sacrificio sperari possunt pro viuis & defunctis.

Quæ sunt illa antecedentia quibus præparatur Sacerdos & deuotio excitatur?

Illa ad decem capita reduci possunt commode; etsi minutatim singula expendendo plura annotari possent à magis studiosis.

Quod horum primum?

Imploratio diuini auxilij ad rem tam arduam aggrediendam per Psalmum *Iudica me Deus*, in quo continetur iste versus, *Emitte lucem tuam & veritatem tuam.*

Quomodò audet Sacerdos petere iudicari se à Deo?

Non hic sermo est de iudicio discussionis peccatorum quam vnusquisque iustus debet formidare, sed de iudicio discretionis à malis & impiis à quibus segregari desiderat Sacerdos.

Quid secundum?

Humilis confessio peccatorum dicendo, *Confiteor Deo omnipotenti*, vt se ad compunctionem eorum excitet, quod est consentaneum consilio sapientis. Prouerb. 18. Iustus in principio accusator est sui.

Quid tertium?

Imploratio diuinæ misericordiæ, dicendo nouies, cum

Kyrie, aut *Christe eleison.* Ter ad Deum Patrem, ter ad Filium, ter ad Spiritum sanctum. Idque contra triplicem miseriam ignorantiæ, culpæ & pœnæ.

Quid quartum?

Purificatio intentionis, vt sit pura & ad solam Dei gloriam directa, dicendo: *Gloria in excelsis Deo*, &c.

Quo sensu dicitur in illo hymno gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam?

Vel gratias agere sumitur ibi pro benedicere, vt aliqui explicant. Vel si in vulgato sensu sumatur gratiarum actio, hic gloria Dei consideratur tanquam causa propter quam institutum est hoc sacrificium, specialiter enim propter gloriam Dei, est Ordinatum, vt eius suprema maiestas debito cultu afficeretur, ideo tenemur gloriam Dei suspicere & ei quodammodo obligati sumus in hoc sacrificio, cuius causa est.

Quid quintum ex his quibus præparatur Sacerdos & excitatur deuotio?

Oratio multiplex quæ dicitur in collectis, quæ orationes ita dicuntur, vel quia continent simul collectas populi petitiones quas Sacerdos harum conscius Deo offert: vel quod colligatur populus vt fiant. Concluduntur autem cum diriguntur ad Patrem per Dominum nostrum Iesum Christum quod ab eo omnia bona debeamus expectare, ac propter eius merita, iuxta illud Ioan. 14. *Si quid petieritis Patrem, in nomine meo dabit vobis.*

Quare Sacerdos præmittit collectis, Dominus vobiscum?

Quia excitat populum ad orandum, & sine Dei ope non benè fit oratio.

Cur respondet populus, & cum spiritu tuo?

Tres sunt causæ. Prima quia Sacerdos totus debet esse in spiritu & abstractus esse ab omni sollicitudine corporis sæculi quasi raptus esset ad diuina inter cœlum & terram. Secunda quia sæpe errat spiritus Sacerdotis, aut non rectè intendendo, aut non diligenter attendendo, sed euagando. Tertia vt Sacerdos spiritum purum, seu animam mundam ab omni peccato habeat, vt magis gratum Deo sit eius sacrificium ad vtilitatem populi.

Quid sextum?

Instructio populi per Epistolam, Graduale & Euangelium, quibus idcirco iungitur professio fidei in recitatione alta symboli, quia illa professio fructus est instructionis & per illam testatur populus se fidei consentire.

Quid

Quid septimum?

Deuotio in Offertorio quo seipsum Deo tradit Sacerdos præsentans Deo materiam consecrandam sacrificij simul cum oblationibus populi. Quam deuotionem comitantur thurificatio, lotio digitorum ad potestandum quod vel à minimis peccatis mundus esse optaret, & multiplex oratio in secretis excitato etiam populo per verba, *Orate fratres*, quod eius orationibus se indigere Sacerdos agnoscat ad rem adeò arduam ad quam iam propius accessit.

Cur in Offertorio vtitur his verbis Sacerdos, Suscipiamur à te Domine?

Quod nemo digne Deo sacrificat, qui non prius seipsum per ardentem zelum & deuotionem perfectam Deo veluti seipsum sacrificauerit in hostiam viuam & rationabilem, provt grauiter monebat Gregorius Nazianzenus, Orat. 1. *Cum scirem inquit, quod nemo magno illo, vel Deo, vel Sacrificio, vel Pontifice dignus esset qui non prius semetipsum Deo sacrificium viuum & sanctum obtulit*, &c.

Quid octauum?

Iubilatio & exultatio mentis in Deum ex deuotione proueniens propter quam Præfarionem inchoat excitato populo, vt sursum corda, habeat nihil paruum, ac terrestre de sacrificio cogitans, sed quæ Dei omnipotentia & magnificentia digna sunt. *Sursum corda*: ait, id est, ea eleuate. *Sursum*, inquam, intellectu veritatis, sursum affectu charitatis, sursum virtute conuersationis, sursum rectitudine intentionis, vt explicat Albertus Magnus de sacrif. Missæ tract. 3. cap. 2.

Quid continet illa præfatio?

Multiplicem Dei laudem ac glorificationem cum firma adsertione, quod id maximè dignum, iustum, equum & salutare est, quasi Sacerdos persentiret effectum primæ suæ orationis ad Deum qui lætificaret iuuentutem suam, ac gestiret spiritibus Angelicis sociari ad concinendum sacrum trisagium in honorem sanctæ Trinitatis exclamans *Sanctus, Sanctus Sanctus.*

Quid nonum?

Oratio feruentior in canone Missæ *Te igitur* vsque ad *qui pridie*, vt fiat illa consecratio mox futura salutaris & fructuosa, vnde & fit eius applicatio pro iis pro quibus offertur, aduocato etiam auxilio Sanctorum maiorum cœlestis curiæ, qui nominatim exprimuntur vt omnes pro parte sua cooperentur ad hoc sacrificium ne effectu suo priuetur, aut frustra fiat.

Cur initium canonis est te igitur?

Vt iungatur canon cum his quæ ante dixerat Sacerdos, verè dignum & iustum est, & cæt. quasi diceret. Quando quidem dignum & iustum est tibi gratias agere, igitur in id agamus per hoc sacrificium. *Te igitur*, &c.

Quid significat quod orat Sacerdos in canone, vt oblatio sit benedicta, adscripta, rata, rationabilis & acceptabilis?

Hoc petit vt oblatio Corporis & Sanguinis Christi sit benedicta, id est, gratia plena, omnium laudibus cumuletur & celebretur, adscripta sit in libro viuentium cum electis Dei, sit rata & firma, nusquam è memoria Dei, qui est liber ille, deleatur vt nunquam obliuiscatur eorum quibus applicata est. Sit rationabilis, id est secundum æquitatem & rationem videatur & habeatur sufficiens pro redemptione hominum, cum Christum ob dignitatem ex rigore iuris satisfecisse constet, ac propterea sit acceptabilis, id est, grata & accepta Deo ad remittenda peccata & concedenda ea bona quæ petuntur, & expectantur ex tam admirabili Sacramento.

Quæ sunt quæ consequuntur consecrationem?

Eleuatio.

Adoratio Christi in Eucharistia existentis virtute verborum.

Petitio multiplex.

Glorificatio Dei.

Quæ sunt quæ petuntur?

Tria petit Sacerdos in ea parte canonis quæ consecrationem subsequitur. Primò vt Hostia hæc sancta & immaculata accepterur à Deo sicut quondam grata & acceptata fuerunt sacrificia Abel, Abraham & Melchisedech. Secundò vt hæc eadem Hostia præsentetur per sanctos Angelos in conspectu diuinæ Majestatis, vt ex hac dimanet multa benedictio, & qui hanc sumpserint benedictione cœlesti & gratia repleantur. Tertiò vt propter dignitatem huius Hostiæ Deus auxilietur mortuis & viuis.

Quid pro mortuis petitur?

Petitur pro eis locus refrigerij, lucis & pacis contra tria mala quæ patiuntur, quia sunt in tormentis, in tenebris & in priuatione pacis, ac reconcilationis perfectæ cum Deo.

Quid pro viuis petitur?

Petitur vt Ecclesia militans cum triumphante reuniatur & homines in hac vita mortali degentes participent cum sanctis in cœlo regnantibus de fructu huius sacrificij. *Nobis quoquè peccatoribus, vt partem aliquam & societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis, &c.*

Quando Sacerdos Deum glorificat?

Et si omnis ista actio consecrationis non nisi gloriam Dei spectet, in fine tamen canonis istud expresse magis declaratur, cum Sacerdos discooperto Calice, tenensque eum sinistra & Sacramentum dextera, signat cum Hostia ter à labio ad labium Calicis dicens, *per ipsum* † *& cum ipso* † *& in ipso* † ac bis signans inter Calicem & pectus, *est tibi Deo Patri omnipotenti* † *in vnitate Spiritus Sancti*, eleuando parum Calicem cum Hostia, *omnis honor & gloria. Per omnia sæcula sæculorum.*

De his quæ spectant ad secundam partem Missæ & respiciunt participationem Sacramenti, cur hæc ita distinguuntur?

Quia Eucharistia quæ conficitur in Missa habet rationem Sacrificij & Sacramenti: Sacrificij quidem in quantum Deo offertur, Sacramenti verò in quantum hominibus potest distribui. Idcircò attentè ista duo distinguenda sunt.

Quæ spectant ad rationem Sacramenti in missa?

Quædam quæ antecedunt per modum præparationis, ipsam communionem: alia quæ subsequuntur per modum gratiarum actionis.

Quæ sunt quæ præcedunt per modum præparationis?

Primò oratio Dominica in qua petitur ipsum Sacramentum & ad eam Sacerdos inuitat populum assistentem ipsum salutando, ac dicendo, *Oremus præceptis salutaribus monitis*, &c.

Secundò multa precatio pro pace, dicendo: *Libera nos quæsumus*, &c. Signando etiam cum particula hostiæ super calicem, ac dicendo: *Pax Domini sit semper vobiscum.* Deindè recitando ter *Agnus Dei*, & in horum vltimo dicendo: *Dona nobis pacem.* Quod ideò fit potissimum quod Sacramentum Eucharistiæ sit Sacramentum vnionis quod maximè vnionem fidelium exigit, & quod per hæc aptè significetur triplex pax hominibus exoptanda, pax pectoris seu conscientiæ, pax temporis seu exterior cum hominibus huius mundi, & pax æternitatis seu cœlestis patriæ.

Tertiò adduntur aliæ tres orationes quæ dicuntur iunctis manibus super altare, inclinato ad illud aliquãtulum corpore, quibus Sacerdos post exoptatam iterum pacem toti Ecclesiæ amorem suum ad Christum à quo nunquam se velle separari, sed semper ei adhærere protestatur, explicat; ac fructum huius Sacramenti cum metu & tremore desiderat.

Quartò pro magis immediata præparatione humiliat

se ac simul per spem & fiduciam se extollit dicens ter percutiendo pectus *Domine non sum dignus*, &c. ac sic sumit Sacramentum & distribuit præsentibus si qui sint communicaturi.

Cur frangitur in tres partes Sacramentum & una pars in calicem mittitur?

Sacramentum repræsentat corpus Christi mysticum, cuius partes sunt tres, Ecclesia triumphans in cœlo, militans in terra & patiens in purgatorio. Primam partem repræsentat pars hostiæ, quæ est in dextera, quæ est in statu vniformi. Partem secundam repræsentat particula hostiæ quæ immittitur in calicem, quia qui sunt adhuc in miseriis huius vitæ, indigent meritis sanguinis pretiosi Iesu Christi. Pars autem tertia quæ cum prima coniungitur, designat Ecclesiam patientem in purgatorio quæ certò cum triumphante coniungenda est. *Guillelmus Durandus in rationali diuinorum officiorum lib.* 4. *cap.* 5.

Cur Sacerdos alloquendo Christum vocat eum Agnum Dei?

Quia considerat eum in ratione victimæ seu Agni immaculati, qui pro peccatis hominum oblatus est in cruce, & iterum se offert in altari, ideo vocat Agnum

Quæ sunt quæ subsequuntur Communionem?

Cantus qui dicitur, *Postcommunio*, qui est cantus exultationis, quia lætari debent qui corpore Christi refecti sunt, deinde aliquæ orationes quæ ad gratias agendas compositæ sunt, quæ dicuntur etiam *Postcommunio*, demum demissio populi cum precatione humili ad sanctam Trinitatem, vt illi placeat hoc obsequium sacrificij, ac benedictione populi.

Quid significat, Ite Missa est?

Offert se pro nobis Patri æterno.

Id variè explicatur. Quidam ita interpretantur quasi diceret Sacerdos ite de virtute in virtutem, Missa est hostia ad patrem, consumptis speciebus Christus est cum Patre æterno. Ita Albertus de sacrificio Missæ. Sed minus apta est interpretatio. Quidam nunc esse sensum dicunt: *Ite*, scilicet post Christum & sequimini ipsum. Non est enim in hoc mundo standum: sed ad patriam per bona opera festinandum. Quod leuiter facere possumus, quia Missa est ad Deum placandum, hostia per quam fracta sunt tartara & reseratus Paradisi introitus. Sic Guilielmus Durandus in rationali diuinorum officiorum. lib. 4. caput 47. Communior interpretatio est vt his verbis significetur populo, quod redeat ad propria: quia Missa seu oblata est Deo hostia salutaris pro genere humano *Ite*: ait Albertus de sacrif. Missæ, tract. 3. caput. 23. Hoc est ad

ad propria redite & de virtute in virtutem proficite. Psal. 83. *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.* Quod autem addit, *Missa est*, intendit quod hostia oblata consumptis speciebus Sacramentalibus, iam ad dexteram Patris Missa sit, vt ibi nos Patri in se offerat & ibi nos incorporatos ibi societ & locum paret sicut dicitur Ioan. 14. *Vado parare vobis locum.* Et hoc facit Diaconus, vt omnes sciant se Missos esse & commissos Domino & studeant in Domino permanere, in profestis autem dicit: *Benedicamus Domino*, & est gratiarum actio pro perfecto Missarum mysterio. Ac si dicat illud. Deut. 32. *Date magnificentiam Deo nostro, quia Dei perfecta sunt opera.*

Quare respondet chorus, Deo gratias?

Quia de tanto sacrificio, ac simul Sacramento in re vel in voto peracto gratiæ sunt ab omnibus agendæ, ne dicatur nobis illud Luc. 17. *Non est inuentus qui rediret & daret gloriam Deo.*

Quod officium præcipuum Dianconi in Missa?

Duos actus habet circa Missam veluti essentiales, vnum est præbere Sacerdoti celebranti patenam cum hostia, ac calicem discoopertum cum vino, qui actus est primarius per quem magis proximè cooperatur, ac inseruit sacrificio: alter est cantare euangelium in Missa solemni.

Cur Diaconus accepto libro Euangelij postulat benedictionem à celebrante?

Vt ostendatur neminem sufficientis esse virtutis ad actum annuntiandi Euangelium sine gratiæ diuinæ benedictione & sine missione.

Cur à celebrante thus imponitur prunis thuribuli?

Vt significetur quod omnis fragrans odor virtutum orationum in sacrificio est à Sacerdote Christo qui inuisibiliter omnem perficit sanctitatem, iuxta illud Genes. 27. *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus.*

Cur Ecclesia vtitur thurificatione, cum fuerit caremonia veteris testamenti?

Quædam cæremoniæ in veteri testamento significabant id quod factum est & nunquam amplius faciendum, vt Agnus Paschalis qui mortem Christi repræsentabat, & tales cæremoniæ non possunt esse in vsu: & aliæ significabant id quod semper faciendum est, vt incensum quod significat suauitatem deuotionis: in oratione & sacrificio, Psal. *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Tales autem nihil vetat qui niterentur & in vsu sint apud Christianos.

Cur Diacono eunti ad locum in quo cantatur Euangelium, praeunt duo portantes candelarum faces, & tertius portans Crucem?

Portatur Crux ante Diaconum, vt significetur gloriam Diaconi docentis & virtutem suæ doctrinæ esse in Cruce, ad Galat. vlt. *mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Faces autem significant virtutem Euangelij ad illuminandum mentes luce veritatis & ignorantiæ, ac errorum tenebras dispellendas.

Cur immediatè Thuriferarius precedit Diaconum procedentem ad cantandum Euangelium?

Vt ostendatur quod odor bonæ opinionis & non fœtor infamiæ debet præcedere Euangelistam. 2. Cor. 2. *Dei enim bonus odor sumus in his qui pereunt, & in his qui saluantur.*

Quare stans legit Euangelium & vertit se ad Aquilonem?

Aquilo plaga, frigida & tenebrosa malitiam tenebrosam significat diaboli, contra quam stat Diaconus legens Euangelium, quòd fugat tenebras ignorantiæ & frigus tepiditatis, ac si diceret illud Cant. 4. *Surge Aquilo veni, Auster persla hortum meum & fluant aromata illius.*

Cur priùs signat frontem, os & pectus?

Signat frontem in quo sedes est verecundiæ, vt ostendat se non erubescere Euangelium, os vt confiteatur veritatem, pectus autem, vt credat Euangelio. Quod ostendit se habere merito Iesu Christi, cuius signum sibi imprimit.

Cur cum tot caremoniis legitur Euangelium?

Propter eius præeminentiam, est enim Euangelium ore proprio Iesu Christi verbum prolatum: est verbum verborum & sermo sermonum, ex quo sicut ex themate trahitur omne verbum, est quoquè fidei principium & fundamentum: ideòque cum omni reuerentia pronuntiandum est, & cum deuotione suscipiendum. Plura vide apud Albertum tract. 2. de sacrificio Missæ. c. 7. Vndè & D. Augustinus suspiciebat Euangelium sicut Scripturam manu Christi exaratam, quod diceret Euangelistas esse manus Iesu Christi, qui per eos scripserat quidquid de suis verbis & operibus vt nobis innotesceret, magis expediens iudicauerat.

Quomodo Diaconus cum fructu spirituali intererit & inseruiet sacrificio Missæ?

Meditatio pro Diacono. Si aliquoties tria puncta sequentis meditationis attenta mente consideret, atque ad praxim reducat, dum assistet sacrificio Missæ.

Punctum

Punctum 1. Diaconus debet eo perfectiori modo, quo potest vna cum Sacerdote sacrificium Corporis & sanguinis Christi offerre. Oblatio autem sacrificij duobus modis fit: primò Physicè, secundò Moraliter: Physicè fit & realiter à Sacerdote qui ex virtute caracteris per verba Sacramentalia mutat substantiam panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi atque ad protestandam supremam Dei excellentiam sistit Christum præsentem in altari, viuum quidem, sed modo quodam mortuo cum sit ibi sine vllo vsu sensuum ac si esset mortuus: ita vt Christus, & si producatur in Sacramento sit tamen velut ad nihilum redactus mille & millies in quantacumque paruâ parte Hostiæ, vt hac noua quadam sui veluti exinanitione subiiciat se tanquam victimam Deo Patri in recognitionem supremæ illius Maiestatis. Moraliter verò fit hæc oblatio per internum actum voluntatis, quo supposita cognitione supremæ Maiestatis Dei & dominij super omnia Sacerdos offert illi hanc sacram Hostiam cum humili sui ipsius subiectione, vt cultum debitum reddat. Hic verò actus internus est veluti anima & medulla sacrificij externi, vt quemadmodum integer homo constat animâ & corpore; ita & sacrificium Missæ: ita vt actus ille internus sit veluti anima illius. Est autem actus ille communis Christo, Sacerdoti & omnibus fidelibus assistentibus, qui nunquam maiorem fructum spiritualem percipiunt ex sacrificio quam cum iungunt se mente & spiritu intētioni Christi primarij Sacerdotis. Debetque assistentes per actum illum internum cooperari Sacerdoti sacrificanti, sicut Sacerdos cooperatur Christo, vt sic fiat sacrificium Deo gratissimum. Cum autem Diaconus sit primarius minister assistentium sacrificio, cui magis conuenit quàm ipsi Sacerdotem spiritualem fieri per oblationem illam moralem & internam quâ æstimando Deum, seque illi submittendo vellit illum colere? Dicat itaque cum Daniele c. 3. *in animo contrito & spiritu humilitatis suscipiamur, sicut in holocausto arietum & taurorum & sicut in millibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium nostrum*, in conspectu tuo *vt placeat tibi*, quasi diceret. Nondum ad hanc potestatem perueni vt actu externo incomparabilem illam Hostiam tibi offeram ad honorem tuum, Trinitas sancta & incomprehensibilis maiestas, sed ea fide quâ possunt, tuique æstimatione, ac mea mentis humiliatione interim dum hora adueniet, in qua tua gratia ad Sacerdotium promouear, toto corde adiungo me Christi & Sacerdotis deuotioni, vt tibi fiat acceptum hoc sacrificium.

Ex Gaudiero l. de perfectione natura & caussis.p. 5. c. 1.

Vide supplementum 1. Theol. affect. disp. 4. q. 5. §.

Punctum 2. Diaconus debet maiori quo poterit deuotione cum Sacerdote communicare realiter, vel saltem spiritualiter vt se Christo quam intimè poterit, vniat; eiusque spiritum & affectum imbibat. Adest enim Christus in altari, vt postquam se patri obtulit in Sacrificium, fidelibus se det in Sacramentum & ad eos veniat per realem & sacramentalem sui corporis manducationem per quam fiat præsens in illis & cum in illis arctissimè vniatur, sicque illis testetur amorem suum vt vicissim eorum accendat amorem. Cum autem non possint fideles quotie sacramentaliter communicare; singulari quodam Dei beneficio in supplementum communionis sacramentalis fieri potest spiritualis communio, qua fideles possunt participare fructus Sacramenti & Christo vniri eo arctiori vnione, quo maiori fide apprehendent Christi præsentiam & feruentiori voto eius participes esse per talem communionem desiderabunt. Atque ad hæc eos inuitat quod sicut Christus verissimè se & suum amorem totum ibi præsentem facit illorum causa, ita etiam ipsi perfectè ei sese exhibeant per fidem & viuam præsentiæ illius apprehensionem: deinde etiam sicut ipse Christus sacrificans semetipsum tam amanter se suaque omnia corpus & sanguinem pro ipsis fidelibus offert, ac quodam modo consumit in illorum bonum: ita etiam ipsi in eius gloriam consumi vehementissimè exoptent, ac ad nihilum redigi si opus esset pro eius dilectione. Ita animati fideles omnes quotidie sacrificio interesse par esset. Verum id magis à Diacono fieri æquum est, vt qui diuinæ mensæ ex officio & deputatione diuina Sacerdoti sanctificanti ministrat & assistit, in spiritu saltem cum Sacerdote pascatur, feruore spiritus inebrietur, diuitiis sacrificij locupletetur, nec ieiunus recedat ab hac amplissima mensa & conuiuio Angelorum.

Punctum 3. Diaconus debet se disponere tam ad oblationem, illam spiritualem, quam ad communionem, vt fructus illius abundantius percipiat: etsi enim Sacerdoti obligatio hæc potissimum incumbat: at quia fidelis quisque assistens sacrificio Missæ spiritualiter offert & communicat, cum proportione ad vtrumque se parare debet sicut ipse Sacerdos realiter offerens & communicans. Ad quod primum procuranda est puritas cordis per humilem petitionem veniæ peccatorum & firmam emendationis propositionem. Deinde verò tot ritus & orationes instituit Ecclesia, vt melius præparetur animus ad vtramque partem Missæ tam eius quæ spectat ad oblationem sacrificij, quam illius quæ spectat ad participa-

ticipationem Sacramenti, de quibus cum iam instructus sit Diaconus, æquum est vt ipse sequatur spiritum Ecclesiæ & quam proximè poterit affectus omnes Sacerdotis assequatur. Itaque à principio Missæ vsque ad eleuationem hostiæ antecedentia illa quibus præparatur Sacerdos eo affectu quo à Sacerdote pronuntiari debent, iuxta supra dicta, audiat, confitendo peccata, glorificando Deum cum ipso, &c. In eleuatione sanctæ hostiæ & sancti calicis cogitet exaltationem redemptoris in cruce Deum Patrem adorantis, ac cum ipso Iesu Christo & in vnione adorationis quam Patri exhibet, sursum cor attollat, Trinitatem sanctam adorando cum sublimissimâ & humillimâ simul Christi animâ. Deinceps verò vsque ad initium orationis Dominicæ hanc victimam acceptari à Deo pro viuis & mortuis quibus poterit feruentibus desideriis exoptet sicut in canone continetur. Cum verò piè se gesserit in tota prima parte Missæ quæ spectat sacrificium, non minus feruenter se gerat circa alteram partem quæ spectat ad Sacramentum. Dum *Pater noster* canitur, ea dona omnia postulet quæ magis ad salutem, sibi sunt necessaria. Dum *Pax Domini sit semper vobiscum*, dicitur, intimam cum Deo vnionem deposcat. Circa *Agnus Dei*, in huius Agni, immolati pro nobis bonitate, ac mansuetudine spem, ac fiduciam collocatam habeat, illum rogans, vt quia Agnus est Dei qui tollit peccata mundi, sua omnia peccata deleat in sanguine suo. Dum recitantur tres orationes secretæ à Sacerdote, magis proximè se ad communionem sacramentalem, aut spritualem præparet cum magno desiderio fructus eius percipiendi. In communione autem Sacerdotis communicet vt minimum spiritualiter, Christumque in se habitare exoptet, vires suas fractas reficiat, peccata deleat, infirma sua corroboret, amorem suum sibi imprimat, nunquam ab eo deseratur, simulque doleat quòd propter nimiam suam tepiditatem à Sacramentali sumptione retrahatur, in postcommunione verò ad finem gratias agat pro tanto sacrificio oblato, magna quædam ad gloriam Dei operandi sibi præponat. Denique dum Sacerdos vltimam benedictionem impertitur, benedictionem gratiæ in hoc mundo exoptet quæ eum ad supernam benedictionem gloriæ perducat.

Modus pius assistendi Missæ.

AXAMEN

EXAMEN PRESBYTERORVM.

SVPPONIMVS hîc promouendos ad Presbyteratum ea nosse quæ proposuimus Acolytis, Subdiaconis, & Diaconis; neque enim aliter digni erant qui eueherentur ad tantos gradus in Ecclesia. Minusque digni sunt Sacerdotio, si careant eâ scientiâ quæ iure merito exigi potest ab inferioribus Ecclesiæ ministris. Cùm igitur Ordinandi ad Presbyteratum perfectè instructi supponantur scientia necessaria ad quatuor minores, ad Subdiaconatum, & Diaconatum, prout superiùs explicata est, restat vt interrogentur primum de Ordine Presbyteratus ad quem suscipiunt; deinde verò de Sacramentis in particulari. Tertiò de celebratione Missarum. De iis si rectè respondeant, probandi erunt sufficientis esse scientiæ ad Sacerdotium, sin minus, reiiciantur, audiantque istud Propheticum, Osee 4. *Quia tu scientiam repulisti, ego quoque repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.*

Quod autem proponimus examen, conforme est Concilio Mediolanensi quinto sub S. Carolo Borromæo Constit. part. tertia. De examinandi ratione, *Ab iis*, inquit, *qui Sacerdotio initiari volunt, hæc studiosè sigillatim perquirantur, &c. Hæc præterea quærantur; quid sit Missæ sacrificium; qui illius sacrificij effectus, quæ eiusdem partes, quæ necessaria in eo insint: quæ sacrarum vestium significationes: quæ in eo sacrificio offerendo requirantur; vbi & quando illud fieri non licet, & an sacræ confessionis aliquam peritiam habeant, an ad alia item Sacramenta rectè, ritéque ministranda idonei sint: an eorum cognitionem explicatiorem habeant, &c. An Doctrinam item teneant quâ verbum Dei rectè tractare, concionemque habere possint, atque de re sacrâ, de Christianarum virtutum officiis, atque de omni re ad salutem necessariâ aptè populum instruere, aut docere possint.* Quæ cùm ita sint, nemo ex Ordinandis nobis succenseat, si triplicis huius examinis scientiâ imbutum esse

mox

mox Sacerdotem futurum velimus. Nulla hîc exceptio, nisi forsan Carthusianorum, eorumque Religiosorum, qui in solitudinibus degunt, propriæ dumtaxat saluti incumbentes, quamuis & hi illiterati penitùs esse non debeant, cùm saltem inter suos, & inter Monasterij parietes, Sacramenta aliqua administrent.

Quamuis autem multi polliceantur, si Sacerdotes fiant, se nunquam Sacramentorum administrandorum prouinciam suscepturos, sed soli orationi & sacrificio vacaturos, minimè audiendi sunt ab æquissimis examinatoribus, si prædictâ careant scientiâ: præterquam enim quòd vix ferendum sit, aliquem fieri Sacerdotem, vt sibi ipsi soli vacet, maneatque otiosus in tanta Ecclesiæ messe, accidit quòd facillimè mentem mutaturus sit, seu habendi cupiditate ductus, seu ambitionis vento elatus, seu satagente dæmone, & omnem lapidem mouente, vt indoctiores plurimi præripiant beneficia, non nisi eruditissimis debita & tunc maximè se sine curis esse putent, cùm curas habuerint. *Parati*, ait Doctor mellifluus Serm. 2. in Ascensione Domini, *ad honores & celsitudines graduum Ecclesiasticorum, ipsis etiam Angelicis humeris formidandos.* Quid quòd multi, cùm ad Sacerdotium optatum peruenerint, omnem studiorum curam deponunt, vnde & facillimè obliuiscuntur omnium quorum scientiâ, non nisi leuiter tincti erant: nam cùm Sacerdotij solius desiderium illis stimulus sit ad studia, nihil superest, eo adepto, quo ampliùs vrgeri possint ad studiorum laborem. Ideóque nisi sufficienter instructi sint, constantissimè reiiciendi sunt, quoad vsque doctiores redierint. Quod non parùm suadent mille ducenti duodecim Patres qui Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio interfuerunt Canone 27. eiusdem Concilij. *Cùm sit ars artium regimen animarum, districtè præcipimus, vt Episcopi promouendos in Sacerdotes diligenter instruant, & informent, vel per seipsos, vel per alios viros idoneos, super diuinis officiis, & Ecclesiasticis Sacramentis, qualiter ea rite valeant celebrari; quoniam si ignaros, & rudes de cætero ordinare præsumpserint (quod quidem facile poterit deprehendi) & ordinantes, & ordinatos graui decreuimus subiacere vltioni. Satius est enim maximè in ordinatione Sacerdotum paucos bonos, quàm multos malos habere ministros: quia si cæcus cæcum duxerit, ambo in foueam dilabuntur.* Quare Sanctiores quique Episcopi maximè semper reformidarunt sacrarum ordinationum onus, quod leuius non est cæteris omnibus, quibus Episcopalis status assumptione,

ne, collum animumque subdiderunt. Vt propterea apud Ioannem Moschum, qui circa annum Domini 630. florebat *in Prato spirituali*, *cap.* 149. (qui liber ex magna parte vtilis inter Patres Bibliothecæ Patrum insertus est, & à septimâ Synodo vniuersali citatur) legamus de Abbate Amos, quod cùm Hierosolymam venisset, ac Patriarcha Ordinatus fuisset, patribus omnibusque Eremi Abbatibus dixerit: orate pro me Patres, magnum enim onus, & intolerabile mihi iniunctum est, Sacerdotijque dignitas me terret immodicè. Petri enim & Pauli, & similium est regere rationales animas, ego autem infœlix peccator sum. *Plus autem quàm cætera timeo ordinationum sarcinam.* Nam inueni scriptum, quòd beatissimus & æqualis Angelis Papa Leo, qui Romanorum Ecclesiæ præfuit, per quadraginta dies perseuerauit ad sepulchrum Apostoli Petri, vigiliis & orationibus insistens, petensque ab Apostolo, vt pro se apud Deum intercederet, vt dimitterentur sibi peccata sua, impletisque diebus quadraginta, apparuit ei Apostolus Petrus dicens, *Oraui pro te, & dimissa sunt tibi omnia peccata tua, præterquam impositionis manuum. Hoc enim solum abs te requiritur, siue benè, siue fortassis aliter id gesseris.* Quam Historiam hîc recensemus; vt æqui bonique consulant Ordinandi ad Presbyteratum, si Pontifices memores futuri in iudicio examinis, ipsos nunc æquo subiiciant examini, nec ipsis citò manus imponant, iuxta monitum Apostoli 1. ad Timoth. 5. *Manus nemini citò imposueris. Neque communicaueris peccatis alienis.* Episcopus enim præceps in consecratione, (vt aiunt ibidem D. Bruno, & Anselmus) particeps est omnium criminum quæ iniustè consecratus in Sacerdotio pòst committit.

PARS PRIMA EXAMINIS Presbyterorum, de ipso Ordine.

Quid postulas?

Sacerdotium.

Rem magnam & difficilem postulasti.

Quid est Sacerdotium?

Est potestas ad consecrandum corpus, & Sanguinem Christi, & ad remittenda peccata per administrationem Sacramentorum Baptismi, Pœnitentiæ, & Extremæ-Vnctionis.

Quomodo audes petere Sacerdotium quod plures sancti refugerunt?

Illud

Illud cum metu & tremore desidero, conscius meæ propriæ infirmitatis, magisque diuinæ gratiæ auxilio quàm propriis viribus innixus, zelo ductus sacrificium offerendi Deo, & salutem proximorum procurandi.

Quid est Sacerdos?

Est vir cultui veri Dei, auctoritate diuinâ, determinatis personis concessâ, firmiter deputatus. *Toletus lib. 1. cap. 1. Instr. Sacerd.*

Quis ille cultus cui deputatus est Sacerdos?

Sacrificium, administratio Sacramentorum, laudes diuinæ, & preces nomine populi pro quo exercet officium mediationis & intercessionis.

Vnde dicitur Sacerdos?

His versibus continentur causæ huius nominis ab officio & fine.

Sacris dotatus, vel sacris deditus, atque sacra dans.
Sacra docens, sacra dos, vel sacer dux esto Sacerdos. *Apud Chassanæum in Catalogo.*

Quare etiam dicitur Presbyter?

Dicitur etiam Presbyter, id est, senior, ob iudicij maturitatem quæ ad id numeris necessaria est, & ob reuerentiam quæ ei debetur.

Quid est Presbyteratus?

Est Ordinatio, quâ traditur potestas ad conficiendum Corpus, & Sanguinem Christi, & ad remittendum peccata, facta ab Episcopo certa verba proferente, & cum intentione debita.

Quotuplex potestas confertur per Ordinationem Presbyteratus?

Duplex: vna Ordinis super Corpus Christi verum, ad illud conficiendum: altera iurisdictionis super Corpus Christi Mysticum, seu Ecclesiam ad absoluendum pœnitentes, post assignationem Subditorum aliquorum quæ fit ab Ecclesiâ.

Quotuplex clauis confertur Presbytero?

Duplex: clauis potestatis, & clauis scientiæ. Clauis potestatis est potestas quam habet Sacerdos ad ferendum sententiam super pœnitentes, seu absoluendo, seu denegando absolutionem, seu eam differendo, ex iustitia, cùm res ita postulauerit. Clauis scientiæ est etiam potestas quam recipit Sacerdos ad inquirendum, examinandum, & cognoscendum more iudicis, ea quæ spectant ad peccata pœnitentium, antequam ferat sententiam, vel absoluendo, aut remittendo, aut differendo absolutionem. Neque enim iustè exequi posset ea

quæ

quæ sunt potestatis, nisi præcederet debita informatio, & cognitio.

Nunquid Sacerdotes magis docti excellunt aliis in claui scientia?

Cùm omnes habeant æqualiter potestatem inquirendi, & examinandi pœnitentes, Doctiores non habent propriè magis clauem scientiæ, sicur nec habent magis clauem potestatis: Attamen Doctiores possunt meliùs vti illa claui scientiæ, inquantum possunt magis discretè ea inquirere, quæ sunt magis necessaria, abstinendo ab inquisitionibus rerum superfluarum: cùm è contra Sacerdotes indocti abutantur sæpe claui scientiæ, non inquirendo quæ sunt inquirenda: imò potiùs inquirendo superflua, & non necessaria ad ferendum rectum iudicium super pœnitentes qui se eorum clauibus subiiciunt.

Quare vocatur clauis, duplex illa potestas ad inquirendum, & ad ferendum sententiam?

Quia quemadmodum clauis instrumentum est, quo aperitur, vel clauditur ianua: ita illa duplex potestas est instar instrumenti Sacerdotibus ad aperiendam ianuam cœlorum pœnitentibus, eos absoluendo: vel claudendam, eos remittendo sine absolutione, secundùm quod præmisso debito examine, æquum & rationabile videbitur pro bono, vel malo statu pœnitentis quem non absolui aliquando, aliquando absolui expedit.

Quare vocas Presbyteratum Ordinationem potiùs quàm Ordinem?

Respondeo nomen Ordinationis significare actionem; nomen verò Ordinis significare meliùs gradum qui acquiritur per Sacramentum. Presbyteratus autem est illa actio, seu ceremonia facta, quâ Episcopus ordinat aliquem in Presbyterum, ideò aptiùs Presbyteratus vocatur Ordinatio quàm ordo. Sicut obseruarunt etiam aliqui Theologi de omnibus Ordinationibus.

Quæ est materia Presbyteratus?

Scotus in 24. Dist. 24. qu. vnica. Durandus eadem distinctione.

Respondeo duplicem esse materiam partialem Presbyteratus, cui etiam correspondet duplex forma partialis. Vna materia est traditio calicis cum vino & aqua & patenæ cum hostia superpositâ, cui correspondet hæc forma. *Accipe potestatem offerendi sacrificium, missasque celebrandi, tam pro viuis quàm pro defunctis.* Altera materia est impositio manuum facta à solo Episcopo, cui respondet hæc altera forma partialis: *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.*

Videtur

Videtur ergo duas esse Ordinationes Presbyteratus, & sic esse plusquàm septem Ordinationes?

Respondeo duas illas Ordinationes Presbyteratus esse tantùm partiales, ex quibus conflatur vna totalis Ordinatio Presbyteratus; vndè non sunt plusquàm septem Ordinationes.

Conferturne aliquid distinctum per duas illas Ordinationes partiales?

Ita est: nam per primam confertur Ordinato potestas in Corpus Christi verum, & eius sanguinem, vt possit mutare substantiam panis in substantiam Corporis Christi,& substantiam vini in substantiam Sanguinis: per secundam autem Ordinationem confertur Ordinato potestas in Corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, vt possit remittere peccata, mediante Sacramento Pœnitentiæ, atque Sacramento Extremæ-Vnctionis, per quam ex opere operato remittit venialia. Rursùs per secundam Ordinationem recipit nouam gratiam sanctificantem, distinctam ab ea quam recipit per primam Ordinationem;ius etiam ad nouam gratiam Sacramentalem, & similiter extensionem characteris recepti in primâ Ordinatione.

Quomodò distinguitur potestas quæ datur per Ordinationem Presbyteratus à potestate quæ datur per alias Ordinationes?

Respondeo distingui. Primò quod sit potestas omnium excellentissima ad conficiendum immediatè verum Christi Corpus,& ad remittenda peccata. Secundò quod potestas illa sit vera & realis potestas quâ ordinatus potest realiter facere,quod antea nullo modo poterat secundum genus facti, scilicet conficere Corpus Christi, & absoluere pœnitentes: non enim ita se res habet in aliis ordinationibus inferioribus, si exorcistatum excipiamus, per eas enim non confertur potestas per quam ordinatus possit aliquid facere interius vel exterius quod ante non poterat: sed tantum per quam licet facere ex officio quod non licebat prius. Quicquid enim potest Diaconus ordinatus, puta legere Euangelium & ministrare Sacerdoti, totum poterat prius facere, sed non licebat ei. Vndè cùm potestas sit ad posse magis quàm ad licere, potestas quæ confertur per alias ordinationes, est tantum potestas veluti moralis & secundùm quid:at potestas Sacerdotis est potestas simpliciter & realis.

Quare excipis exorcistatum?

Quia sicut inter minores ordinationes per exorcistatum confertur vera & realis potestas contra dæmones, quæ

H

anteà non erat: ſic inter maiores ordinationes per Presbyteratum confertur etiam vera & realis poteſtas circa Corpus Chriſti verum & myſticum, quæ prius nullo modo erat in Ordinato.

Quæ Sacramenta poteſt conficere, & adminiſtrare Sacerdos?

Reſpondeo poſſe ordinariè conficere, & adminiſtrare quatuor Sacramenta, Baptiſmum, Euchariſtiam, Pœnitentiam, & Extremam-Vnctionem.

Quare dicis, Ordinariè?

Quia ex commiſſione ſummi Pontificis, ſimplex Sacerdos poteſt confirmare; multi etiam putant ex eadem commiſſione potuiſſe eumdem conferre Ordines Diaconatus, Subdiaconatus, & quatuor Minorum, propter conceſſionem factam Abbatibus Ciſtercienſibus, quam refert Maior in 4. diſt. 7. q. vnica, extendi etiam ad Diaconatum. Quam tamen alij reuocant in dubium.

Nunquid etiam Sacerdos adminiſtrat Sacramentum Matrimonij?

Reſpondeo ipſoſmet contrahentes eſſe proprios miniſtros Sacramenti Matrimonij, quod ſibimet ipſis adminiſtrant; Sacerdotem verò, ſi ſit Epiſcopus, aut Parochus contrahentium, vel ab Epiſcopo, aut Parocho delegatus, eſſe tantum teſtem coram quo Matrimonium iniri debeat, vt ſit validum, iuxta Concilium Tridentinum.

Eſtne Epiſcopatus Ordo, quemadmodum eſt Presbyteratus?

Ordo eſt, & Sacramentum, non minùs quàm Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus.

Sunt ergo pluſquam ſeptem Ordinationes Sacræ, & Sacramentales?

Reſpondeo non eſſe propterea pluſquam ſeptem Ordines, ſeu Ordinationes: quia Ordinatio Epiſcopalis eadem eſt, & vna genere cum Ordinatione Presbyteratus: ſunt enim duæ ſpecies Sacerdotum, ſcilicet Sacerdotes non Epiſcopi, & Sacerdotes Epiſcopi, qui Ordinantur per Ordinationes ſpecie diuerſas; ſed vnam genere quæ vocari poteſt Ordinatio Presbyteratus in genere. Vndè non ſunt pluſquam ſeptem Ordines, ſeu potiùs Ordinationes.

Quâ in re diſtinguitur Ordinatio alicuius in Epiſcopum ab Ordinatione Presbyteri non Epiſcopi?

In eo quòd Ordinatio alicuius in Epiſcopum ſupponat, & includat eſſentialiter Ordinationem Presbyteratus ſimplicis,

plicis, tanquam partem essentialem : addátque insuper partialem aliam Ordinationem per quam confertur Episcopo quædam veluti vniuersalitas ad actus Ecclesiasticos:ita vt possit omne quod potest simplex Sacerdos : & possit etiam communicare alteri Sacerdotium, Confirmare, & Chrisma benedicere, & plura alia quæ simplici Sacerdoti non conueniunt.

SECVNDA PARS EXAMINIS PRESBYTERORVM, de Sacramentis in particulari.

Quid est Baptismus?

Est Sacramentum nouæ legis constans ex ablutione exteriori corporis, & præscripta verborum forma ad remissionem peccati Originalis.

Quæ materia Baptismi?

Duplex ; remota,& proxima ; illa est aqua naturalis ; hæc est ablutio corporis, vel notabilis partis illius.

Si quis Baptizaret cum aquâ ex rosis distillatâ, vel cum lachrimis, nonne adhiberet sufficientem materiam?

Minimè. Quia aqua distillata,vel lachrymæ, non sunt aqua naturalis quam Christus instituit pro materia huius Sacramenti.

Quæ forma Baptismi?

Prolatio verborum istorum. *Ego te baptiso, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Ista verba, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti' *suntne de essentia formæ Baptismi, & omnium Sacramentalium formarum in quibus adhiberi solent?*

Respondeo esse de essentia formæ in baptismo & confirmatione, quia baptismus institutus est ad profitendam fidem Catholicam, sicut & Confirmatio. In Sacramentorum verò aliorum formis in quibus adhiberi solent, vt in Pœnitentia, adhibentur tanquam de præcepto Ecclesiæ, non tanquam de necessitate Sacramenti.

Nunquid Apostoli in actis Apostolorum dicuntur baptisasse in nomine Christi, nulla facta mentione Patris & Filij & Spiritus sancti?

Respondeo, quando dicuntur in Actis Apostolorum baptisasse in nomine Christi, intelli per hoc,baptisasse in baptismo à Christo Domino instituto, vt distinguerentur baptisati baptismo tantum Ioannis,à baptisatis baptismo Christi.

Differebatne baptismus Ioannis à baptismo Christi?

Omnino, quia baptismus Ioannis non erat Sacramen-

tum, nec conferebat gratiam ex opere operato, ſed erat tantùm quædam cæremonia, quâ vtebatur D. Ioannes, vt diſponeret homines ad recipiendum baptiſmum Chriſti, aſſuefaciendo eos ablutioni.

Quis legitimus miniſter baptiſmi ?

Primò Epiſcopi & Sacerdotes iure ſuo baptizare poſſunt. Deindè poſſunt baptiſare Diaconi ex permiſſione Epiſcopi vel Sacerdotis: in neceſſitate autem, deficientibus Sacerdotibus & Diaconis, quilibet baptiſare poteſt, ſeu vir, ſeu mulier, adhibitâ legitimâ materiâ, formâ & intentione.

Quid ſi Laïci baptiſent in præſentia Sacerdotis, qui paratus ſit baptiſare ?

Validus erit baptiſmus, quamuis peccetur à Laïcis qui ſine neceſſitate id ſibi vſurpant in præſentiâ ordinarij miniſtri.

Quare adhibentur patrini ?

Vt baptiſati tanquam modò geniti infantes ad vitam ſpiritualem pædagogos habeant, quorum ope educentur, ac doctrinâ, boniſque moribus imbuantur, ita vt baptiſatis pro patribus ſpiritualibus reputentur; vndè ex decreto Eccleſiæ cognationem ſpiritualem contrahunt cum baptiſato & cum eius patre & matre, quæ cognatio impedimentum eſt dirimens Matrimonium inter patrinos & baptiſatum eiuſque patrem & matrem.

In quanam actione patrini contrahunt cognationem ſpiritualem ?

In ſuſceptione vel tentione baptiſati, dum baptiſatur; ita vt teneant vel tangant ipſum baptiſatum; non eſt tamen neceſſe vt carnem pueri immediatè tangant.

Quæ diſpoſitio requiritur in adulto qui baptiſatur ?

Conſenſus ipſius, fides, & attritio de peccatis quæ includat propoſitum nouæ vitæ.

Quid fiet ſi adultus ſit amens ?

Si ſit amens ab infantia, baptiſari poterit more infantium. Si in amentiam inciderit, poſtquàm habuerit vſum rationis, & nunquam baptiſmum deſiderauerit, vigente vſu rationis, non erit capax baptiſmi.

Quis effectus baptiſmi ?

Primus eſt infuſio gratiæ ſanctificantis & virtutum ſupernaturalium. Secundus eſt deletio peccati originalis & cæterorum omnium, ſi quæ ſint. Tertius eſt character quo notantur in animâ omnes baptiſati, & quo diſcernentur per totam æternitatem à non baptiſatis. Quartus eſt remiſſio omnis pœnæ debitæ peccatis, vnde nulla ſatisfactio iniungitur adultis, qui

qui baptisantur. Quintus est auxilium gratiarum quarumdam actualium ad Christianè viuendum, & cùm necesse fuerit alia Sacramenta recipiendum. Sextus est apertio paradisi, in cuius rei signum cœli aperti sunt in baptismo Christi.

Si remittatur omnis pœna debita peccatis, quomodò ergo baptisati adhuc patiuntur fomitem peccati & tot miserias huius vitæ, atque etiam ipsam mortem quæ est pœna peccati?

Respondeo in baptisatis pœnalitates istas remanere ad exercitium virtutis, non ad punitionem peccatorum, quæ in baptismo integrè condonata sunt, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam.

Quid si adultus baptisetur sine attritione, & sine sufficienti dispositione, recipitne gratiam sanctificantem & remissionem peccatorum?

Non recipiet, nisi recedente fictione. Quia Sacramenta quæ imprimunt characterem, & quæ reiterari non possunt, ita sunt à Christo instituta, vt si non conferant gratiam propter obicem, illam conferant remoto obice, ne alioqui homo priuaretur in perpetuum gratiâ huius Sacramenti quod reiterari non potest. Quod etiam probabile est de Matrimonio & Extrema-Vnctione, quia illud reiterari non potest, respectu eiusdem mulieris, & hæc respectu eiusdem ægritudinis.

Quotuplex baptismus?

Triplex baptismus fluminis, flaminis & sanguinis.

Primus est baptismus collatus in aqua naturali.

Secundus est desiderium, seu votum baptismi cum contritione peccatorum.

Tertius est martyrium seu effusio sanguinis pro Christo, quæ supplet vicem baptismi & remittit peccata omnia.

Baptismus fluminis ita dictus, quòd fiat cum aquâ naturali, quæ magis ordinariè est ex flumine, quamuis etiam possit esse ex mari, ex fontibus, ex nubibus & puteis, vel lacubus & stagnis.

Baptismus flaminis dicitur ardens desiderium baptismi. Quod flamen deductum à *flo*, *flare*, significat flatum, spirationem, & inde magnum desiderium alicuius rei

Baptismus sanguinis est martyrium quòd in eo soleat sanguis effundi. Per accidens prærequirit in adulto actum contritionis, propter obligationem eliciendi hunc actum in articulo mortis, in quo martyr constituitur.

Quid est confirmatio?

Confirmatio. Est Sacramentum nouæ legis, quo homo viator baptisatus inungitur in fronte ab Episcopo, cum chrismate & præscriptâ verborum formâ ad fidei robur consequendum.

Materia remota huius Sacramenti est chrisma benedictum ab Episcopo consecrato; chrisma autem conficitur ex oleo oliuarum & balsamo. Materia proxima est chrismatio seu applicatio chrismatis in fronte.

Fôrma est ista, *Consigno te signo crucis & confirmo chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Quid est Eucharistia?

Eucharistia. Est Sacramentum constans ex corpore & sanguine Christi, & speciebus panis & vini ad refectionem spiritualem animarum institutum.

Quæ materia, & quæ forma Sacramenti Eucharistiæ?

Respondeo Sacramentum Euchatistiæ considerari posse in duplici statu: scilicet in fieri, & in facto esse, & in vtroque statu habere peculiarem materiam & formam.

Nam quatenùs spectatur in fieri, habét pro materia panem & vinum. Pro forma autem habet hæc verba prolata super panem; *hoc est enim corpus meum* & ista verba prolata super vinum: *Hic est enim calix sanguinis mei &c.*

Quatenùs verò Sacramentum istud spectatur in facto esse, habet pro materia species panis & vini, pro formâ verò corpus & sanguinem Christi.

Vnde distinctio ista in Sacramento Eucharistiæ, cum alia Sacramenta non spectentur in facto esse & in fieri

Respondeo Sacramentum Eucharistiæ habere hoc peculiare, quòd in se contineat aliquid sacrum absolutè, scilicet Christum: alia verò Sacramenta continent tantùm aliquid sacrum, in ordine ad aliud, in quantum continent virtutem ad sanctificandum hominem, cum ei applicatur eorum materia. Hinc est quòd Eucharistia est Sacramentum per se & sine applicatione ad hominem: alia verò Sacramenta sunt tantùm Sacramenta, quatenùs applicantur, ideóque totum eorum esse consistit in actione transeunte, & in applicatione actuali. Cùm igitur Eucharistia sit sacramentum per se subsistens, rectè possumus duplicem illum statum distinguere in fieri & in facto esse, quem ad modum in qualibet alia re quæ consideratur vt fit & vt facta est, vt domus & aliæ res. Alia verò Sacramenta, cùm non habeant esse subsistens, sed consistant in actione transeunte, & in applicatione actuali, non possunt considerari nisi in fieri, & quatenùs fiunt.

Quid

Quid intelligitur per species panis & vini?

Intelliguntur accidentia Panis & vini, scilicet quantitas, color, sapor, quæ sola remanent post verba consecrationis, substantia panis & vini, mutata in substantiam Corporis & Sanguinis Christi.

Quomodò remanere possunt illa accidentia, destructâ substantiâ quæ est illorum subiectum?

Deus illa conseruat per miraculum sine proprio subiecto; est enim istud Sacramentum plenum miraculis & in eo maximè operatur Dei omnipotentia

Quid est refectio spiritualis animarum ad quam conferendam institutum est istud Sacramentum?

Respondeo non esse solam gratiam sanctificantem: nam Baptismus & alia Sacramenta refectionem illam spiritualem conferrent; sed esse quemdam gustum deuotionis, pias scilicet quasdam cogitationes & affectiones, quibus recipientes dignè hoc Sacramentum, afficiuntur, recreantur ac confortantur, velut quodam cibo sapidissimo.

Omnia verba quæ proferuntur in consecrando, suntne essentialia & omninò necessaria, ita vt non fieret aliter consecratio?

Respondeo ea tantùm verba esse de essentia, & necessaria quæ requiruntur ad significandum essentiam huius Sacramenti; particula autem *enim* & hæc verba *accipe*, & quod *pro vobis tradetur, & noui & æterni testamenti*, non sunt talia, nec per ea conficitur Eucharistia. Vnde non sunt de essentia formæ, Peccaret tamen Sacerdos ea omittendo propter præceptum Ecclesiæ cui obniteretur.

Quid vocas consecrare?

Est aliquid totum Deo applicare: vndè panis dicitur consecrari, cùm mutatur in Corpus Christi, quia sic totus impenditur in obsequium & cultum Dei.

Quid significatur per hoc pronomen hoc *in consecrando?*

Respondeo significari & intelligi non quidem substantiam Corporis Christi: sed contentum sub accidentibus, quod in fine prolationis verborum est Corpus Christi.

per quam actionem fit hoc mysterium?

Per conuersionem substantiæ panis in Corpus Christi quæ conuersio vocatur propriè transsubstantiatio.

Quid est vnam substantiam conuerti in aliam?

Est vni substantiæ desinenti alteram succedere in aliquo munere seu habitudine ad aliquod tertium. In consecratione autem, substantiæ panis desinenti succedit substantia

Corporis Christi, cum intima coniunctione ad accidentia panis,quam coniunctionem habebat antea substantia panis.

Poniturne sola substantia Corporis Christi per consecrationem?

Respondeo poni solam substantiam Corporis Christi vi verborum, sed concomitanter poni etiam sanguinem, animam, & quæcumque sunt in Christo.

Quid est poni vi verborum?

Illud ponitur vi verborum, quod expresse significatur poni per verba consecrationis,alia verò per concomitantiam.

Quid ergo dicitur poni vi verborum sub specibus panis?

Solum Corpus Christi, quod tantum significatur per verba ista,*hoc est enim Corpus meum.*

At sanguis & anima sunt etiam sub speciebus panis, nec alia virtute quàm verborum, quæ omnia efficiunt in hoc Sacramento?

Respondeo non tamen sanguinem, & animam poni vi verborum sub speciebus panis eo sensu quo Theologi dicunt aliquid poni vi verborum, qui est ita aliquid poni vi verborum, vt etiam significetur, & exprimatur clarè poni per ipsa verba.

Poniturne in Calice aliquid præter sanguinem Christi?

Ponitur etiam concomitanter ipsum corpus Christi, eius anima, imò & Christus totus qui manet integer sub vtraque specie.

Possetne Sacerdos consecrare quemlibet panem etiam distantem à se?

Respondeo materiam debere esse ita præsentem humano modo, vt designari possit his particulis (*hoc,hic*) vndè Sacerdos non posset validè consecrare hostiam existentem post parietem, aut intra tabernaculum clausum, quia humano modo videtur absens: posset tamen consecrari hostia existens in pixide præsenti, vel vinum in dolio, & in calice cooperto. Dubium est etiam si possit consecrari Hostia distans viginti aut triginta passibus, quia non satis constat, an designari possit per particulam *hoc.*

Possetne consecrari vinum congelatum?

Posset validè consecrari, quia est potabile, lambendo, sugendo,vel si liquefiat.

Aqua tamen congelata non sufficit ad Baptismum?

Discrimen est, quia Eucharistia consistit in re permanenti: at Baptismus in ablutione actuali & transeunte, quæ non fit ex aqua congelata.

Est

Estne necesse miscere aquam in vino?

Est necesse ex præcepto Ecclesiæ ad imitationem Christi Domini,quem probabile est merum vinum non bibisse, & ad significandam vnionem populi per aquam designati cum Christo.Non est tamen mixtio illa de præcepto diuino.

Estne necessaria vtraque species ad salutem?

Respondeo non esse. Quia licet Christus instituerit hoc Sacramentum sub vtraque specie:non tamen præcepit receptionem sub vtraque specie; sicut nec omnes circumstantias præcepit cum quibus hoc Sacramentum instituit, vt est tempus vespertinum,cœna & alia,&c.

*Nunquid tradidit Apostolis vtramque speciem,præcepitque vt sumerent,dicens,*sumite ex hoc omnes?

Respondeo Apostolos fuisse Sacerdotes quibus competebat sacrificare, ideóque consecrare & sumere sub vtraque specie, quod non competit aliis qui non sunt Sacerdotes.

Nonne priuantur aliquâ gratiâ, qui communicant tantùm sub vna specie?

Respondeo non conuenire satis inter Theologos, vtrùm fructuosior sit communio sub vna specie, quàm sub duabus. Variant enim eorum sententiæ in hoc articulo. Sed quicquid sit de hac difficultate; Hoc constat ex Concilio Tridentino Sess. 21. c. 5. sub alterâ totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi: ac propterea quod ad fructum attinet, nullâ gratiâ necessariâ ad salutem, eos defraudari, qui vnicam speciem solùm accipiunt. Vbi cautissimè Concilium dixit nullâ gratiâ necessariâ ad salutem defraudari, vt quamuis ex opinione multorum Theologorum, priuentur aliquâ gratiâ,qui communicant sub vnâ tantum specie,intelligamus tamen non inferri propterea præiudicium aliquod saluti, cum gratiâ illâ quâ priuantur, non sit ad salutem necessaria.

Quæ ratio præcipuè mouit Ecclesiam ad prohibendum communionem laicis sub vtraque specie?

Multæ sunt rationes, vt quòd multi vinum gustare non possint,quod multi nauseam patiantur bibendo in eodem calice cum quibusdam morbidis & infectis,quòd species Vini seruari non possint pro ægrotis. Sed præcipua videtur esse reuerentia debita Christo Domino, cuius sanguis non rarò effunderetur in terram.Itaquè vt ius Christi seruetur illæsum, quo debet tractari reuerenter omninò,iure Ecclesiastico vtraque species laïcis prohibita est.

est in arbitrio Sacerdotis, vt eam cui voluerit applicet. Ita vt mortaliter peccet si obligatus ad dicendam missam pro aliquo, illi non applicet valorem eius. *Puteanus in tert. parte D. Thomæ. q. 83. art. 1. dub. 7.*

Quomodò potest Sacerdos valorem Missæ offerre aliis, qui non faciunt eam celebrare?

Hic est securus & breuis modus eam applicandi. Memento Domine mei & eorum quibus possum sine præiudicio prædictorum, valorem Missæ huius applicare, & humillimè supplico tibi omnia scienti, vt ita eum mihi & illis & eo ordine feras applicatum, quo possem ego tuo consilio optimè applicare. *Nauarrus in manuali. cap. 25 numero* 111.

Quid maximè obseruare debet Sacerdos ad celebrandum?

Primò, probationem sui ipsius per confessionem Sacramentalem, si se iudicet reum peccati mortalis. Secundò tempus, vt non celebret nisi ab aurora ad meridiem. Tertiò vt sit ieiunus & saltem matutinum cum laudibus recitauerit, nisi necessitate aliquâ vrgente excusetur. Quartò locum: vt vel in templo, vel ad altare, super lapidem benedictum consecret. Quintò vestes sacras & benedictas sine quibus ex instituto Ecclesiæ celebrare non licet. Sunt autem sex, amictus, alba, cingulum, manipulus, stola seu orarium, & casula seu planeta, quæ vestes decenter ornant Sacerdotem in sacrificio offerendo, variasque habent significationes tum in ordine ad mores, tum ad passionem Christi. Sextò obseruare debet vt materia sacrificij legitima sit, scilicet sit hostia ex pane triticeo azymo, vinum non sit nimis acidum. Septimò corporalia non sint immunda & lacera. Octauò habeat ministrum, deniquè celebret, vt quidam aiunt, cum a b c d, id est, altè, breuiter, clarè, deuotè.

Quæ significationes sex vestium, quibus induitur Sacerdos in celebrando?

Primò in ordine ad mores amictus significat spem & fiduciam Sacerdotis. Alba eius cordis munditiem ac iustitiam. Cingulum carnis continentiam & castitatem. Manipulus cordis compunctionem, quasi sudarium gestaret ad abstergendas lachrymas, sicut de B. Arsenio refertur. Stola seu orarium iugum Christi suaue; casula autem vel planeta charitatem.

In ordine vero ad Christi passionem, amictus denotat linteum quo sacra eius facies velata fuit. Alba vestem candidam quâ illusus fuit. Cingulum & manipulus funes & vincula quibus alligatus. Stola eius obedientiam, quâ submisit se vsque ad

ad mortem. Casula verò vestem purpuream quâ indutus fuit in domo Pilati.

Quomodò differunt Pœnitentia virtus, & pœnitentia Sacramentum?

Respondeo pœnitentiam, vt est virtus, esse habitum bonum quo inclinamur ad compensandam offensam Dei per opera satisfactoria. Pœnitentiam verò vt est Sacramentum, esse aggregatum quoddam morale ex actibus pœnitentis, scilicet contritione, confessione, satisfactione, & ex absolutione Sacerdotis, ad remittenda peccata post Baptismum commissa.

Quæ est materia pœnitentiæ, vt est Sacramentum?

Sunt tres actus pœnitentis, scilicet contritio, confessio & satisfactio, qui tres actus dicuntur partes materiales Sacramenti pœnitentiæ, præter quas est adhuc alia pars quæ dicitur forma.

Quæ est forma?

Verba significantia remissionem peccatorum à sacerdote prolata. *Ego te absoluo à peccatis tuis*, in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti.

Quid est Contritio?

Vel Contritio est perfecta quæ dicitur simpliciter contritio, & definitur dolor de peccatis, eò quòd sint contra Deum summè dilectum cum proposito non peccandi ampliùs.

Vel est Contritio imperfecta quæ dicitur attritio, & definitur dolor de peccatis, eò quòd nobis damnationem inferant, cum proposito non peccandi.

Vtra harum contritionum est materia Sacramenti pœnitentiæ?

Alterutra est sufficiens, cum eo tamen discrimine, quòd contritio perfecta deleat peccatum ante absolutionem sacerdotis; attritio verò non delet, nisi iungatur & accedat absolutio sacerdotis.

Si quis doleret de peccato, eò quòd incurrisset per illud, aliquod damnum, vt mulctam, carcerem, vel quid aliud, iste dolor essetne sufficiens materia pœnitentiæ?

Nequaquam, quia dolor iste nascitur ex motiuo naturali: dolor verò qui requiritur ad pœnitentiam, debet oriri ex motiuo supernaturali, quod per fidem docetur.

Nonne dicit B. Ioannes in prima canonica: qui non diligit, manet in morte: quo pacto ergo sine contritione perfecta potest remitti peccatum?

Respondeo id non impedire, quia etiamsi attritio remittat peccatum cum sacramento, & non aliter remittat: per Sacramentum

anteà non erat: ſic inter maiores ordinationes per Presbyteratum confertur etiam vera & realis poteſtas circa Corpus Chriſti verum & myſticum,quæ prius nullo modo erat in Ordinato.

Quæ Sacramenta poteſt conficere, & adminiſtrare Sacerdos?

Reſpondeo poſſe ordinariè conficere, & adminiſtrare quatuor Sacramenta, Baptiſmum, Euchariſtiam, Pœnitentiam, & Extremam-Vnctionem.

Quare dicis, Ordinariè?

Quia ex commiſſione ſummi Pontificis, ſimplex Sacerdos poteſt confirmare; multi etiam putant ex eadem commiſſione potuiſſe eumdem conferre Ordines Diaconatus, Subdiaconatus, & quatuor Minorum, propter conceſſionem factam Abbatibus Ciſtercienſibus, quam refert Maior in 4. diſt.7. q. vnica, extendi etiam ad Diaconatum. Quam tamen alij reuocant in dubium.

Nunquid etiam Sacerdos adminiſtrat Sacramentum Matrimonij?

Reſpondeo ipſoſmet contrahentes eſſe proprios miniſtros Sacramenti Matrimonij, quod ſibimet ipſis adminiſtrant;Sacerdotem verò, ſi ſit Epiſcopus, aut Parochus contrahentium, vel ab Epiſcopo, aut Parocho delegatus, eſſe tantum teſtem coram quo Matrimonium iniri debeat, vt ſit validum, iuxta Concilium Tridentinum.

Eſtne Epiſcopatus Ordo, quemadmodum eſt Presbyteratus?

Ordo eſt, & Sacramentum, non minùs quàm Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus.

Sunt ergo pluſquam ſeptem Ordinationes Sacræ, & Sacramentales?

Reſpondeo non eſſe propterea pluſquam ſeptem Ordines, ſeu Ordinationes: quia Ordinatio Epiſcopalis eadem eſt, & vna genere cum Ordinatione Presbyteratus: ſunt enim duæ ſpecies Sacerdotum, ſcilicet Sacerdotes non Epiſcopi, & Sacerdotes Epiſcopi, qui Ordinantur per Ordinationes ſpecie diuerſas; ſed vnam genere quæ vocari poteſt Ordinatio Presbyteratus in genere. Vndè non ſunt pluſquam ſeptem Ordines, ſeu potiùs Ordinationes.

Quâ in re diſtinguitur Ordinatio alicuius in Epiſcopum ab Ordinatione Presbyteri non Epiſcopi?

In eo quòd Ordinatio alicuius in Epiſcopum ſupponat, & includat eſſentialiter Ordinationem Presbyteratus ſimplicis,

plicis, tanquam partem essentialem : addátque insuper partialem aliam Ordinationem per quam confertur Episcopo quædam veluti vniuersalitas ad actus Ecclesiasticos: ita vt possit omne quod potest simplex Sacerdos : & possit etiam communicare alteri Sacerdotium, Confirmare, & Chrisma benedicere, & plura alia quæ simplici Sacerdoti non conueniunt.

SECVNDA PARS EXAMINIS PRESBYTERORVM, de Sacramentis in particulari.

Quid est Baptismus?

EST Sacramentum nouæ legis constans ex ablutione exteriori corporis, & præscripta verborum forma ad remissionem peccati Originalis.

Quæ materia Baptismi?

Duplex; remota, & proxima; illa est aqua naturalis; hæc est ablutio corporis, vel notabilis partis illius.

Si quis Baptizaret cum aquâ ex rosis distillatâ, vel cum lachrimis, nonne adhiberet sufficientem materiam?

Minimè. Quia aqua distillata, vel lachrymæ, non sunt aqua naturalis quam Christus instituit pro materia huius Sacramenti.

Quæ forma Baptismi?

Prolatio verborum istorum. *Ego te baptizo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Ista verba, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, *suntne de essentia formæ Baptismi, & omnium Sacramentalium formarum in quibus adhiberi solent?*

Respondeo esse de essentia formæ in baptismo & confirmatione, quia baptismus institutus est ad profitendam fidem Catholicam, sicut & Confirmatio. In Sacramentorum verò aliorum formis in quibus adhiberi solent, vt in Pœnitentia, adhibentur tanquam de præcepto Ecclesiæ, non tanquam de necessitate Sacramenti.

Nunquid Apostoli in actis Apostolorum dicuntur baptisasse in nomine Christi, nulla facta mentione Patris & Filij & Spiritus sancti?

Respondeo, quando dicuntur in Actis Apostolorum baptisasse in nomine Christi, intelli per hoc, baptisasse in baptismo à Christo Domino instituto, vt distinguerentur baptisati baptismo tantum Ioannis, à baptisatis baptismo Christi.

Differebatne baptismus Ioannis à baptismo Christi?

Omnino, quia baptismus Ioannis non erat Sacramen-

tum, nec conferebat gratiam ex opere operato, sed erat tantùm quædam cæremonia, quâ vtebatur D. Ioannes, vt disponeret homines ad recipiendum baptismum Christi, assuefaciendo eos ablutioni.

Quis legitimus minister baptismi?

Primò Episcopi & Sacerdotes iure suo baptizare possunt. Deindè possunt baptisare Diaconi ex permissione Episcopi vel Sacerdotis: in necessitate autem, deficientibus Sacerdotibus & Diaconis, quilibet baptisare potest, seu vir, seu mulier, adhibitâ legitimâ materiâ, formâ & intentione.

Quid si Laïci baptisent in præsentia Sacerdotis, qui paratus sit baptisare?

Validus erit baptismus, quamuis peccetur à Laïcis qui sine necessitate id sibi vsurpant in præsentiâ ordinarij ministri.

Quare adhibentur patrini?

Vt baptisati tanquam modò geniti infantes ad vitam spiritualem pædagogos habeant, quorum ope educentur, ac doctrinâ, bonisque moribus imbuantur, ita vt baptisatis pro patribus spiritualibus reputentur; vndè ex decreto Ecclesiæ cognationem spiritualem contrahunt cum baptisato & cum eius patre & matre, quæ cognatio impedimentum est dirimens Matrimonium inter patrinos & baptisatum eiusque patrem & matrem.

In quanam actione patrini contrahunt cognationem spiritualem?

In susceptione vel tentione baptisati, dum baptisatur; ita vt teneant vel tangant ipsum baptisatum; non est tamen necesse vt carnem pueri immediatè tangant.

Quæ dispositio requiritur in adulto qui baptisatur?

Consensus ipsius, fides, & attritio de peccatis quæ includat propositum nouæ vitæ.

Quid fiet si adultus sit amens?

Si sit amens ab infantia, baptisari poterit more infantium. Si in amentiam inciderit, postquàm habuerit vsum rationis, & nunquam baptismum desiderauerit, vigente vsu rationis, non erit capax baptismi.

Quis effectus baptismi?

Primus est infusio gratiæ sanctificantis & virtutum supernaturalium. Secundus est deletio peccati originalis & cæterorum omnium, si quæ sint. Tertius est character quo notantur in animâ omnes baptisati, & quo discernentur per totam æternitatem à non baptisatis. Quartus est remissio omnis pœnæ debitæ peccatis, vnde nulla satisfactio iniungitur adultis, qui

qui baptisantur. Quintus est auxilium gratiarum quarumdam actualium ad Christianè viuendum, & cùm necesse fuerit alia Sacramenta recipiendum. Sextus est apertio paradisi, in cuius rei signum cœli aperti sunt in baptismo Christi.

Si remittatur omnis pœna debita peccatis, quomodò ergo baptisati adhuc patiuntur fomitem peccati & tot miserias huius vitæ, atque etiam ipsam mortem quæ est pœna peccati?

Respondeo in baptisatis pœnalitates istas remanere ad exercitium virtutis, non ad punitionem peccatorum, quæ in baptismo integrè condonata sunt, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam.

Quid si adultus baptisetur sine attritione, & sine sufficienti dispositione, recipitne gratiam sanctificantem & remissionem peccatorum?

Non recipiet, nisi recedente fictione. Quia Sacramenta quæ imprimunt characterem, & quæ reiterari non possunt, ita sunt à Christo instituta, vt si non conferant gratiam propter obicem, illam conferant remoto obice, ne alioqui homo priuaretur in perpetuum gratiâ huius Sacramenti quod reiterari non potest. Quod etiam probabile est de Matrimonio & Extrema-Vnctione, quia illud reiterari non potest, respectu eiusdem mulieris, & hæc respectu eiusdem ægritudinis.

Quotuplex baptismus?

Triplex baptismus fluminis, flaminis & sanguinis.

Primus est baptismus collatus in aqua naturali.

Secundus est desiderium, seu votum baptismi cum contritione peccatorum.

Tertius est martyrium seu effusio sanguinis pro Christo, quæ supplet vicem baptismi & remittit peccata omnia.

Baptismus fluminis ita dictus, quòd fiat cum aquâ naturali, quæ magis ordinariè est ex flumine, quamuis etiam possit esse ex mari, ex fontibus, ex nubibus & puteis, vel lacubus & stagnis.

Baptismus flaminis dicitur ardens desiderium baptismi. Quod flamen deductum à *flo*, *flare*, significat flatum, spirationem, & inde magnum desiderium alicuius rei

Baptismus sanguinis est martyrium quòd in eo soleat sanguis effundi. Per accidens præ requirit in adulto actum contritionis, propter obligationem eliciendi hunc actum in articulo mortis, in quo martyr constituitur.

Quid est confirmatio?

Confirmatio. Est Sacramentum nouæ legis, quo homo viator baptisatus inungitur in fronte ab Episcopo, cum chrismate & præscriptâ verborum formâ ad fidei robur consequendum.

Materia remota huius Sacramenti est chrisma benedictum ab Episcopo consecrato; chrisma autem conficitur ex oleo oliuarum & balsamo. Materia proxima est chrismatio seu applicatio chrismatis in fronte.

Forma est ista, *Consigno te signo crucis & confirmo chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Quid est Eucharistia?

Eucharistia. Est Sacramentum constans ex corpore & sanguine Christi, & speciebus panis & vini ad refectionem spiritualem animarum institutum.

Quæ materia, & quæ forma Sacramenti Eucharistiæ?

Respondeo Sacramentum Eucharistiæ considerari posse in duplici statu: scilicet in fieri, & in facto esse, & in vtroque statu habere peculiarem materiam & formam.

Nam quatenùs spectatur in fieri, habet pro materia panem & vinum. Pro forma autem habet hæc verba prolata super panem; *hoc est enim corpus meum* & ista verba prolata super vinum: *Hic est enim calix sanguinis mei &c.*

Quatenùs verò Sacramentum istud spectatur in facto esse, habet pro materia species panis & vini, pro formâ verò corpus & sanguinem Christi.

Vnde distinctio ista in Sacramento Eucharistiæ, cum alia Sacramenta non spectentur in facto esse & in fieri

Respondeo Sacramentum Eucharistiæ habere hoc peculiare, quòd in se contineat aliquid sacrum absolutè, scilicet Christum: alia verò Sacramenta continent tantùm aliquid sacrum, in ordine ad aliud, in quantum continent virtutem ad sanctificandum hominem, cum ei applicatur eorum materia. Hinc est quòd Eucharistia est Sacramentum per se & sine applicatione ad hominem: alia verò Sacramenta sunt tantùm Sacramenta, quatenùs applicantur, ideóque totum eorum esse consistit in actione transeunte, & in applicatione actuali. Cùm igitur Eucharistia sit sacramentum per se subsistens, rectè possumus duplicem illum statum distinguere in fieri & in facto esse, quem ad modum in qualibet alia re quæ consideratur vt fit & vt facta est, vt domus & aliæ res. Alia verò Sacramenta, cùm non habeant esse subsistens, sed consistant in actione transeunte, & in applicatione actuali, non possunt considerari nisi in fieri, & quatenùs fiunt.

Quid

Quid intelligitur per species panis & vini?

Intelliguntur accidentia Panis & vini, scilicet quantitas, color, sapor, quæ sola remanent post verba consecrationis, substantia panis & vini, mutata in substantiam Corporis & Sanguinis Christi.

Quomodò remanere possunt illa accidentia, destructâ substantiâ quæ est illorum subiectum?

Deus illa conseruat per miraculum sine proprio subiecto; est enim istud Sacramentum plenum miraculis & in eo maximè operatur Dei omnipotentia

Quid est refectio spiritualis animarum ad quam conferendam institutum est istud Sacramentum?

Respondeo non esse solam gratiam sanctificantem: nam Baptismus & alia Sacramenta refectionem illam spiritualem conferrent; sed esse quemdam gustum deuotionis, pias scilicet quasdam cogitationes & affectiones, quibus recipientes dignè hoc Sacramentum, afficiuntur, recreantur ac confortantur, velut quodam cibo sapidissimo.

Omnia verba quæ proferuntur in consecrando, suntne essentialia & omninò necessaria, ita vt non fieret aliter consecratio?

Respondeo ea tantùm verba esse de essentia, & necessaria quæ requiruntur ad significandum essentiam huius Sacramenti; particula autem *enim* & hæc verba *accipe*, & quod *pro vobis tradetur, & noui & æterni testamenti*, non sunt talia, nec per ea conficitur Eucharistia. Vnde non sunt de essentia formæ; Peccaret tamen Sacerdos ea omittendo propter præceptum Ecclesiæ cui obniteretur.

Quid vocas consecrare?

Est aliquid totum Deo applicare: vndè panis dicitur consecrari, cùm mutatur in Corpus Christi, quia sic totus impenditur in obsequium & cultum Dei.

Quid significatur per hoc pronomen hoc *in consecrando?*

Respondeo significari & intelligi non quidem substantiam Corporis Christi: sed contentum sub accidentibus, quod in fine prolationis verborum est Corpus Christi.

per quam actionem fit hoc mysterium?

Per conuersionem substantiæ panis in Corpus Christi quæ conuersio vocatur propriè transsubstantiatio.

Quid est vnam substantiam conuerti in aliam?

Est vni substantiæ desinenti alteram succedere in aliquo munere seu habitudine ad aliquod tertium. In consecratione autem, substantiæ panis desinenti succedit substantia

Corporis Christi, cum intima coniunctione ad accidentia panis,quam coniunctionem habebat antea substantia panis.

Poniturne sola substantia Corporis Christi per consecrationem?

Respondeo poni solam substantiam Corporis Christi vi verborum, sed concomitanter poni etiam sanguinem, animam, & quæcumque sunt in Christo.

Quid est poni vi verborum?

Illud ponitur vi verborum, quod expressè significatur poni per verba consecrationis,alia verò per concomitantiam.

Quid ergo dicitur poni vi verborum sub speciebus panis?

Solum Corpus Christi, quod tantum significatur per verba ista,*hoc est enim Corpus meum.*

At sanguis & anima sunt etiam sub speciebus panis, nec alia virtute quàm verborum, qua omnia efficiunt in hoc Sacramento?

Respondeo non tamen sanguinem, & animam poni vi verborum sub speciebus panis eo sensu quo Theologi dicunt aliquid poni vi verborum, qui est ita aliquid poni vi verborum, vt etiam significetur, & exprimatur clarè poni per ipsa verba.

Poniturne in Calice aliquid prater sanguinem Christi?

Ponitur etiam concomitanter ipsum corpus Christi, eius anima, imò & Christus totus qui manet integer sub vtraque specie.

Possetne Sacerdos consecrare quemlibet panem etiam distantem à se?

Respondeo materiam debere esse ita præsentem humano modo, vt designari possit his particulis (*hoc,hic*) vndè Sacerdos non posset validè consecrare hostiam existentem post parietem, aut intra tabernaculum clausum, quia humano modo videtur absens: posset tamen consecrari hostia existens in pixide præsenti, vel vinum in dolio, & in calice coperto. Dubium est etiam si possit consecrari Hostia distans viginti aut triginta passibus, quia non satis constat, an designari possit per particulam *hoc.*

Possetne consecrari vinum congelatum?

Posset validè consecrari, quia est potabile, lambendo, sugendo,vel si liquefiar.

Aqua tamen congelata non sufficit ad Baptismum?

Discrimen est, quia Eucharistia consistit in re permanenti: at Baptismus in ablutione actuali & transeunte, quæ non fit ex aqua congelata.

Est

Estne necesse miscere aquam in vino?

Est necesse ex præcepto Ecclesiæ ad imitationem Christi Domini, quem probabile est merum vinum non bibisse, & ad significandam vnionem populi per aquam designati cum Christo. Non est tamen mixtio illa de præcepto diuino.

Estne necessaria vtraque species ad salutem?

Respondeo non esse. Quia licet Christus instituerit hoc Sacramentum sub vtraque specie: non tamen præcepit receptionem sub vtraque specie; sicut nec omnes circumstantias præcepit cum quibus hoc Sacramentum instituit, vt est tempus vespertinum, cœna & alia, &c.

Nunquid tradidit Apostolis vtramque speciem, præcepitque vt sumerent, dicens, sumite ex hoc omnes?

Respondeo Apostolos fuisse Sacerdotes quibus competebat sacrificare, ideóque consecrare & sumere sub vtraque specie, quod non competit aliis qui non sunt Sacerdotes.

Nonne priuantur aliquâ gratiâ, qui communicant tantùm sub vna specie?

Respondeo non conuenire satis inter Theologos, vtrùm fructuosior sit communio sub vna specie, quàm sub duabus. Variant enim eorum sententiæ in hoc articulo. Sed quicquid sit de hac difficultate; Hoc constat ex Concilio Tridentino Sess. 21. c. 5. sub alterâ totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi: ac propterea quod ad fructum attinet, nullâ gratiâ necessariâ ad salutem, eos defraudari, qui vnicam speciem solùm accipiunt. Vbi cautissimè Concilium dixit nullâ gratiâ necessariâ ad salutem defraudari, vt quamuis ex opinione multorum Theologorum, priuentur aliquâ gratiâ, qui communicant sub vnâ tantum specie, intelligamus tamen non inferri propterea præiudicium aliquod saluti, cum gratiâ illâ quâ priuantur, non sit ad salutem necessaria.

Quæ ratio præcipuè mouit Ecclesiam ad prohibendum communionem laicis sub vtraque specie?

Multæ sunt rationes, vt quòd multi vinum gustare non possint, quod multi nauseam patiantur bibendo in eodem calice cum quibusdam morbidis & infectis, quòd species Vini seruari non possint pro ægrotis. Sed præcipua videtur esse reuerentia debita Christo Domino, cuius sanguis non raro effunderetur in terram. Itaquè vt ius Christi seruetur illæsum, quo debet tractari reuerenter omninò, iure Ecclesiastico vtraque species laïcis prohibita est.

Nunquid etiam posset prohibere Ecclesia celebrationem missæ sub vtraque specie, sicut prohibet communionem?

Non potest id prohibere, quia sacrificium missæ institutum est in memoriam expressam passionis Christi in qua sanguis eius separatus est à corpore: estque hæc repræsentatio de essentiâ sacrificij missæ, & ideò requiritur consecratio vtriusque speciei, vt repræsentetur ex vi verborum sanguis Christi separatim à corpore, sicut fuit in passione.

Quid est Missa?

Est actus religionis, quo cum decentibus cæremoniis & orationibus Christus sub speciebus panis & vini offertur Deo, & immolatur ad recognitionem supremæ eius potestatis diuinæ, & in commemorationem expressam passionis.

In qua actione missæ consistit sacrificium?

In consecratione, quâ vi verborum ponitur Corpus & Sanguis Christi sub speciebus panis & vini, ea intentione vt cultum debitum sanctissimæ Trinitati exhibeat, cùm tunc velut mortuum se reddat sub speciebus, & quasi ad nihilum se redigat, vt exinaniens semetipsum, & humilians, testimonium reddat magnitudini Dei omnipotentis, coram quo omnes creaturæ sic sunt quasi non sint.

Nunquid communio Sacerdotis est de essentia sacrificij?

Videtur probabilius essentiam sacrificij Missæ consistere in solâ consecratione, per quam sufficienter offertur & immutatur Christus, cùm sit sub speciebus, veluti modo mortuo, vt loquuntur Theologi, & in statu longè diuerso ab eo quem habet in cœlis, vt ad nihilum quasi redactus videatur, licet verè viuat. Est tamen communio Sacerdotis de vsu sacrificij & de præcepto.

Quæ ratio instituendi tam admirabilis sacrificij?

Zelus inenarribilis Christi Domini ad adorandum Deum, eique cultum exhibendum. Cum enim semel tantum permiserit illi Deus se immolare in cruce per cruentum sacrificium, desiderauit id quod fecit semel in cruce cruento modo, modo incruento perpetuum esse in Ecclesia, & vbique terrarum vbi sparsa est Ecclesia, vt satisfaceret zelo suo per hoc incruentum sacrificium, & immolaretur quotidie ad honorem Dei.

Quid significant ista verba, sacrificium Missæ est latreuticum, Eucharisticum, impetratorium & propitiatorium?

Dico. Ista verba exprimunt quatuor fines ob quos offertur sacrificium Missæ, & quibus continet virtutem omnem sacrificiorum antiquæ legis, quorum aliqua dicebantur holocausta quæ offerebantur in honorem Dei, alia dicebantur ho- *Virtus sacrificij.*

stiæ

ftiæ pacificæ, quæ offerebantur ad gratias Deo agendas de beneficiis receptis, vel ad impetrandum noua beneficia. Alia deniquè dicebantur hostiæ pro peccatis quæ offerebantur ad veniam obtinendam peccatorum. Has enim virtutes omnes continet vnicum Missæ sacrificium, quare dicitur latreuticum, id est, oblatum ad honorem Dei & ad eius cultum. Eucharisticum, id est oblatum ad agendas Deo gratias. Impetratorium, id est, oblatum ad impetranda noua aliqua beneficia: & propitiatorium, id est, oblatum ad reddendum Deum propitium, vt remittat pœnas peccatis debitas tam viuorum quàm mortuorum qui torquentur in igne purgatorij.

Quid igitur conferet sacrificium Missæ scelerato homini pro quo offeretur, remittetne illi peccata?

Minimè, per virtutem sacrificij consequetur ille impius quasdam gratias actuales quibus excitabitur ad agendam pœnitentiam, vt si illis gratiis consentiat, mediante pœnitentia possit consequi remissionem culpæ.

Pro quibus offerri potest sacrificium Missæ?

Validè offerri potest pro omnibus etiam infidelibus & excommunicatis; sed licitè potest tantum offerri pro iis quibus prodesse potest in ratione Sacramenti, vt sunt baptisati omnes, non excommunicati, atque etiam defuncti non excommunicati qui sunt in purgatorio, qui quamuis non possint fructum Sacramenti percipere, id est, per accidens, quia non potest eis applicari.

Tantumne prodest sacrificium Missæ multis, si pro illis omnibus simul offeratur, ac si pro vno solùm ex illis, offerretur?

Respondeo non tantùm prodesse multis cum pro illis offertur ac prodesset vni si pro illo solo offerretur. Vnde vnico sacrificio Missæ non euacuatur purgatorium, nec vnico sacrificio satisfit pro multis fundationibus & obligationibus Missarum. Cuius rei ratio est quòd valor sacrificij Missæ ad impetrandum aut satisfaciendum, est finitus ex Christi institutione, qui voluit vt hominibus applicaretur finito tantùm modo, quem ipse nouit.

Priuaturne Sacerdos fructu sacrificij applicando illud aliis & celebrando pro aliis?

Respondeo semper Sacerdotem habere suam partem & portionem ex valore sacrificij Missæ, quod offert pro aliis. Valor enim Missæ habet veluti tres portiones. Prima dicitur specialis quæ debetur Sacerdoti sacrificanti. Secunda generalis quæ est pro totâ Ecclesiâ & pro omnibus Catholicis, quæ per Ecclesiam applicatur pro omnibus. Tertia est media, quæ est

est in arbitrio Sacerdotis, vt eam cui voluerit applicet. Ita vt mortaliter peccet si obligatus ad dicendam missam pro aliquo, illi non applicet valorem eius. *Puteanus in tert. parte D. Thomæ. q. 83. art. 1. dub. 7.*

Quomodò potest Sacerdos valorem Missæ offerre aliis, qui non faciunt eam celebrare?

Hic est securus & breuis modus eam applicandi. Memento Domine mei & eorum quibus possum sine præiudicio prædictorum, valorem Missæ huius applicare, & humillimè supplico tibi omnia scienti, vt ita eum mihi & illis & eo ordine feras applicatum, quo possem ego tuo consilio optimè applicare. *Nauarrus in manuali. cap. 25 numero* 111.

Quid maximè obseruare debet Sacerdos ad celebrandum?

Primò, probationem sui ipsius per confessionem Sacramentalem, si se iudicet reum peccati mortalis. Secundò tempus, vt non celebret nisi ab aurora ad meridiem. Tertiò vt sit ieiunus & saltem matutinum cum laudibus recitauerit, nisi necessitate aliquâ vrgente excusetur. Quartò locum: vt vel in templo, vel ad altare, super lapidem benedictum consecret. Quintò vestes sacras & benedictas sine quibus ex instituto Ecclesiæ celebrare non licet. Sunt autem sex, amictus, alba, cingulum, manipulus, stola seu orarium, & casula seu planeta, quæ vestes decenter ornant Sacerdotem in sacrificio offerendo, variasque habent significationes tum in ordine ad mores, tum ad passionem Christi. Sextò obseruare debet vt materia sacrificij legitima sit, scilicet sit hostia ex pane triticeo azymo, vinum non sit nimis acidum. Septimò corporalia non sint immunda & lacera. Octauò habeat ministrum, deniquè celebret, vt quidam aiunt, cum a b c d, id est, altè, breuiter, clarè, deuotè.

Quæ significationes sex vestium, quibus induitur Sacerdos in celebrando?

Primò in ordine ad mores amictus significat spem & fiduciam Sacerdotis. Alba eius cordis munditiem ac iustitiam. Cingulum carnis continentiam & castitatem. Manipulus cordis compunctionem, quasi sudarium gestaret ad abstergendas lachrymas, sicut de B. Arsenio refertur. Stola seu orarium iugum Christi suaue; casula autem vel planeta charitatem.

In ordine vero ad Christi passionem, amictus denotat linteum quo sacra eius facies velata fuit. Alba vestem candidam quâ illusus fuit. Cingulum & manipulus funes & vincula quibus alligatus. Stola eius obedientiam, quâ submisit se vsque ad

ad mortem. Casula verò vestem purpuream quâ indutus fuit in domo Pilati.

Quomodò differunt Pœnitentia virtus, & pœnitentia Sacramentum?

Respondeo pœnitentiam, vt est virtus, esse habitum bonum quo inclinamur ad compensandam offensam Dei per opera satisfactoria. Pœnitentiam verò vt est Sacramentum, esse aggregatum quoddam morale ex actibus pœnitentis, scilicet contritione,confessione,satisfactione,& ex absolutione Sacerdotis,ad remittenda peccata post Baptismum commissa.

Quæ est materia pœnitentiæ,vt est Sacramentum?

Sunt tres actus pœnitentis, scilicet contritio, confessio & satisfactio, qui tres actus dicuntur partes materiales Sacramenti pœnitentiæ, præter quas est adhuc alia pars quæ dicitur forma.

Quæ est forma?

Verba significantia remissionem peccatorum à sacerdote prolata. *Ego te absoluo à peccatis tuis,*in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti.

Quid est Contritio?

Vel Contritio est perfecta quæ dicitur simpliciter contritio, & definitur dolor de peccatis,eò quòd sint contra Deum summè dilectum cum proposito non peccandi ampliùs.

Vel est Contritio imperfecta quæ dicitur attritio,& definitur dolor de peccatis,eò quòd nobis damnationem inferant, cum proposito non peccandi.

Vtra harum contritionum est materia Sacramenti pœnitentiæ?

Alterutra est sufficiens, cum eo tamen discrimine, quòd contritio perfecta deleat peccatum ante absolutionem sacerdotis;attritio verò non delet,nisi iungatur & accedat absolutio sacerdotis.

Si quis doleret de peccato, eò quòd incurrisset per illud, aliquod damnum, vt mulctam, carcerem, vel quid aliud, iste dolor esse:ne sufficiens materia pœnitentiæ?

Nequaquam, quia dolor iste nascitur ex motiuo naturali: dolor verò qui requiritur ad pœnitentiam,debet oriri ex motiuo supernaturali,quod per fidem docetur.

Nonne dicit B. Ioannes in prima canonica: qui non diligit, manet in morte: quo pacto ergo sine contritione perfecta potest remitti peccatum?

Respondeo id non impedire, quia etiamsi attritio remittat peccatum cum sacramento, & non aliter remittat: per Sacramentum

cramentum autem conferatur gratia, & charitas, & ex attrito fiat contritus pœnitens, semper verum est pœnitentem manere in peccato, quoadusque habuerit gratiam, & charitatem.

Quid sibi vult istud ex attrito aliquem fieri contritum per Sacramentum?

Respondeo id duplicem sensum habere. Primò ex attrito aliquis fit contritus, id est attritio accedente Sacramento æquiualet contritioni ad obtinendam remissionem peccati, quia attrito recipienti absolutionem æquè remittitur peccatum ac si esset contritus. Secundò ex attrito aliquis fit contritus habitualiter, quia cum receperit gratiam & charitatem, habet habitum quo possit dolere de peccatis propter Deum summè dilectum.

Requirunturne singula contritiones pro singulis peccatis?

Respondeo non requiri tot actus contritionis, quot sunt peccata; sed requiri contritionem pro singulis peccatis mortalibus, ita vt pœnitens per actum contritionis detestetur singula peccata nullo excepto.

Produc actum contritionis?

Misericordissime Deus peccata mea odio habeo & abominor quia tibi displicent: leges tuas diligere nec vnquam illas transgredi propono, absit vt in posterum peccem.

Quid est Confessio?

Est humilis accusatio propriorum peccatorum, coram Sacerdote facta cum intentione absolutionis ab eo consequendæ.

Quorum peccatorum necessaria est Confessio?

Mortalium omnium quoad vltimam speciem, & numerum, in quantum memoria suggerit, vnde peccata mortalia vocantur materia confessionis necessaria: venialium autem non est absolute necessaria confessio, cùm aliis mediis possint deleri; saluberrima tamen est eorum confessio & dicuntur materia sufficiens confessionis, quia si desint mortalia, sufficit illa confiteri ad absolutionem obtinendam.

Quo iure confessio secreta peccatorum coram Sacerdote est necessaria?

Iure diuino, ex Ioannis c. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Cum enim ex his verbis habeatur necessitas comparendi coram Sacerdotibus tanquam iudicibus à Christo constitutis, vt discernant peccata, vt vel absoluant, vel retineant, id est non absoluant, cùm pœnitens non est in debito statu, & dispositione, habetur consequenter necessitas confitendi illis peccata, ne frustra claues illis datæ essent.

Hoc non probat confessionem secretam? nam confessio publica sufficeret, vt exercerent Sacerdotes iurisdictionem suam?

Dico cùm Christus instituerit Confessionem etiam occultorum criminum, nos debere intelligere illum instituisse secundùm rectam rationem; est autem rationis naturalis, vt occulta peccata occultè iudicentur, & corrigantur. Vnde ex eo quòd Christus instituerit confessionem peccatorum, consequitur etiam instituisse, vt esset secreta, & auricularis. Cuius institutionis signum etiam est euidentissimum, quod non est in Ecclesiæ arbitrio præscribere, vt occulta cordis peccata publicè peccatores confiteantur. Vnde Tridendinum, Sess.14. can. 6. definit ex institutione Christi esse, nec inuentum esse humanum. Si quis dexerit modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper obseruauit, & obseruat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inuentum esse humanum, anathema sit.

Possetne saltem Ecclesia instituere, vt fieret confessio publica peccatorum publicorum.

Respondeo Christum non prohibuisse talem confessionem publicam, neque etiam præcepisse, & licet posset ab Ecclesia talis confessio præcipi ad humiliationem peccatoris, & aliorum exemplum, & satisfactionem ipsius Ecclesiæ, id tamen consultè, & prudenter fieri non posset, nisi pro foro externo, non in foro interiori confessionis Sacramentalis, quia cùm peccator publicus habeat etiam peccata occulta, & confessio Sacramentalis debeat esse integra, necesse esset, vt confessio partim esset occulta, partim publica, quod esset inconueniens. Adde quòd inutilis esset confessio publica peccatorum publicorum, sine manifestatione secretorum, peccatorum, quia maior malitia peccati prouenit ex corde, & ex intentione interiori: vnde cùm repugnet peccatorum secretorum publicam esse confessionem, repugnat similiter publicam esse publicorum.

Quomodo ergo antiquitùs confessio fiebat publica peccatorum publicorum?

Respondeo probabilius esse non fuisse Sacramentalem confessionem ad obtinendam remissionem coram Deo solo, maximè cum dicat Concilium Tridentinum, Sess. 14. c. 5. Confessionem publicam non esse diuino præcepto mandatam: additque nec satis consultè, humana aliquâ lege præciperetur, vt delicta presertim secreta, publicâ essent confessione aperienda.

At

At Concilium loquitur de secretis peccatis ?

Respondeo, vocem præsertim denotare, imprudenter legem latam iri de confessione publicâ publicorum peccatorum? etsi plus imprudentię foret, si iuberetur publica confessio secretorum peccatorum. Vndè verissimile est, nunquam legem fuisse latam in Ecclesiâ de vllâ confessione publicâ, quæ esset Sacramentalis.

Quid est Satisfactio ?

Est compensatio pœnæ temporalis peccatis debitæ post remissionem culpæ, per bona opera à confessario iniuncta, vel voluntariè assumpta.

Estne satisfactio pars essentialis, vel integralis Sacramenti ?

Respondeo, satisfactionem esse tantùm partem integrantem Sacramenti Pœnitentiæ, sine qua Pœnitentia est manca, & imperfecta, vt corpus mutilum quod caret manu, vel brachio: & ratio est, quia pœnitentia, sine satisfactionis adimpletione habet suum principalem effectum qui est remissio peccati, ideóque adimpletio satisfactionis non est pars essentialis, sed tantùm integrans. Satisfactio tamen in voto, seu voluntas satisfaciendi ad arbitrium iustum confessarij, videtur esse essentialis Sacramento, quia non potest conferre suum effectum principalem, sine illa voluntate.

Teneturne ergo pœnitens acceptare, & adimplere satisfactionem iniunctam à confessario ?

Tenetur, si æqua sit, & rationabilis; non secus ac reus tenetur stare iustæ sententiæ Iudicis. Est enim confessarius Iudex pœnitentis cum potestate imponendi pœnas iustas pro peccatis, quas idcirco pœnitens tenetur subire.

Quid si satisfactio iniuncta, non sit sufficiens pro qualitate peccatorum; tenebiturne pœnitens alia opera satisfactoria assumere, vt satisfaciat in hac vita ?

Probabilius est non teneri, sed posse remittere satisfactionem in Purgatorio: nam aliàs homines tenerentur in perpetuis lamentis, gemitibus, & austeritatibus vitam hanc ducere, cum nemo scire posset, si omninò satisfecerit pro pœnis temporalibus peccatis debitis post culparum remissionem. Adde quod reo sufficit se submittere pœnis iniunctis à Iudice, quod facit pœnitens, qui peragit ex vna parte opera mandata à confessario, & si ista non sufficiant, submittit se pœnis Purgatorij à Deo constitutis, ad eluenda debita omnia pœnarum temporalium post remissam culpam debitarum.

Prodest

Prodestne satisfactio adimpleta in peccato mortali?

Prodest quidem ad satisfaciendum præcepto confessarij, & ad vitandum peccarum inobedientiæ, & non adimpletæ satisfactionis: an verò prosit ad remissionem pœnæ disputatur à Theologis: est autem probabilius non prodesse, sicut nec bona opera facta in statu peccati mortalis prosunt ad merendum vitam æternam, videtur enim par esse ratio de virtute merendi, & satisfaciendi.

Annon debitor qui soluit debitum in peccato mortali, satisfacit creditori?

Vident homines ea quæ parent exteriùs, Deus autem intuetur cor, & sufficit iudici, si pœna exteriùs toleretur à reo, seu interim volens, seu inuitus eam pariatur, Deus autem non acceptat opera hominum nisi ex bono corde, & in bono statu fiant.

Potestne mutari pœnitentia iniuncta ab vno confessario per alium?

Si alius confessariùs excipiat confessionem eorumdem peccatorum, pro quibus iniuncta est pœnitentia, & habeat potestatem eadem remittendi, vt quæ non sint reseruata, poterit aliam pœnitentiam iniungere, sic primam commutando, & ab ea liberando, cum non sit æquum vt pœnitens duplicem pœnam subeat pro iisdem numero peccatis; neque enim Deus bis punit in idipsum.

Per quæ opera sit satisfactio?

Per ieiunium sub quo comprehenduntur omnes corporis labores & pœnæ. Per orationem sub quâ comprehenduntur omnia opera interiora, & per eleemosynam sub quâ intelliguntur omnia opera misericordiæ, tam spiritualia, quàm corporalia.

Quæ ratio horum operum triplicis generis?

Quod peccata committuntur, vel ex concupiscentia carnis, contra quam est ieiunium; vel ex concupiscentia oculorum, contra quam est eleemosyna, vel ex superbia vitæ, contra quam est humilis oratio.

Quis est effectus pœnitentiæ?

Gratia sanctificans quâ delentur peccata, & remittitur pœna æterna. Reuiuiscentia omnium bonorum operum viuorum, & omnis gratiæ quæ vmquam fuerat in pœnitente. Auxilia denique ad præcauendum peccatum in posterum.

Quod discrimen inter opera viua, mortua, mortificata, & mortifera, & rediuiua?

Opera viua sunt bona opera facta in statu gratiæ. Opera

mortua sunt, opera bona facta in statu peccati. Opera mortificata sunt, opera bona aliàs facta in statu gratiæ; sed pro nunc, nullius valoris, & meriti, quia est in statu peccati, qui ea operatus est. Opera mortifera sunt peccata mortalia. Rediuiua verò sunt opera bona, aliàs mortificata, quæ virtute pœnitentiæ, pro nunc recuperarunt suam virtutem & valorem.

Reuiuiscitne pœnitentia male peracta, sicut reuiuiscit Baptismus, recedente fictione?

Probabilius est pœnitentiam recedente fictione non riuiuiscere; quia potest reiterari, & potest peccator peccata malè confessa iterum benè confiteri: at verò Baptismus malè susceptus ex defectu attritionis in Baptizato, non potest iterum suscipi, ideò Deus voluit Baptismum sortiri effectum, recedente fictione, ne eius effectu in perpetuum priuaretur Baptizatus fictè, non sic autem est de pœnitentia.

Dicamus vnum, aut alterum verbum de Extrema-Vnctione, cuius administratio pertinet ad Presbiterum. Primò quid illa est?

Sacramentum est nouæ legis, in quo aliquæ partes corporis infirmi vnguntur oleo benedicto, sub præscriptâ verborum formâ, ad salutem animæ, & corporis.

A quo instituta Extrema-Vnctio?

A Christo Domino institutata est, sicut cætera Sacramenta; est verò à Diuo Iacobo promulgata, Epist. Canonicæ. cap. 5. his verbis; *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbiteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.*

Quid colligi potest ex his verbis?

Ferè omnia quæ pertinent ad hoc Sacramentum. Primò enim discimus quodnam sit subiectum capax Extremæ-Vnctionis ex his verbis *infirmatur quis in vobis*, debet enim esse infirmus in periculo vitæ constitutus. Secundò discimus ministrum huius Sacramenti, qui debet esse Presbiter; *Inducat Presbiteros Ecclesiæ*; nam Diaconus non potest administrare hoc Sacramentum; sed quisquis est Presbiter validè illud administrat, quamuis illicitè agat, si sine licentiâ Superiorum agat, mittens falcem in messem alienam. Tertiò discimus formam huius Sacramenti debere esse deprecatiuam, *& orent super eum*, quia infirmus transit ex foro Ecclesiæ ad forum diuinæ maiestatis, cui per hoc Sacramentum commendatur. Vndè forma huius Sacramenti est *Per istam Sanctam Vnctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi*

tibi Deus quicquid peccasti per visum. Amen. & sic ad omnes sensus. Quartò discimus materiam huius Sacramenti esse oleum oliuarum, non oleum nucum, aut aliud, quia propriè oleum oliuarum est oleum. Quintò discimus etiam effectum huius Sacramenti, *& oratio fidei saluabit infirmum*, &c. Qui effectus est gratia santificans, remissio peccatorum venialium, auxilium contra vltimas Dæmonis tentationes, & contra reliquias peccatorum, per quas intelliguntur certi quidam terrores quibus angitur infirmus in fine vitæ, propter peccata præterita iuxta illud. Psal. 48. *Quid timebo in die mala: iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Denique sanitas corporis, si æternæ saluti magis conducat.

Quod discrimen inter materiam Sacramenti Confirmationis, & Extrema-vnctionis?

Materia Extremæ-Vnctionis est oleum simplex ab Episcopo benedictum. Et Confirmationis est Chrisma, quod est oleum simul cum Balsamo ab Episcopo etiam benedictum.

Quare potiùs materia Extremæ-Vnctionis debet esse benedicta ab Episcopo, quàm baptismi?

Institutio Christi quæ nobis ex traditione, & praxi Ecclesiæ nota est, ratio germana est huius discriminis. Conuenientia verò est quòd materia Sacramentorum quibus vsus est Christus, vt Baptismi & Eucharistiæ, non debeat esse benedicta, quia vsu ipso eam sanctificauit. Non est autem vsus Sacramento Extremæ-Vnctionis.

Quot vnctiones necessariæ sunt in Extrema-Vnctione?

Quinque in organis, quinque sensuum necessariæ sunt, vel in partibus proximioribus si desint; tamen si plures adhiberi soleant in aliqua Ecclesia, praxis ibi seruanda erit.

Quare vnguntur organa sensuum, non totum corpus?

Quia Sacramentum istud adhibetur per modum medicinæ, quæ applicatur magis partibus corporis, vndè profluxit morbus: omnia autem peccata etiam interna oriuntur ex sensibus, cùm nihil sit in intellectu quod priùs non fuerit in sensu aliquo modo, & oporteat intelligentem speculari phantasmata, id est aliquam similitudinem esse in phantasiâ, eorum quæ intellectus considerat.

Gratia conferturne per singulas vnctiones, an per vnicam tantùm?

Respondeo probabilius esse tantùm conferri per quintam & vltimam Vnctionem ex iis quæ necessariæ sunt, quia cùm Sacramentum hoc consistat in vsu, non priùs effectum suum confert, quàm perfectum sit secundùm integram, & tota-

lem materiam, & formam, quæ materia continetur quinque Vnctionibus Organorum sensuum, & quinque formis partialibus.

Nonne forma Eucharistiæ supra panem prolata statim sortitur suum effectum, antequàm vinum conuertatur in sanguinem: quare ergo prima vnctio non conferet gratiam ante quintam Vnctionem?

Dico formam consecrationis panis, esse indicatiuam, & ideo indicare effectum suum præsentem: at formam Extremæ-Vnctionis esse deprecatiuam, nec indicare ita effectum suum præsentem, cùm non semper preces statim exaudiantur.

Quare Sacerdotibus non vngitur palma, dum inunguntur, sed superior pars manus?

Quia in Ordinatione Sacerdotali iam semel in palmâ fuerunt inuncti.

Quæ dispositio requiritur in suscipiente hoc Sacramentum?

Respondeo hoc Sacramentum esse Sacramentum viuorum, & conferre per se secundam gratiam, seu augmentum gratiæ iustificantis, vnde regulariter loquendo debet esse confessus, vel contritus qui hoc suscipit Sacramentum: per accidens tamen attritus susciperet effectum huius Sacramenti, si crederet se contritum, vel amisso vsu rationis illud reciperet, aut excusari posset à nouo peccato contrahendo propter omissionem contritionis.

Quid est Ordo?

Ordo. Sacramentum quo confertur potestas ad consecrandum Corpus Christi, vel ad inseruiendum consecranti.

Ordo quis nobilior?

Presbyteratus, per quem recipitur potestas super Corpus Christi verum, ad conuertendum in illud substantiam panis, & in sanguinem Christi substantiam vini.

Solane ista potestas datur in ordinatione Presbyteri?

Datur etiam potestas in Corpus Christi mysticum, per quod intelligitur Ecclesia ad absoluendum pœnitentes.

Quare datur Presbytero illa potestas in Corpus Christi mysticum?

Quia cum habeat potestatem in verum Corpus Christi ad illud conficiendum & distribuendum fidelibus, decebat, vt fideles posset disponere ad dignè recipiendum illud corpus. Quod fit per potestatem remittendi peccata.

Quandonam datur Presbytero duplex illa potestas?

Datur prima potestas in Corpus Christi verum dum porrigitur calix cum patenâ hostiâ non consecrata superposita,

& simul pronuntiantur verba hæc ab Episcopo, *accipe potestatem offerendi sacrificium*, &c. Datur autem secunda in impositione vltimâ manuum Episcopi cum prolatione horum verborum, *accipite Spiritum sanctum*, &c.

Quid ergo confert prima impositio manuum facta ab Episcopo & aliquot Presbyteris sine vlla verborum prolatione?

Hæc prima impositio manuum videtur tantum cæremonialis, ad denotandum aliquem acceptatum vt ei conferatur potestas Sacerdotalis.

At quid de Græcis Sacerdotibus in quorum Ordinatione non porrigitur calix?

Varij varia respondent ad hanc difficultatem. Dico, saluo meliori iudicio, æquiualenter porrectum esse calicem Sacerdoti Græco, eo ipso quod ante altare, in quo est calix, ordinatur. Nec enim necessarius est contactus physicus ex probata multorum Theologorum sententia. Ista vero verba quæ dicit Episcopus Græcus, *Gratia Dei talem creat Presbyterum*, æquiualent verbis omnibus formæ essentialis apud Latinos, quia idem est creari Presbyterum, atque accipere potestatem in Corpus Christi verum ac mysticum modo supradicto.

Quid est Matrimonium?

Est Sacramentum in quo vir & mulier per legitimum, & indissolubilem contractum tradunt, & acceptant mutuò corporum potestatem, ad finem generationis. *Matrimonium.*

Quis est iste legitimus contractus?

Ille qui fit à viro & muliere non habentibus dirimens impedimentum coràm Parocho proprio alterutrius, vel Sacerdote ab eo delegato, vel coram Episcopo proprio, vel Sacerdote ab eo delegato à duobus ac tribus testibus.

Quid vocas dirimens impedimentum?

Illud est quod impedit ne contrahatur Matrimonium, & si contractum sit, dissoluit, & reddit omninò inualidum: in quo distinguitur ab impedimento quod vocatur impediens; quod quidem impedit ne licitè contrahatur Matrimonium, non reddit tamen inualidum, nec dissoluit, si contractum sit. Tale est impedimentum quod aduenit Matrimonio ex tempore Aduentus, aut quadragesimæ, aut ex defectu publicationis bannorum.

Quot sunt impedimenta dirimentia Matrimonium?

Secundùm ius antiquum sunt duodecim, quibus duo alia addidit Concilium Tridentinum, scilicet raptum mulieris, quamdiu rapta est in potestate rapientis, & defectum præsentiæ Parochi, & duorum testium, quæ omnia his versibus con-

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus, disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si fortè coire nequibis,
Si Parochi & duplicis desit præsentia testis,
Raptaue sit mulier, nec parti reddita tuta
Hæc facienda vetant connubia, iuncta retractant.

Omne Matromonium clandestinum, estne inualidum?

Duplex est clandestinum, vnum politicum, & ciuile, vt si fiat Matrimonium sine denuntiationibus, sine consensu parentum, & illud non dirimit Matrimonium contractum: aliud clandestinum vocatur Ecclesiasticum, cùm Matrimonium non fit in facie Ecclesiæ, per quam faciem significatur præsentia Parochi aut Episcopi aut Sacerdotis commissionem ab vno ex illis habentis, & duorum saltem testium, & illud clandestinum solum dirimit Matrimonium, ita vt nullum sit, quando non fit in facie Ecclesiæ, in hoc sensu intellectâ.

TERTIA PARS EXAMINIS Presbyterorum.

De circumstantiis celebrationis Missæ.

Circumstantiæ septem sunt, *quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*, Ad quas reuocari possunt dubia pleraque de quibus instructos esse decet Sacerdotes, vt debitè officio celebrandi Missam, perfungantur.

Circumstantia quis?

Qui celebrare debet missam, debet esse Sacerdos per sacram ordinationem charactere Presbyterali insignitus, sine quo in vanum verba consecrationis proferret. Non debet esse impeditus per censuram aut irregularitatem. Ieiunus esse debet à media nocte, itaut nihil sumpserit nequidem per modum medicinæ. Debet quoquè, esse sine conscientia peccati mortalis in habitu, actu, & proposito: itaut nec habeat peccatum habituale, nec peccet actu celebrando, nec sibi proponat in mente vllum peccatum mortale in tota vita perpetrare.

Quid si Sacerdos est sibi conscius peccati mortalis, nec habeat copiam confessarij præsentis?

Si sit obligatus ex officio, vt parochus in diebus Festis, vel necessitas vrgeat ad celebrandum vt cum non supersunt hostiæ & moribundus communicare debet, vel cum graue scandalum oriretur contra Sacerdotem, qui non celebraret ac malam suspicionem

picionem de seipso gigneret, vel cum non potest sine notabili incommodo adire absentem & distantem confessarium; aut cum habet casus reseruatos à quibus non possunt quilibet confessarij absoluere, in his casibus poterit talis Sacerdos celebrare, elicito tamen prius actu contritionis, cum obligatione confitendi post Missam primâ datâ occasione.

Si habet casum reseruatum & alia peccata, poteritne illa alia confiteri sine casu reseruato?

Poterit, & tenebitur non reseruata confiteri, peccatum verò reseruatum omittere poterit quoad vsque, primâ datâ occasione, illud confiteatur coram Sacerdote, ad id potestatem legitimam habente.

Quid si Sacerdos ipso die celebrationis peccauerit?

Peccato priùs deleto per confessionem celebrare posse asserunt Azorius, Paludanus, Syluester, Nauarrus cum nullus textus, vel ratio id prohibeat, vt refert Bonacina, disp. 4. qu. 6. puncto 2.

Qui contrariam sententiam tutiorem ibi asserit.

Quid si Sacerdos anxius sit & vereatur, ne sit in statu peccati, aut non debitè omnia confessus fuerit?

Vel peritos adeat, vel libros probatos legat, vt possit dubitationem mentis excutere & formare sibi conscientiam de statu debito animæ suæ: si hæc media desint, vtatur scientia sua & item discutiendo videat, num habeat rationes sufficientes ad quamdam opinionem & credulitatem acquirendam de bono statu animæ suæ.

Poteritne vti opinione probabili ad illam credulitatem & opinionem sibi comparandam?

Cum homo sit non Angelus qui res clarè & intuitiuè perspicit, impossibile esset pluribus accedere ad altare, nisi illi ex opinione probabili liceret de statu suo diiudicare vt sic sequendo dictamen rationis suæ celebraret. Sed videat tamen quæ opinio habenda sit probabilis ne timere se immisceat in tam arduo negotio: & vbi habuerit talem opinionem pro se, quæ verè sit probabilis, accedere potest ad altare, non obstante aliquâ formidine de contrario, si tamen clarè videat talis opinionis falsitatem.

Circumstantia quid?

Ad hanc circumstantiam pertinet qualitas Missæ quam Sacerdos debet celebrare, vt eam secundum ritum missalis celebret & rubricas obseruet quantum fieri poterit, quamuis non

omnes obligent sub mortali, vt illæ potissimum quæ spectant ad primam partem Missæ ante offertorium, nam reliquæ grauioris sunt momenti, vt nihil illis addere aut detrahere liceat sine culpâ, etiamsi non spectent ad ea quæ sunt essentialia; nisi inaduertentia, vel leuitas materiæ excuset. Grauiusque peccatur ordinariè quidpiam addendo quam omittendo.

Quid si quis petat pro se celebrari Missam in die quadam solemni quæ diei non conueniat, poteritne celebrari?

Non videntur violandæ rubricæ missalis ex indiscreta Laicorum deuotione, vnde in diebus maiorum Festorum Missæ propriæ huius diei iuxta rubricas missalis celebrari debent, applicando intentionem ad legitima vota eius qui petit pro se celebrari.

Teneturne Sacerdos celebrare Missam iuxta officium breuiarij?

Ordinariè ita debet fieri: si tamen in Ecclesia celebret in quâ sit aliquod festum peculiare, debet se conformare huic Ecclesiæ: aut si obligetur pro aliquo ad certam quamdam, extra dies solemniores, debet talem missam celebrare, vt obligationi suæ satisfaciat. Quamuis & liberum sit extra hos dies missas votiuas dicere, aut cantare cum quis ex deuotione sacrificat.

Quid est missa votiua?

Ea intelligitur quæ non est præscripta per rubricas missalis pro illo die, vt sunt in feriis missæ de Spiritu Sancto, aut de Beata, aut de aliquo Sancto.

Circumstantia Vbi?

Competit etiam Sacerdoti celebraturo obseruare locum vt sit locus sacer propter reuerentiam Sacramenti, vnde in Templo consecrato non exsecrato per peccaminosam sanguinis effusionem aut publicam seminis humani effusionem debet celebrare, nec in priuatis oratoriis id potest sine priuilegio Papę, aut Episcopi, nec in loco interdicto.

Quid si Sacerdos obligatus celebrare in certa Ecclesia, vel altari alibi celebret?

Peccat mortaliter alibi celebrando, nisi paruitas materiæ excusaret, vt si bis térue in anno celebraret, vel nisi impediretur iusta aliqua necessitate. Attamen qui alibi celebrauisset propter hoc ad restitutionem non teneretur, cum eiusdem valoris sit missa vbique sit. Diana. *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 40.

Quid

Quid si alicui prohibitum sit in vrbe celebrare poteritne in suburbio?

In materiâ odiosâ nomine vrbis non veniunt suburbia, sed in fauorabili, ideo poterit celebrare in subvrbiis. Idem *ibid. resol.* 123.

An licet in mari celebrare?

Si tanta sit tranquillitas vt nullum sit procellæ vel tempestatis indicium, vel quidquam aliud quod possit nauim notabiliter mouere & aliunde præter celebrantem sit alius Sacerdos qui manu firmiter teneat calicem post consecrationem, licebit cum dispensatione. Episcopi ad communicandum infirmum, vel in diebus festiuis, *idem p. 5. tract. 3. resol.* 40.

Quæ potestas Episcopi circa locum consecrationis;

Potest in sua Diœcesi dare licentiam vt extra Ecclesiam in loco decenti celebretur super lapidem consecratum.

Circumstantia quibus auxiliis.

Debet celebrare Sacerdos cum aliquo Ministro, cum indumentis debitis, quæ sunt amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, planeta. Quæ omnia debent esse prius benedicta excepto cingulo. Debet etiam habere ignem, calicem aureum, vel argenteum, vel saltem stanneum. Item missale, in quo saltem sit canon, ne se exponat periculo errandi. Denique panem fermentatum, aquam & vinum, & corporalia.

Quando excusatur à peccato mortali Sacerdos aliquid omittendo ex istis?

Excepta debita materia quæ nunquam excusat à peccato si desit. In casu necessitatis poterit sine Ministro celebrari vt si in die festo, vel quando instat necessitas celebrandi ad dandum viaticum infirmo & minister deest, nec admittenda est fœmina ad hoc ministerium. In eodem casu si desit stola manipulus aut cingulum. Item si sine missali modo confidat se nihil omissurum propter memoriæ fœlicitatem.

Poteritne etiam in aliquo casu sine Calice benedicto, aut vestibus benedictis celebrari?

Si alius Sacerdos antea bona fide cum ipsis celebrauerit, nihil vetat quin cum iisdem celebret Sacerdos cum ipso vsu sint consecrata: nec si duas partes cinguli fracti connectat, licet id minus deceat. Diana *p. 2. tract. 14. resolut. 69. & p. 5. tract. 23. resol.* 93.

Quæ materia requiritur?

Panis triticeus fermentatus si Presbiter sit Latinus. Est etiam materia huius sacrificij panis ex secale, quia est triticum aliquanto inferius ordinario à quo non differt specie. Gra-

uiter tamen peccaret qui conficeret cum tali pane, quia est materia dubia. Bonacina *disp.4.q.2.puncto 2.*

Mustum est materia sufficiens, sed indecens propter impuritatem. Vua non est quæ potiùs comedi solet quam potari. Vinum congelatum est materia valida, quia potari potest sugendo aut lambendo, vel si liquefiat appositis circa calicem linteis calidis. Aqua tamen congelata non est valida materia baptismi, quia baptismus consistit primario in vsu ablutionis cui aqua est inutilis : at Eucharistia in re permanente. *Ibid.*

Circumstantia cur ?

Ad hanc circumstantiam pertinet intentio celebrantis, tam circa materiam quam intendit consecrare, quàm circa applicationem sacrificij pro diuersis personis & ad diuersos fines qui debent esse ordinariè hi quatuor, primus Deum adorare & colere, secundus ei gratias agere pro beneficiis collatis, tertius impetrare noua aliqua beneficia, quartus satisfacere pro pœnis peccatorum iuxta superius dicta in secunda parte huius examinis.

Quam materiam panis & vini potest intendere consecrare Sacerdos ?

Materia illa debet esse præsens & determinata, itavt possit demonstrari per pronomen *hoc vel hic.* Vndè nec Sacerdos posset consecrare hostiam existentem post parietem, vel in tabernaculo inclusam, vel multum distantem, vt puta, triginta passibus. Nec si ex decem hostiis intendat tantum quinque consecrare iis non speciatim designatis. Bonacina *ibidem. puncto 3.*

Pro quibus potest applicare sacrificium ?

Pro viuis & defunctis in Purgatorio languentibus, etiam pro pueris baptisatis & mortuiis, quibus etsi non prosit ad remissionem pœnæ quam non tolerant, nec ad augmentum gloriæ; prodest tamen ad commendandum redemptionis mysterium & gratias Deo agendas. Pro excommunicatis potest Sacerdos oratione particulari rogare in *Memento*, cum tantum priuentur orationibus communibus toti fidelium cœtui. Item pro infidelibus potest offerri sacrificium absolutè & pro errantibus, vt reuocentur ab errore, nec est prohibitum pro illis offerre sicut est pro excommunicatis.

Quo pacto diriget suam intentionem Sacerdos pro aliis offerens ?

Optimum est applicationem suam conformare beneplacito summi Sacerdotis Christi, quantum poterit Socerdos de illo veri similiter coniicere, vel concipere, & tutius est applicationem

nem facere generalem talem. *Digneris Domine oblationem istam specialiter acceptare pro illis pro quibus nosti me teneri specialiter offerre & in illo gradu, in quo nosti me teneri pro eis.* Et si in speciali determinetur ad aliquem, vel aliquos, tutius est quod fiat sic sub conditione, *si tibi placet.* Ita Scotus, *quodlibeto.* 20.

An potest intendere stipendium in celebratione?

Si intendat non tanquam pretium Missæ, sed tanquam aliquid congruum ad sustentandam vitam non est illicitum.

An potest plura stipendia pro vnâ Missâ accipere, & pluribus Missam petentibus satisfacere?

Docuerunt id quidam Theologi propter infinitam dignitatem sacrificij, Dominicus Soto, Arragonius, Canus, Ledesma; sed sententia hæc meretur censuram tanquam præiudicium inferens ad detrimentum saluti animarum, mirumque est & tot doctis hominibus defensam fuisse hanc sententiam, quæ vtcumque aliquâ veritatis specie fulgeat: at mutabit faciem sicut solent quædam opiniones, cum ante tribunal supremi iudicis standum erit. Ait Villalobos. *p.* 1. *tract.* 8. *dist.* 16. Certè decretum edidit sacra Congregatio authoritate Vrbani. VIII. anno 1625. in quo prohibetur huiusmodi acceptio, etiam cum onere restituendi. Et prohibitionem monasteriis pluribus intimari voluit. Nec iuuat quod dicitur à quibusdam, *qui altari seruit, de altari viuat.* Id enim de Pastoribus intelligitur quibus plurimarum animarum cura incumbit, non de simplici Sacerdote, cui ius non competit ex titulo vnius Missæ sustentare se die integro.

An saltem posset summus Pontifex dispensare cum paupere Sacerdote, vt vnâ Missâ pluribus stipendiis satisfaceret, supplendo defectum ex thesauro indulgentiarum?

[illegible] posse fieri tenet Villalobos loco citato. Sed tenendum contrarium, quia etsi virtutem satisfactoriam sacrificij supplere posset ex thesauro indulgentiarum. At non posset virtutem latreuticam, Eucharisticam & impetratoriam.

Ad quid tenetur Sacerdos qui eleemosyna accepta pro alio celebrauit in statu peccati mortalis?

Non desunt qui eum obliget ad restitutionem, quia inimicus Dei non potest pro alio apud Deum intercedere. Animæ etiam in Purgatorio præeligerent ex charitate ibi vsque ad iudicium permanere, quàm pro illis Missâ in mortali celebraretur, ne scilicet occasione boni tantum malum committatur. *Ita Bretus Lauall. in* 4. *sent. dist.* 13. *q.* 2.

Circumstantia quomodò?

Hæc

Hæc circumstantia specialiter exigit à Sacerdote deuotionem magnam tum attendendo ad id quod agitur in Missâ, tum cauendo ne quid omittat ex rubricis & cæremoniis ab Ecclesiâ præscriptis, vt vitet defectus qui possunt occurrere, tum vt eos prudenter suppleat quando occurrerint.

Obligantne omnes rubricæ missalis sub peccato mortali?

Quædam sunt per modum directionis quæ modo absit earum contemptus, non obligant ad mortale: aliæ sunt per modum præcepti, quarum omissio mortalem culpam inducit nisi inaduertentia, aut defectus memoriæ excuset.

Quomodo discernentur rubricæ quæ sunt per modum præcepti?

Per aliquas regulas. Quarum prima est, si rubricæ apponatur hæc vox *grauiter* vel *grauissimè peccat*. Hæc autem vox septies reperitur in rubricis de defectibus. Quod specialiter à Sacerdote perpendendum erit eas accuratè legendo. Secunda est si materia rubricæ spectet ad aliquid de essentiâ aut integritate sacrificij, aut Sacramenti, puta ad formam, materiam, aut sumptionem vtriusque speciei. Tertia est si rubrica sit de ea re, quæ secundum communem Doctorum sententiam habetur grauis momenti, vt non celebrare cum censurâ, vel in loco prohibito, vel sine lumine, vestibus benedictis & sine debitâ dispositione animæ & corporis, ac similibus.

Teneturne Sacerdos supplere omnes defectus in Missa occurrentes?

Tenetur potissimum supplere defectus circa materiam & formam, si ante communionem agnoscantur aliam materiam consecrando, aut formam debitè repetendo, iuxta regulas missalis: quod si post vtriusque speciei sumptionem deprehendat Sacerdos sacrificium nullum fuisse, aut defectu debitæ materiæ, aut formæ, aut intentionis, nullum extat præceptum de reiterando sacrificio quod nullum fuisse supponitur, imo potius extat præceptum de omittendo tunc sacrificio, cum amplius Sacerdos non sit ieiunus, & de pœnitentiâ agendâ.

Quid si Sacerdos non recordetur se verba protulisse & ea de re anxius sit?

Ordinariè debet istud haberi pro scrupulo, ac eo non obstante Missa continuari. Si tamen certus esset Sacerdos se aliquid omisisse de essentialibus formæ, deberet repetere absolutè verba omnia formæ: quod si valde probabiliter id crederet, posset sub conditione eadem repetere: si non essent essentialia verba, continuare debet nihil repetendo.

Circum

Circumstantia quando?

Hæc spectat ad tempus in quo Sacerdos debet sacrificium inchoare ac perficere, est autem tempus ab aurora illucescente ad meridiem. Quod non mathematicè intelligendum:nam potest Missa celebrari sesqui hora vel etiam duabus horis ante Solis ortum. Docet Diana *p.* 2. *tract.* 14. *resol.* 33. Item potest inchoari paulo post meridiem dummodo non attingatur spatium vnius horæ *p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 34. Et in nocte Natiuitatis poterit tres Missas ante auroram celebrare, ibid. *resol.*35. Debebit tamen in duarum priorum Missarum fine lauare digitos in vase mundo:non in ipso calice: & hanc ablutionem in fine vltimæ Missæ sumere:aut alicui ieiuno sumendam dare, vel in piscinam mittere.

Quomodo peccatur ratione temporis circa celebrationem Missæ?

Peccari potest quinque modis, vel nunquam celebrando quod quidam mortale putant, etsi alij eximant à mortali simplicem Sacerdotem, vel sæpius quam par est celebrando vt pluries in vna die extra diem Natiuitatis, vel necessitatem perficiendi sacrum ab alio inchoatum, aut satisfaciendi variis plebibus Parochiæ in qua non nisi vnicus Sacerdos sustentari potest, aut magno alicui numero fidelium inter hæreticos, aut infideles, cum aliter Catholici non possent sacro assistere.

Quibus aliis modis peccatur circa tempus?

Tertio etiam peccatur tardius celebrando, vt si quis stipendium accipit ad celebrandam Missam pro infirmo, pro lite, pro languente in Purgatorio, & tādiu differret Sacerdos quòd infirmus sanatus esset vel mortuus, lis iudicata, & anima è Purgatorio egressa. In quibus casibus tenetur ad restitutionem Sacerdos iuxta Petrum Nauarra *lib.* 2. *de restit. cap.* 2. *n.*366. Item si tanto Missarum numero se onerares Sacerdos vt non nisi post multum temporis se posset liberare. Qui autem Laxiores sunt Casuitræ Villalobos & Ledesma apud Gauantum in *Rubricis Missæ*, permittunt Sacerdoti vt quinquaginta vel ad summum sexaginta Missas celebrandas assumat vltra, quem numerum mortaliter peccabit: nisi qui elemosynam dat ad celebrandum, nouerit celebrationem per multum tempus differri solere, vt in aliquibus Ecclesiis ad quas multi confluunt ob eam rem fieri consueuit. Quarto peccatur citius celebrando, vt si Sacerdos nondum acceptâ eleëmosyna pro celebratione per anticipationem dicat Missam secundum illius intentionem à quo primam eleëmosynam accepturus est, quia applicatio sacrificij tunc incerta est, suspenditur quæ

eius

eius effectus, vndè Paulus V. id expresſè prohibuit 5. Nouembris 1605. Poterit tamen capellanus adſtrictus ad Miſſas determinatas ſingulis hebdomadibus, præuenire Miſſas vnius hebdomadæ in antecedenti eas celebrando, cum applicatio certa ſit, nec ſuſpendatur effectus, Barboſa *de poteſtate Epiſcopi. p.1. allegat.24. num.4.* Quintò demum peccatur minus frequenter celebrando, cum quis ſæpiùs ratione beneficij, aut promiſſi ad id tenetur. Non tamen ſi vnum diem in ſeptimanâ omittat, quamuis eo die non poſſit pro alio celebrare. Quia vt ait Angelus *Verbo* Miſsâ. num.45. poſt Panormitanum in cap. *conſuluiſti* de celebratione Miſſarum, & in cap. *ſignificatum* de præbendis, inſtitutio ad celebrandum quotidiè eſt illicita & daret materiam peccandi, & debet talis inſtitutio intelligi, vt teneatur celebrare quanto frequentius poteſt ſaluâ honeſtate ſuâ & debitâ reuerentiâ ad Sacramentum. Si tamen inſtitutio capellaniæ obligaret ad celebrandum per ſe vel per alium, peccaret Sacerdos ſi eo die quo non celebrat, alium in ſui locum non ſubſtitueret. Apud eumdem Gauantum in *Rubricis Miſſæ* poſt Bonacinam.

Meditatio præparatoria ad ſacrificium Miſſæ offerendum.

Auerruchinus. Medit. 84.

1. *Punctum*. Conſidera ô tu qui te accingis ad ſacrificandum Deo omnipotenti! & imaginare te ipſum Deum ſupra portas cœleſtis domicilij iratum & vindictam peccatoribus comminantem adſpicere. Reſpice deindè Deum filium ad inſtar Seraph crucifixi in aëre pendentem, qui contra mundum alleget ſuam diriſſimam paſſionem apud mortales obliuioni traditam eſſe, & à multis per ſummum ſcelus nihil pendi. Contemplare deindè Sp. ſanctum in ſpecie candidæ columbæ nos relinquere & fugam inire parantem, quippe cum non inueniat vltra mundum & purum cor, in quo requieſcere & habitare poſſit. Inclina deindè faciem tuam verſus inferiores partes terræ Hic cernes iacere miſeros peccatores in ſordibus peccatorum tanquam carceribis mancipatos & morti adiudicatos & quod peius eſt crudeliſſimus inimicis circumſeptos qui iugiter eos in inferi baratrum præcipites agere conantur: quis erit hominum qui eo animo ſit, ac fiducia, vt vel vnicum verbum pro eis loqui auſit quo eis gratiam & miſericordiam à tremenda Dei maieſtate impetret? quomodò ergo tu mortalium omnium infeliciſſime tantum opus aſſumere præſumis? quomodò tu labiis tuis in ſordidioribus ipſis faucibus inferni & manibus tuis Luciferi manibus quodammodo inquinatioribus incruentum ſacrificium Deo viuenti offerre aggrederis-

humiliat

humiliare, erubesce, confundere, corde contrito & humiliato tuorum veniam peccatorum primum impetrare satage.

2. *Punctum.* Considera deindè & imaginare te intueri cor ipsum Iesu Christi crucifixi, quod cor ardentissima deuotione æstuat, & erga Deum vt summo honore colatur per sacrificium Eucharistiæ potissimum quod est Latreuticum & Eucharisticum ad adorandum Deum & ei gratias agendum, & erga homines, seu adhuc in hac valle miseriarum suspirantes, seu in igne Purgatorij patientes, vt adiuuentur per idem sacrificium, quod est impetratorium & propitiatorium pro pœnis peccatorum. Puta te intueri radios amoris splendidissimos ex eo procedere qui cor tuum penetrent, puta te audire vocem ab eo prodeuntem, quâ tibi interius suggerat se instituisse hoc sacrificium hoc pridie mortis suæ, vt quotidiè renouaretur memoria sacratissimæ suæ Passionis, vt fructuum eius participes essent omnes ab ipso redempti, & se ad hoc opus homines ordinauisse; etiam si eorum miseriam & indignitatem probè nosset, modo tamen criminis mortalis sibi conscij non essent, nec aliunde legitimè præpediti. Se hoc ab illis exigere, & expectare ne frustra tam diram mortem subierit, & multæ animæ cum incomparabili detrimento, saluberrimis eius priuentur effectibus. Animas esse plures in Purgatorio quæ inter flammarum ardores aliquod refrigerium expectant ab hoc sacrificio, vel integram liberationem. Imaginare quoquè te ab ipsomet audire verba illa omni attentione digna. *Sacerdos legitimè non impeditus celebrare omittens, tunc quantum in ipso est, priuat Trinitatem laude & gloria, & Angelos lætitia, peccatores venia, iustos subsidio, & grato in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio & seipsum medicina & remedio contra quotidiana peccata & infirmitates.* Hæc te moueant, animumque tuum metu & timore penè collapsum erigant, ac omni timore postposito ad celebrandum cum intimâ mentis deuotione inducant. Assume itaquè fiduciam & animam tuam per te refactam hoc pacto alloquere & recrea. *Quare tristis es anima mea & quare conturbas me Spera in Deo*; & quia te male anteactæ vitæ per Dei gratiam pœniteat, spem concipe quod gratissimum erit Deo hoc sacrificium, Christo iucundissimum, proximis tuis vtilissimum quod auspicaris non à teipso solo, sed etiam à Dei vocatione, qui te ex hominibus velut Aaronem assumpsit ad hoc munus: idque tibi suggerit & à te exigit.

D. Bonauentura de præparatione ad missam c. 5.

3. *Punctum.* Considera ergo cum alacritate animi, *Introibo, ad altare Dei ad Deum, qui lætificat iuuentutem meam.* Psal. 42.

42. Super quæ verba dicit Albertus Magnus , hic apertè instrui Sacerdotes,vt non accedant ad altare Dei nisi lętificati spiritualiter:non enim decet lugentes seruire Domino. Psal. 104.*Lætetur cor quærentium Dominum.*Leuit.19. *Hodie oblata est hostia pro peccato quomodo potui eam comedere, vt placerem Domino, mente lugubri ?* Quasi diceret , nullo modo.Item debent intendere innouari spiritualiter. Psal. 102. *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Dando Eucharistiam,*renouabitur vt Aquila iuuentus tua* , si vis eam dignè recipere. Ad Eph. 4. *Deponite vos secundum pristinam conuersationem veterem hominem : renouamini spiritu mentis vestræ.* Aquilæ senio prægrauatæ crescit vncus rostri ita,, quod non potest ad cibum os aperire , donec colliserit rostrum ad petram & ita collidatur:ita Sacerdos non aperiat os ad cibum illum nisi prius ad alium Sacerdotē qui est loco Petræ Christi.1.ad Cor. 11. *Petra autem erat Christus* os colliserit , id,est , confessionem fecerit. Hoc significatur in depositione vestium communium & inductione alborum vel etiam sericorum.Alioquin dicetur illis. Thren. 4. *Recedite polluti clamauerunt eis*, Propter hoc dicitur in Psal 131. *Sacerdotes tui induantur iustitiam , & sancti tui exultent.* Hactenus Albertus : dicit ergo cum alacritate Sacerdos quem non mordebit interius scientia & conscientia peccati mortalis , introibo ad altare tuum Domine cum proposito essentiam tuam adorandi in vnione illius adorationis, quam tibi ibidem præstat humanitas abscondita dilectissimi redemptoris. Timebo te cum Angelis , laudabo te cum Archangelis,reuerebor te cum Cherubinis , amabo te cum Seraphinis. Intendam hoc quod intendit Ecclesia tua sancta ad supremam tuam gloriam & laudem Christi redemptoris nostri , ad honorem omnium electorum tuorum , ad salutem viuorum & suffragium defunctorum. Præterea propositum habeo commemorare Christi filij tui passionem , gratias tibi pro vniuersis beneficiis tuis referre , scelerum meorum maculas expiare , pericula imminentia auertere , quæcumque mihi ad salutem necessaria sunt obtinere. Tuæ etiam pietati commendabo seruos,viduas, orphanos, pupillos,,,infirmos in carceribus constitutos, in peccatis detentos , in tribulationibus angustiatos , magnos & paruos,mares,& fœminas , senes & iuniores , & omnes qui tua ope & misericordia indigent.O Deus audi me ! ô Iesu exaudi me.

DE EXAMINE CONFESSARIORVM PRO APPROBATIONE.

PRÆFATIO.

QVANTVM curæ & diligentiæ adhiberi par ſit circa Sacramenti pœnitentiæ (quo vno ſalus æterna conſtat lapſis in peccatum mortale poſt Baptiſmum) adminiſtratores, ſeu confeſſarios, vt ſufficienti ſcientiâ inſtructi ſint, ex multitudine ſimul & magnitudine officiorum quæ gerunt; obſcurum eſſe cuiquam non poteſt. Quæ officia, ſi quis vnquam, optimè expreſſit ac delineauit, ſui ſæculi Doctiſſimus Autor Guilelmus eſt, Pariſienſis Epiſcopus *de Sacramento Pœnitentiæ*, *cap.* 21. Nominabimus, inquit, & numerabimus officia confeſſoris. Hoc ergo omnium primum atque præcipuum eſt officium ſanctificationis, *Officia* ex quo officio, quoad abſolutionem,& benedictionem ipſius, *confeſſoris.* diuinique nominis inuocationem vincula peccatorum diſrumpuntur in cordibus pœnitentium, maculæ abſterguntur, gratiæ infunduntur, veniæ & remiſſiones pœnarum gehennalium, & etiam pœnitentiallum de diuinæ largitatis munificentiâ tribuuntur. Propterea maximè congruit eidem, vt Sanctus ipſe, & immuculatus ſit, cuius miniſterio, & per quem pœnitentes ac confitentes ſanctificari, & ſperant, & quærunt. Secundum eſt officium iudicandi, ex quo incumbit ei, vt ſciat ſingulorum reorum iuſtitiationes (hoc enim verbo vtitur) & ipſa crimina ab inuicem diſcernere, & diſtinguere &c. Tertium officium Confeſſoris eſt officium pacifici inter Deum, & pœnitentem mediatoris. Ex hoc autem officio incumbit ipſi primùm noſſe modos, & vias quibus pax reformari ſolet etiam apud homines inter ſe diſcordes, qui ſunt ſeptem in vniuerſo. Primùm eſt, iudicium ſicut

legitur Prouerb. 16. *Iudicium determinat causas.* Siquid
pœnitens pareat in foro pœnitentiali, & iudicio illius
secundùm omnes partes illius iudicij, pacem habebit
Deo. Nihil enim vltra id quod iure Deo adiudicandum e
pœnitente requirere potest. In quibus omnibus primum
vt Deo possessionem fundi, quo ipsum pœnitens iniqui
spoliauit, restituat. Fundus autem ipse est pœnitens,
ad pacem verò pœnitentes inducere vrgentissimum
efficacissimum est eisdem ostendere, quantâ instantiâ
legatos suos, Doctores scilicet ac prædicatores rogare
cessat ea, quæ pacis sunt, ac si rebellione nostra vinci fo
daret, ac si de nobis vindicare non posset: nec rogare
lùm contentus est, sed etiam redimere, & emere toto
tio diuitiarum cœlestium, & regni sui; in tantam autem
solentiam, immò dementiam, nonnulli peccatorum ab
nati sunt; vt nec verbum de pace ista, hoc est, sacras ex
tationes audire dignentur, &c. Quartum officium Confe
ris est officium medici siue medicantis, ex quo conueni
nosse distinctionem, & diuersitatem pulsuum, id est mot
cordis, qui sunt desideria; eius enim est nosse, si desideri
reuertendi ad Deum in pœnitente forte est ac validum: si
talis calor, hoc est, viuificatio & dilectio, quæ Deus est, fo
est in eo, aut debilis. Si sudor lachrymarum multus an p
cus; si vniuersalis; hoc est omnia membra lauans, &c.
ipse sudor ... fuerit, vt causam, & radicem morbi spirit
lis expule... Quintum officium confessoris est officium ob
tricis, de quo, Iob 16. *Obstetricante manu eius eductus*
coluber tortuosus. Hebrææ siquidem mulieres obstetric
habent scientiam, sicut legitur, Exod. 10. Hæ mulieres
telliguntur Confessores, propter familiaritatem, per qu
secretissima absconditissimorum peccatorum eisdem cred
tur & reuelantur, sicut obstetricibus, &c. Secundò propter s
uitatem contrectandi, & educendi partum tenellum. Tert
propter muliebris benignitatis & compassionis dulcedin
Hic ergo totâ vigilantiâ studendum est Confessoribus,
cautissima sit eorum suauitas, suauissimáque cautela in e
cendis horrendissimorum peccatorum monstris in lucem co
fessionis, & præcipuè ignominiæ passionibus; id est extrao
dinariis peccatis carnis, &c. Sextum officium est amantissi
patris, sic enim excipiendus est pœnitens à confessore, vt
amantissimo patre filius rediuiuus; hoc est toto gaudio & a
gratulatione, toto applausu atque festiuitate. Sic enim illu
recipit pater misericordiarum, quemadmodum legitur Luc. 15.
de

de filio prodigo reuertere. Septimum officium est matris dilectæ & munusculis paruulo blandientis, & ad bona quælibet inuitantis. De Osee. 2. *Lactabo eam & adducam in solitudinem.* Et iterum Isaiæ 63. *Ad vbera portabimini & superblandietur vobis, quomodo sicut mater blandiatur filio, ita ego consolabor vos.*

Quæ omnia satis snperque arguunt, non mediocrem debere esse in Confessariis doctrinam, cùm qualia & quàm magna detrimenta nascantur ex concordiæ inter principes mediatoribus inexpertis, & iudicibus illiteratis, ex medicis indoctis, & obstetricibus artem quam profitentur nescientibus, lippis & tonsoribus notum sit. Sed & si ex notarij, in instrumento conficiendo, aliqua omissione, additione aut alienâ expressione, tot incommoda ac lites nascuntur ad perturbandum ius alterius & eum ad summas difficultates adigendum: quid non luctuosum ex confessarii errore expectandum erit, in statu spirituali animarum?

Quapropter dum eruditissimi Episcopi verba à me attentiùs perpenduntur, mirari desino cur expertissimus in arte Confessariorum Nauarrus de pœnit. dist. 6. in §. *caueat*, postquàm multis asseruit magnam in confessoribus requiri scientiam, subiungit; Si quis autem me interroget, Quantum oportet scire Confessarium; Respondeo primò Confessarium vndecunque absolutum, oportere quod totam Theologiam moralem, & Canonica iura simul cum ciuilibus calleat: quin immò etiam constitutiones Synodales particulares illius, in quâ Confessiones audit Prouinciæ, vel Diocœsis probè teneat. Quòd vltimum ideò requirit, quod multi casus iis proponuntur à pœnitentibus, de bonis quæ sic vel sic empta, aut permutata sunt: sic vel sic ex testamento vel ab intestato obuenerunt; itemque super legitimâ filiorum, dotibus mulierum, & donationibus inter virum & vxorem, & alij huiusmodi casus, qui viros doctiores etiam maximè torquent, vt præter scientiam de iustitiâ & iure, prout tractari solet à Theologis, pernecessaria sit cognitio legum municipalium & consuetudinum earum, quas locales vocant, sine quarum notitiâ sæpe Confessarius cæcus est, qui cæco ducatum præstat, vt iuxta Euangelicum effatum Matth. 15. *ambo in foueam cadant.*

Quæ cùm ita sint sanctissimè inter plura decreta, quæ Spiritu sancto inspirante à Concilio Tridentino prodierunt, illud etiam emanauit Ses. 23. c. 15. de reformatione. *Quamvis presbiteri in suâ ordinatione à peccatis absoluendi potestatem*

accipiant: Decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam regularem posse Confessiones sæcularium, etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut per Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur & approbationem quæ gratis detur, obtineat: priuilegiis & consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus. Quo decreto Concilium primò tollit abusus parochorum, qui ineptis Confessariis oues suas committebant, dum liberum illis erat, quoslibet Sacerdotes censurâ non irretitos, sine approbatione Episcoporum Confessionibus audiendis in suâ parochiâ preficere. Cum post istud decretum incapaces sint ad recipiendam iurisdictionem, nisi antea præuio examine, vel alio modo ab Episcopis idonei iudicati sint. A quâ regulâ soli excipiuntur parochi, qui actu parochiale beneficium obtinent, quod non resignarunt, qui cùm seueriori examine ad regimen animarum admissi sint, titulo curæ pastoralis apti habentur, qui in quacumque aliâ parochiâ, annuente proprio parocho, Confessiones excipere possint, etiam in aliena Diœcesi, quantum est ex vi præsentis decreti, nisi legibus Diœceseon particularibus arceantur.

Secundò eodem decreto Concilium æquat inter se Sacerdotes regulares & sæculares, in eo quod spectat ad audiendas confessiones sæcularium; vt ambo subiiciantur Episcopis quoad examen & approbationem, non obstantibus illorum priuilegiis. Nullum enim inter sæcularem & regularem ponit discrimen, nisi quod huius annullat priuilegia, si quæ vnquam prætendat se habere ex iure veteri, & concessionibus antiquorum Pontificum & Conciliorum præcedentium, quæ autoritatem Concilij Tridentini nullatenùs coarctare potuerunt, cum par in parem potestatem non habeat. Quamuis, quod spectat ad approbationem, nullum vnquam priuilegium regularibus concessum fuerit, cùm ante dictum Concilium, non ageretur de approbatione, sed de solâ iurisdictione, & licentiâ ad audiendas Confessiones, quam cum aliquibus conditionibus summi Pontifices religiosis præsentatis à Superioribus concedebant, si veniam petitam ab Episcopis non obtinerent. Quare vanum est hodie refugium aliquorum ad ius antiquum Extrauagantium & Clementinarum Concilij Viennensis. Cùm enim iure nouo Concilij Tridentini iurisdictio non detur à summo Pontifice, nec dari possit à Parochis, nisi Sacerdoti, quem approbauerit Episcopus per examen, si ita voluerit, nullus Sacerdos etiam regularis deiectus ab illâ approbatione, confugere poterit ad ius illud antiquum, quod neutiquam est de approbatione.

Religiosi.

Quod etiam locum habet in Superioribus religiosorum, & sæcularium confessiones velint audire, quos frustrà quidam alij voluerunt eximere ab onere examinis, quòd essent Parochi suorum subditorum, ideóque eadem ratio esset illorum ac curatorum : verùm cùm prælaturæ Superiorum inter religiosos, minimè comprehendantur sub Parochiali beneficio, vana est ista exceptio, ideóque non obstantibus priuilegiis, iuxta Concilij decretum,pares sunt regulares & sæculares, & æqualiter & æquali iure obnoxij examini & censuræ Episcopali.Vndè,vt etiam docet Suares *de Pœnitentia*.disp.28.sect.7. dubitatione sextâ, vtrosque poterit approbare cum aliquâ limitatione seu locorum, seu personarum, seu temporis, seu etiam casuum & peccatorum : vt enim iustis de causis possunt Episcopi limitare approbationem pro certis locis & personis iuxta praxim vsu receptam ; atque fultam autoritate quorundam Conciliorum Prouincialium à summo Pontifice approbatorum:vt inter cætera,Concilij Limensis in Regno Peruano an. 1583. celebrati & autoritate Xisti quinti, approbati actione 2. c. 14. cuius quidem Concilij decreta selecta dedimus in nostrâ *Summâ Conciliorum* : ita etiam poterunt eandem limitare pro certis peccatis, itavt approbatio non sit pro reseruatis, quorum pleraque, vt falsum testimonium, sortilegium, simonia, & alia requirunt peritiores confessarios, qui difficultatum nodos in iis occurrentes dissoluere possint.

Quæ omnia non alio animo à nobis dicuntur, quàm ne defectu iurisdictionis, qui maior est Confessariorum defectus, plures animæ damnationis periculo exponantur,& ne irritum sit aliquando pœnitentiæ Sacramentum, per eos administratum, qui sub prætextu priuilegiorum, quæ reuocata sunt, autoritatem Episcoporum contemnerent, quibus quò se magis in hac parte subiicerent, & ostenderent se ab illis dependere, eò in se benigniores experirentur,vt cum maiori pace, & cum ampliori animarum fructu ac quiete, sua ministeria exercere possent in abundantissima Ecclesiæ messe.

Quare cùm istud examen adeò sit necessarium, multi tamen illud refugiant veriti illius seueritatem, opportunum visum est remedium, si aliqua examinis illius forma facilis, & ad captum Sacerdotum qui minùs Theologiæ operam nauarunt (quales plerique in omnibus ferè prouinciis reperiuntur) conscriberetur, vt viderent quid maximè addiscendum illis esset, eóque lubentiùs illud prælegerent, & memoriæ mandarent, quò paucioribus interrogationibus & responsis constaret. Ea enim est multorum indoles,vt prolixiores tractatus ne

legant quidem, quòd desperent se omnia quæ in iis continentur, animo posse consequi; breuiores verò auidè arripiant, ut quos se facile exhaurire posse confidant. Quapropter non illepidè dictum est.

Omne tulit punctum qui miscuit vtile dulci:
Non secus ac facili qui breue iunxit opus.

Et quamuis iam id præstiterit ante nos vir prædoctus Ioannes Chapeauille S.T. Licentiatus, Pœnitentiarius ac Vicarius Leodiensis, *in Examine Confessariorum*, quod attexuit ad calcem tractatus *de casibus reseruatis*, qui prodiit Leodij anno 1614. Et forsitan aliqui alij, quorum notitia ad nos non peruenerit; id tamen nos non deterruit à præsenti instituto, memores eorum quæ præfatur D. Cyrillus Alexandrinus *in Prophetas minores.* Existimabit, inquit, fortasse quispiam otiosum esse quodammodo, & cum temeritate coniunctum, parumque conducibile; etiam antea pluribus disputata tantum non refodere, perscrutarique velle: & laboribus aliorum præteritis, nouos superaddere, &c. Ego verò magnopere contrà senserim. Memorabo enim Paulum acclamantem iis, quos rebus diuinis erudiebat. Ad Phil. 3. *Eadem scribere vobis, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.* Considera porrò quàm verum dixerim. Nam si quippiam proponatur cognitu præcipuum ac necessarium, & ita super eo, multis & à multis disseratur, nullum inde damnum ad quemquam; imò fructus maximus ad audientes perueniet.

Quibus sanctissimi Patris rationibus addi potest, exemplaria prædicti examinis vix reperiri in his præsertim locis: Quid etiam quòd prædictum examen tantùm conscriptum fuerit pro rudioribus, & magis simplicibus Sacerdotibus, qui pro pagis & oppidis dumtaxat ad sacras confessiones admitti percuperent. Nos verò etiam pro aliis, qui in maioribus ciuitatibus, vbi quæstiones difficillimæ enodandæ sunt Confessariis, addimus in hac quarta editione secundam partem examinis *de elementis Casuitarum*, vbi dantur definitiones plures terminorum moralis scientiæ: quin & tertiam partem *de censuris & impedimentis canonicis.* Quibus paratur via ad tractatum difficilem de examine pœnitentium per confessarium, ex quo non inutilem instructionem eruere potuerunt, qui in sacris tribunalibus quibuslibet expositi, audiunt sæpe quæ auris non audiuit, æstúque vrgentur & gelu, vndequaque videntes angustias, qua ex parte se vertant, dum animas peccatorum ac negotiorum difficillimorum vinculis illaqueatas Christo reconciliare satagunt.

Porrò

Porrò ex hoc supplendum erit quod deesse videbitur in præsenti examine Confessariorum; quot enim ibi quæstiones tractantur, tot proponi poterunt ad probandos Confessarios, qui in magnis ciuitatibus, pluribus tradunt se difficultatibus. Cæterùm quòd præsentem tractatum ordiamur à conditionibus in Confessario requisitis, nouo forsan & inexpectato modo propositis, non mirabitur quisquam, si intelligat id à nobis datâ operâ factitatum esse, vt hac methodo recordentur magis Confessarij, minusque obliuiscantur earum, quibus præditi esse debent, qualitatum.

Quamuis conditiones illæ breuiùs ab aliis recensentur, vt ab Alberto Magno in 4. sent. dist. 14. scilicet discernere audita, & extrahere occulta, & medicare salubriter inuenta.

Incipimus autem à iurisdictione Confessarij, quòd pœnitentia habeat se per modum iudicij; in omni autem iudicio benè ordinato, primum stabilienda sit autoritas & potestas iudicis, sine quâ sententia eius nulla omninò esset.

PRIMA PARS EXAMINIS
Confessariorum de qualitatibus Confessarij.

Quas qualitates debet habere Confessarius?

QVinque inter cæteras debet habere qualitates Confessarius, scilicet potentiam Patris, sapientiam Filij, bonitatem Spiritûs sancti; & patientiam humanitatis Christi Domini ac castitatem Angelorum.

Ænigma videris nobis proponere: explica teipsum dilucidè, nec enim attributa diuina reperiri possunt in Confessario.

Ita sanè est, nec responsum meum ita accipi velim, vt verba præ se ferunt. Sed quando dico, Confessarium debere habere potentiam Patris, per illam potentiam, intelligo potestatem & iurisdictionem super pœnitentes, sicut per sapientiam Filij, intelligo, maximam scientiam, quâ debet esse præditus ad dissoluendas maximas difficultates, quæ occurrunt in Confessionibus: & per bonitatem Spiritus sancti, intelligo charitatem quam debet habere Confessarius pro salute pœnitentis. Per castitatem Angelorum, & patientiam Christi Domini, satis intelligitur Confessarium debere esse virum castum, contra sagittas virulentas, quas immittit aliquando sagittarius inferi dum audiuntur mulieres. Denique patientem, vt omnes officij sui partes integrè expleat erga multos pœnitentes rudes, ignaros & innumeris peccatis oneratos, &

parum dispositos ad beneficium absolutionis debitè su-
piendum.

Quid est iurisdictio Confessarij?

Est potestas cum assignatione subditorum absoluendi à pec-
catis in Sacramentali Confessione.

Quotuplex est illa iurisdictio?

Duplex: vna ordinaria, quæ ita vocatur, quod conueni
pastoribus ordinariis titulo beneficij vel prælaturæ religio-
quales pastores sunt, summus Pontifex, Episcopus, curatus
Superiores regularium sibi subditorum aut subditarum: a
delegata, quæ habetur per commissionem illius, qui ordi-
riam habet iurisdictionem.

Estne distincta iurisdictio ab approbatione?

Ita est. Est enim approbatio iudicium Episcopi, aut eius v-
ces gerentis, quo Presbyter per examen vel alio modo i-
dicatur idoneus ad excipiendas Confessiones: at verò iurisdi-
ctio est ipsa potestas ad excipiendas Confessiones, & abso-
uendos pœnitentes.

Sacerdos approbatus ab Episcopo aut eius examinatore, nunquid potest audire confessiones quorumlibet Diœcesis illius?

Non potest, nisi insuper ipse Episcopus daret illi iurisdi-
ctionem, vel Parochus illius penitentis quem vellet absolue-
re. Vnde incumbit maximè Confessariis, vt sciant à quo ha-
beant iurisdictionem, & Maior defectus confessarij est defe-
ctus iurisdictionis.

Quid potest dare iurisdictionem?

Quicumque habet iurisdictionem ordinariam & non ex
commissione alterius, potest committere ea quæ sunt iuris-
dictionis suæ alteri habenti ordinem conuenientem & alia re-
quisita ad illud officium exercendum. Qui autem habet tan-
tùm iurisdictionem ab alio, non potest aliis committere. Vnde
dicitur communiter, delegatus non potest delegare suam iu-
risdictionem, sic Sacerdos qui habet suam iurisdictionem à
Parocho, non potest delegare alteri.

Numquid Sacerdotes accipiunt iurisdictionem in suâ ordinatione, quandoquidem dicuntur illis eadem verba quæ dicta sunt Apostolis, quando receperunt suam potestatem & iurisdictionem, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis Ioan.20.

Respondeo, Apostolis non tantùm dicta esse hæc verba, sed
etiam hæc sequentia? *Sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos, &c.* Per quæ verba acceperunt iurisdictionem perfe-
ctam, & simul subditos: at hæc verba non dicuntur Presbyte-
ris

ris in ordinatione sua, ideóque tunc non dantur illis subditi; sed tantùm potestas in actu primo ad absoluendum, cùm Ecclesia assignauerit subditos per concessionem iurisdictionis ordinariæ vel delegatæ.

Quamdiu durat iurisdictio Confessarij?

Quando non est limitata ad certum tempus, durat quamdiu non est reuocata, etiam post mortem delegantis, vt probabilior est sententia doctorum.

Quis potest reuocare illam iurisdictionem, &c.

Ille qui eam concessit ex authoritate propriâ, aut eius successor, aut eius Superior: sicut Episcopus potest reuocare iurisdictionem concessam à curato. Non potest autem inferior eo qui delegauit, iurisdictionem auferre, & si velit auferre nihil efficit, quia gratiam superioris inferior arctare nequit. Vndè dicitur in regulis iuris *in sexto. Non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum & quæ contra ius fiunt debent vtique pro infectis haberi.*

Quare Confessarius debet habere maximam scientiam?

Quia est iudex in foro interiori: proindeque eorum omnium, quæ sub foro interiori accidunt, peritiam debet habere. *De secunda qualitate Confessarij.*

Quotuplex scientia in Confessario requiritur?

Triplex maximè, scilicet inquisitiua, iudicatiua & medica.

Prima inquisitiua, quâ possit pœnitentem, qui opus habet examine, aptè interrogare de peccatis, habitâ ratione personæ, necessaria tantùm interrogando, non superflua. Quâ etiam possit vbi casus difficilis illi proponitur, interrogare de variis circumstantiis, quarum cognitio prærequiritur antequam sententiam suam proferat. Propterea enim habet clauem scientiæ, id est, potestatem examinandi & inquirendi, vt sciat quæ necessaria sunt ad ferendum iudicium super pœnitentes cum æquitate & iustitiâ.

Secunda iudicatiua, quâ possit iudicare de grauitate & onere peccatorum: quæ scilicet peccata mortalia sint & venialia, & quæ sint obnoxia excommunicationi, aut alteri censuræ, quæ absolutioni Superiorum Confessariorum, vt reseruata Episcopis eorumve Pœnitentiariis vel summo Pontifici, quæ etiam obnoxia sint restitutioni bonorum famæ vel fortunæ, aut aliorum. Secundò etiam, quâ possit discernere quæ sint impedimenta Matrimonij, ne, si ignoret,

multos ſinat Matrimonio coniungi, aut in eo perſiſtere, in damnationem æternam animarum ſuarum.

Tertia denique medica, qua poſſit diſcernere inter bonam & malam Confeſſionem & iniungere ſatisfactiones conuenientes & remedia congrua variis peccatoribus apponere, oleo diuinæ miſericordiæ, vel vino diuinæ iuſtitiæ aliquos emollire, deſperantes erigere, puſillanimes confortare, nonnunquam etiam bene viuentes ſolari & confortare. Quia non eodem modo cum omnibus agendum eſt peccatoribus, ſicut medicus non eadem medicinâ omnibus medetur ægritudinibus.

Debetne Confeſſarius omnes pœnitentes de omnibus peccatis interrogare?

Minimè. Quidam enim ſunt ſatis docti & inſtructi in moralibus, quos nullatenus conuenit interrogare, alij parùm admodùm examinandi ſunt, alij plurimùm, donec ſciatur numerus peccatorum & vltima ſpecies peccati cum circumſtantiis neceſſariis.

Quænam ſunt peccatorum circumſtantiæ, de quibus interrogandi ſunt pœnitentes?

Sex ſunt hoc verſu contentæ.

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Ex quibus circumſtantiis illæ tantùm inquirendæ ſunt, quæ mutant ſpeciem peccati, vel ita nobiliter aggrauant intra eamdem ſpeciem, vt ex iis vnum peccatum duplo, aut pluries maius aliis cenſeatur.

Quid intelligis per circumſtantias quis & quid?

Reſpondeo per circumſtantiam *quis*, non intelligi ipſam perſonam in indiuiduo, ſed tantum quaſdam conditiones accidentales perſonæ; vt ſi ſit perſona Deo conſecrata, & obligata vinculo Matrimonij. Per circumſtantiam verò *quid* non intelligi ipſum actum peccati, quia non eſt circumſtantia, ſed quaſdam conditiones etiam accidentales ipſius actûs, vt euentus & effectus qui inde emanarunt.

Quid eſt peccatum mortale?

Eſt actio, vel omiſſio aliqua cum aduertentia contra legem Dei, in materiâ graui.

Quo pacto mortale peccatum diſtinguis à veniali?

Per duo potiſſimùm diſtinguitur mortale à veniali, quod ſcilicet mortale eſt contrà legem diuinam in materia graui, & veniale eſt tantùm in re leui, contrà eamdem legem diuinam, deinde mortale fit cum aduertentiâ, & non ex primo motu; at veniale ſæpe committitur ſine expreſsâ aduertentiâ, & ſine deliberatione,

Addendum etiam aliquando mortale distingui à veniali, per conscientiam erroneam peccatoris, vt si duo aliquid leue agant, quod vnus credat esse peccatum mortale, alter tantùm veniale, ille peccabit mortaliter propter conscientiam erroneam, hic tantùm venialiter.

Quid est materia grauis, aut leuis, ex qua distinguitur peccatum mortale à veniali;

Non potest id statui certâ regulâ, sed hîc & nunc prudentis arbitrio pensanda est, ex variis circumstantiis, & maximè ex fine rei præceptæ. Verbi gratiâ furari mediocris statûs homini viginti asses, censetur materia grauis & sufficiens ad peccatum mortale, quia consideratâ conditione personæ hoc infert notabile damnum. At totidem furari magno principi, veniale peccatum censebitur, quia leue admodum infert detrimentum.

Quid prodest Confessario nosse distinctionem mortalis à veniale

Prodest, vt aliter se gerat cum pœnitentibus mortali peccato adstrictis, & cum iis qui tantùm venialiter peccauerunt. Nam tenetur rescire numerum & vltimam speciem peccatorum mortalium, & longè alias pœnitentias iniungere: est enim peccatum mortale materia necessaria Confessionis, id est, necessariò explicanda in Confessione: at veniale est tantùm materia sufficiens non necessaria, ideò pœnitens non tenetur sub pœnâ damnationis ea confiteri, nec Confessarius tenetur de iis tam exactè examinare, nec tam graues satisfactiones pro iis imponere. *Materia necessaria & sufficiēs.*

An auertat magis à Deo peccatum mortale, quàm veniale?

Considerari potest Deus dupliciter. Primò quatenus est Legislator qui dedit leges hominibus. Secundò quatenus est summum bonum, seu finis vltimus hominis: igitur peccatum mortale & veniale auertunt simul animam à Deo vt Legislatore, quia vtrumque est contra legem Dei. Sed solum mortale auertit à Deo quatenus est summum bonum, seu finis vltimus beatitudinis nostræ: peccatum autem veniale ex se solo non auertit à fine vltimo beatitudinis.

Quæ ratio huius discriminis?

Quia peccatum mortale est contra legem obligantem ad aliquid necessarium pro adoptione beatitudinis, seu finis vltimi, ideo per illud amittit ius ad illum finem, at veniale est tantùm contra legem obligantem ad aliquid vtile pro illo fine adipiscendo, vel citiùs, vel abundantiùs: vnde per illud anima non excidit simpliciter à fine vltimo, sicut per mortale.

Quare

Quare Deus sic leges suas diuersimodé instituit?

Quia sunt res quædam grauioris momenti coram Deo, aliæ leuioris ponderis, non autem voluit Deus vt propter harum defectum quis excideret à sua amicitia, quæ manifestabitur in fruitione summi boni, seu in Paradiso, vbi sicut amicos omnes habet beatos illis omnia sua bona communicando: sicut nec enim inter prudentes homines huius sæculi amicitia dissolui solet omninò, propter rem aliquam leuioris momenti, & Deus hoc indignum suâ bonitate iudicauit, vt propter quid leuissimum hominem vt inimicum ex amico haberet.

Quandonam homo constituit finem vltimum in peccato veniali, itaut propter hoc fiat mortale?

Tunc semper & solum constituit quis finem in peccato veniali, quando propter illud recedit ab vltimo fine faciendo aliquod mortale propter veniale & ordinando mortale ad veniale. Vt si quis ad lautius viuendum rapiat aliena vel non restituat, tunc enim Deum relinquit ad faciendum veniale, & idcirco non amplius in Deo ponit finem vltimum quo seipsum priuat, sed in illo veniali propter quod à Deo se conuertit.

Non ergo per defectum ordinandi in Deum actionem peccati venialis, in eo constituitur finis vltimus?

Minimè certè: quia aliud est constituere finem in peccato veniali: aliud in eo sistere non referendo illud ad vlteriorem finem.

Vnde istud?

Quia cum veniale sit transgressio alicuius legis non necessariæ ad vltimum finem, non tenebatur homo sub pœnâ amissionis illius finis rem illam ad Deum referre: & in eius transgressione peccat tantum venialiter, vt in mendacio iocoso patet, quia non mentiri iocosè non erat res necessaria etiam ex præcepto diuino ad acquirendam beatitudinem. Quod summopere est necessarium cognitu Confessariis pœnitentibusque ac conscientiis timoratis.

Quot sunt modi peccatorum venialium?

Tres à Doctoribus solent assignari. Primò quædam dicuntur peccata venialia ex genere, eâque sunt quorum materia per se non sufficit ad constituendum mortale quacumque habitâ deliberatione, vt mendacia iocosa & officiosa. Secundò quædam sunt venialia ex imperfectione materiæ, quando materia secundùm suam speciem est sufficiens ad mortale, sed propter paruitatem illius est solùm veniale, vt furtum vnius assis. Ratio enim naturalis dictat indignum esse Deo, vt propter quid tam leue recedat ab amicitiâ & charitate. Tertiò

aliquod est veniale ex indeliberatione, quod in omni materiâ reperiri potest: ac talia solent esse peccata pleraque semi-dormientium aut semi-ebriorum.

Suntne aliqua peccata, quæ annexam habent censuram?

Maximè, vt duellum, percussio Clerici, Simonia in beneficiis & ordinibus, Hæresis exteriùs manifestata, Inobedientia quæ fit monitoriis auctoritate Episcopi publicatis, & multa alia quæ qui commiserint, non possunt sine peccato interesse Missæ, donec absolutionem consequuti fuerint.

A quo debet dari absolutio de peccatis quæ annexam habent censuram aliquam?

Ordinariè reseruatur horum peccatorum absolutio Episcopis. Quòd si non sint reseruata, quilibet Sacerdos approbatus, & iurisdictionem habens in pœnitentem, potest sibi subditum absoluere: sicut etiam in articulo mortis, cùm mortis proximæ causa iam existit, vt infirmitas, violentia, aut sententia iudicis, quamuis etiam peccata reseruata & censura alias essent fortè eis annexa.

Quid est casus reseruatus?

Est peccatum aliquod mortale ad cuius absolutionem non est concessa iurisdictio inferioribus sacerdotibus.

Quare istud peccatum vocatur casus?

Dicitur casus à cadendo, quia per illud homo cadit à gratiâ Dei.

Quare quædam peccata sic reseruantur?

Vt Christiani magis deterrerentur à grauioribus quibusdam criminibus, metuentes subire examen superiorum sacerdotum, quos sciunt maturo iudicio illorum peccata discussuros, & nonnisi sublatis occasionibus beneficium absolutionis concessuros. Deindè etiam, quia grauiores lapsus & morbi requirunt peritiores medicos ad efficacius remedium adhibendum. Adde quod plures ex casibus reseruatis continent maximas difficultates propter annexas censuras, & onera restitutionis, quæ non facilè à quibuslibet diiudicari possent, vt est Symonia, falsum testimonium coram iudice, adulterium & alia peccata.

Quot sunt casus reseruati?

Generaliter diuiduntur in Papales & Episcopales, hi verò varij sunt ratione Diœceseon, quæ suos habent casus reseruatos.

Quare non sunt etiam casus parochiales reseruati à parochis, qui habent multos sacerdotes sub se?

Respondeo ordinariè prohibitum esse parochis sibi aliquos

quos casus reseruare. Posset autem id fieri, si nollent concederet totam suam iurisdictionem sacerdotibus suis, & id permitterent Episcopi.

Quare ergo mittuntur pœnitentes ad pœnitentiarios Episcopi pro casibus reseruatis?

Quia pœnitentiarij in Cathedralibus habent potestatem quasi Episcopalem in foro interiori (nam in exteriori, vt tales nihil possunt) vt munus Episcopi subeant in casibus, censuris & in iis quæ forum interius concernunt, dum sæpe Episcopi eximunt se ab onere Confessionum excipiendarum quas committunt suis pœnitentiariis, dum ipsi aliis negotiis intenti sunt.

Quid agendum Confessario dubitanti num aliquis casus reseruatus sit?

Non debet absoluere, nisi prius sibi constet vel ex lectione librorum vel ex consilio peritorum, casum non esse reseruatum. Proderit autem vt sciat nullum peccatum esse reseruatum, nisi sit externum & actu consummatum, & expressis verbis contentum in indice casuum reseruatorum; quia reseruatio est odiosa & odia restringenda sunt, & reseruatio casuum strictè interpretanda.

Quæ sunt peccata restitutioni obnoxia?

Ea quibus violatur iustitia erga proximum, vel ea quibus pœna restitutionis iniuncta est à summo Pontifice, vt sunt furtum, vsura, contractus illicitus, detractio, simonia, confidentia, omissio horarum Canonicarum in beneficiatis.

Quid est furtum?

Est ablatio rei alienæ, inuito domino.

Quid est vsura?

Est lucrum ex mutuo. Seu est receptio pretij pro vsu rei mutuatæ quæ est vsu consumptibilis. Sic qui pro decem nummis mutuatis recipit vndecim, committit vsuram.

Quid est contractus illicitus?

Est contractus quo obligatur proximus contra iustitiam.

Quid est detractio?

Est ablatio famæ per verba cum intentione nocendi.

Quid est Simonia?

Est studiosa voluntas vendendi aut emendi pretio rem spiritualem.

Quotuplex Simonia?

Triplex; realis, conuentionalis, mentalis. Realis cùm actu datur, aut accipitur temporale pro spirituali. Conuentionalis cùm fit promissio dandi temporale pro spirituali, vel cùm dicta

cta promissio adimpletur ex vna parte. Mentalis est cùm voluntas dandi spirituale pro temporali mente retinetur, nec exterius manifestatur, vt si quis det beneficij collatori pecuniam eâ mente vt sibi conferat beneficium.

Quæ sunt pœnæ Simoniaci?

Prima est communicatio. Secunda est priuatio beneficij adepti per Simoniam quod debet remitti ab emptore inter manus summi Pontificis. Ille autem qui vendidit, non potest retinere pecuniam; sed debet illam reddere illi, à quo accepit, aut dare pauperibus. Sunt insuper pœnæ, quibus affici potest à iudice, vt est priuatio omnium aliorum beneficiorum anteà obtentorum, & aliæ.

Quid est confidentia?

Est collatio, procuratio, vel acceptatio beneficij Ecclesiastici cum pacto vt accipiens beneficium, fructus illius, aut partem fructuum, aut illud beneficium alteri cedat.

Ad quid inseruire potest Confessario notitia impedimentorum Matrimonij?

Inseruit plurimùm, vt possit monere volentes contrahere Matrimonium, cum impedimentum habeant, atque etiam illis deneget absolutionem, si nolint desistere à proposito, vel obtinere dispensationem ab Episcopo, aut à summo Pontifice, cùm opus erit. Atque etiam vt dubitantes de impedimento post contractum Matrimonium, aut illud scientes, debeat abstinere ab inuicem, aut separari, aut dispensationem obtinere, si possit haberi.

Nunquid Confessarius noscens esse impedimentum Matrimonij in aliquibus, qui iam illud contraxerunt, tenetur illos monere, etsi de illo non cogitent nec putent se illud habere?

Respondeo hîc maximè circumspectos esse debere Confessarios, antequàm aliquos moneant de impedimento, cùm sint in bonâ fide, nec de illo cogitent, aut dubitent post contractum Matrimonium: si enim probabiliter præuideat Confessarius illos non adhibituros remedium isti impedimento, vel quia non poterunt, vel quia etiam nollent propter duritiem animi, & sint in bonâ fide, nec interrogent hac de re Confessarium, consultè & prudenter aget Confessarius, si taceat & dissimulet, & ne qui excusabantur à peccato, propter bonam fidem, incipiant peccare mortaliter in vsu Matrimonij, de cuius impedimento moniti sunt. Quoties autem qui contraxerunt Matrimonium dubitant de impedimento, aut de illo scrupulum habent, aut consulunt, Confessarius debet illis veritatem aperire, ne ipse sit conscius peccatorum, quæ

commit

committent in vsu matrimonij. Quæ peccata non sunt leuia & parui momenti. Quod idem faciet Confessarius quando præuidet breui monendos esse de impedimento, ab iis qui non ita prudenter monerent, sicut ipse poterit

Quid intelligitur per impedimentum voti quod dirimit Matrimonium?

Intelligitur votum solemne religionis approbatæ

Quid ergo si mulier ad te accedat quæ in iuuentute simplex votum castitatis emiserit apud se, quo non obstante Matrimonium contraxit, nunquid est Matrimonium eius inualidum, ita vt debeat separari à viro?

Minimè: nam votum simplex castitatis est tantum impedimentum impediens, non dirimens. Quare & si Matrimonium eius mulieris fuerit illicitum, non est tamen inualidum. Et remittenda est mulier ad Episcopum, vt obtineat voti dispensationem.

Quid intelligitur per impedimentum criminis?

Intelligitur triplex peccatum quod committitur durante priori Matrimonio. Primum est homicidium proprij coniugis perpetratum ab iis qui contrahere volebant, aut ab aliis, sed ex eorum consensu & conspiratione ad hunc finem, vt contrahere possent. Secundum est adulterium cum promissione Matrimonij futuri, si coniux moreretur, etsi reipsa non occiderint. Tertium est Matrimonium initum cum secunda vxore, viuente primâ, ita vt vterque viuentem esse sciuerit. Tale enim matrimonium crimen est, quo dirimitur & fit inualidum, etsi prima moriatur.

Nunquid etiam qui rem habuit cum sorore, aut cum germanâ illius, quam vult ducere in vxorem, habet impedimentum criminis?

Respondeo, quod istud peccatum non vocatur impedimentum criminis, sed cognationis, quæ extenditur ad secundum gradum, quando oritur ex illicito coitu: ad quartum autem, cùm oritur ex licito coitu

Quid intelligitur per impedimentum publicæ honestatis?

Respondeo, intelligi sponsalia valida cum matre, aut cum sorore illius quam quis vult ducere in vxorem. Talia enim sponsalia, nisi fuerint spontè dissoluta ante mortem, impediunt Matrimonium futurum propter quamdam decentiam, quæ non patitur, vt quis ducat in vxorem propinquam in primo gradu, sponsæ suæ. Ita decernit Synodus Tridentina, Sess. 24. cap. 3. de reformatione Matrimonij. Quòd si non solùm sponsalia, sed etiam Matrimonium quis iniisset cum aliquâ etiamsi non

non consummasset, ita impedimentum maius inesset publicæ honestatis, quòd extenderetur vsque ad quartum gradum cum consanguineis illius.

Quid aget Confessarius cum iis qui contraxerunt Matrimonium cum aliquibus impedimentis dirimentibus, de quibus se accusant in Confessione?

Iniungendum est illis, vt abstineant ab inuicem, & vt obtineant dispensationem ab Episcopo, si possit obtineri, vel à summo Pontifice. Quod si nolint acquiescere, deneganda est illis absolutio à Confessario, quamuis haberet potestatem absoluendi à reseruatis, propter eorum indispositionem, quia sunt in statu perpetuo peccati.

Potestne Episcopus dispensare de aliquibus impedimentis dirimentibus post Matrimonium contractum?

Potest de iis impedimentis dispensare quæ orta sunt ex aliquo peccato, modò illud sit occultum. Vt de impedimento orto ex coitu illicito, ex promissione & adulterio simul, viuente priore coniuge, & aliis, modò tamen solemnitates assuetæ in Matrimonio seruatæ sint, & vnus saltem coniugum bona fide contraxerit Matrimonium. Est enim euidens causa dispensandi, tum propter periculũ incontinentiæ si simul manerent sine vero Matrimonio, & periculũ scandali, si separarentur.

Circa quæ occupatur scientia medica Confessarij?

Primò circa reiterandas Confessiones præteritas cùm inualidæ fuerint. Secundò circa amouẽdas occasiones peccatorum. Tertiò circa pœnitentias congruè iniungẽdas, tum ad tollendã radicem peccati, tum ad satisfaciendum pro pœnis temporalibus quæ restant luendæ in hac vitâ aut alterâ, culpâ remissâ. Quartò circa instructionem necessariam pœnitentis. Quintò circa formam Sacramenti debitè applicandam. *Scientia medica.*

Quandonam inualida est Confessio præterita & reiteranda?

Inualida est ex parte Confessarij si non fuerit approbatus, si caruerit iurisdictione super peccata & super pœnitentes, etsi non protulerit verba absolutionis, aut si protulerit quidem, sed sine debitâ intentione.

Est verò inualida ex parte pœnitentis, si examen præuium neglexerit, si attritione aut contritione supernaturali caruerit, si peccatum mortale sciens & volens ex erubescentiâ aut aliâ causâ illegitima omiserit, etsi non habuerit voluntatem adimplendi pœnitentiam iniunctam.

Quid si nullo modo pœnitentiam iniunctam adimpleuit, vel tantum ex parte, nonne necessariò reiteranda est Confessio?

Minimè, si intentionem habuerit adimplendi: est enim sa-

tisfactio pars integralis pœnitentiæ, non essentialis, & sit qua pœnitentia sortitur suum principalem effectum, qui est remissio culpæ.

Quas occasiones peccatorum debet amouere Confessarius, antequam absoluat pœnitentem?

Illas, quæ sunt peccatum mortale, aut quæ tales sunt, vt pœnitens raro aut numquam iis vsurus sit sine peccato mortali, bene perpensis eius circumstantiis. Talis est concubinatus, vel societas illius, cum quo numquam fuit aliquis, cum fuerit iam pluries, sine peccato mortali.

Quid ergo aget Confessarius circa pœnitentem qui se accusat de fornicatione, aut adulterio cum muliere domestica, aut quam in aliqua domo ad finem peccati alit, & sustentat?

Debet differre absolutionem, quoadusque ancillam eiecerit, aut desierit subministrare necessaria vitæ illi mulieri, & illi significare hoc futurum fœlix initium pœnitentiæ salutaris, si ab hoc incipiat, antequam vlterius confiteatur.

Quid debet spectare Confessarius in præcipienda satisfactione, seu pœnitentia?

Spectare debet numerum & grauitatem peccatorum pœnitentis, radicem horum peccatorum, dolorem pœnitentis, & facultates ipsius: scilicet vires corporis & animæ, & his omnibus perpensis debet præcipere talem pœnitentiam, aut satisfactionem, quam iudicabit magis profuturam pœnitenti ad salutem æternam. Ita tamen, vt eo sit grauior, quo plura sunt peccata; sed tamen de ista grauitate aliquid diminuatur, vel propter vehementissimum dolorem pœnitentis, vel propter imbecillitatem corporis, aut animæ, quæ non pateretur, vt grauissimæ pœnitentiæ submitteretur, & eam adimpleret.

Nonne Confessarius tenetur sequi canones antiquos iniungendo septem annos pœnitentiæ pro peccato mortali?

Respondeo multis visum esse canones antiquos pœnitentiales fuisse tantum pro foro exteriori, & contra peccata publica: pœnitentiam vero quæ iniungenda est, esse arbitrariam: ita tamen vt prudenter se gerat Confessarius dum eam iniungit, habita ratione prædictorum.

Quo pacto ergo se geret Confessarius erga pœnitentem multis oneratum peccatis, & qui vix pœnitentiam vnius mensis peraget, cum teneatur habita ratione peccatorum, multorum annorum pœnitentiam perficere?

Si Confessarius coniiciat non peracturum, debet illi iniungere leuiorem, & breuiorem, quam sperat pœnitentem adimpleturum

plerorum, quia talis pœnitentia erit illi magis vtilis ad salutem animæ, alia autem vergeret in eius damnationem, quandoquidem eam non exequeretur.

Ita est quidem, sed ille pœnitens imputet sibi, si damnetur, non peragendo talem pœnitentiam quam peccata sua exigunt?

Respondeo, cùm pœnitentia sit instituta in salutem æternam pœnitentis, non debere committere Confessarium nimiã seueritate, vt vertatur in laqueum, & in perditionem, meliusque esse mittere pœnitentem in Purgatorium cum pœnitentia temperatâ eius infirmitati, quàm in infernum cum eâ pœnitentiâ, quam nunquam perficiet. Attamen monebit eum Confessarius, vt ipse eleëmosynis in pauperes, & piis operibus peccata sua redimat: se enim non decernere illi pœnitentiam satis grauem pro peccatis, quia metuit ne perficiat.

Poteritne aliquando Confessarius diminuere de grauitate pœnitentiæ, propter indulgentias quas lucraturus est pœnitens?

Respondeo pœnitentiam iniunctam debere habere duas qualitates: debet enim esse satisfactiua pro pœnis residuis post culpam, atque etiam esse sanatiua, seu medicinalis contra radices peccatorum; vnde ordinariè debet esse opposita peccatis. Igitur ratione indulgentiarum poterit Confessarius diminuere de pœnitentia, in quantum satisfactiua est; sed non in quantum est curatiua, & medicinalis, quia etsi indulgentia tollat pœnas peccatorum, non tamen tollit radices peccatorum, passiones scilicet, & malos habitus, ex quibus oriuntur peccata.

Teneturne etiam Confessarius instruere pœnitentes?

Tenetur, si errent in iis quæ tenentur scire, putentque esse peccata vbi non sunt; vel non esse peccata vbi sunt; atque etiamsi ignorent præcipua fidei mysteria, quæ nullus adultus potest, sine peccato ignorare, vt sunt mysteria Trinitatis, Incarnationis, Resurrectionis, & Eucharistiæ. Nec debet committere Confessarius, vt pœnitens absoluatur, qui non habeat fidem Christi expressam.

Quæ est forma Sacramenti pœnitentiæ?

Verborum istorum prolatio à Sacerdote. *Ego te absoluo à peccatis tuis: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Validane est Absolutio data sub conditione aliqua?

Si detur sub conditione de re præterita, vel præsenti quæ vere sit, est valida; nulla verò est, & inualida, data sub conditione de futuro, vt si dicat Sacerdos; absoluo te, si cras restitueris, vel ancillam eieceris, quia talis conditio suspendit actum absolutionis.

Quare requiris bonitatem, & statum gratiæ in Confessario?

De tertia qualitate Confessarij.

Quia Confessarius administrans Sacramentum in peccato mortali, peccat ipse peccato sacrilegij, indignè tractans res sacras.

Quid ergo aget Confessarius cùm pœnitens petit ab ipso absolui, & conscientiam habet peccati mortalis?

Confiteatur prius ipse confessarius, si possit; si non possit, conteratur coram Deo de peccato suo, vel abstineat ab audiendâ Confessione.

Satisne est Confessario quod sit in statu gratiæ, vt bonitatem habere existimetur?

Debebit insuper cùm se parat ad audiendas Confessiones, excitare in seipso zelum salutis animarum ad maiorem Dei gloriam, ac petere à Deo gratiam vt pœnitens verè ad ipsum redeat per pœnitentiam, ac Sacramenti fructus consequatur.

Qui illi Sacramenti Pœnitentiæ fructus, quos procurabit pœnitenti Confessarius?

Tres potissimùm. Primus reconciliatio cum Deo per remissionem peccatorum. Secundus vitæ emendatio. Tertius gratiæ sanctificantis & virtutum augmentatio. Ad quos fructus consequendos variis modis Confessarius debet adiuuare pœnitentem.

Quomodo adiuuabit ad consequendum primum fructum?

Si Confessarius excitet pœnitentem ad perfectam Contritionem, Confessionem ac Satisfationem pro peccatis, proponendo varia motiua ad dolorem inducentia, cùm opus fuerit, ac animando pœnitentem, vt cum fiducia integrè confiteatur, non autem nimia seueritate ac obiurgationibus deterrendo.

Quomodo iuuabit ad emendationem vitæ?

Si proponat pœnitenti opportuna remedia contra recidiuam, vt exscindat radicem peccatorum; qualia sunt mortificatio sensuum exteriorum ac interiorum, necnon passionum appetitûs sensitiui. Quotidiana conscientiæ discussio, Sacra lectio piorum librorum, Oratio cum ieiunio & eleemosyna, si rursus tale peccatum acciderit. Frequentior vsus pœnitentiæ & Eucharistiæ. Et alia huiusmodi quæ docebit vnctio quibus fragilis voluntas humana à peccato deterreatur.

Quomodo iuuabit ad consequendum tertium fructum qui est gratiæ & virtutum augmentatio?

Instruendo & exhortando pœnitentem ad se totum Christo tradendum

tradendum & vniendum per actus feruentes amoris, ac imitationem præstantissimarum eius virtutum, cum purissima intentione nunquam illi displicendi, sed potiùs magis magisque complacendi, ita vt elaboret Confessarius Christo potiùs applicare animas pœnitentium, quàm sibi ipsi. Qua in re erratur nonnunquam ab aliquibus.

Quo pacto iuuabitur Confessarius ad hæc rectè & vtiliter præstanda?

Si ipse cum metu ac tremore Iudiciorum Dei sitiénsque animarum salutem, ea addiscat continuo studio quæ necessaria sunt ad suum munus rectè obeundum, recurratque ad Deum per frequentem orationem ab eo postulans, ne anima ad eius imaginem creata, & sanguine Christi redempta, ac perfusa, negligentiâ suâ pereat, quâ impediat vim & efficaciam sanguinis Christi & diuinæ liberalitatis influxum in pœnitentes: quin potiùs suppleat summâ suâ bonitate ac clementiâ vilis instrumenti defectus. *Rolandus in direct. Confessar. c. 2.*

Nouisti piam aliquam orationem quam præmittere debeat Confessarius, cùm auditurus est Confessionem?

Valde pia & idonea est illa quam docet Hieronymus Sauaranola *in eruditorio Confessorum*, Confessor, inquit, cùm vocatur ad audiendum pœnitentem, ante omnia statim ad Deum per orationem se conuertere debet, quia ars est artium regimen animarum & benè regere sicut & benè regi, est donum Dei singulare, conuersus ergo ad Deum dicat humiliter, *cor mundum crea in me Deus*, &c. *Tract. 1.*

Digna est profectò illa oratio quæ memoriæ tradatur, & peto à te vt illam integrè recites, si habere vis à me approbationem, ad excipiendas Confessiones.

Cor mundum crea in me Deus, quia cor immundum non potest animas mundare *& spiritum rectum innoua in visceribus meis*, ne cupiditate vel inani gloriâ, vel curiositate vel sensualitate ducar: sed solùm hoc faciam pro gloriâ tuâ & animarum salute: *ne proiicias me à facie tuâ*, id est à lumine vultûs tui, ne per ignorantiam errans velut cæcus, cæco ducatum præstem. *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me*, non me permittas cadere in tentationem, audiendo aliena peccata, per quem casum, Spiritum sanctum tunc à me auferres. *Redde mihi lætitiam salutaris tui*, post Confessionem auditam, ne remanentibus in me peccatorum (quæ audiero) phantasmatibus, lætitiam deuotionis filij tui penitùs amittam: *& spiritu principali confirma me*, vt spiritu semper fortior sim, perseuerem sine peccato, sic enim *docebo iniquos vias tuas*, quæ

Psal. 50. non potest licitè & decercer.

sunt mandata tua *& impij ad te conuertentur* , & benè viuent ad honorem & laudem gloriam tuam in sæcula sæculorum. Amen.

Dixisti initio quinque maximè qualitates in Confessario requiri, putasne quasdam alias esse necessarias?

Omnino; requiritur enim, & prudentia maxima, atque etiam sigillum, vt nihil reuelet ex auditis in Confessione

Ad quid prudentia maxima requiritur in Confessario?

De sexta qualitate Confessarij.

Vt probè cognoscat an pœnitens sit sufficienter contritus, vel attritus, confiteatur integrè, & habeat verum propositum se emendandi. Vt si aliqua ex illis desint, cautè inducat pœnitentem, vt ea suppleat. Vt eum arguat, vel aliquando consoletur. Vt congruam satisfactionem imponat. Vt ex impositâ pœnitentiâ, cognosci non possint peccata, quæ fuerunt manifestata in Confessione. Vt differat nonnumquam absolutionem vel communionem. Denique vt omnes sui officij partes expleat, quia in omnibus prudentiâ, & circumspectione opus est.

De septimâ qualitate Confessarij.

Quid est sigillum Confessionis?

Est debitum, seu obligatio non reuelandi Confessionem.

Quare debitum illud vocatur sigillum?

Quia quemadmodum sigillum rem aliquam celatam & occultam tenet, ne palam fiat: ita etiam istud debitum, seu obligatio non reuelandi Confessionem, tenet secretum, & efficit ne aperiatur id quod dictum est in Confessione, nisi alia via cognoscatur.

Quo iure Confessarius obligatur ad sigillum?

Primo iure naturali, quia naturæ iura præcipiunt, vt seruemus secretum nobis commissum, nec illud publicemus. Secundò iure diuino positiuo, quia Christus instituendo Confessionem, censetur etiam tacitè ea instituisse, sine quibus Confessio esset exosa, & intolerabilis hominibus: at nisi secreta seruaretur Confessio, esset iugum importabile hominibus. Tertiò etiam iure Ecclesiastico, quia Ecclesia præcipit sigillum, omnibus Confessariis sub grauissimis pœnis.

Possesne producere aliquod decretum Ecclesiæ in quo præcipiatur istud sigillum?

Concilium Lateranense sub Innocentio tertio, c. 21. ita statuit. *Caueat autem omnis Sacerdos ne verbo, vel signo, vel alio quouis modo prodat aliquatenus peccatorem, sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque vlla expressione personæ cautè requirat, quoniam, qui peccatum Pœnitentiali iudicio sibi detectum præsumpserit reuelare, non solum à Sacerdotali officio deponendum*

*deponendum decernimus,verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum.*Concilium etiam Moguntinum quartum sub Sebastiano Archiepiscopo, ita statuit. *Quod si Sacerdos alicuius crimen per Confessionem sibi compertum, vel aperto iudicio, aut saltem conditionis, aut loci,aut vicinia, aut cuiuscumque circumstantia significatione reuelauerit, à beneficio Ecclesiastico remotus, ad arctum Monasterium ad agendam pœnitentiam retrudatur.*

Quanam cadunt sub sigillo Confessionis, ita vt ea secreta seruare teneatur Confessarius?

Omnia & singula peccata mortalia, singula etiam peccata venialia in particulari; quantumvis leuia; ea omnia quibus possent alij in peccati alicuius cognitionem deuenire;ea etiam quæ possenr directè, vel indirectè ruborem, verecundiam, sinistram suspicionem, vel quodcumque damnum pœnitenti procreare. Denique etiam peccata aliorum à pœnitentibus, tam complicium, quàm aliorum, quæ ipsi Confessario nota essenr tantùm per viam Confessionis ipsius pœnitentis, siue licitè,siue illicitè.

Reuelaretne Confessionem Sacerdos qui publicè pœnitenti Eucharistiam eam denegaret,dicens publicè: non tibi do Eucharistiam, *quia non adis pœnitentiarium pro peccato, pro quo te absoluere non potui?*

Proculdubio reuelaret, cùm hoc modo detegeret pœnitentem sibi confessum fuisse aliquod peccatum mortale.

Quid si diceret Sacerdos de vrbe, vel oppido in quo audiuit Confessiones, quòd ibi multa crimina perpetrantur?

Non reuelaret Confessionem, veruntamen peccaret sic loquendo, quia scandalisaret simplices qui Confessionem reuelari exindè putarent. Possent tamen tales esse circumstantiæ vt reuelare censeretur.

Quid si diceret Sacerdos de aliquo, ille mihi confessus est sua venialia, nullum determinando in particulari?

Non reuelat,quia nemo est qui veniat ad confitendum,quin saltem venialia confiteatur, vt præbeat materiam sufficienti Absolutioni. Vnde quemadmodum potest dicere Confessarius, illum absolui à peccatis, ita etiam potest dicere, absolui illum à venialibus. Numquam autem licet dicere; absolui eum à mortalibus.

Ponis ergo discrimen aliquod inter reuelationem mortalium, & venialium?

Ita est, quia non licet dicere aliquém confessum fuisse aliqua mortalia, nec in genere,nec in specie, licet autem di-

cere aliquem confessum fuisse aliqua venialia in genere, modò de nullo loquatur in particulari.

Non est necesse quod Pœnitens confessus sit venialia plura, cùm vnius peccati venialis Confessio sufficiat?

Ita est quidem, sed tamen cùm nemo diu viuat sine pluribus venialibus, non debet censeri ista loquutio iniuriosa Pœnitenti, nec prohibita sub graui peccato.

Frangerétne sigillum Confessarius qui retegeret aliquas circumstantias Confessioni impertinentes?

Respondeo, non frangeret, vt si quis diceret suum pœnitentem esse Germanum vel Italum, scrupulosum aut valde morosum in Confessione.

Quid si alius à pœnitente, cuius peccatum audiuit in confessione non sit complex peccati, sed imprudentia forsan pœnitentis relatum est eius peccatum, hocne pertinet ad sigillum?

Respondeo tale peccatum alterius à pœnitente concludi etiam sub sigillo per accidens, nec licere confessario detegere, imò debet monere pœnitentem ne quemquam nominet sine necessitate, dum confitetur.

Licétne Confessario loqui cum pœnitente extra confessionem de eius peccatis auditis in confessione?

Dico peracto iudicio pœnitentiali & absolutâ confessione, ablatam esse facultatem confessario agendi cum confesso de peccatis confessis, aut ea illi obtrudere, nisi fieret istud ex consensu pœnitentis.

Licétne Confessario loqui cum aliis de peccatis pœnitentis ex eius licentia?

Licet, nam & ipse pœnitens posset pœnitentiam publicam agere, & peccata sua diuulgare adhibito prudentiæ moderamine.

Licétne Confessario loqui de virtutibus pœnitentis?

Fas est, quia virtus non pertinet ad Sacramentum confessionis. Caueat tamen ne laudet vnum præ alio, aut ex duabus mulieribus dicat vnam esse castam præ alia.

Licétne Confessario inter concionandum carpere peccata audita in confessione?

Licet in maioribus locis, si talis adhibeatur cautela & diligentia, vt authores peccati non veniant in suspicionem, aut in opinionem; peccati enim retentio non est contra sigillum, modò non referatur ad pœnitentem.

Vt se geret Confessarius si illi dicatur, quomodò talem absoluisti, vel non absoluisti?

Respondere debet, functus sum officio meo, aut aliis æquipollentibus verbis eludere interrogationem.

Possétne saltem reuelari Confessio ex dispensatione summi Pontificis, vel ob periculum mortis imminentis, si non reueletur?

Respondeo summum Pontificem non posse dispensare in sigillo Confessionis, sicut potest in votis: quia non potest se offerre tanta vtilitas ob quam iuri sigilli contraueniendum sit, vel ad modicum tempus. Dico etiam potiùs mortem esse subeundam Confessario, quàm quòd Confessionem reueler, cuius sigillum est secretum secretorum, & arcanum arcanorum, quod numquam publicare licet.

Exemplum de loquaci Confessario.

Nouellus quidam Confessarius in Italia dixit coram quibusdam primam mulierem, cuius Confessionem exceperat, fuisse valdè pulchram nomine Catharinam: post aliquot menses dixit, coràm aliis primam quam audierat fuisse adulteram: cum seorsim hos & illos illud referentes audiuisset maritus, coniecit inde suam mulierem adulteram esse, statímque interfecit. Ecce casus: qui habet aures audiendi audiat. *Refert Baptista Conradus responsorum* 1.*parte quæsito* 332.

SCVNDA PARS EXAMINIS Confessariorum de Elementis Casuitarum.

A

Abigeatus est crimen, quo quis deprædatur animalia, ea ex armentis stabulis aut siluis abigendo.

Acceptilatio est responsum creditoris, quo interrogatus an acceptum habeat aliquod sibi debitum, non solutum realiter, dicit se habere.

Quid est acceptio personarum, &c.

Acceptio personæ est iustitia, quâ persona personæ præfertur in conferendo ei aliquid quod ex debito iustitiæ alteri est conferendum, & non ob meritum eius, ad ipsam rem. Si enim non esset debitum, non esset acceptio personarum, cum vnicuique liceat de suo dare cui vult.

Acedia est torpor mentis bona inchoare negligentis, vel est tristitia aggrauans mentem, vt nihil boni ei agere libeat. Est implicitè contra illud præceptum, *memento vt diem Sabbati sanctifices.*

Actio est ius ad petendum aliquid coram iudice. Alia est realis quæ sequitur rem & non personam per quam persona non est obligata. Personalis alia quæ personam tenet obligatam, vt in furto.

Accusatio est alicuius in libello rei de crimine delatio coram iudice ad vindictam.

Adiurare creaturas est per inuocationem diuini nominis vel alterius rei sacræ obsecrando vel imperando inclinare eas ad aliquid agendum vel patiendum.

Adoptio est legitimus actus, per quem qui filius non est pro filio habetur pene naturam imitans, idque auctoritate principis.

Adulatio est peccatum ex sermone vanæ laudis alicui exhibito intentione complacendi. Laudare autem aliquem non mendaciter ad finem bonum peccatum non est.

Adulterium est alieni thori violatio.

Aduocatus in iudicio dicitur, qui apud Iudicem desiderium suum, vel amici exponit, vel alterius desiderio contradicit.

Alienatio est omnis actus, per quem transfertur dominium.

Ambitio est appetitus potentiæ.

Angaria est opus, aut munus mere personale sine detrimento rerum.

Appellatio est à minore ad maiorem iudicem prouocatio: debet autem fieri intra decem dies à latâ sententiâ.

Apostasia est temerarius à statu fidei, obedientiæ Ecclesiasticæ vel Religionis recessus. Vnde est triplex.

Arbiter est ille, qui eligitur vt iudex & agit ordine iudiciario seruato in substantialibus iudiciis.

Arbitrator est amicabilis compositor & pacis mediator non seruato ordine iuris. Potest aliquid detrahere de iure alterius ex causa, cum multum lucratur qui à lite recedit.

Arrogantia est filia superbiæ, qua quis multùm se existimans cæteros, quos infra se videt & quibus non consulendo loqui, sed vix dominando dignatur.

Astutia est, cùm quis ad consequendum aliquem finem bonum vel malum vtitur non veris mediis, seu simulatis & apparentibus.

Auaritia est inordinatus amor habendi, dum quis supra modum mensuræ appetit, acquirit, aut retinet diuitias supra quod necessarium est ad vitam aut conditionem.

B

Bellum est conflictus publicarum personarum, seu etiam voluntas nocendi per arma parti aduersariæ.

Beneficium est quædam beniuola actio gaudium tribuens capienti.

Beneficium Ecclesiasticum est ius accipiendi aliqua temporalia propter obsequium spirituale.

Blasphemia importare videtur quamdam derogationem excellentis bonitatis alicuius & præcipuè diuinæ. Fit tribus modis. 1. cum Deo attribuitur quod ei non conuenit. 2. cum ab

ab eo remouetur quod ei conuenit. 3. cum creaturæ tribuitur quod soli creatori conuenit.

Cambium est permutatio negotiatoria numismatum pro numismatis spe lucri. Fitque diuerso modo.

Canonica portio dicitur quæ est à Canonibus probata & debita iure decretorum.

Canonizatio Sanctorum est Canonicum & regulate statutum quod aliquis mortuus honoretur pro sancto: puta quod fiat officium eius solemne.

Caracter est quædam spiritualis qualitas animæ ad significandum, disponendum, assimilandum, distinguendum.

Censura. *Quære infra in 3. p. huius examinis.*

Cessatio à diuinis, *Quære infra in 3. p. huius exam.*

Census est quædam pensio quæ de prouentibus soluitur: vel sic est ius exigendi pensionem de re vtili alterius.

Certum dicitur id, de quo proprio nomine, vel indubitata circumlocutione constat.

Circumstantia dicitur quod circumstat actum, quasi extrinsecus extra actus substantiam consideratum.

Ciuitas vel vniuersitas non dicitur aliquid facere nisi id sit collegialiter deliberatum.

Clamor est filia iræ, quâ quis clamat contra aliquem confusè & inordinatè, aut furiosè loquitur. Et secundùm se est veniale peccatum.

Clandestinum Matrimonium intelligitur tribus modis. 1. factum sine testibus. 2. factum sine Bannis & proclamationibus. 3. cum sit fine Parocho & testibus. Hocque tertio tantum modo dissoluit.

Claues sunt aliqua potestas supra naturalem facultatem quæ est principium aliquorum actuum supernaturalium.

Claues Ecclesiæ sunt potestas iudicandi in foro animarum, quæ potestas integratur ex potestate discernendi in causæ examinatio vnde clauis scientiæ & potestate definiendi in causæ determinatione vnde clauis potentiæ quæ est principalior. His clauibus vtitur Sacerdos vt instrumentum Christi principalis agentis; ideò secundùm rectam Christi motionem debet agere ne peccet, quia instrumentum agit secundùm quod mouetur à principali agente.

Collusio fit cum aliquis cum suo aduersario pascitur vt pro se in causa vel iudicio permittat sententiari.

Commodatum est alicuius rei ad aliquem specialem vsum gratuito facta concessio. Si interueniat merces, transit in locatum. Nec fit in rebus vsu consumptibilibus.

Compen

Compensatio est debiti & crediti inter se contributio.

Concessum de iure communi intelligitur id quod non est prohibitum.

Conductio contractus, quo res vel persona aliqua ad vsum vel fructum recipitur.

Concussionis crimen est, quando quis habens aliquam potestatem vel officium ad iudicandum, vel decernendum, vel magis aut minus facit quod ex officio facere deberet; vel per minas cogit aliquem ad faciendum vel non faciendum indebitè.

Coniuratio est simul vel vnum iurare, ac cum aliqui rebelli authoritate in vnum se colligendo iuramenta dederunt.

Concupiscentia est appetitus inordinatus, per quem superiora inferioribus turpiter seruiunt, vel inferiora Superioribus contumaciter reluctantur.

Conscientia est iudicium in ratione quod sic debet esse. Sequitur sinderesis quæ est scintilla conscientiæ quæ stimulat voluntatem ad bonum faciendum.

Consuetudo est ius quoddam moribus institutum quod pro lege suscipitur.

Contemptus propriè est, quando ex sola voluntate non vult quis subiicere se statuto, vel præcepto obedire ex dedignatione quadam quod superiori tali subditus sit. Et non potest apparere quoad forum extrinsecum nisi post monitionem. Sed si quis transgreditur præceptum ex concupiscentia, ira, vel negligentia, aut alia particulari causa, non peccat ex contemptu, nisi sæpius iteraret.

Contractus est vltro citròque obligatio ex voluntate & pacto surgens partium.

Quasi contractus est obligatio consurgens ex aliquo officio sine pacto expresso, vt tutela, cura, negotiis gestis.

Contentio est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris.

Contritio est dolor voluntariè assumptus pro peccatis cum proposito confitendi & satisfaciendi.

Contumacia est quædam voluntaria inobedientia, quâ quis monitionem iudicis implere contemnit.

Contumelia, quando quis id quod est contra honorem alicuius, deducit in notitiam eius & aliorum siue per signa, siue per verba. Contumelia importat defectum solius culpæ, conuitium culpæ & pœnæ, vt si quis iniuriosè dicat alicui eum esse cæcum, claudum, conuitium dicit, non contumeliam.

Correctio fraterna est admonitio charitatiua fratris de emenda

emendatione peccatorum ex charitate fraterna procedens.

Crapula est superfluitas ciborum.

Culpa est deuiatio à bono quod hominis diligentia præuideri potuit.

Culpa lata est non intelligere quod omnes intelligerent, vel maior pars.

Culpa leuis est omittere quod diligens homo non omisisset, vel facere quod diligens homo non fecisset.

Leuissima culpa est non præuidere quod diligentissimus præuidisset. Qui causam damni dedit proximo ex culpa, tenetur in foro conscientiæ pro omni culpa pro qua ex iure ciuili, vel canonico teneretur. Innocentius, *solum de dolo & latâ culpâ.*

Cura animarum est potestas ligandi & soluendi in foro pœnitentiali. Largiùs dicitur potestas puniendi excessus in Ecclesia.

Curialis dicitur qui nexibus curiæ ligatus adulatur principibus.

Curiositas est desiderium sciendi inutilia & ad se non spectantiâ.

Depositum est quod custodiendum alicui datum est.

Derisio est, cùm aliquis malum alicuius personæ, vel defectum in ludum, vel visum ponit, vt erubescat & verecundetur.

Desperatio est, quando ex falsa existimatione aliquis propter peccata quæ fecit, vel bona quæ omisit, desperat de Dei misericordia credens Deum, vel nolle, vel non posse sibi parcere, vel in gratiam recipere.

Detractio est alienæ famæ per occulta verba denigratio & dicuntur occulta respectu eius de quo dicuntur. In quo distinguitur à contumelia quæ fit per aperta verba in faciem.

Dignitas est administratio rerum Ecclesiasticarum cum iurisdictione, scilicet quoad forum contentiosum etiam in modicis causis. Differt à personatu quæ est quædam prærogatiua in Ecclesia sine iurisdictione. Vt habere stallum in choro. Et ab officio quod est administratio rerum Ecclesiasticarum sine iurisdictione.

Dilapidator dicitur prælatus qui res Ecclesiasticas alienat & malè expendit.

Dispensatio est iuris communis relaxatio.

Diuortium est viri ab vxore, vel è conuerso legitima separatio.

Dolus aliquando bonus & licitus, vt est solertia, quâ quis aliquid simulat ne damnificetur à proximo.

At

At ordinariè in malo ſumitur, éſtque omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumueniendum, fallendum, decipiendum proximum.

Dominium eſt ius habendi, poſſidendi, fruendi, vtendi, ac diſponendi de aliqua re pro libito voluntatis, vel ſecundùm aliquem modum determinatum à Superiore quodam.

Donatio propriè eſt, quâ aliquis dat eâ mente vt ſtatim velit accipientis fieri, nec vllo caſu ad ſe reuerti, & propter nullam aliam cauſam facit, quàm vt liberalitatem & munificentiam exerceat, *ff. de donat. in principio* & hæc donatio dicitur ſimplex.

Donatio inter viuos quæ fit ſine vllâ mortis ſuſpicione, ex merâ liberalitate & eâ mente ac propoſito, vt res donata ſtatim fiat accipientis, nec vllo caſu ad donationem reuertatur.

Donatio cauſa mortis, eſt ea quæ fit à donante in morbo ſaltem periculoſo, ita vt magis velit habere ſe, quam eum cui donat, magiſque eum cui donat, quàm hæredem ſuum.

Differt à legato, quia legatum fit nolenti non donatio cauſa mortis. Iura de his varia ſunt.

Dos eſt quædam donatio facta à Patre mulieri, vel ab extraneo, vel facta à muliere ipſi viro, pro oneribus Matrimonij ſuſtinendis.

Dubium eſt motus indifferens in vtramque partem contradictionis. Vel eſt æqualitas rationum contrariatum. Differt ab opinione, quâ in alteram magis inclinat mens.

Duellum eſt pugna duorum cum aſſignatione loci & temporis.

E Ebrietas eſt priuatio vſus intellectus facta ad aliquod tempus ex immoderato potu vini, aut alterius rei potabilis.

Electio eſt alicuius perſonæ idoneæ ad dignitatem vel fraternam ſocietatem ſeruatâ formâ canonicâ, facta vocatio.

Eleemoſyna eſt opus, quo datur aliquid indigenti ex miſericordiâ,

Emancipatio eſt relaxatio patriæ poteſtatis coram iudice competente voluntate patris & filij concurrente.

Emptio eſt contractus voluntarius recipiendi aliquam mercem pro pretio.

Enormis iniuria dicitur ex perſonæ læſæ dignitate, ex loco celebri, ex tempore feſti, ex re vt magno vulnere, ex modo.

Errare eſt aliud pro alio putare, in his quæ non pertinent ad regnum Dei peccatum non eſt, aut leue.

Emphiteoſis eſt contractus quo res immobilis accipitur ad

ad eam meliorandam. Estque aliquid medium inter locationem & venditionem, differtque à contractu censuali, quia per illum transfertur solum dominium vtile, ac per hunc quidquid est iuris reseruatâ solâ pensione annuali.

Euidens propositio est quæ secum hæsitationem, aut formidinem non patitur in intellectu, saltem cordatam & rationabilem.

Euictio ablatio est rei habitæ, emptione, vel alio contractu, interposito iudicis decreto.

Executor dicitur qui rem iudicatam ducit ad effectum.

Exceptio est defensio in iure & exclusio dictorum ab auctore.

Exemptus dicitur qui non subest iurisdictioni ordinarij.

Exorcismus est adiuratio contra diabolum.

Falcidia lex, quâ sancitur vt hæres quartam partem bonorum sibi relictorum, si grauiter oneratus sit legatis, accipiat, cætera legatariis relinquat. F

Facultas dicitur quando sine difficultate potest quis facere.

Falsitas non solum dicitur in dicendo falsum, sed etiam in tacendo verum.

Fama est illæsæ dignitatis status legibus & moribus comprobatus. Famam tenetur defendere qui inter tales est qui possunt imitari:si verò possint solùm reprehendere non imitari non tenetur sed sufficit conscientia.

Fœnus est lucrum de vsurâ, sicut vsurâ est lucrum de capitali :vnde fœnus, duplex vsura vocatur.

Feudum est beneficium quod ex beneuolentia conceditur alicui ita quod proprietas rei immobilis beneficiariæ penes dantem remaneat,vsufructus ad recipientem transeat,ac hæredes vt ille vel illi fideliter Domino seruiant per aliquod opus personale, vt ire ad exercitum.

Fideiussor est qui pro alienis debitis intercedit.

Filius spurius dicitur omnis natus ex illicito coitu præterquam de concubina in domo retenta ab eo qui non est coniugatus.

Fiscus est bursa Cæsaris vel principis, vel potest dici hodie quod fiscus est saccus sine conscientia.

Fomes est languor naturæ qui carnis concupiscentia appellatur,éstque pœna peccati.

Forus est exercendarum litium locus à *fando* dictus.

Furtum est contractatio rei alienæ mobilis, corporalis, fraudulosa inuito Domino facta animo lucrandi. Quòd si Dominus

minus videt & non contradicit ex timore vel verecundia, perinde est ac si contradiceret.

Furti species sunt sacrilegium, furtum rei sacræ, peculatus rei publicæ. Abigeatus furtum de grege dispecso. Plagiatus, cum homo liber venditur, emitur, vel alienus seruus ad aliam regionem furtiuè ducitur.

G Generalis clausula continet omnia nisi contraria mens concedentis appareat. Non enim videtur quis generaliter concedere quod in specie non esset concessurus, nec etiam maiora expressis, nisi specialiter committantur.

Gula est appetitus inordinatus cibi & potus.

H Hæreticus vt sit aliquis propriè & sit excommunicatus, tria requiruntur. 1. falsa credulitas in rationali circa articulum aliquem fidei. 2. peruersa voluntas in concupiscibili. 3. impugnationis pertinacitas ex parte irascibilis. Sic cum quis errat in fide & paratus, est corrigi ac rationem intelligere, vel dubitat tantùm ex animi infirmitate, nec pertinaciter insistit, non est habendus Hæreticus.

Histrio est qui de persona sua ludum facit.

Homagium est, quando quis facit alteri promissionem genibus flexis & manibus intra manus illius positis: ita quod efficitur homo illius.

Homicidium voluntarium est, quod animo & intentione occidendi hominem perpetratur cum effectu ab homine, vt homo est; non autem ab homine, vt à lege aut vt est legis minister.

Homicidium casuale quod præter voluntatem euenit ex casu fortuito.

Homicidium ex necessitate defensionis excusatur.

Humilitas tria requirit. 1. Quod quis se reputet aliis viliorem. 2. Quòd aliis obtemperet. 3. Quòd dona Dei quæ in se habet abscondat, séque vilem ab extra demonstret, nisi honor Dei & bonum proximi aliud suadeat.

Ieiunium est afflictio carnis per substractionem cibi & potus facta secundùm institutionem Ecclesiæ. Sumptum aliquid per modum medicinæ, vt quis non deficiat in die ieiunij, non frangit ieiunium.

Ignorantia mala est ea, quâ quis ignorat quæ scire expedit ad salutem. Estque vel facti, vel iuris, aut diuini, aut naturalis, aut ciuilis, aut canonici, estque vna affectata, quâ quis desiderat manere in tenebris: alia crassa & supina, cùm quis ex negligentia quadam & pigritia non curat addiscere. Addunt alij ignorantiam erroneam cùm ij qui sunt in via veritatis voluntariè

tariè ab ea recedunt in errorem se præcipitantes, vt hæretici.

Si quid non est explicitè in mandatis diuinis, sed ad illa reducibile cum subtilitate, excusantur à culpa & pœna ignorantes non tamen ignorantia affectata, crassa & supina cùm illud non faciunt. Puta, quia laborarunt pro viribus scire sibi necessaria. Vt rusticus & mulier si libenter assistant prædicationi & vbi talia declarantur. Religiosus si studet lubenter & interrogat doctos. Excusantur etiam à pœna excommunicationis. Et iura quæ videntur sonare contrarium fundantur in præsumptione ignorantiæ crassæ, aut affectatæ.

Immunditia est filia gulæ, quâ quis prouocat se ad vomitum.

Immunitas est quasi sine muneribus data libertas.

Impedimentum canonicum. *Quære infra in 3. part. exam.*

Impossibile aliquandò dicitur quod non commodè possumus facere, vel quod non est honestum, vel quod iustè non possumus. Illud enim possumus quod de iure possumus.

Imperium merum est habere gladij potestatem ad animaduertendum in facinorosos homines.

Impubes dicitur masculus ante decimumquartum annum.

Incestus est consanguineorum vel affinium abusus.

Inconstantia est filia luxuriæ, quâ quis non est constans in bono proposito ex aliqua passione, præcipuè ex amore concupiscentiæ.

Indignatio est filia iræ, quâ quis non vult videre vel audire eum cui irascitur. Communiter est veniale peccatum in ratione scandali aut præcepti, quo in aliquo casu teneatur loqui.

Indulgentia est quædam remissio pœnæ debitæ pro peccato post habitam contritionem de eo.

Infamia est læsæ dignitatis qualitas reprobata quantum ad vitam & mores. Alia est facti quæ prouenit ex communi hominum locutione & tollitur per contrarium factum. Alia iuris quæ incurritur per sententiam, tollitúrque per principem. Potest tamen indirectè Episcopus tollere si à casu absoluat propter quem illata erat.

Ingratitudo aliquando est tantum circumstantia actus peccati illud aggrauans, aliquando est speciale peccatum quando non est alius finis mouens ad aliquid contra benefactorem faciendum, nisi quia despicit quis beneficium, vel paruipendit, aut non recogitat. paru-

Iniuria est quod fit alicui contra ius, vel facto, vel verbis, vel scriptis.

Inquietudo mentis est filia auaritiæ, estque communiter veniale peccatum, nisi per eam omittantur necessaria ad salutem.

Inquisitio est alicuius criminis manifesti saltem per famam ex bono & æquo iudicis competentis canonicè facta inuestigatio. Est aliquandò generalis, aliquandò specialis contra certam personam. Fama autem debet deferri ad iudicem sedentem pro tribunali, alias in secreto non valet. Idque cum aliis indiciis, seu suspicionibus.

Insignia dignitatis quam non habet assumens est falsarius.

Institutio est beneficij Ecclesiastici collatio.

Interesse est æstimatio alicuius vtilitatis non habitæ propter alicuius factum iniustum, vel concessionem iniustam.

Intrusus dicitur qui non canonicè, sed per violentiam occupat honores, vel beneficia Ecclesiastica.

Inuestitura est possessionis rei tradirio.

Ira est appetitus vindictæ inordinatus.

Ironia est, cum aliquis asserit de se aliquid vile quod in se non recognoscit; aut negat aliquid magnum quod existimat in se esse. Vnde est propriè mendacium.

Irregularitas est impedimentum, seu repulsio executionis diuini Officij, seu Sacramenti ex canonica constitutione proueniens. *Quære infra in 3.p.huius exam.*

Iudex qui ex authoritate legitimâ cognoscit & iudicat.

Iuramentum est assertio, vel negatio de aliquo licito possibili & honesto sacræ rei attestatione firmata. Aliud est iudiciale, aliud extraiudiciale.

Iurisdictio est potestas iusta & legitima, vel est potestas dicendi ius. Estque vel interna in volentem, vel externa etiam in nolentem. Hæc sine modica saltem aliqua coertione nulla est.

Ius est ars boni & æqui, vel est quod debitum alicui.

Ius patronatus est ius honorificum, onerosum & vtile competens in Ecclesia pro eo quod Diœcesani consensu eam construxit, fundauit, vel dotauit.

L Laïcus dicitur populus qui potest habere vxorem & proprium.

Legatum est donatio quædam à testatore relicta, sed ab hærede præstanda, quæ debetur post mortem testatoris & post aditam hæreditatem.

Legatum ad pias causas est omne quod relinquitur pro anima.

Legitima

Legitima debita filiis & ipsis mortuis, nepotibus est tertia pars hæreditatis, si sint quatuor filij, vel pauciores: si verò sint quinque vel plures, tunc erit medietas quam inter se diuident æqualiter. Non ei potest imponi grauamen, licèt onerari possit per debita. Ita vbi ius scriptum seruatur, & vbi non aliter determinatur.

Libellus famosus est compositio in scriptis facta in infamiam alicuius, eius quod probare non vult & in publicum emissa. Si author vellet probare id quod in eo est, non punitur.

Liber dicitur qui nullius subest potestati.

Libertus est seruus manu-missus.

Litigiosa res dicitur de cuius dominio causa inter petitorem & possidentem mouetur in iudicio.

Locatio est personæ, vel rei ad vsum facta concessio, mercede in pecunia numeranda conuenta. Quod si res, vel species daretur non esset locatio, sed contractus innominatus, *do vt facias.*

Lucrum non dicitur nisi deductis expensis.

Luxuria est solutio in voluptates.

M

Macedonianum Senatus-consultum, seu arrestum, quo decretum est, ne detur actio creditore, qui mutuauit filio familias.

Maledictio est imprecatio, seu optatio mali alicui facta sub ratione mali, intendendo ipsum malum. Est mortale si sit de malo notabili, & ex deliberatione: secùs si ex impetu & ex re minima, nisi ex consuetudine fieret.

Maledicere creaturæ irrationali otiosum, vanum & illicitum: provt autem refertur ad hominem, est idem peccatum, ac si homini fieret.

Maleficium aliquando dicitur sortilegium, vel incantatio. Aliquando quodcumque crimen maximè in proximum.

Manifestum dicitur quod per confessionem, aut probationem celari potest propter euidentiam.

Manumissio est libertatis datio.

Matematici sine adspiratione dicuntur diuini, seu diuinatores, cum adspiratione dicuntur scientes in mathematicis disciplinis, Geometria, Arithmetica & aliis. Vndè versus.

Scire facit mathesis, sed diuinare matesis.

Mendacium est falsa vocis significatio cum intentione fallendi.

Meretrix dicitur, quæ multorum libidini se exponit, vel

cuius turpitudo venalis est. Quædam glossa requirit quod [illegible] homines admiserit.

Meritum est actio, quâ fit vt ei qui agit iustum sit aliqu[illegible] dari.

Metus est instantis vel futuri periculi mentis trepidati[illegible]

Minor qui non habet vigesimum quintum annum comp[illegible]tum. *ff. de minor. lib. 1.*

Moderamen inculpatæ tutelæ est id facere sine quo quis [illegible] defendere non potest sine periculo personæ vel rerum.

Mollities est recessus à bono propter tristitias & sic opp[illegible]nitur perseuerantiæ: dicitur etiam prout est opposita castita[illegible] estque volũtaria pollutio, & sic est peccatum mortale. 1. *Cor.*

Monachus, qui est separatus à conuersatione sæculari 15. 1. *c. Monachus.* Dicitur non Doctoris, sed plangentis officium habet qui vel se vel mundum lugeat & Domini pauidus præ[illegible]stoletur aduentum.

Mons pietatis est summa pecuniæ, vel alterius rei deputata ad subueniendum per mutuum necessitatibus pauperum.

Mora est culpa prætermittendi solutionem, vel receptionem debiti alteri nociua.

Mulcta est pœna pecuniaria ab ordinario Superiore imposita, nec irrogat infamiam.

Murmuratio est quædam querela cum impatientia in his quæ homo debet patienter ferre. Est mortale si ex ipsa fiat aliquid contra præceptum Dei.

Mutuum est quod de meo fit tuum. Consistit in iis quæ sunt in numero vt pecunia, pondere vt plumbum, & mensura vt vinum. Sufficitque vt reddatur simile eiusdem pretij ac vtilitatis. Oportetque in mutuo vt res tradita fiat accipientis, aliter non est mutuum.

N Naufragium est naue fractâ submersio rerum & corporum, quod fortuito casu plerumquè contingit.

Necessarium necessitate medij illud intelligitur quod confert aliquem effectum ad salutem requisitum qui aliter obtineri non potest, vt est baptismus paruulis, pœnitentia adultis lapsis.

Negligentia est omissio alicuius quod potest & debet fieri.

Notorium iuris cum quis in iudicio confitetur, aut conuincitur, aut condemnatur.

Notorium facti, seu facti permanentis, aut transeuntis, aut interpolati est clara & famosa locutio ex euidentia rei surgens quæ tergiuersatione aliqua celari non potest. Ad quod

sufficit

sufficit si sciant ad minus decem personæ quibus factum fuerit euidens, nam si decem sciant ex vnius locutione, non videtur notorium facti.

Nouale intelligitur omnis ager de nouo ad cultum redactus, de quo non extat memoria quod aliquando fuerit cultus,

Nouitius dicitur, qui accepto Religionis habitu nondum per aliquam professionem adstrictus experitur Religionis austeritatem.

Nuntiatio noui operis est prohibitio facta illi qui aut ædificat, aut ædificij formam mutat in alterius præiudicium: quod est ædificium nouum facere.

Obligatio est vinculum, quo adstringimur ad aliquid dandum vel faciendum cum honestate morali coniunctum. O

Obedientia hominis ad Deum definitur ab Anselmo; affectio voluntatis coniunctæ Deo. Inobedientia affectio voluntatis diabolo instrumentaliter copulatæ. Quia sicut per instrumentum separat hominem à Deo, per inobedientiam diabolus. Obedientia hominis ad hominem & subiectio est debita reuerentia minoris ad maiorem.

Occultum sumitur aliquandò, vt est distinctum à probabili: aliquandò vt est distinctum à notorio.

Opinio est assensus intellectus ad aliquid per quamdam rationabilem electionem declinans in vnam partem magis, quàm in aliam cum dubitatione tamen & formidine alterius partis. Fides est cum certitudine absque tali formidine. Scientia est assensus intellectus moti ab obiecto per seipsũ cognito. Dubium est motus indifferens in vtramque partem sine assensu. Scrupulus est suspicio ex leuibus ducta contra opinionem, fidem aut scientiam difficile amouibilis. Certitudo moralis est ex probabilibus coniecturis, grossis & figuralibus magis ad vnam partem, quàm ad aliam se habentibus. Certitudo moralis est ex euidentia demonstrationis. Dicit autem Philosophus 1. Eth. quod *disciplinati est in vnaquaque re certitudinem quærere iuxta exigentiam materiæ.* Aliter certitudo dicitur assensus vnius partis sine dubitatione.

Otiositas est cum quis quiete necessaria saluti corporis accepta vacat ab aliquo opere spiritali, vel corporali ad quod obligatur.

Pactum est consensus duorum vel plurium ad idem faciendum, vel aliquid dandum verbis expressum. Pollicitatio est sola offerentis promissio.

Pactum dicitur nudum, cùm est in puris finibus conuentio-

nis. Vestitum dicitur, cum interuenit alicuius conditionis adimplerio.

Paraferna dicuntur omnia bona vxoris extra dotem.

Parentes dicuntur omnes superiores consanguinei.

Parochia dicitur locus in quo degit populus alicui Ecclesiæ baptismalis deputatus.

Parochiale ius in septem consistit. 1. vt populus diebus Dominicis & festis audiat Missam in sua Parochiali Ecclesia. 2. in decimis. 3. in oblationibus. 4. in Pœnitentiis accipiendis. 5. in exhibitione Sacramentorum. 6. in sepulturis. 7. in benedictione nubentium.

De Parochia quis efficitur. 1. acquisitione domicilij. 2. commoratione in ea per maiorem partem anni etiam sine translatione domicilij,

Patientia est sua, & suorum iniurias ac cætera mala æquanimiter ferre.

Pœna, strictè sumpta dicitur illa, quæ est corporis afflictiua.

Peregrinus dicitur propriè, qui causa deuotionis alienas vadit visitare Ecclesias, aut sanctorum reliquias

Periculum vbi est, ibi & lucrum collocari debet. *lib. ff. §. Scilicet cum in secundam C. de furtis & C. de cad. tol. c. vnica §. pro secundo ff. de re iudicata. l. secundum naturam.*

Permutatio est vnius rei certæ pro altera re certa vicaria Præstatio.

Perplexitas est dubium.

Pertinax est qui perseuerat in sententia plusquam oportet.

Pignus est obligatio rei mobilis pro re aliqua assecuranda, hypoteca obligatio rei immobilis.

Pigritia est quædam tarditas ad exequendum bonum, torpor est remissio in executione boni.

Post liminium est ius recipiendi ab extraneo rem amissam, & in statum pristinum restituendi.

Prebenda propriè consistit in fructuum perceptione. Canonica verò in iure alicuius qui in Canononicum receptus est.

Precarium dicitur quod precibus petenti vtendum conceditur tamdiu quandiu is qui concessit patitur. Differt à commodato in quo est vsus certus & tempus saltem tacitè determinatum.

Precaria fœmini generis penultima producta, est ad preces aliquorum facta donatio vsque ad mortem accipientis

Præceptum est iussio vel imperium faciendi aliquid, vel non

non faciendi ex auctoritate imperantis.

Prælatus largè dicitur omnis habens curam animarum; strictè verò dicuntur solum habentes iurisdictionem.

Prælatio est potestas coërcendi subditos.

Prescriptio est quoddam ius ex tempore congruens, auctoritate legum vim capiens, pœnam negligentibus inferens & litibus finem imponens. Differt ab vsu-capione, quòd illa sit in rebus immobilibus, hæc in mobilibus, estque acquisitio Dominij per continuationem possessionis temporis spatio lege definiti. *in l. 11. ff. de vsura.*

Præsumptio iuris quando ius super dubio & verisimili.

Præsumit aliquid aut quando super facto dubio vadit per coniecturas præsumendo, ita est.

Præsumptio hominis triplex. 1. Violenta cum habetur aliquis criminosus ex grauissimis indiciis, vt cum inuenitur solus cum sola in loco suspecto puta in eodem lecto decumbens. 2. Probabilis quæ ex aliquibus suspicionibus probabilibus tantum procedit. 3. Temeraria quæ ex malis hominibus, vel ex causis leuibus procedit, vel vbi actus potest æquè referri ad bonum sicut ad malum. Ex talibus autem firmiter tenere in animo quod frater sit malus malo peccati mortalis, est mortale peccatum & si ex talibus procedit ad punitionem multo magis est mortale. Vndè hæc præsumptio est firmatio conceptus mentis ab homine facta ex aliquibus coniecturis collecta.

Præsumptio ad seipsum est, quâ quis audet in opera excedentia propriam virtutem. Sicut si quis ponit se ad audiendum confessiones cùm ignorans sit, nec possit mederi & consulere.

Primitia est pars prima frugum Domino offerenda.

Priuilegium est, quando conceditur aliquid contra iura & sic dicitur quasi priuata lex. Si verò aliquid concedatur quod sit præter ius commune sine præiudicio alicuius, sic propriè dicitur beneficium & non priuilegium. Qui potest constitutionem facere, potest priuilegium concedere respectu suæ concessionis.

Probationis nouem modi sunt.

Aspectus, sculptum, testis, notoria, scriptum,
Iurans, confessus, præsumptio, fama probabunt.

Proprietas propriè capitur pro dominio.

Prophanum quod ex vsu sacro in vsum communem conuersum est.

Probabilis opinio est, quæ vera apparet ex aliquo fundamento non leui. Est autem probabilis, vel secundum quid,

cum habetur ratio tantum alicuius medij, vel simpliciter cum omnibus expensis vera apparet, quod requiritur ad licitè agendum.

Prudens iudicium est quod fit adhibita prius diligentia ad veritatem indagandam pro qualitate materiæ & circumstantiis temporis, loci, finis & personæ sufficiens iuxta prudentiæ regulas. Hæc maior requiritur in rebus practicis.

Promissio deliberata & spontanea, est fidei obligatio facta alicui de re aliquâ bonâ & possibili.

Protestatio est animi nostri declaratio iuris acquirendi causa vel conseruandi, vel damnum repellendi.

Proxeneta dicitur mediator in vsura ad illam adiuuans.

Pusillanimitas est vitium, quo quis recusat in illud tendere quod est commensuratum suæ potentiæ. Estque tale peccatum qualis est obligatio ad illud in quo tendere recusat.

Q Quæstio iuris dicitur cum ambigitur de iure sitne quid licitum, aut illicitum.

Quæstio facti cùm quæritur an aliquid factum sit, necne. In hac potest Ecclesia errare cùm agitur de particularibus factis, vt de possessionibus, de criminibus puniendis & huiusmodi quæ dependent à testimonio hominum. D.Thomas *quolib. 9. art.6.*

Querelæ vel sunt inofficiosi testamenti, vel inofficiosæ donationis, vel inofficiosæ dotis, vt cum mater habens liberos secundo marito dat sua bona.

Quarta falcidia est quarta pars patrimonij quæ detrahi debet pro hærede antequam legata soluentur, solutis prius ære alieno & funeris sumptibus.

Quarta Trebellianica est ius retinendi quadrantem ex fideicommisso quod restituit hæres fidei-commissario. De lugo *de Iust. disp.24. sect.* & §. 1.

R Rancor est displicentia contra aliquem propter quam desiderat, vel quærit quispiam malum alteri.

Ratiocinia sunt redditiones rationum ad quas quis obligatur ex administratione rerum alienarum.

Raptor qui publicè & violenter rapit res alienas.

Raptor puellæ quæ consentit, ignorantibus tamen parentibus qui reniterentur si scirent, propriè non committit raptum secundum Thomam, Sanchem *de Matrim.* Vbi agit *de raptu.*

Rapina est furtum publicum & violentum.

Regularis dicitur qui ad viuendum regulariter adstrictus est, siue sit Clericus, siue Laïcus.

Religiosus

Religiosus largissimè sumitur pro quolibet Christiano. Largè pro quolibet Clerico aut alio honestè & pie vitam ducente. Strictè religiosus dicitur qui professionem fecit alicui de religionibus approbatis per sedem Apostolicam. Vndè inuenientes nouum ordinem sine approbatione summi Pontificis non sunt religiosi. Tales censet Bretus *in* 2. *sent. dist.*44. sunt qui non seruant regulam in laxis Monasteriis, quia modus taliter viuendi non est approbatus, ideò secundum forum externum dumtaxat religiosi sunt.

Renuntiatio est rei vel iuris proprij facta scienter legitima refutatio.

Residere in Ecclesia est in eâ deseruire.

Represalia dicuntur rerum aliarum generalis retentio auctoritate principis vel ciuitatis pro recompensatione damni dati indulta.

Rescriptum, est id quod princeps scribit ad iuris conseruantiam vt quando dimittit causam decidendam inter aliquos. Differtque à beneficio quod est gratia concessa præter ius à Principe. Perpetuatur per solam citationem, alias anno elapso perdit vim si impetrans illo non vsus est. Non vitiatur per defectum litteræ vel syllabæ, sed si tacitum sit aliquid, quo expresso Papa difficilius concessit. Debet autem inseri in literis citationis. Ac primùm tollitur per secundum faciens mentionem de primo.

Restitutio est in pristinum statum repositio.

Rigor est iuris excessus qui quandoque statuitur ad terrorem aliorum. Quandoque sumitur pro ordine iuris secundum regulas ipsius scriptas. Quandoque pro subtilitate. Differt ab æquitate quod est ordinata iustitia temperata dulcedine misericordiæ. Ius verò est medium inter æquitatem & rigorem & accipitur pro communi decisione, quæ fit secundùm communes decisiones iuris.

Risus qui prouenit ex serenitate conscientiæ & prægustatione suauitatis diuinæ est fructus Spiritus sancti. Qui ex mansuetudine naturæ attestatur bonitatem naturæ. Qui ex inordinatione ineptæ lætitiæ, peccatum est.

Rixa est quoddam priuatum bellum quod agitur inter personas priuatas ex inordinata volũtate & semper est peccatum mortale in inuadente, non in defendente se, si adhibeat moderamẽ inculpatæ tutelæ, licet difficile sit iustũ temperare dolorem. Si non multum excedit moderamen, erit veniale tantum.

Sacerdos dicitur quasi sacra dans, éstque vir ex ordinatione diuina cultus. Diuino ac maximè sacrificio offerendo ad-

minus videt & non contradicit ex timore vel verecundia, perinde est ac si contradiceret.

Furti species sunt sacrilegium, furtum rei sacræ, peculatus rei publicæ. Abigeatus furtum de grege disperso. Plagiatus, cum homo liber venditur, emitur, vel alienus seruus ad aliam regionem furtiuè ducitur.

G Generalis clausula continet omnia nisi contraria mens concedentis appareat. Non enim videtur quis generaliter concedere quod in specie non esset concessurus, nec etiam maiora expressis, nisi specialiter committantur.

Gula est appetitus inordinatus cibi & potus.

H Hæreticus vt sit aliquis propriè & sit excommunicatus, tria requiruntur. 1. falsa credulitas in rationali circa articulum aliquem fidei. 2. peruersa voluntas in concupiscibili. 3. impugnationis pertinacitas ex parte irascibilis. Sic cum quis errat in fide & paratus, est corrigi ac rationem intelligere, vel dubitat tantùm ex animi infirmitate, nec pertinaciter insistit, non est habendus Hæreticus.

Histrio est qui de persona sua ludum facit.

Homagium est, quando quis facit alteri promissionem genibus flexis & manibus intra manus illius positis: ita quod efficitur homo illius.

Homicidium voluntarium est, quod animo & intentione occidendi hominem perpetratur cum effectu ab homine, vt homo est; non autem ab homine, vt à lege aut vt est legis minister.

Homicidium casuale quod præter voluntatem euenit ex casu fortuito.

Homicidium ex necessitate defensionis excusatur.

Humilitas tria requirit. 1. Quod quis se reputet aliis viliorem. 2. Quòd aliis obtemperet. 3. Quòd dona Dei quæ in se habet abscondat, séque vilem ab extra demonstret, nisi honor Dei & bonum proximi aliud suadeat.

Ieiunium est afflictio carnis per substractionem cibi & potus facta secundùm institutionem Ecclesiæ. Sumptum aliquid per modum medicinæ, vt quis non deficiat in die ieiunij, non frangit ieiunium.

Ignorantia mala est ea, quâ quis ignorat quæ scire expedit ad salutem. Estque vel facti, vel iuris, aut diuini, aut naturalis, aut ciuilis, aut canonici, estque vna affectata, quâ quis desiderat manere in tenebris: alia crassa & supina, cùm quis ex negligentia quadam & pigritia non curat addiscere. Addunt alij ignorantiam erroneam cùm ij qui sunt in via veritatis voluntariè

tariè ab ea recedunt in errorem se præcipitantes, vt hæretici.

Si quid non est explicitè in mandatis diuinis, sed ad illa reducibile cum subtilitate, excusantur à culpa & pœna ignorantes non tamen ignorantia affectata, crassa & supina cùm illud non faciunt. Puta, quia laborarunt pro viribus scire sibi necessaria. Vt rusticus & mulier si libenter assistant prædicationi & vbi talia declarantur. Religiosus si studet lubenter & interrogat doctos. Excusantur etiam à pœna excommunicationis. Et iura quæ videntur sonare contrarium fundantur in præsumptione ignorantiæ crassæ, aut affectatæ.

Immunditia est filia gulæ, quâ quis prouocat se ad vomitum.

Immunitas est quasi sine muneribus data libertas.

Impedimentum canonicum. *Quære infra in 3. part. exam.*

Impossibile aliquandò dicitur quod non commodè possumus facere, vel quod non est honestum, vel quod iustè non possumus. Illud enim possumus quod de iure possumus.

Imperium merum est habere gladij potestatem ad animaduertendum in facinorosos homines.

Impubes dicitur masculus ante decimumquartum annum.

Incestus est consanguineorum vel affinium abusus.

Inconstantia est filia luxuriæ, quâ quis non est constans in bono proposito ex aliqua passione, præcipuè ex amore concupiscentiæ.

Indignatio est filia iræ, quâ quis non vult videre vel audire eum cui irascitur. Communiter est veniale peccatum in ratione scandali aut præcepti, quo in aliquo casu teneatur loqui.

Indulgentia est quædam remissio pœnæ debitæ pro peccato post habitam contritionem de eo.

Infamia est læsæ dignitatis qualitas reprobata quantum ad vitam & mores. Alia est facti quæ prouenit ex communi hominum locutione & tollitur per contrarium factum. Alia iuris quæ incurritur per sententiam, tollitúrque per principem. Potest tamen indirectè Episcopus tollere si à casu absoluat propter quem illata erat.

Ingratitudo aliquando est tantum circumstantia actus peccati illud aggrauans, aliquando est speciale peccatum quando non est alius finis mouens ad aliquid contra benefactorem faciendum, nisi quia despicit quis beneficium, vel paruipendit, aut non recogitat.

Iniuria est quod fit alicui contra ius, vel facto, vel verbis, vel scriptis.

Inquietudo mentis est filia auaritiæ, estque communiter veniale peccatum, nisi per eam omittantur necessaria ad salutem.

Inquisitio est alicuius criminis manifesti saltem per famam ex bono & æquo iudicis competentis canonicè facta inuestigatio. Est aliquandò generalis, aliquandò specialis contra certam personam. Fama autem debet deferri ad iudicem sedentem pro tribunali, alias in secreto non valet. Idque cum aliis indiciis, seu suspicionibus.

Insignia dignitatis quam non habet assumens est falsarius.

Institutio est beneficij Ecclesiastici collatio.

Interesse est æstimatio alicuius vtilitatis non habitæ propter alicuius factum iniustum, vel concessionem iniustam.

Intrusus dicitur qui non canonicè, sed per violentiam occupat honores, vel beneficia Ecclesiastica.

Inuestitura est possessionis rei traditio.

Ira est appetitus vindictæ inordinatus.

Ironia est, cum aliquis asserit de se aliquid vile quod in se non recognoscit; aut negat aliquid magnum quod existimat in se esse. Vnde est propriè mendacium.

Irregularitas est impedimentum, seu repulsio executionis diuini Officij, seu Sacramenti ex canonica constitutione proueniens. *Quære infra in 3.p.huius exam.*

Iudex qui ex authoritate legitimâ cognoscit & iudicat.

Iuramentum est assertio, vel negatio de aliquo licito possibili & honesto sacræ rei attestatione firmata. Aliud est iudiciale, aliud extraiudiciale.

Iurisdictio est potestas iusta & legitima, vel est potestas dicendi ius. Estque vel interna in volentem, vel externa etiam in nolentem. Hæc sine modica saltem aliqua coertione nulla est.

Ius est ars boni & æqui, vel est quod debitum alicui.

Ius patronatus est ius honorificum, onerosum & vtile competens in Ecclesia pro eo quod Diœcesani consensu eam construxit, fundauit, vel dotauit.

L Laïcus dicitur populus qui potest habere vxorem & propriū.

Legatum est donatio quædam à testatore relicta, sed ab hærede præstanda, quæ debetur post mortem testatoris & post aditam hæreditatem.

Legatum ad pias causas est omne quod relinquitur pro anima.

Legitima

Legitima debita filiis & ipsis mortuis, nepotibus est tertia pars hæreditatis, si sint quatuor filij, vel pauciores: si verò sint quinque vel plures, tunc erit medietas quam inter se diuident æqualiter. Non ei potest imponi grauamen, licèt onerari possit per debita. Ita vbi ius scriptum seruatur, & vbi non aliter determinatur.

Libellus famosus est compositio in scriptis facta in infamiam alicuius, eius quod probare non vult & in publicum emissa. Si author vellet probare id quod in eo est, non punitur.

Liber dicitur qui nullius subest potestati.

Libertus est seruus manu-missus.

Litigiosa res dicitur de cuius dominio causa inter petitorem & possidentem mouetur in iudicio.

Locatio est personæ, vel rei ad vsum facta concessio, mercede in pecunia numeranda conuenta. Quod si res, vel species daretur non esset locatio, sed contractus innominatus, *do vt facias.*

Lucrum non dicitur nisi deductis expensis.

Luxuria est solutio in voluptates.

Macedonianum Senatus-consultum, seu arrestum, quo decretum est, ne detur actio creditore, qui mutuauit filio familias. M

Maledictio est imprecatio, seu optatio mali alicui facta sub ratione mali, intendendo ipsum malum. Est mortale. si sit de malo notabili, & ex deliberatione: secùs si ex impetu & ex re minima, nisi ex consuetudine fieret.

Maledicere creaturæ irrationali otiosum, vanum & illicitum: provt autem refertur ad hominem, est idem peccatum, ac si homini fieret,

Maleficium aliquando dicitur sortilegium, vel incantatio. Aliquando quodcumque crimen maximè in proximum.

Manifestum dicitur quod per confessionem, aut probationem celari potest propter euidentiam.

Manumissio est libertatis datio.

Matematici sine adspiratione dicuntur diuini, seu diuinatores, cum adspiratione dicuntur scientes in mathematicis disciplinis, Geometria, Arithmetica & aliis. Vndè versus.

Scire facit mathesis, sed diuinare matesis.

Mendacium est falsa vocis significatio cum intentione fallendi.

Meretrix dicitur, quæ multorum libidini se exponit, vel

cuius turpitudo venalis est. Quædam glossa requirit quod hominesadmiserit.

Meritum est actio, quâ fit vt ei qui agit iustum sit aliqu dari.

Metus est instantis vel futuri periculi mentis trepidati

Minor qui non habet vigesimum quintum annum compl tum. *ff. de minor. lib.* 1.

Moderamen inculpatæ tutelæ est id facere sine quo quis defendere non potest sine periculo personæ vel rerum.

Mollities est recessus à bono propter tristitias & sic opp nitur perseuerantiæ: dicitur etiam provt est opposita castit estque volūtaria pollutio, & sic est peccatum mortale. 1. *Cor.*

Monachus, qui est separatus à conuersatione sæculari 15. 1. *c. Monachus.* Dicitur non Doctoris, sed plangentis officium habet qui vel se vel mundum lugeat & Domini pauidus præ stoletur aduentum.

Mons pietatis est summa pecuniæ, vel alterius rei deputata ad subueniendum per mutuum necessitatibus pauperum.

Mora est culpa prætermittendi solutionem, vel receptio nem debiti alteri nociua.

Mulcta est pœna pecuniaria ab ordinario Superiore impo sita, nec irrogat infamiam.

Murmuratio est quædam querela cum impatientia in his quæ homo debet patienter ferre. Est mortale si ex ipsa fiat ali quid contra præceptum Dei.

Mutuum est quod de meo fit tuum. Consistit in iis quæ sunt in numero vt pecunia, pondere vt plumbum, & mensura vt vinum. Sufficitque vt reddatur simile eiusdem pretij ac vtili tatis. Oportetque in mutuo vt res tradita fiat accipientis, ali ter non est mutuum.

N

Naufragium est naue fractâ submersio rerum & corporum, quod fortuito casu plerumquè contingit.

Necessarium necessitate medij illud intelligitur quod con fert aliquem effectum ad salutem requisitum qui aliter obti neri non potest, vt est baptismus paruulis, pœnitentia adultis lapsis.

Negligentia est omissio alicuius quod potest & debet fieri.

Notorium iuris cum quis in iudicio confitetur, aut conuin citur, aut condemnatur.

Notorium facti, seu facti permanentis, aut transeuntis, aut interpolati est clara & famosa locutio ex euidentia rei sur gens quæ tergiuersatione aliqua celari non potest. Ad quod sufficit

sufficit si sciant ad minus decem personæ quibus factum fuerit euidens, nam si decem sciant ex vnius locutione, non videtur notorium facti.

Nouale intelligitur omnis ager de nouo ad cultum redactus; de quo non extat memoria quod aliquando fuerit cultus.

Nouitius dicitur, qui accepto Religionis habitu nondum per aliquam professionem adstrictus experitur Religionis austeritatem.

Nuntiatio noui operis est prohibitio facta illi qui aut ædificat, aut ædificij formam mutat in alterius præiudicium: quod est ædificium nouum facere.

Obligatio est vinculum, quo adstringimur ad aliquid dandum vel faciendum cum honestate morali coniunctum.

Obedientia hominis ad Deum definitur ab Anselmo; affectio voluntatis coniunctæ Deo. Inobedientia affectio voluntatis diabolo instrumentaliter copulatæ. Quia sicut per instrumentum separat hominem à Deo, per inobedientiam diabolus. Obedientia hominis ad hominem & subiectio est debita reuerentia minoris ad maiorem.

Occultum sumitur aliquandò, vt est distinctum à probabili: aliquandò vt est distinctum à notorio.

Opinio est assensus intellectus ad aliquid per quamdam rationabilem electionem declinans in vnam partem magis, quàm in aliam cum dubitatione tamen & formidine alterius partis. Fides est cum certitudine absque tali formidine. Scientia est assensus intellectus moti ab obiecto per seipsũ cognito. Dubium est motus indifferens in vtramque partem sine assensu. Scrupulus est suspicio ex leuibus ducta contra opinionem, fidem aut scientiam difficile amouibilis. Certitudo moralis est ex probabilibus coniecturis, grossis & figuralibus magis ad vnam partem, quàm ad aliam se habentibus. Certitudo moralis est ex euidentia demonstrationis. Dicit autem Philosophus 1. Eth. quod *disciplinati est in vnaquaque re certitudinem quærere iuxta exigentiam materiæ.* Aliter certitudo dicitur assensus vnius partis sine dubitatione.

Otiositas est cum quis quiete necessaria saluti corporis accepta vacat ab aliquo opere spiritali, vel corporali ad quod obligatur.

Pactum est consensus duorum vel plurium ad idem faciendum, vel aliquid dandum verbis expressum. Pollicitatio est solа offerentis promissio.

Pactum dicitur nudum, cùm est in puris finibus conuentio-

nis. Vestitum dicitur, cum interuenit alicuius conditionis adimpletio.

Paraferna dicuntur omnia bona vxoris extra dotem.

Parentes dicuntur omnes superiores consanguinei.

Parochia dicitur locus in quo degit populus alicui Ecclesiæ baptismalis deputatus.

Parochiale ius in septem consistit. 1. vt populus diebus Dominicis & festis audiat Missam in sua Parochiali Ecclesia. 2. in decimis. 3. in oblationibus. 4. in Pœnitentiis accipiendis. 5. in exhibitione Sacramentorum. 6. in sepulturis. 7. in benedictione nubentium.

De Parochia quis efficitur. 1. acquisitione domicilij. 2. commoratione in ea per maiorem partem anni etiam sine translatione domicilij,

Patientia est sua, & suorum iniurias ac cætera mala æquanimiter ferre.

Pœna, strictè sumpta dicitur illa, quæ est corporis afflictiua.

Peregrinus dicitur propriè, qui causa deuotionis alienas vadit visitate Ecclesias, aut sanctorum reliquias

Periculum vbi est, ibi & lucrum collocari debet. *lib. ff. §. Scilicet cum in secundam C. de furtis & C. de cad. tol. c. vnica §. pro secundo ff. de re iudicata. l. secundum naturam.*

Permutatio est vnius rei certæ pro altera re certa vicaria præstatio.

Perplexitas est dubium.

Pertinax est qui perseuerat in sententia plusquam oportet.

Pignus est obligatio rei mobilis pro re aliqua assecuranda. hypoteca obligatio rei immobilis.

Pigritia est quædam tarditas ad exequendum bonum, torpor est remissio in executione boni.

Post liminium est ius recipiendi ab extraneo rem amissam, & in statum pristinum restituendi.

Prebenda propriè consistit in fructuum perceptione. Canonica verò in iure alicuius qui in Canononicum receptus est.

Precarium dicitur quod precibus petenti vtendum conceditur tamdiu quandiu is qui concessit patitur. Differt à commodato in quo est vsus certus & tempus saltem tacitè determinatum.

Precaria fœmini generis penultima producta, est ad preces aliquorum facta donatio vsque ad mortem accipientis

Præceptum est iussio vel imperium faciendi aliquid, vel non

non faciendi ex auctoritate imperantis.

Prælatus largè dicitur omnis habens curam animarum; strictè verò dicuntur solum habentes iurisdictionem.

Prælatio est potestas coërcendi subditos.

Prescriptio est quoddam ius ex tempore congruens, auctoritate legum vim capiens, pœnam negligentibus inferens & litibus finem imponens. Differt ab vsu-capione, quòd illa sit in rebus immobilibus, hæc in mobilibus, estque acquisitio Dominij per continuationem possessionis temporis spatio lege definiti. *in l.* II. *ff. de vsura.*

Præsumptio iuris quando ius super dubio & verisimili.

Præsumit aliquid aut quando super facto dubio vadit per coniecturas præsumendo, ita est.

Præsumptio hominis triplex. 1. Violenta cum habetur aliquis criminosus ex grauissimis indiciis, vt cum inuenitur solus cum sola in loco suspecto puta in eodem lecto decumbens. 2. Probabilis quæ ex aliquibus suspicionibus probabilibus tantum procedit. 3. Temeraria quæ ex malis hominibus, vel ex causis leuibus procedit, vel vbi actus potest æquè referri ad bonum sicut ad malum. Ex talibus autem firmiter tenere in animo quod frater sit malus malo peccati mortalis, est mortale peccatum & si ex talibus procedit ad punitionem multo magis est mortale. Vndè hæc præsumptio est firmatio conceptus mentis ab homine facta ex aliquibus coniecturis collecta.

Præsumptio ad seipsum est, qua quis audet in opera excedentia propriam virtutem. Sicut si quis ponit se ad audiendum confessiones cùm ignorans sit, nec possit mederi & consulere.

Primitia est pars prima frugum Domino offerenda.

Priuilegium est, quando conceditur aliquid contra iura & sic dicitur quasi priuata lex. Si verò aliquid concedatur quod sit præter ius commune sine præiudicio alicuius, sic propriè dicitur beneficium & non priuilegium. Qui potest constitutionem facere, potest priuilegium concedere respectu suæ concessionis.

Probationis nouem modi sunt.

Aspectus, sculptum, testis, notoria, scriptum,
Iurans, confessus, præsumptio, fama probabunt.

Proprietas propriè capitur pro dominio.

Prophanum quod ex vsu sacro in vsum communem conuersum est.

Probabilis opinio est, quæ vera apparet ex aliquo fundamento non leui. Est autem probabilis, vel secundum quid,

Religiosus largissimè sumitur pro quolibet Christiano. Largè pro quolibet Clerico aut alio honestè & pie vitam ducente. Strictè religiosus dicitur qui professionem fecit alicui de religionibus approbatis per sedem Apostolicam. Vndè inuenientes nouum ordinem sine approbatione summi Pontificis non sunt religiosi. Tales censet Bretus *in 2. sent. dist.* 44. sunt qui non seruant regulam in laxis Monasteriis, quia modus taliter viuendi non est approbatus, ideò secundum forum externum dumtaxat religiosi sunt.

Renuntiatio est rei vel iuris proprij facta scienter legitima refutatio.

Residere in Ecclesia est in eâ deseruire.

Represalia dicuntur rerum aliarum generalis retentio auctoritate principis vel ciuitatis pro recompensatione damni dati indulta.

Rescriptum, est id quod princeps scribit ad iuris conseruantiam vt quando dimittit causam decidendam inter aliquos. Differtque à beneficio quod est gratia concessa præter ius à Principe. Perpetuatur per solam citationem, alias anno elapso perdit vim si impetrans illo non vsus est. Non vitiatur per defectum litteræ vel syllabæ, sed si tacitum sit aliquid, quo expresso Papa difficilius concessit. Debet autem inseri in literis citationis. Ac primùm tollitur per secundum faciens mentionem de primo.

Restitutio est in pristinum statum repositio.

Rigor est iuris excessus qui quandoque statuitur ad terrorem aliorum. Quandoque sumitur pro ordine iuris secundum regulas ipsius scriptas. Quandoque pro subtilitate. Differt ab æquitate quod est ordinata iustitia temperata dulcedine misericordiæ. Ius verò est medium inter æquitatem & rigorem & accipitur pro communi decisione, quæ fit secundùm communes decisiones iuris.

Risus qui prouenit ex serenitate conscientiæ & prægustatione suauitatis diuinæ est fructus Spiritus sancti. Qui ex mansuetudine naturæ attestatur bonitatem naturæ. Qui ex inordinatione ineptæ lætitiæ, peccatum est.

Rixa est quoddam priuatum bellum quod agitur inter personas priuatas ex inordinata volũtate & semper est peccatum mortale in inuadente, non in defendente se, si adhibeat moderamẽ inculpatæ tutelæ, licet difficile sit iustũ temperare dolorem. Si non multum excedit moderamen, erit veniale tantum.

Sacerdos dicitur quasi sacra dans, éstque vir ex ordinatione diuina cultus. Diuino ac maximè sacrificio offerendo ad-

dictus firmiter. In materia fauorabili nomine Sacerdotis venit Presbyter Diaconus Subdiaconus : in odiosis solus Presbyter.

Sacramentum quære supra in exam.Subdiac.

Sacrilegium quasi sacræ legis læsio , est sacræ rei violatio vel vsurpatio. Et nomine violationis intelligitur quæcumque irreuerentia.

Satisfactio. *Quare in exam.Presbyterorum.*

Scandalum. *Quare in exam.Diac.*

Schisma est illicita diuisio per inobedientiam ab vnitate Ecclesiæ.

Seditio est tumultus ad pugnam.

Sententia est iudicialis definitio quæ controuersiis finem imponit pronunciatione competentis iudicis condemnationem vel absolutionem continens, dicitur interlocutoria, si est de rebus ad rem definiendam pertinentibus.

Simonia est studiosa voluntas dandi vel recipiendi temporale pro spirituali præcedente pacto promissionis. Dicitur studiosa 1. ex electione & intentione voluntatis.

Spirituale hic intelligitur quod à Deo vt auctor est gratiæ procedit & ad eum vt auctor est gratiæ ordinatur. Toletus l. 3.c. 84.

Stellionatus crimen doli & imposturæ quoquis rem alienam alteri obliget, aut alteri iam obligatam : vel æs pro auro subiiciat sciens. Dicitur à stellione animali versutissimo.

Simplicitas vel opponitur discretioni & est mala : vel dolositati & est bona.

Sobrietas est mensura debita circa ea quæ ad vitam necessaria sunt.

Societas secundùm *Tullium & Azor.* est plurium conuentio contracta ab commodiorem vsum & vberiorem quæstum.

Solutio est eius quod debetur redditio.

Sors est ars diuinandi futura. Dicitur etiam cùm aliquid fit vt effectu considerato aliquid occultum innotescat.

Sponsalia sunt futurarum nuptiarum promissio.

Stultitia dicitur, cùm quis propter stuporem non mouetur. Dicitur à stupore, tuncque est peccatum cùm ex eo prouenit quod propter nimiam immersionem in temporalibus aliquis non potest percipere quæ Dei sunt. D.Tho.2.2.q.46.

Subditus Episcopo dicitur quis vel ratione originis, vel domicilij, vel beneficij, aut etiam delicti.

Substitutio est institutio Hæredis secunda deficiente primo.

Subtilitas rationalis & iuri consentanea laudabilis est non illa

illa irrationalis quorumdam qui tantum volunt subtilizare quod seipsos non intelligunt & verba peruertunt.

Superstitio est vitium contrarium religioni per quod exhibetur cultus diuinus, vel illi cui non debetur, vel eo modo quo non debetur. Dicunt alij est religio supra modum seruata.

Suspensio. *Quare infra de censuris.*

Susurratio est oblocutio mala de proximo facta occultè ad diuidendam amicitiam aliquorum.

Temerè facere est actum à iure sibi prohibitum sub colore fraudulento facere.

Temeritas est audacia in malum.

Theologus est vir bonus in sacris litteris eruditus, Non tantum eruditione intellectus, sed multò magis affectus, vt ea quæ per Theologiam intelligit, traducat per iugem meditationem in affectum cordis & operis executionem. Nider. *in Consolat part.* 3. *c.* 15.

Testamentum est voluntatis iusta sententia, de eo quod quis vult post mortem fieri de bonis suis cum hæredis institutione.

Thesaurus est vetus pecuniæ depositio non agnito eius Domino.

Torneamentum est exercitium, in quo circumeundo homines se percutiunt ad ostentationem virium.

Traditio est datio possessionis ex legitimo titulo facta.

Transactio est de re dubia & lite incerta, nec dum finita non gratuita pactio, sed aliquo dato, vel retento.

Treuga est securitas præstita personis & rebus ad tempus concessa discordia nondum finita.

Turpe lucrum dicitur acquisitum ex causa inhonesta, vel improbanda.

Vana gloria est appetitus laudis. V

Vasallus est qui habet feudum ab aliquo.

Vectigal est quod præstatur ex his rebus quæ venduntur. Differt à tributo quod ratione fundi, vel soli à possidente præstatur.

Venditio permutatio quædam vnius pro alio in iis quæ vendi possunt. Est perfecta cùm ex vtraque parte facta est traditio.

Vicarius dicitur, qui vices alterius gerit & alieno nomine agit. Vicariorum potestas ex eorum commissione mensuranda.

Virginitas aliquando sumitur pro integritate carnis & sic quilibet nascitur virgo. Aliquando pro habitu quo volun-

eas determinatur ad respuendum promptè & faciliter omnem delectationem veneream etiam licitam, vt mens eius spiritualibus vacet, & sic est virtus.

Votum est promissio Deo facta ex deliberatione firmata de bono supererogante propter bonum finem. Posset fieri de bono necessario ad salutem, quia tamen votum est quid voluntarium respectu principij, strictè est de bono supererogante.

Vsu-capio est acquisitio dominij per continuationem possessionis tempore per legem definito. Estque respectu rerum mobilium.

Vsura secundum Hostiensem *in Summa* est quodcumque solutioni rei mutuatæ accedit ipsius rei vsus gratiâ pactione interpositâ, vel hac intentione habitâ in contractu, vel exactione habita post contractum. Vndè in solo mutuo vero, vel interpretatiuo consistit vsura. Vide supra quid sit mutuum & distingue à commodato, aut locato.

Veilleianum est Senatus-consultum, seu Arrestum ne ius dicatur contra mulieres si fideiussionibus se obligent pro aliis, nisi expresse renuntient priuilegio.

Vsus est ius vtendi rebus alienis salua substantia rerum.

Vsu-capere est præscribere, seu vtendo re aliqua illam acquirere.

Zelotypia est ægritudo animi, qua vir suspectam habet vxorem de adulterio.

Cur istas definitiones vocas Elementa Casuitarum?

Quia sunt elementa necessaria in hoc mundo: & istæ definitiones necessariæ ad verè & doctè definiendum de casibus conscientiæ: & sicut in omni scientia prærequiritur notitia terminorum sine qua multi tempus terunt in studiis & nihil certò addiscunt: sic in scientiâ casuum termini primum addiscendi sunt, sine quorum exactâ cognitione multi multa inepte determinant, iudicant, damnant, séque Doctos putant cùm sint Analphabeti imperiti, vbi de summâ rerum ac salute animarum agitur.

PARS

PARS TERTIA

EXAMINIS CONFESSARIORVM DE CENSVRIS, ET IMPEDIMENTIS CANONICIS.

ITA necessaria est notitia censurarum & impedimentorum canonicorum Confessariis, vt nisi mediocri saltem eius tincturâ imbuti sint, sæpè illos necesse sit hæsitare, aut vt verius dicam, plane errare. Scilicèt attinent censuræ ad clauem Iurisdictionis, earúmque absolutio, præmittitur peccatorum absolutioni: vt proinde conueniat de iisdem examinare Confessarios, antequam approbentur, sicut & ipsi tenentur plura nonnumquam de iis examinare in pœnitentibus. Opportunè igitur nec extra lineam, paucula hîc subiiciemus de censuris & impedimentis canonicis.

Definitio censuræ in Communi. §. 1.

1. *Assertio.* Censura est pœna spiritualis & medicinalis priuans vsu aliquorum bonorum spiritualium per Ecclesiasticam potestatem sic imposita, vt per eam ordinariè absolui possit.

Obiic. 1. Homini censurâ mulctato imponuntur etiam pœnæ temporales carcer, exilium, &c. Ergo non est pœna spiritualis. Resp. Imponi has pœnas temporales secundariò, & quatenùs referuntur ad spiritualia.

Obiic. 2. Sæpe censura nihil prodest, ergo non est pœna medicinalis. Resp. Sua te natura & institutione medicinalem esse, si verò ei cui imponitur, nihil proficit, euenit ex eius indispositione.

Obiic. 3. Quare dicitur priuare aliquorum bonorum, & non omnium? Resp. Duplicia esse bona spiritualia, quædam priuata

priuata & particularia, vt virtutes, merita, &c. Alia publ[illegible] quorum dispensatio Ecclesiæ est commissa, vt proinde [illegible] vsum alicui ob culpam interdicere possit; vsum inquam, [illegible] actiuum quàm passiuum: vt Ecclesiæ suffragia, Spiritualis [illegible] risdictio, Sacramenta, Ecclesiastica beneficia. Censura [illegible] priuat his bonis, non aliis.

Obiic. 4 Ex plenitudine potestatis Papalis laïci pos[illegible] excommunicare, item non repugnat Iure Diuino, vt abb[illegible] excommunicet, sed tantum iure Ecclesiastico id prohi[illegible] est. Ergo censura non est semper per Ecclesiasticam pote[illegible] tem. Resp. Esse authoritatiuè ex Ecclesiastica potestate, tan[illegible] tumque sæcularibus conuenire posse ex delegatione; quod spectat ad fœminas, si illis hæc potestas concederetur, esset Ecclesiastica, quia possunt habere potestatem Iurisdictionis, licet non ordinis, scilicet Iurisdictionis exterioris potestatem non interioris.

Obiic. 5. Ecclesiæ potestatem datam esse ad ædificatio nem, non ad destructionem: at potestas priuandi spiritualibus bonis esset ad destructionem. Resp. Id verum esset, si pri uaret ipsâ gratiâ & charitate ac meritis, at his non priuat Ecclesia quibus nemo inuitus priuari potest. Deindè priuatio aliquorum bonorum spiritualium non est ad destructionem, quando fit eo modo & intentione quo primaria bona spiritualia magis acquirantur & conseruentur: ac si est de priuatione bonorum spiritualium per censuram, quæ est pœna medicinalis ea intentione illata, vt obduratus, & rebellis ad cor redeat ex confusione quam habet de tali priuatione. Est etiam pœna spiritualis coërcitiua, sine qua vana esset & delusoria Ecclesiæ Iurisdictio & potestas, qua debet homines ad sal[illegible] tem dirigere: quod non aliter fieri posset nisi ceruicosos [illegible] rebelles quibusdam bonis priuaret ad melius & maius bonum ne pereant omnino; sic medicina sanat non sine incommodo ægrotantis.

Obiic. 6. saltem non posse quemquam excommunica[illegible] propter bona temporalia occultata aut furto sublata, quia n[illegible] est æquum priuare hominem spiritualibus bonis propter [illegible] qua temporalia. Respondeo non tam propter ipsa temporalia excommunicari quàm propter inobedientiam & obstinationem in occultandâ aut retinendâ re alienâ, vt sic à peccato corrigatur propter quod damnaretur. Vnde in talibus Ecclesia non tam spectat res temporales, quàm pertinaciam voluntatis eorum qui non restituunt, qui propterea sunt in statu damnationis vndè per hanc pœnam medicinalem satagit eos curare.

2. *Assertio.*

2. *Assertio.* Quem claue errante Ecclesiasticus iudex condemnat, æterni tribunal iudicis reum non habet. Etenim Ecclesia non habet potestatem ad excommunicandum iniustè innocentes.

Obiic. Ex D. Greg. hom. 26. in Euangelia sententia pastoris seu iusta, seu iniusta sit, gregi timenda est. Resp. Id explicat. Gratianus *c. si Episcopus* 11. *q.* 3. non dicit sententiam iniustè latam esse seruandam, sed timendam: timenda est ergo, id est, non ex superbia contemnenda. Deindè timenda est, quia si iudex secundum allegata & probata publicè sententiam tulit, eius præcepto in foro exteriori parendum est, quatenùs præcisè necessarium est ad publicam disciplinam & iudicis authoritatem tuendam.

Ad censuram requisita. §. 2.

3. *Assertio.* Sententia censuræ nulla est ex defectu iurisdictionis aut ordinis iuridici substantialis, aut defectu peccati mortalis, propter quod feratur: est autem contumacia peccatum mortale, sine quâ non incurritur; vnde ignorantia inuincibilis iuris excusat ab excommunicatione, quia non est ibi contumacia, vt si quis nesciret aliquod opus prohibitum esse sub excommunicatione. Authores tamen in eâ re non consentiunt, Et quidam etiam censent rem leuem ex quâ grauior dependet, prohiberi posse sub excommunicatione. Ita tenet Faber Fauentinus in posteriori volumine super magistrum sententiarum libro quarto *dist.* 25. *disput.* 4. *q.* 1. *c.* 2. *num.* 55. quamuis præstet superiores non vti hac potestate. Et multis etiam probabile videatur, vt quoties ignorantia iuris vel facti excusat transgressionem canonis à peccato mortali, excuset etiam à censuris & irregularitate ob delictum, quia non est credibile piam matrem Ecclesiam tam graues pœnas velle infligere ob peccatum veniale. Diana *p.* 3. *tract.* 6. *resol.* 51. cum plurium suffragiis contra plurium sententiam Vnde plures grauissimi casus dissolui poterunt.

Obiic. Testimonia congesta à Gratiano in c. *vlt.* 24. q. 2. ex v. synodo, quibus ostenditur, hæreticos etiam post mortem anathematizari posse. Resp. Ibi anathema significat execrationem seu detestationem, vt ad Gal. 1. *Licet nos aut Angelus de cœlo, &c. anathema sit.* Instabis ex Niceph. *l.* 4. *hist. c.* 34. Innocentium primum excommunicasse Arsacium Pseudo-episcopum Constantinopolitanum post mortem. Resp. Innocentius primus non vtitur verbo hoc, excommunicauimus, sed Arsacium quem pro magno Ioanne (Chrysostomo) in thronum Episcopalem introduxistis, etiam post obitum, exauctorauimus

rauimus vnà cum omnibus qui consultò cum eo communicarunt, Episcop. *in Epist. ad Arcadium imperatorem.*

Obiic. 2. Episcopus non habet iurisdictionem extra suum territorium, & tamen potest ibi hominem excommunicare, vt si prælatus subdito discessuro aliquid prohibeat sub pœna excommunicationis. Item si subdito elapso fiat citatio per nuntium aut literas sub eadem pœna, si sit Contumax. Resp. Statutum immediatè tendit ad territorium, præceptum verò tendit ad personas subiectas earumque ossibus inhæret vbicumque sint. Dico ergo 2. prælatum posse habere iurisdictionem extrà territorium super subditum, modò exequutio fiat sine strepitu iudiciario ac publica cognitione causæ, ne aliter alienum territorium inuadere & violare videatur: est enim subditus vbicumque sit ratione beneficij, & domicilij aut criminis. Deindè distinguo antecedens: non habet iurisdictionem extra suum territorium, vt illam exequatur existens extra suum territorium, esto: vt autem illam exequatur in territorio, sed super personas existentes extra territorium, falsum est. Sic l. vlt. de iurisdictione omnium iudicum, *extra territorium ius dicenti non paretur impune.* Oportet tamen vt prælatus ferat in territorio censuram contra subditum existentem extra territorium, quod crimen pro quo fert censuram, admissum fuerit in territorio prælati.

Ordo iuridicus duplex.

Obiicies 3. Ordo iuridicus substantialis fictus: ergo *&c.* Resp. Duplicem esse ordinem iuridicum, vnum accidentalem, qui dependet ex lege positiua & libera hominum, vt est triplex monitio, quando aliquis in particulari est excommunicandus per iudicis sententiam. Nam non requiritur triplex monitio, quando excommunicatio additur violationi præcepti; satis enim monet iudex eo ipso quod aliquid præcipiat aut prohibeat; vnde præceptum monitionem in se continet. Alterum substantialem, qui est de iure naturali, vt quòd reus citetur & ad sui defensionem admittatur, & hic est ordo iuridicus substantialis, non ergo fictitius est. Quidquid sit autem de illâ distinctione duplicis ordinis, numquam debet omitti vlla forma ab Ecclesiâ præscripta, prout monet D. Augustinus *serm.* 21. de verbis Apostoli. *Si iudex es Ecclesiasticâ regulâ coerce, corripe, excommunica, degrada. Sic vigilet tolerantia, vt non dormiat disciplina.*

Obiicies 4. Homo excommunicatus depositâ contumaciâ peccati, remanet excommunicatus vsquequo absoluatur. Ergo est excommunicatio sine peccato. Respondeo in foro interiori depositâ contumaciâ, cessare excommunicationem; necessa

necessarium est ergo procurare absolutionem etiam in foro exteriori. Deinde ne propter contumaciam illam reiiciendæ absolutionis similis excommunicatio incurratur. Attamen putat Corradus 1.p.*quæsito* 184. manere priuatum orationibus & suffragiis, & quod si sic decederet, soluere cogeretur in purgatorio sine Ecclesiæ suffragiis. Idem tenet Suares de *Censuris disp.9. sect.3.* quia censura iuridicè lata iuridicè tolli debet. Posset tamen excommunicatus ille absolui post mortem, nuncque in purgatorio iuuaretur Ecclesiæ suffragiis & orationibus.

Diuisio censuræ. §. 3.

4. *Assertio.* Sententia censuræ triplex est. Innocentius in c. *quærenti de significatione verborum.* Quærenti qui per censuram Ecclesiasticam debet intelligi cum eiusmodi clausam in literis nostris apponimus, *Respondemus quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis & excommunicationis sententia valeat intelligi.*

Porro vnaquæque ex his censuris varie diuiditur: vna est à iure, quæ aliquo statuto lata est, alia ab homine quæ per iudicis sententiam infligitur. Eaque ab homine, duplex: vna quæ nominatim infligitur, & ea quæ per generalem sententiam fertur. Deinde alia est censura latæ sententiæ, alia sententiæ ferendæ.

Obiicies non fieri mentionem in scripturis sacris de suspensione & interdicto. Respondeo solam excommunicationem esse de iure diuino, propter illa verba Matt. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*; suspensio autem & interdictum sunt tantum de iure Ecclesiastico positiuo.

Quæres cur impedimenta canonica; scilicet irregularitas, cessatio à diuinis, item depositio & degradatio non sunt censuræ. Respondeo quia non sunt pœnæ medicinales, vnde & priuant potestate rei spiritualis, quatenus fieri potest sine spe ordinariæ recuperationis: censuræ verò vsu tantùm per modum vinculi solubilis, cùm reus à contumaciâ recesserit, vnde & censuræ tolluntur per absolutionem, & impedimenta canonica non nisi per dispensationem, seu relaxationem legis. *Pœnæ medicinales.*

Appellatio à Censurâ. §. 4.

Censura suspenditur per interpositam appellationem, quâ transfertur causa ad alium iudicem. *cap. præterea* de appellationibus.

Per appellationem autem non solùm suspenditur censura,

sed etiam præceptum, seu obligatio exequendi id quod censurâ præcipitur, vt etiam expleto termino per cens... præfixo non peccetur non exequendo mandatum.

Debet autem appellatio esse legitima, ad quod necesse vt fiat ex causa rationabili & sufficiente, seruenturque ad forum externum iurisperitorum regulæ, fiat quoque tempus præscriptum ante scilicet expletum tempus condi... nis per censuram latæ.

Non datur locus appellationi cum sententia iam la... absolutè sine conditione. Vel in causa fidei, aut religiosi cundùm regulam corrigitur. Vt habetur in cap. *ad nostr...* cap. *reprehensibilis de Appell.*

Qui mala fide appellaret solum ad dilationem litis, appellationem esse iniustam & sine causâ, grauiter p... & non suspenderet vim præcepti pro foro interiori, quia ... & dolus nemini debent patrocinari, licet in foro ex... quamdiu non probaretur defectus, locum haberet. Suares ... *in D. Thomam disp. 3, sect. 6.*

Definitio excommunicationis. §. 5.

5. *Assertio.* Excommunicatio est censura Ecclesiastica separans à Communione Ecclesiæ, quoad Sacramenta & publica suffragia atque fidelium conuictum.

Nota excommunicationem varia sortiri nomina: vocatur enim in Concilio Agripinensi sub Iulio primo, an. 352. celebrato, plaga cœlestis. D. Hieronymus *Epist. ad Heliodorum*, vocat mucronem spiritualem. In veteri lege inquit, qui Sacerdotibus, non obtemperasset, aut extra castra positus lapidab... à populo aut gladio, ceruice subiectâ, contemptum exp... cruore, nunc verò inobediens spiritali mucrone truncat... eiectus de Ecclesia, rabido dæmonum ore discerpitur. Alij ... cant districtionem spiritualem. Gerson *de Vita spirituali,* ... 4. vocat baculum spiritualem Ecclesiæ: alij vocant fulm... alij anathema, alij neruum Ecclesiasticæ disciplinæ, alij ... nominibus.

Anathema. Attamen excommunicatio dicitur tantùm anathema, q... do fertur cum solemnitate scilicet cum extinctione can... rum, sicut pluries factum est in Conciliis, maximè ve... Concilio Venetico celebrato an. 1177. Vbi Alexander te... composita pace cum Friderico Imperatore, excommunica... qui eam perturbarent cum extinctione & proiectione ca... latum, dicens sic. *Et sicut hæ candelæ extinguuntur, sic eorum animæ æternæ visionis lumine & claritate priuentur.* Cumque candelæ proiectæ essent de manibus & extinctæ, Imperator cum aliis alta voce exclamauit: *Fiat, Fiat.*

Nota iterum Ecclesiam priuare tantùm excommunicatum iis bonis quæ eius dispensationi commissa sunt. Vnde non est prohibitum priuatâ intentione & oratione pro excommunicato orare, etiam in Memento Missæ, quia pia opera mea mihi propria sunt & liberè possum ea applicare. Sed est aliqua pars in Missa quæ applicatur pro membris totius Ecclesiæ ex intentione Ecclesiæ, de qua diximus supra *in Examine Presbyterorum*, cuius participes esse *non possunt* excommunicati sicut cæteri fideles.

Nota etiam excommunicatum in vno loco, quocumque ierit esse excommunicatum, quoadusque absoluatur. Ita decernente Ecclesia in multis Conciliis, vt in Nicæn. Cant. 5. *Hi qui reiiciuntur, ab aliis non recipiantur.* In Londinensi 1. an. 1225. tempore Honorij Papæ 2. *Nemo excommunicatum alterius præsumat in Communionem suscipere. Quod si scienter fecerit & ipse communione careat Christiana.*

Effectus excommunicationis. §. 6.

1. Priuatio orationum & suffragiorum Ecclesiæ quæ pro suis membris fieri ordinat. In die tamen Parasceues rigorem illum relaxat Ecclesia cum pro omnibus etiam infidelibus orat ad imitationem Christi Domini, qui pro omnibus passus est & pro inimicis etiam orauit.

2. Effectus est priuatio passiuæ communicationis Sacramentorum; peccat enim mortaliter excommunicatus Sacramentum aliquod recipiendo; qui enim contumax est Ecclesiæ, meritò repellitur à participatione potissimorum bonorum illius. Valida tamen esset confirmatio & ordinatio excommunicati; nec hoc Ecclesia potest impedire. Idem est de Communione Corporis Christi, licet esset sacrilega. Idem de Matrimonio censendum, nec vllas pœnas canonis incurrit, nisi propter receptionem ordinationis propter quam est irregularis.

3. Effectus est priuatio actiuæ administrationis Sacramentorum; peccat enim mortaliter excommunicatus celebrans aut Sacramentum administrans, nisi in extremâ necessitate. Vel ad vitandam infamiam & ne se publicet, cum est excommunicatio occulta.

4. Effectus est priuatio diuinorum officiorum. Vnde peccat mortaliter excommunicatus assistens Missæ, horis canonicis, quæ publicè cantantur in Ecclesia. Concioni tamen potest interesse sine peccato, & horas canonicas priuatim tenetur recitare, si sit Sacerdos. Post mortem si excommunicatus non fuit absolutus, corpus eius sepulturâ sacrâ in templo aut cœmete-

N 2

rio sacro priuatur, etiamsi contritionis signa ediderit. Poterit tamen post mortem à censura absolui & sepeliri postea in loco sacro, aut in eodem remanere, si iam sepultus sit, datâ illi absolutione à censuris propter contritionem quam testatus est ante mortem se habere. Nota insuper si excommunicatus nominatim, aut notorius percussor clerici ad sacrum audiendum ingrederetur in templum, ibique ad illud audiendum permaneret, deberent cæteri egredi, nisi qui in aliâ capellâ sacrum audirent.

5. Effectus est priuatio beneficiorum non quidem ante excommunicationem obtentorum, sed quæ conferuntur durante excommunicatione; illa enim excommunicatus legitimè non possidet, tenerurque resignare, & obtenta absolutione rehabilitari debet ad titulum. De fructibus autem interea perceptis an debeat restituere, quidam aiunt, quidam negant, idem dubium est de pensionibus. Difficultas requirit in casu, consultationem. Non nos hic omnia definienda suscepimus. Censet autem Suares excommunicatum durante excommunicatione non facere fructus suos *de Censuris disp.* 13. *sect.* 2. nisi fructus sint pro labore officij præstiti in administrando beneficio. Bonacina de *excom. disp. q.* 2. *puncto* 4. §. 2. censet facere fructus suos. Quia nullum ius extat quo teneatur ad restituendos dictos fructus ante sententiam iudicis.

6. Effectus est priuatio spiritualis iurisdictionis fori contentiosi, ac omnis iuris collationis beneficiorũ & præsentationis.

7. Effectus excommunicationis est priuatio ciuilis seu politicæ conuersationis cum fidelibus. Circa quod tamen aduertendum est Martinum V. restrinxisse prohibitionem communicandi ciuiliter cum excommunicatis ad solos excommunicatos nominatim & notorios percussores clericorum, qui propterea dicuntur excommunicati vitandi: vnde cum aliis excommunicatis, secluso scandalo communicare non est vetitum vt cum hæreticis, cum falsariis litterarum Apostolicarum, cum incendiariis, Simoniacis, & huiusmodi: cum vitandis autem communicare in temporalibus ex se est solum peccatum veniale, nisi ita frequenter fieret, vt Ecclesia contemni putaretur: in rebus autem sacris communicare mortale est. Quinque autem sunt in quibus non licet cum his duobus excommunicatorum generibus communicare, hoc versu expressa.

Os orare, vale, communio, mensa negatur.

Os, id est, osculum & confabulatio amica, orare id est oratio cum illis. Cætera patent.

Nihilomi

Nihilominus quinque excusant, ne quis peccet & incurrat excommunicationem quæ dicitur minor, si cum talibus excommunicatis in conuictu humano communicet, hoc versu contenta.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Vtile, cum quis propter notabilem vtilitatem cum aliquo ex his excommunicatis participat, quam vtilitatem cum alio æquè non haberet, vt si quis petat concilium à perito aduocato nominatim excommunicato quo peritiori, non est in rectè consulendo: vel vtatur operâ medici expertissimi qui sit notorius percussor clerici, quia melius sperat ab eo se sanatum iri, vel communicet cum illo ad eum monendum & procurandam eius salutem. Lex intelligitur de lege Matrimoniali quâ vir & vxor possunt secum conuersari, nonobstante excommunicatione. Humile intelligitur de subiectione filiorum, & famulorum, & seruorum ad Dominum, cum quo possunt conuersari ei obediendo & inseruiendo etiamsi sit nominatim excommunicatus. Cætera satis manifesta sunt.

Absolutio ab excommunicatione. §. 7.

Nota pro absolutione ab excommunicatione quemcumque Sacerdotem approbatum & iurisdictionem habentem in pœnitentem seu ordinariam, seu delegatam, absoluere illum posse ab excommunicationibus quæ iure canonico latæ sunt, vel etiam statutis generalibus prouinciæ aut Episcopatus. Quando tales excommunicationes non sunt per ipsum ius canonicum, vel per dicta statuta reseruata summo Pontifici, vel Episcopis.

Item dicendum cum quis est excommunicatus per sententiam generalem, per quam non reseruatur absolutio excommunicationis. Vt si ferret tantum sententia, quisquis furtum commisit, arbores succidit, est excommunicatus.

Cum quis verò est excommunicatus per sententiam particularem, quæ fit cum designatur persona particularis excommunicata, vt Petrus, Titius, non datur absolutio nisi per ipsum excommunicantem, aut eius Superiorem, aut successores, si ipse moriatur.

Harum assertionum ratio non est, vt volunt quidam, quod non reseruatum à Superiore prælato concessum est inferioribus. Datur enim instantia in impedimentis Matrimonij & legibus aliis summi Pontificis de quibus non dispensant Episcopi & alij Sacerdotes, quamuis in iure dispensatio non sit reseruata. Id ergo magis attribuendum est antiquæ consuetudini, vel decreto cuidam generali: & si non

constet quando & vbi latum fuerit. Ita Faber Fauentin[us] distinctione & disputatione ac quæstione præcitatis *cap.* [illegible] *numer.*154.

Etiam multi docent quando Concilium vel Summus Po[n]tifex absolutionem censuræ non reseruant, videri potestate[m] ab illâ absoluendi concessam esse Episcopis, & aliis inferiori[bus] bus Sacerdotibus. Suares de Legibus. *lib.* 6. *capite.* 14. *num* [illegible] ex c. nuper *de sententia excommunicationis.*

Qui excommunicatus erat propter crimen ad forum co[n]tentiosum deductum, vbi tamen reus non est conuictus, quia vsus est falsis testibus, vel aliâ viâ, absolui potest ab Episcop[o]. Idem dicendum est postquam conuictus & punitus fuit, si cri[men] tale erat, à quo posset Episcopus absoluere.

Qui in vno loco commisit delictum vbi morabatur quo[d] fuit ibidem notorium & publicum, eratque propterea Pap[æ] reseruatum, si se transferat ad alium Episcopatum distante[m] vbi domicilium suum constituat, ita vt fiat subditus Epi[s]copo loci illius, iuxta probabilem opinionem poterit ab Episcopo loci illius absolui, quia crimen illius iam est occultum.

Datur absolutio ab excommunicatione ad cautelam hoc modo. *Dominus noster Iesus Christus dignetur te absoluere, & ego authoritate eiusdem absoluo te à vinculo excommunicationis, si quod incurristi.*

Episcopus potest absoluere subditum à lata excommunicatione, non obstante quod ab eâ subditus appellauerit ad superiorem.

Archiepiscopus potest absoluere à sententiis excommunicationis per suffraganeos latis, cum ab iis ad eum fuit appellatum & partes citatæ sunt, cum suffraganei maliciosè, aut negligenter differunt absolutionem, & cum visitat Diœcesin suffraganei.

Excommunicatus propter damnum illatum proximo non debet absolui, nisi factâ prius satisfactione. Si tamen sit pauper & impotens ad satisfaciendum, polliceaturque se quamprimum poterit, satisfacturum, absolui poterit ab habente potestatem. Ita vt tamen si non restituat quando verè facultatem habebit, iterum incurrat excommunicationem.

Excommunicatus si in mortis articulo dixit, *Madonna santissima adiuta me* Ecclesiasticæ sepulturæ tradi debet. S. Congreg. Episc. & regul. in Nolanâ, 19. Iulij 1619. refert Barbosa in collectaneis Bullarij *verbo* excommunicare.

Pueri ante decimum quartum ætatis annum & puellæ ante

ante duodecim non indigent absolui ab excommunicatione, quia ex iure eam non incurrunt. Quod intelligendum est de censuris latis ab homine quia in huiusmodi ætate non intelligunt iudiciarium ordinem, possunt tamen incurrere censuras latas à iure. Putat tamen Auila impuberes non incurrere irregularitatem si occidant in hac ætate *de Cens. 7. parte disp.6. sect. 1. dub. 13.* Sed hæc omnia parum certa sunt: cum iura non sint satis expressa, & authores varient inter se.

Sacerdos requiritur ad absoluendum à censuris cum absolutio etiam danda est à peccatis simul. Vnde à solis censuris Laicus habens authoritatem ab Episcopo, aut Papa absoluere potest, quod valet pro foro exteriori.

Notat Iuo Carnotensis Epist. 62. quæ est. 14. *Historicarum*, excommunicatos, si in gratiam Regis Galliæ rediissent, aut eius mensæ participes fuissent, eo ipso Communioni Ecclesiæ restitutos fuisse. Hoc tamen hodie non est in vsu.

Inuitus absolui potest ab excommunicatione, nec requiritur eius voluntas.

Martinus V. in Concilio Constantiensi viuâ voce decreuit teste S. Antonio 3. *p. tit.* 25. *c.* 2. Confessarium excommunicatum etsi notorium, modò non sit nominatim excommunicatus, nec notorius percussor clerici, validè posse absoluere.

Si nominatim excommunicatus aut notorius percussor clerici ingrederentur Ecclesiam cùm celebrat Sacerdos, hic deberet cessare à celebratione, si nondum Canonem incepisset, non autem sic est de concione. Cum aliis excommunicatis etiam in sacris communicare non est ita prohibitum. Et qui aliter scripserunt, verum dixerunt pro solo tempore quod Concilium Constantiense antecedebat: à tempore enim huius Concilij more Ecclesiæ receptum est, vt non vitentur, nisi duo genera excommunicatorum, scilicet nominatim excommunicati & notorij percussores clericorum.

De variis excommunicationibus. §.8.

Est excommunicatio ferendæ sententiæ, & latæ sententiæ. Per primam qui non est adhuc Excommunicatus, per secundam est de facto excommunicatus. Ambæ autem tam variæ & multiplices sunt in decreto, in decretalibus; in sexto decretalium, in Clementinis & Extrauagantibus, in Conciliis Generalibus, Prouincialibus, Diœcesanis, in Bullario, in Bulla Cœnæ Domini vt ex earum Catalogo volumen ingens conscribi posset. Vtiliter legi poterunt apud Cardinal.

Toletum l. 1. *instruct. Sacerd.* apud Bonacinam , maxime to-mo tertio vbi de censuris in particulari totus est,& apud plu-rosque alios.

Omnes autem in Galliâ non obligant , sed aliquæ tantum, has autem determinare non est priuati Doctoris opus , vnde innumeræ nascuntur quotidie difficultates & scrupuli. Qui numquam exhaurientur , nisi fiat quod prudenter monebat Gerson in *l. de vita spirituali lect.* 4. *corol.* 14. Expediens vi-debitur,inquit,vt omnes sententiæ excommunicationis,quarum vsus nullus , aut plus obest quam prosit , tam in Ecclesia vni-uersali quàm in Prouinciis , & Diœcesibus expressa reuocatio-ne cessarent,& si consideremus quod excommunicatio quæ de-bet,medicinalis esse debet,sicut finis amaræ potionis est sani-tas, ita finis excommunicationis est emendatio aut conserua-tio charitatis & vnionis in subditis : propterea quandocum-que excommunicatio verisimili coniectura non præsumitur vtilis Reipublicæ,nec subditorum correctionem afferre , illa debet omitti. Et paucis interiectis affert hanc rationem, & in-hoc veritatem habet quod dictum est prælatos non teneri ad multa propter incorrigibilitatem subditorum , ad quorum op-posita si corrigibiles subditos haberent , ipsi tenerentur. Di-ctum Gersonis non leniter confirmat quod scribit D. Augusti-nus Epist. 119. ad Ianuarium. *Ipsam tamen religionem quam paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramentis mise-ricordia Dei esse liberam voluit , seruilibus oneribus premunt, vt tolerabilior sit conditio Iudæorum , qui etiamsi tempus liber-tatis non agnouerint, legalibus tamen sarcinis non humanis præ-sumptionibus subiiciuntur.*

Legendus Nauarrus in Man. c. 27. num. 49.& 50.

Excommunicatio minor. §. 9.

Hactenus de maiori excommunicatione ; præterquam alia est quæ dicitur minor , quia non priuat tot bonis, quot illa. Non autem quia sit res parua,cum sit magna pœna spiritualis. Definiturque censura Ecclesiastica priuans fidelem excommu-nicatum passiuâ Sacramentorum participatione. Id est re-ceptione Sacramentorum, quæ ipsi est illicita ante absolutio-nem , quæ dari potest à proprio sacerdote iurisdictionem ha-bente in excommunicatum.

Incurritur propter communicationem cum excommunica-to vitando,qualis est denuntiatus nominatim,& notorius per-cussor clerici , seu communio fuerit in vitâ, seu post mortem, assidendo sepulturæ. Si autem celebrat Clericus illâ solâ inno-datus,nullam irregularitatem propterea incurrit.

De

De suspensione. §. 10.

6. *Assertio*. Suspensio est censura per quam persona Ecclesiastica impeditur aliqua potestate, aut iure Ecclesiastico vti. Vna est totalis, alia partialis: porrò etiamsi non sit reseruata, ab ea tamen non absoluit parochus, nisi delegatam potestatem habuerit aut speciale priuilegium, non sic de excommunicatione, quia eius absolutio magis necessaria est; debet enim antecedere absolutionem à peccato.

Obiicies. Suspensio non videtur differre à depositione & degradatione: ergo non est alia censura. Respondeo, suspensionem differre à depositione, quia depositio aufert ipsum titulum siue ius beneficij, & consequenter eius administrationem ac fructuum participationem. Suspensio verò fructus duntaxat & vsum, manente interim ipso radicali iure seu titulo beneficij. Dico etiam differre à degradatione, quia degradatio, siue sit verbalis ac sententialis, seu realis & actualis priuat clericum non tantùm titulo beneficij, sed insuper priuilegiis fori canonici, in quo etiam differt degradatio à depositione; sed & degradatio fit cum maiori solemnitate; de qua Suarez disp. 30. *de censuris*.

De interdicto. §. 11.

8. *Assertio*. Interdictum est censura priuans participatione Sacramentorum, diuinorum officiorum & Ecclesiastica sepulturâ, vt res sacræ sunt. Dicitur vt res sacræ sunt, per hoc enim interdictum differt ab excommunicatione quæ priuat iisdem & aliis rebus, sed vt res sunt commnnes cum aliis fidelibus: differt etiam à suspensione quæ iisdem ex parte priuat, sed vt res sunt propriæ ipsi suspenso. Ita Suarez *de censuris disp*. 32. *sect*. 1.

Nota. Aliquando innocentes interdicto ligantur per accidens, vt in interdicto locali, infantes qui non possunt à loco interdicto exire.

Obiic. 1. In interdicto confertur Sacramentum Baptismi, item morituris confertur Sacramentum Eucharistiæ. Respondeo in interdicto Sacramenta necessaria non prohiberi.

Obiic. 2. Etiam in interdicto celebrantur diuina officia. Respondeo, id limitatum fuisse in capite *Alma mater* de sentent. excommunic. in 6. *Singulis diebus in Ecclesiis ac Monasteriis Missæ celebrentur, & alia diuina officia sicuti priùs, submissâ tamen voce, ianuis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis*.

Nota quòd in interdicto personali, laïci interdicti personaliter in loco non interdicto sepeliri possunt, modò non sint denuntiati.

In interdicto locali, clerici personaliter non inte[r]... sepeliri possunt in loco sacro, in silentio tamen, sine ... campanæ.

De impedimentis Canonitis. §. 12.

Impedimenta Canonica sunt quædam inhabilitates ad ... sacras statutæ per Ecclesiam propter quamdam decenti[am] ...

4. *Impedimenta canonica.* Hæc impedimenta quatuor sunt, cessatio à diuinis, ir[regu]laritas, depositio, degradatio. Quæ quidem etsi magna[m] ... militudinem gerant cum censuris, distinguuntur tame[n] ... iam aliquo modo dictum est, quòd censuræ statutæ ... Ecclesia tanquam pœnæ medicinales, vt corrigantur ij in ... feruntur, & saluentur, iuxta illud 1. ad Cor. 5. *Iam iu[dicaui] ... inter vos tradere huiusmodi Satanæ, vt spiritus saluus ...* Sicque etiam tollantur, cùm emendati fuerint. At imp[edi]menta canonica statuta sunt propter alium finem: per ac[ci]dens enim est, si quis ex impedimento canonico vitam in me[]lius commutet; spectauit autem Ecclesia maximè decen[tiam] quamdam in statuendis impedimentis canonicis. Vt ex infrà dicendis satis parebit.

Cessatio à diuinis. §. 13.

Cessatio à diuinis definiri potest, impedimentum cano[ni]cum quo per sententiam iudicis, ministri Ecclesiæ prohibe[n]tur persoluere diuina officia, ministrare Sacramenta & sepe[]lire laïcos in loco sacro, in signum grauissimi mœroris ... Ecclesiā concepti propter illatam sibi grauem iniuriam ... honori diuino.

Ab aliis definitur. Suspensio organorum diuinæ laudis in aliquem locum decreta, iuxta illud Psal. 136. *In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra.* Sicut enim Israëlitæ ... signum mœroris siluerunt à diuinis laudibus; sic Ecclesia, ... ostendat tristitiam quam ex pertinaciā aliquorum concip[it], eosque hoc pacto moueat ne matrem suam diutius affligant, videntes eam mœrentem ac veluti desolatam, indicit silentium Sacerdotibus, desistitque à diuinis officiis publicis, nec celebrat Missam, nisi semel per hebdomadam in vnaquaque Ecclesia ad renouandam Eucharistiam, idque cum vnico tantum ministro non pulsatis campanis, idque propter infirmos. Sacramenta enim necessaria administrantur. Atque ex hoc impedimento agnosci potest, non esse intentionem Ec[]clesiæ semper, & in omni casu supplere ea quæ perfectum [re]gimen & absolutum sine vllo defectu statum perficerent. ... non mirum sit, si aliter se habeat afflicta per suos, aliter affli[]cta per alienos, qui eius dolori magis insultarent, sicut ...

cit...

citur Thren. 1. *Viderunt eam hostes & deriserunt Sabbata eius*, cùm è contra qui sunt filij eius luctui compati & succurrere soleant.

De irregularitate. §. 14.

9. *Assertio.* Irregularitas est impedimentum canonicum in iure expressum per se primò impediens susceptionem Ecclesiasticorum ordinum. Secundariò vero & consequenter eorumdem vsum propter inhabilitatem personæ ex propria culpa ortam, vel ex alio defectu.

Dices; hæc videntur conuenire suspensioni ac depositioni: nego, quia suspensio, & depositio per se non impediunt ordinis susceptionem, sicut irregularitas, sed potiùs vsum ordinis suscepti, vnde fit vt suspensio & depositio solis clericis conueniant: irregularitas clericis & laïcis.

Peccat autem mortaliter qui in irregularitate suscipit ordines, non secus ac ille qui est in maiori excommunicatione. Ratio est, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui. Quod etiam Suarez *de censuris disput.* 40. *sect.* 2. extendit ad receptionem primæ. Quod sit res valdè grauis quatenus est dispositio ad ordines. Idē censet Bonac. de irreg. *disp.* 7. *q.* 1. *puncto* 4. Quod minimè admittendum videtur, cum definitio irregularitatis habeat tantùm quod impediat susceptionem ordinum. Argumenta autem à simili in istis, aut à maiori ad minus non habent fidem, vt loquuntur quidam, id est, non valent. *Argumenta à simili.*

Porrò irregularitas iure Ecclesiastico vniuersali, non particulari decerni potest, vt sic nemo reddatur inhabilis ad sacras functiones absque consensu & determinatione præuiâ Ecclesiæ vniuersalis, cum cedat in eius detrimentum incapacitas ac inhabilitas ad has functiones.

Vndè pertinet ad summum Pontificem, vel ad Concilium vniuersale illam determinare tam in seipsa quam causam eius immediatam ex quâ resultat. Legi potest Suares disp. tom. *de Censuris sect.* 3. & quæ post ipsum scripsimus *in Apparatu* ad summam Conciliorum, vbi de verbo Dei definito.

Diuisio irregularitatis. §. 15.

Est autem vna irregularitas quæ est totalis, alia partialis, priuans aliquo vsu ordinum non omni, vnaque est quæ oritur ex defectu & indecentia absque culpa. Cuiusmodi est 1. irregularitas orta ex defectu animi & scientiæ: 2. ex defectu corporis quod est mutilum aut notabiliter deforme. 3. ex defectu natalium. 4. ex defectu ætatis & libertatis. 5. ex defectu

Sacra

Sacramenti, vt est in bigamia quæ non repræsentat vnionem Christi ad vnicam Ecclesiam. 6. ex defectu lenitatis, qui reperitur in homicidio patrato à iudicibus, eorumque administris: pro his enim tantum decreta est hæc irregularitas. Sicut post Vasquez docet Luisius Turrianus de *Censurit lib. 9. disp. 6. dub. 3.* quem refert Card. de Lugo *de Pœnit. disp. 2. sect. 2.* qui eamdem probabilem censet, quia in iure hæc irregularitas ex defectu lenitatis non inuenitur pro aliis imposita. Vnde resultabit pro aliis personis extra iudicium, irregularitatem induci per solum homicidium patratum cum peccato mortali.

Alia autem irregularitas oritur ex delicto. 1. ex iteratione baptismi. 2. ex illicita susceptione ordinis eiusque abusu: qui enim exercet actum ordinis à quo est suspensus, fit irregularis iuxta c. *de sententia & re iudicata in 9.* & c. 1. *de sententia excommunicationis in 6.* vbi decernitur irregularitas violationis suspensionis, sed illius quæ iure vniuersali lata est non diœcesano, vt ex lectione patet. 3. oritur irregularitas ex actu hæresis. 4. ex infamia propter aliquod crimen. 5. ex homicidio voluntario illicito, vt si quis occidat in bello illicito, aut sine moderamine inculpatæ tutelæ.

Obiicies sæpe non esse sine crimine qui caret scientia, vel qui mutilus est corpore; non debere ergo has irregularitates reduci ad speciem irregularitatum quæ sine peccato & culpa incurruntur. Respondeo, esse per accidens quòd tales defectus peccato coniuncti sint, nec considerari ab Ecclesiâ ex qua occasione causáve proueniant.

De peccato quod est causa irregularitatis. §. 16.

Nota autem quòd irregularitas proueniens ex delicto supponat delictum esse mortale, vt probat Suarez contra Caietanum *disput. 40. de Censuris* quòd sit grauissima pœna, quæ non debet inferri pro leui culpâ, vt censetur venialis. Vnde rebaptisans non incurrit irregularitatem ex iteratione baptismi, nisi interuenerit peccatum mortiferum in illa iteratione baptismi; quamuis & hæc irregularitas non videatur satis expressa in iure, vt notat Lessius in 3. *p. quæst. 66. dubio 1.* Nota etiam quòd supponat, delictum esse completè patratum per actum non solùm internum: cùm enim irregularitates sint inter odiosa reputandæ; strictè sunt interpretandæ. Porrò nihil refert quòd delictum sit publicum vel occultum, nisi in illâ quæ incurritur propter infamiam, vnde & Concilium Tridentinum, *session. 24. cap. 6.* dat facultatem Episcopis dispensandi in omnibus irregularitatibus

ritatibus ex delicto occulto prouenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, aut ad forum contentiosum deducta est: supponit ergo, sufficere delictum occultum ad contrahendam irregularitatem.

Dubitant aliqui, an necessaria sit contumacia ad incurrendam irregularitatem, ita vt sciat homo se incursurum irregularitatem talia perpetrando propter quæ incurritur.

Respondetur id minimè esse necessarium, cùm irregularitas etiam sine peccato incurratur. Vnde aliquis incurrit irregularitatem, etiamsi nesciat illam esse statutam. Quod tantùm locum habet in irregularitate, quæ non est orta ex delicto: nam ad illam incurrendam ex delicto, requiritur contumacia & peccatum mortale, vt dictum est.

Circa hanc difficultatem Alphonsus à Castro. l. 2. *de lege pœnali.* cap. vlt. crimina occulta quæ probari non possunt, eximit à censuris & irregularitatibus. Et sunt multi textus qui asserunt, Ecclesiam non capere vindictam de occultis criminibus. c. *sicut tuis*, & c. *tua nos* de symonia c. *christiana* 12. q. 5.

De homicidio aliter multi sentiunt, propter quod forte Concilium Trid. illum excipit, & hinc filius Presbyteri ex matre coniugatâ genitus poterit sine dispensatione promoueri ad ordines sacros & curam animarum suscipere, si sciat in secreto suum defectum, ne propter hanc causam infametur peccator, si petat dispensationem. Ita ille, licet refutetur à Lessio ad q. 20. *supplem.* D. Thomæ *de irregularitate* cap. 1. dubio 2.

Cæterùm Andræas Duualius tract. *de peccatis* q. 7. *art.* 4. Ignorantiam Clerici qui nescit, excommunicatum incurrere irregularitatem si celebret; ait excusare ab irregularitate, modò ignorantia non sit affectata, etsi à peccato non excusetur, quia istud ignorare non deberet, cum sit res ad proprium officium pertinens. Non tamen censetur contumax & rebellis legi quam ignorat. Et hoc inquit, ad varios conscientiæ casus dissoluendos apprimè conducit.

De dubia irregularitate. §. 17.

Dubitant alij & plerique, an in dubio iudicandus sit aliquis irregularis.

Respondetur. Si dubium est iuris, ita vt dubitetur, an sit lex statuta obligans ad irregularitatem contrahendam, non contrahi irregularitatem. Quia irregularitas nunquam ab homine infligitur, sed à solo iure per summum Pontificem ad quem maiores causæ reseruantur. Ita vt etiam Episcopi & Concilia Prouincialia nouam irregularitatem inducere nequeant.

nequeant. Vnde debet irregularitas esse expressa per aliquem canonem, in quo reperiri & legi possit. Si autem dubium sit apud peritos, an extet talis canon, cum homo possideat suam libertatem & melior sit conditio possidentis, non est censendus irregularis. Si verò sit dubium facti, ita vt re benè expensâ dubitetur, an commissum fuerit illud propter quod incurritur irregularitas, contrahit irregularitatem; sed in casu solius homicidij perpetrati, quia hic casus in iure expressus est, c. *Ad audientiam*, & c. *Significasti de homicidio*; non aliàs. Quia homicidium valdè abhorret Ecclesia in Clericis propter magnam indecentiam quam habet. Vnde qui præbuit pharmacum ex quo sequitur aborsus, si dubium est, an fœtus esset animatus, vel non, debet sese habere irregularem. Quia dubium est de facto homicidij illiciti. Simile est iudicium de eo qui dubitat se occidisse in bello iniusto; nam si iustum est, non incurret irregularitatem, quod intelligendum est de Laïcis.

Effectus irregularitatis circa beneficia. §. 18.

Irregularitas licèt occulta, facit hominem incapacem beneficij. Consequenter irregularis inualidè recipit beneficij collationem, nec illud potest retinere nisi obtentâ dispensatione irregularitatis curauerit beneficium sibi de nouo conferri ab eo qui potest illud conferre. Bonacinâ *de irregularitate disp. 7. quæst. 1. puncto 4. 2. propositione.* Post Auilam, Lessium, Couarruuiam, Suarem. Quamuis Syluester verbo *excommunicatio*, Filliucius & alij censeant collationem validam esse, sed impetrandam esse dispensationem. Porrò Auila, *de Censuris 2. parte cap. 6. disp. 5.* Vbi probauit excommunicatum incapacem esse beneficij, subiungit. Vltimò nota ea quæ dicta sunt de collatione vel electione factâ excommunicato, etiam habere locum si fiat suspenso, interdicto, vel irregulari. Ita Nauar. *cap. 25. numero 133.* & est textus c. *cum inter de electione.* c. *postulastis*, & c. *de Clerico excommunicato ministrante.* Vbi aduertendum est c. illud *cum inter*, tantùm loqui de epileptico. & c. *postulastis.* Tantùm loquitur de iis qui vinculo excommunicationis sunt innodati, nullâ factâ mentione de irregularibus. Vnde ex his capitibus non rectè probatur irregularem esse beneficij incapacem. Quare magis probabilis remanet opinio Syluestri & Filliucij, aliorumque existimantem collationem beneficij factam irregulari validam esse. Quod maximè habere locum debet, si fiat collatio à summo Pontifice, qui in ipsa collatione absoluit ad effectum ab excommunicatione & irregularitate. Quamuis quid

operentur

operentur ista verba absolutionis, amplius inquiri possit. Quod verò dicunt impetrandam esse dispensationem, neque id necessarium esse videtur, nisi quantum necesse esset ad functiones alicuius ordinis obeundas, siquidem irregularitas ex iure Ecclesiastico à Concilio generali, aut à summo Pontifice statuta, per quæ solùm induci potest, priuat tantùm vsu ordinum susceptorum & facultate suscipiendi alios ordines nondum susceptos: in pœnis autem nulla extensio facienda est. Quarè nec priuatur beneficiis anteà obtentis, nec eorum fructibus, nec ab aliis acquirendis præpeditur. Ita Vrbanus ab ascensione, *Theolog. Moral. part.* 1. *cap.* 57. Debet tamen procurare intra annum dispensari se de irregularitate, vt non excidat à beneficiis illis & ne non faciat amplius fructus suos.

De irregularitate orta ex Bigamia §. 19.

10. *Assertio.* Bigamus. 1. qui contraxit binas nuptias, est irregularis, tit. de *bigamis* per totum: & ratio est, quia non potest aptè significare vnionem Christi cum vnicâ Ecclesiâ, nec aptus est ad efficaciter persuadendam castitatem, cùm incontinentis speciem præ se ferat.

Notandum est autem, triplicem esse bigamiam: veram, interpretatiuam, & similitudinariam.

Bigamia vera est quando aliquis duas vxores successiuè duxit, matrimoniumque cum eis consummauit, ita vt matrimonium fuerit validum cum vtraque.

Bigamia interpretatiua est cùm aliquis viduam, vel corruptam per alium in vxorem duxit, consummauitque cum ea: Vel cùm duo matrimonia iniit, quorum vnum fuit inualidum; vel cùm duxit virginem quæ adulterata est postquam à marito cognita fuit. Ratio est, quia in his omnibus deest significatio Sacramenti.

Bigamia similitudinaria est, cùm quis post votum solemne castitatis per quod copulatur Christo spiritualiter, contrahit cum aliqua matrimonium & consummat. Censetur enim quodammodo bis conrrahere matrimonium,

Porrò in Bigamiâ verâ, & interpretatiuâ solus Papa dispensat pro receptione maiorum ordinum, eorúmque vsu. At in similitudinariâ etiam Episcopus.

De irregularitate orta ex bello. §. 20.

Qui dat consilium belli, non est irregularis, quia est causa remota occisionis, non propinqua.

Similiter Clerici qui pugnantes adhortantur in bello seu offensiuo, seu defensiuo, ad oppressorum defensionem, atque

ad

ad inimicorum Dei impugnationem, non incurrunt irregularitatem, id iure canonico statuente 23. qu. 8. cap. *quicumque.* Si laïcus prælio interfuit in quo plures occisi sunt, credit verò ipse neminem se occidisse, nec si tantùm vulnerauerit, irregularis non est, potestque probabiliter sustineri non fore irregularem quando occidisset, modò constet bellum esse iustum. Quia ex hypothesi tunc non peccasset mortaliter. In contrariâ sententiâ est de Graffis 2. *p. dec. aurearum cap.* 4. Item non est irregularis vulnus infligens quod per se mortale non est, etsi ex imperitiâ medici mors sequatur, aut quia vulnerati non habetur cura.

Qui interfuit cum pluribus aliis homicidio, quod tamen non perpetrauit nec consueuit, non est irregularis, modò illi se defenderent, Extra *de Clerico percussore*, c. *præsentium* & c. *continentia.* Si autem aggrediendo alios aliter censendum. Videndum quoque si defensio iusta vel iniusta, & culpa præcesserit ad occisionem mortui sufficienter ordinata. Gaufrius ad eundem titulum *in synopi duntalium.*

De irregularitate orta ex hæresi. §. 21.

Communis sententia est propter hæresim incurri irregularitatem, quam Suarez non vult amoueri posse, nisi dispenset Summus Pontifex, vt qui fuit hæreticus, ordines postea possit suscipere, *de censuris disp.* 43. *sect.* 1. probat irregularitatem ex capite *saluberrimum* 1. *qu.* 7. Sed aduertendum est, hoc caput loqui tantum de Clericis qui fiunt hæretici: quare ex verbis huius capitis probari non potest laïcos qui fiunt hæretici, si resipiscant postea, esse irregulares, vt non possint ordines suscipere sine dispensatione. Idem est de capite *nos consuetudinem dist.* 12.

Alij probant ex cap. *statutum* in sexto de *hæreticis*, sed sextus decretalium non facit ius in Galliâ, nec librum illum audent citare aduocati in curiis Parlamentorum, quia non admittitur. Sed & caput istud videtur loqui de filiis hæreticorum condemnatorum, sicut aduertit Lessius in 3. partem D. Thomæ *de irregular. cap.* 7. *dubio* 1. Itaque filius hæretici non erit irregularis, nisi natus sit ex patre, eo tempore quo erat hæreticus, & pater fuerit condemnatus de hæresi, vel saltem in Iudicio conuictus.

Inde collige Clericos, qui transeunt ad castra hæreticorum, si postea ad gremium Ecclesiæ redeant, non posse ordines suscipere nouos, sine dispensatione quam vult debere dari à Summo Pontifice. Suarez loco citato, nisi fuisset hæresis occulta, quia tunc Episcopus posset dispensare, sicut in hæresi

mani-

manifestâ dispensare potest, vt susceptis ordinibus vtatur.

Collige rursus quid censendum sit de laïco hæretico, si velit ad ordines promoueri, si conuertatur ad Ecclesiam, desieritque esse Neophytus. Nihil enim ius contra illum decernit.

Episcopi potestas ad dispensandum de irregularitatibus.

§. 22.

11. *Assertio.* Ex concessione Concilij Tridentini potest Episcopus dispensare in omni irregularitate ex delicto occulto prouenienre, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, & quæ deducta est ad forum contentiosum. Verba Concilij sunt sess. 24. can. 6. *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare, & in quibuscumque casibus occultis etiam sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi suâ per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absoluere: impositâ pœnitentiâ salutari.*

Hæc autem concessio à multis difficultatibus expedit Confessarios, quibus inuoluebantur ante dictum Concilium; quapropter congregatio Cardinalium declarauit hanc concessionem esse pro solis veris Episcopis, non pro aliis, qui habent iurisdictionem quasi Episcopalem, vt habent aliqui Abbates exempti, nonnulláque Capitula. Tantùmque vigere debere in iis regionibus in quibus receptum est Concilium Tridentinum. Vt scilicet qui sentit onus, sentiat & commodum. Nihilominùs hac facultate vtuntur Episcopi Galliæ eorumque Pœnitentiarij, tum quòd non existiment, se ligare omnibus declarationibus prædictæ Congregationis. Tum quia fauores ampliandi & odia restringenda. Tum quòd omnes Episcopi, quantùm in se fuit, receperint Concil. Trident. pluraque eius decreta renouarint in Conciliis suis Prouincialibus quæ celebrata sunt in Galliâ post Tridentinum, vt videre est in nostrâ Summâ Conciliorum. Et potest Concilium quoad vnam partem recipi non quoad alteram. Innuit Thomas Sanchez *in summa l. 1. c. 11. num. 3.* extenditur autem hæc facultas ad Episcopos electos & confirmatos licet nondùm consecratos. Item ad Archiepiscopos in Diœcesibus suffraganeorum tempore visitationis, in qua hæ Diœceses sunt illis tanquam propriæ. Item ad Capitulum sede vacante, id est deputatis ab eo. Etiam circa regulares exemptos, ne sint deterioris conditionis & nociua illis sint priuilegia. Etiam extra actum confessionis,

in eo quod ſpectat ad cenſuras & irregularitates, quia quod ſpectat ad forum conſcientiæ, non eſt neceſſe quod tractetur in confeſſione. Tantúmque ſignificat hæc clauſula quod non valeat hæc abſolutio pro foro externo. Quia autem in Bulla Cœnæ non fit mentio reuocationis huius decreti; probabiliſſimum multi putant, nihil huic per illam derogari. Legendus Sanchez loco citato & Diana *p. 7. tract. 2.* Pro Pœnitentiariis autem eorum facit, quòd Epiſcopi non recipiunt hanc poteſtatem tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, ſed vt Ordinarium eam ſibi reſumunt, & ſublatâ reſeruatione ad ſolum Summum Pontificem, per quam eis ablata erat, in eam veluti, reſtituuntur, vt proindè eam delegare poſſint.

De Homicidio voluntario. §. 23.

Cæterùm non leue dubium eſt quid intelligi debeat per homicidium voluntarium ex quo orta irregularitas, non niſi per Summum Pontificem diſpenſatur. Intellige homicidium directè intentum, & quòd ſit peccatum mortale. Vndè homicidium caſuale non hîc comprehenditur, quia non eſt propriè voluntarium. Quare & iudicatum eſt illum non contraxiſſe irregularitatem, ſaltem ab Epiſcopo indiſpenſabilem, qui vt terrorem incuteret puero cuidam prædilecto, ſcoplerum arripuit arbitratus non eſſe in eo puluerem tormentarium, quod cùm ante puerum obieciſſet, quaſi vellet occidere, de facto occidit. Homicidium etiam quod fit ad vitæ propriæ tutelam, & ſi nonnihil ſit immoderata, non comprehenditur ſimiliter ſub homicidio ex quo naſcitur irregularitas indiſpenſabilis ab Epiſcopo, quia non eſt propriè voluntarium, occiſor enim vult tantùm & intendit ſalutem propriam, non mortem occiſi, niſi per accidens. Verum eſt quidem, ſi occiſio ſit peccaminoſa mortaliter, incurrere irregularitatem, ſed talem de qua diſpenſare poſſit Epiſcopus. Quod etiam dicendum eſt de eo qui vacans rei licitæ vel illicitæ, periculoſæ, tamen, & in qua erat metus homicidij, occidit caſu, non adhibitâ ſufficienti diligentiâ ad præcauendum homicidium; ſi negligentia mortalis eſt, incurrit verè irregularitatem, ſed de qua diſpenſabit Epiſcopus. An verò poſſit Epiſcopus de irregularitate diſpenſare ex homicidio inculpabili orta in condemnando reum ad mortem ratione officij, an reſeruetur Summo Pontifici, infrà dicetur.

Cæterùm irregularis ſecretus ob homicidium, dum ſequitur ſcandalum vel iactura dignitatis, ſi abſtineat ab vſu ordinis, non tenetur abſtinere, quia leges humanæ cum tantâ iacturâ non obligant; celebrare ergo poterit tantiſper, quamdiu

obtinuerit

obtinuerit absolutionem vel dispensationem à Summo Pontifice. Tenet Corradus *responsorum* parte 1. quæsito 355.

De occulto Crimine. §. 24.

Dubitatur verò quodnam debeat dici occultum crimen ex quo nata irregularitas dispensationi Ordinarij subiicitur.

Lucius tertius *in Epistola* ad Magistrum & Fratres Sancti Iacobi, quæ habetur in Appendice Concilij Lateranensi 3. *tom. 7. Conciliorum*, ita dicit, aliud crimen est notorium, aliud occultum: Notorium definitur, *de quo Presbyter canonicè condemnatur*; Occultum quod adhuc ab Ecclesiâ toleratur. Sine dubitatione, itaquè teneatis quod à Clericis & Presbyteris, quamdiu ab Ecclesiâ tolerantur, nec est crimen euidens, licitè audiuntur diuina officia & alia recipiuntut diuina Sacramenta. Hæc resolutio innumeras eluit difficultates de notorio facti. Sicut etiam quod nonnullis probatur, vt occultum censeatur quod etsi alibi notum sit, non facile tamen notitia eius peruentura est ad locum alium, ad quem se contulit irregularis.

Ad id accedit, quod glossa ad c. ex tenore *de temporibus ordinationum*, tribus modis notorium crimen fieri docet, si sit publicum per operis euidentiam, vel per iudicis sententiam, vel per spontaneam in iudicio confessionem. Et docet Chapeauilla, occultum dici tribus modis, 1. quod non est naturâ suâ probabile. 2. quod probabile est, sed probari non potest, quia nemo notitiam illius habet. 3. quod probari quidem potest, sed difficulter, quia pauci eius notitiam habent, nec in forum contentiosum deductum est, aut orta aliqua famâ: occultum primo modo non subiicitur Ecclesiæ, sed solius Dei, qui est cordium scrutator. Occultum secundo & tertiò modo si sit reseruatum summo Pontifici, virtute Concilij Tridentini permittitur iurisdictioni Episcoporum in foro conscientiæ, vt illud absoluat, vel per se, vel per vicarium, tollatque suspensionem vel irregularitatem ex talibus occultis prouenientem. Ita ille de *casibus reseruatis cap.* 22. *quæst.* 1. quod non aduertunt qui ortâ modicâ difficultate de irregularitate Clericos Romam mittunt cum magnis sumptibus. Eadem est mens Nauarri in *manuali cap.* 27. *num.* 235. qui legi deberet à doctis, cum de his difficultatibus eorum consilium petitur, vt non tam ex scrupulo & consuetudine, quàm ex scientiâ & æquitate diiudicarent inter occultum & notorium; putant enim plures occultum non esse, quod quouis modo probari potest, & multa sic substrahunt iurisdictioni, & potestati R. Episcoporum, non sine damno & iniuriâ proximi, qu

inde non necessaria patitur incommoda, quem sufficeret in notoriis non dispensare ad obuiandum scandalo, ob quod Papæ quædam reseruata sunt.

De foro contentioso §. 25.

Dubitatur etiam de irregularitate orta ex iis quæ deducta sunt ad forum contentiosum. Intelligendum verò est Episcopum non posse dispensare, quandiu viget accusatio & litis prosequutio: Nam si terminatum sit iudicium & reus satisfecit pœnam delicti luens aut sustinens, poterit per Episcopum dispensari. Nam intentum Concilij fuit seruare iudicum authoritatem; quæ tota & integra est, vbi reus pœnam sustinuit. Idem dicendum est si quis fuerat ob vera crimina accusatus, falsis mediis & testibus absolutionem consequutus est. Idem etiam dicendum erit, si lis incœpta relinquatur, ab accusatoribus & denuntiatoribus, vt iudicetur rationabiliter terminata, & numquam ampliùs renouanda: tunc enim non ampliùs censetur ad forum contentiosum deducta, sed obliuioni data & obliterata ex iudicum memoriâ. Vnde & requiritur vt elapsum sit aliquod tempus notabile ab vltimo actu contentioso, resque sit in tali statu, vt attentis circumstantiis iudicetur finita penitùs.

Dices: qui condemnatus est, infamiâ laborat, estque ideò irregularis absoluendus à Summo Pontifice. Respondetur, infamiam facti ortam ex malâ vitâ & notoriis criminibus tolli posse per pœnitentiam, & morum conuersionem, quæ talis sit, vt iudicetur omninò emendatus qui antea habebatur infamis. Nec opus est dispensatione Episcopi; res enim dissoluitur per easdem causas per quas nascitur. Infamiam autem iuris duplicem esse Ciuilis & Canonici: illa tollitur per principem, hæc per Summum Pontificem, vbi crimen quod induxit infamiam, & propter quod reus condemnatus est, vel quod Confessus est iuridicè, reseruatur Summo Pontifici, vt homicidium Presbyteri, vel à Presbytero commissum. Si autem delictum absolui possit ab Episcopo, indirectè & accessoriè absoluendo à delicto, poterit & ab irregularitate infamiæ iuris ex tali delicto prouenientis absoluere. Vnde & Sacerdos qui ob fornicationem, Officialis sententiâ, è curâ Pastorali eiectus est, potest ab Episcopo liberari ab irregularitate quam contraxit propter infamiam iuris, quia potest Episcopus absoluere à fornicatione. Secùs dicendum esset, si ob occisionem Presbyteri, talis Sacerdos esset condemnatus, vel ob aliquod delictum Summo Pontifici reseruatum. Quod notandum est pro solutione multarum difficultatum.

De

De irregularitate ex defectu lenitatis. §. 26.

Irregularitas ex defectu lenitatis contrahitur per iudices, aut alios cum iis concurrentes ad sententiam mortis ferendam contra aliquem. Patet ex c. *quæsitum* 23.q. 4. & in c. *sæpe*, & c. *his quibus* 23.q.8. Ideò autem inducta est hæc irregularitas ex defectu lenitatis, quia quamuis iustum sit & meritorium damnare reos ad mortem, qui tamen his iudiciis sanguinis se immiscent, apti non sunt satis ad repræsentandam Christi summam benignitatem, quæ debet elucere in iis qui ad ordines promouentur, vnde Ecclesia eos voluit habere irregulares & incapaces ordinum, etiamsi non peccauerint. Vt discant ex hinc Sacerdotes, quam benè eos deceat inter cæteros mortales virtus clementiæ & benignitatis circa omnes & in omnibus.

Dispensatio irregularitatum ex defectu. §. 27.

12. *Assertio.* Potest etiam Episcopus dispensare in multis irregularitatibus quæ ex defectu aliquo proueniunt. Nam in irregularitate orta ex defectu natalium, potest dispensare ad minores ordines recipiendos, & ad habendum beneficium simplex sine cura animarum, & quod non sit dignitas in Ecclesiâ, c.1.& 2. *De filiis Presbyterorum.* Cæterùm expositus de quo dubium tantum est, an sit illegitimus, non tenetur se reputare illegitimum, poteritque ordinari; si autem illegitimus bonâ fide ordinatus sit, posteà verò sciat se illegitimum, non poterit absque dispensatione ad alios ordines ascendere. Putat tamen Nauarrus cons. 3. *de ætate & qualitate ordinandorum*, posse Episcopum dispensare cum eo, vt exerceat actum ordinis quem bonâ fide suscepit. Illegitimus autem qui eo tempore natus est, in quo pater & mater cōtrahere Matrimonium legitimè poterant, fit legitimus per subsequens Matrimonium inter patrem & matrem, nec eget dispensatione.

In irregularitate orta ex defectu corporis magis iudex & arbiter est Episcopus, quam dispensator, proinde ad eum spectat deformitatem examinare & æquum ferre iudicium; non censetur autem multis irregularis, qui ita claudicat, vt possit sine baculo ad altare accedere & celebrare: possunt tamen tam deformes esse in illo contorsiones vt procul ab ordinibus arcendus esset: nec esset irregularis qui ob defensionem fidei membro aliquo careret, modò exercere actum ordinis posset; præmium enim potiùs meretur ab Ecclesia, quàm pœnam. *De claudo.*

In irregularitate ex defectu ætatis proueniente non dispensat Episcopus. Attamen si ordinatus ante ætatem actum ordinis ante dictam ætatem exercuisset, vbi ætatem attigisset, dispēsari posset ab Episcopo, qui à solo Papa dispēsandus esset,

nequeant. Vnde debet irregularitas esse expressa per aliquem canonem, in quo reperiri & legi possit. Si autem dubium sit apud peritos, an extet talis canon, cum homo possideat suam libertatem & melior sit conditio possidentis, non est censendus irregularis. Si verò sit dubium facti, ita vt re benè expensâ dubitetur, an commissum fuerit illud propter quod incurritur irregulatitas, contrahit irregularitatem; sed in casu solius homicidij perpetrati, quia hic casus in iure expressus est, c. *Ad audientiam*, & c. *Significasti de homicidio*; non aliis. Quia homicidium valdè abhorret Ecclesia in Clericis propter magnam indecentiam quam habet. Vnde qui præbuit pharmacum ex quo sequitur aborsus, si dubium est, an fœtus esset animatus, vel non, debet sese habere irregularem. Quia dubium est de facto homicidij illiciti. Simile est iudicium de eo qui dubitat se occidisse in bello iniusto; nam si iustum est, non incurret irregularitatem, quod intelligendum est de Laïcis.

Effectus irregularitatis circa beneficia. §. 18.

Irregularitas licèt occulta, facit hominem incapacem beneficij. Consequenter irregularis inualidè recipit beneficij collationem, nec illud potest retinere nisi obtentâ dispensatione irregularitatis curauerit beneficium sibi de nouo conferri ab eo qui potest illud conferre. Bonacina *de irregularitate disp. 7. quæst. 1. puncto 4. 2. propositione.* Post Auilam, Lessium, Couarruuiam, Suarem. Quamuis Syluester verbo *excommunicatio*, Filliucius & alij censeant collationem validam esse, sed impetrandam esse dispensationem. Porrò Auila, *de Censuris 2. parte cap. 6. disp. 5.* Vbi probauit excommunicatum incapacem esse beneficij, subiungit. Vltimò nota ea quæ dicta sunt de collatione vel electione factâ excommunicato, etiam habere locum si fiat suspenso, interdicto, vel irregulari. Ita Nauar. *cap. 25. numero 135.* & est textus c. *cum inter de electione.* c. *postulastis*, & c. *de Clerico excommunicato ministrante.* Vbi aduertendum est c. illud *cum inter*, tantùm loqui de epileptico. & c. *postulastis.* Tantùm loquitur de iis qui vinculo excommunicationis sunt innodati, nullâ factâ mentione de irregularibus. Vnde ex his capitibus non rectè probatur irregularem esse beneficij incapacem. Quare magis probabilis remanet opinio Syluestri & Filliucij, aliorumque existimantem collationem beneficij factam irregulati validam esse. Quod maximè habere locum debet, si fiat collatio à summo Pontifice, qui in ipsa collatione absoluit ad effectum ab excommunicatione & irregularitate. Quamuis quid operentur

operentur ista verba absolutionis, amplius inquiri possit. Quod verò dicunt impetrandam esse dispensationem, neque id necessarium esse videtur, nisi quantum necesse esset ad functiones alicuius ordinis obeundas, siquidem irregularitas ex iure Ecclesiastico à Concilio generali, aut à summo Pontifice statuta, per quæ solùm induci potest, priuat tantùm vsu ordinum susceptorum & facultate suscipiendi alios ordines nondum susceptos: in pœnis autem nulla extensio facienda est. Quare nec priuatur beneficiis anteà obtentis, nec eorum fructibus, nec ab aliis acquirendis præpeditur. Ita Vrbanus ab ascensione. *Theolog Moral. part.* 1. *cap.* 57. Debet tamen procurare intra annum dispensari se de irregularitate, vt non excidat à beneficiis illis & ne non faciat amplius fructus suos.

De irregularitate orta ex Bigamia §. 19.

10. *Assertio.* Bigamus. 1. qui contraxit binas nuptias, est irregularis, tit. de *bigamis* per totum: & ratio est, quia non potest aptè significare vnionem Christi cum vnicâ Ecclesiâ, nec aptus est ad efficaciter persuadendam castitatem, cùm incontinentis speciem præ se ferat.

Notandum est autem, triplicem esse bigamiam: veram, interpretatiuam, & similitudinariam.

Bigamia vera est quando aliquis duas vxores successiuè duxit, matrimoniumque cum eis consummauit, ita vt matrimonium fuerit validum cum vtraque.

Bigamia interpretatiua est cùm aliquis viduam, vel corruptam per alium in vxorem duxit, consummauitque cum ea: Vel cum duo matrimonia iniit, quorum vnum fuit inualidum; vel cùm duxit virginem quæ adulterata est postquam à marito cognita fuit. Ratio est, quia in his omnibus deest significatio Sacramenti.

Bigamia similitudinaria est, cùm quis post votum solemne castitatis per quod copulatur Christo spiritualiter, contrahit cum aliqua matrimonium & consummat. Censetur enim quodammodo bis contrahere matrimonium,

Porrò in Bigamiâ verâ, & interpretatiuâ solus Papa dispensat pro receptione maiorum ordinum, eorúmque vsu. At in similitudinariâ etiam Episcopus.

De irregularitate orta ex bello. §. 20.

Qui dat consilium belli, non est irregularis, quia est causa remota occisionis, non propinqua.

Similiter Clerici qui pugnantes adhortantur in bello seu offensiuo, seu defensiuo, ad oppressorum defensionem, atque

ad

ad inimicorum Dei impugnationem, non incurrunt irregularitatem, id iure canonico statuente 23. qu. 8. cap. *quicumque*. Si laïcus prælio interfuit in quo plures occisi sunt, credit verò ipse neminem se occidisse, nec si tantùm vulnerauerit, irregularis non est, potestque probabiliter sustineri non fore irregularem quando occidisset, modò constet bellum esse iustum. Quia ex hypothesi tunc non peccasset mortaliter. In contrariâ sententiâ est de Graffis 2. *p. dec. aurearum cap.* 4. Item non est irregularis vulnus infligens quod per se mortale non est, etsi ex imperitiâ medici mors sequatur, aut quia vulnerati non habetur cura.

Qui interfuit cum pluribus aliis homicidio, quod tamen non perpetrauit nec consueuit, non est irregularis, modò illi se defenderent, Extra *de Clerico percussore*, c. *præsentium* & c. *continentia*. Si autem aggrediendo alios aliter censendum. Videndum quoque si defensio iusta vel iniusta, & culpa præcesserit ad occisionem mortui sufficienter ordinata. Gaufrius ad eundem titulum *in synopi duntalium*.

De irregularitate orta ex hæresi. §.21.

Communis sententia est propter hæresim incurri irregularitatem, quam Suarez non vult amoueri posse, nisi dispenset Summus Pontifex, vt qui fuit hæreticus, ordines postea possit suscipere, *de censuris disp*. 43. *sect*. 1. probat irregularitatem ex capite *saluberrimum* 1. *qu*. 7. Sed aduertendum est, hoc caput loqui tantum de Clericis qui fiunt hæretici: quare ex verbis huius capitis probari non potest laïcos qui fiunt hæretici, si resipiscant postea, esse irregulares, vt non possint ordines suscipere sine dispensatione. Idem est de capite *nos consuetudinem dist*. 12.

Alij probant ex cap. *statutum* in sexto de *hæreticis*, sed sextus decretalium non facit ius in Galliâ, nec librum illum audent citare aduocati in curiis Parlamentorum, quia non admittitur. Sed & caput istud videtur loqui de filiis hæreticorum condemnatorum, sicut aduertit Lessius in 3. partem D. Thomæ *de irregular. cap*. 7. *dubio* 1. Itaque filius hæretici non erit irregularis, nisi natus sit ex parte, eo tempore quo erat hæreticus, & pater fuerit condemnatus de hæresi, vel saltem in Iudicio conuictus.

Inde collige Clericos, qui transeunt ad castra hæreticorum, si postea ad gremium Ecclesiæ redeant, non posse ordines suscipere nouos, sine dispensatione quam vult debere dari à Summo Pontifice. Suarez loco citato, nisi fuisset hæresis occulta, quia tunc Episcopus posset dispensare, sicut in hæresi mani-

manifestâ dispensare potest, vt susceptis ordinibus vtatur.

Collige rursus quid censendum sit de laïco hæretico, si velit ad ordines promoueri, si conuertatur ad Ecclesiam, desieritque esse Neophytus. Nihil enim ius contra illum decernit.

Episcopi potestas ad dispensandum de irregularitatibus.

§. 22.

11. *Assertio*. Ex concessione Concilij Tridentini potest Episcopus dispensare in omni irregularitate ex delicto occulto proueniente, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, & quæ deducta est ad forum contentiosum. Verba Concilij sunt sess. 24. can. 6. *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare, & in quibuscumque casibus occultis etiam sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi suâ per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absoluere: impositâ pœnitentiâ salutari.*

Hæc autem concessio à multis difficultatibus expedit Confessarios, quibus inuoluebantur ante dictum Concilium; quapropter congregatio Cardinalium declarauit hanc concessionem esse pro solis veris Episcopis, non pro aliis, qui habent iurisdictionem quasi Episcopalem, vt habent aliqui Abbates exempti, nonnullâque Capitula. Tantùmque vigere debere in iis regionibus in quibus receptum est Concilium Tridentinum. Vt scilicet qui sentit onus, sentiat & commodum. Nihilominùs hac facultate vtuntur Episcopi Galliæ eorumque Pœnitentiarij, tum quòd non existiment, se ligare omnibus declarationibus prædictæ Congregationis. Tum quia fauores ampliandi & odia restringenda. Tum quòd omnes Episcopi, quantùm in se fuit, receperint Concil. Trident. pluraque eius decreta renouarint in Conciliis suis Prouincialibus quæ celebrata sunt in Galliâ post Tridentinum, vt videre est in nostrâ Summâ Conciliorum. Et potest Concilium quoad vnam partem recipi non quoad alteram. Innuit Thomas Sanchez *in summa l. 1. c. 11. num. 3.* extenditur autem hæc facultas ad Episcopos electos & confirmatos licet nondùm consecratos. Item ad Archiepiscopos in Diœcesibus suffraganeorum tempore visitationis, in qua hæ Diœceses sunt illis tanquam propriæ. Item ad Capitulum sede vacante, id est deputatis ab eo. Etiam circa regulares exemptos, ne sint deterioris conditionis & nociua illis sint priuilegia. Etiam extra actum confessionis,

in eo quod spectat ad censuras & irregularitates, quia quod spectat ad forum conscientiæ, non est necesse quod tractetur in confessione. Tantúmque significat hæc clausula quod non valeat hæc absolutio pro foro externo. Quia autem in Bullâ Cœnæ non fit mentio reuocationis huius decreti; probabilissimum multi putant, nihil huic per illam derogari. Legendus Sanchez loco citato & Diana *p. 7. tract. 2.* Pro Pœnitentiariis autem eorum facit, quòd Episcopi non recipiunt hanc potestatem tanquam Sedis Apostolicæ delegati, sed vt Ordinariam eam sibi resumunt, & sublatâ reseruatione ad solum Summum Pontificem, per quam eis ablata erat, in eam veluti, restituuntur, vt proindè eam delegare possint.

De Homicidio voluntario. §. 23.

Cæterùm non leue dubium est quid intelligi debeat per homicidium voluntarium ex quo orta irregularitas, non nisi per Summum Pontificem dispensatur. Intellige homicidium directè intentum, & quòd sit peccatum mortale. Vndè homicidium casuale non hîc comprehenditur, quia non est propriè voluntarium. Quare & iudicatum est illum non contraxisse irregularitatem, saltem ab Episcopo indispensabilem, qui vt terrorem incuteret puero cuidam prædilecto, scopletum arripuit arbitratus non esse in eo puluerem tormentarium, quod cùm ante puerum obiecisset, quasi vellet occidere, de facto occidit. Homicidium etiam quod fit ad vitæ propriæ tutelam, & si nonnihil sit immoderata, non comprehenditur similiter sub homicidio ex quo nascitur irregularitas indispensabilis ab Episcopo, quia non est propriè voluntarium, occisor enim vult tantùm & intendit salutem propriam, non mortem occisi, nisi per accidens. Verum est quidem, si occisio sit peccaminosa mortaliter, incurrere irregularitatem, sed talem de qua dispensare possit Episcopus. Quod etiam dicendum est de eo qui vacans rei licitæ vel illicitæ, periculosæ, tamen, & in qua erat metus homicidij, occidit casu, non adhibitâ sufficienti diligentiâ ad præcauendum homicidium; si negligentia mortalis est, incurrit verè irregularitatem, sed de qua dispensabit Episcopus. An verò possit Episcopus de irregularitate dispensare ex homicidio inculpabili orta in condemnando reum ad mortem ratione officij, an reseruetur Summo Pontifici, infrà dicetur.

Cæterùm irregularis secretus ob homicidium, dum sequitur scandalum vel iactura dignitatis, si abstineat ab vsu ordinis, non tenetur abstinere, quia leges humanæ cum tantâ iacturâ non obligant; celebrare ergo poterit tantisper, quamdiu obtinuerit

obtinuerit absolutionem vel dispensationem à Summo Pontifice. Tenet Corradus *responsorum* parte 1. quæsito 355.

De occulto Crimine. §. 24.

Dubitarur verò quodnam debeat dici occultum crimen ex quo nata irregularitas dispensationi Ordinarij subiicitur.

Lucius tertius *in Epistola* ad Magistrum & Frarres Sancti Iacobi, quæ habetur in Appendice Concilij Lateranensi 3. *tom.7. Conciliorum*, ita dicit, aliud crimen est notorium, aliud occultum: Notorium definitur, *de quo Presbyter canonicè condemnatur*; Occultum quod adhuc ab Ecclesiâ toleratur. Sine dubitatione, itaquè teneatis quod à Clericis & Presbyteris, quamdiu ab Ecclesiâ tolerantur, nec est crimen euidens, licitè audiuntur diuina officia & alia recipiuntur diuina Sacramenta. Hæc resolutio innumeras eluit difficultates de notorio facti. Sicut etiam quod nonnullis probatur, vt occultum censeatur quod etsi alibi notum sit, non facile tamen notitia eius peruentura est ad locum alium, ad quem se contulit irregularis.

Ad id accedit, quod glossa ad c. ex tenore *de temporibus ordinationum*, tribus modis notorium crimen fieri docet, si sit publicum per operis euidentiam, vel per iudicis sententiam, vel per spontaneam in iudicio confessionem. Et docet Chapeauilla, occultum dici tribus modis, 1. quod non est naturâ suâ probabile. 2. quod probabile est, sed probari non potest, quia nemo notitiam illius habet. 3. quod probari quidem potest, sed difficulter, quia pauci eius notitiam habent, nec in forum contentiosum deductum est, aut orta aliquâ famâ: occultum primo modo non subiicitur Ecclesiæ, sed solius Dei, qui est cordium scrutator. Occultum secundo & tertio modo si sit reseruatum summo Pontifici, virtute Concilij Tridentini permittitur iurisdictioni Episcoporum in foro conscientiæ, vt illud absoluat, vel per se, vel per vicarium, tollatque suspensionem vel irregularitatem ex talibus occultis prouenientem. Ita ille de *casibus reseruatis cap. 22. quæst. 1.* quod non aduertunt qui ortâ modicâ difficultate de irregularitate Clericos Romam mittunt cum magnis sumptibus. Eadem est mens Nauarri in *manuali cap. 27. num. 235.* qui legi deberet à doctis, cum de his difficultatibus eorum consilium petitur, vt non tam ex scrupulo & consuetudine, quàm ex scientiâ & æquitate diiudicarent inter occultum & notorium; putant enim plures occultum non esse, quod quouis modo probari potest, & multa sic substrahunt iurisdictioni, & potestati R. Episcoporum, non sine damno & iniuriâ proximi, qui

inde non necessaria patitur incommoda, quem sufficeret in notoriis non dispensare ad obuiandum scandalo, ob quod Papæ quædam reseruata sunt.

De foro contentioso §. 25.

Dubitatur etiam de irregularitate orta ex iis quæ deducta sunt ad forum contentiosum. Intelligendum verò est Episcopum non posse dispensare, quandiu viget accusatio & litis prosequutio: Nam si terminatum sit iudicium & reus satisfecit pœnam delicti luens aut sustinens, poterit per Episcopum dispensari. Nam intentum Concilij fuit seruare iudicum authoritatem; quæ tota & integra est, vbi reus pœnam sustinuit. Idem dicendum est si quis fuerat ob vera crimina accusatus, falsis mediis & testibus absolutionem consequutus est. Idem etiam dicendum erit, si lis incœpta relinquatur, ab accusatoribus & denuntiatoribus, vt iudicetur rationabiliter terminata, & numquam ampliùs renouanda: tunc enim non ampliùs censetur ad forum contentiosum deducta, sed obliuioni data & obliterata ex iudicum memoriâ. Vnde & requiritur vt elapsum sit aliquod tempus notabile ab vltimo actu contentioso, resque sit in tali statu, vt attentis circumstantiis iudicetur finita penitùs.

Dices: qui condemnatus est, infamiâ laborat, estque ideò irregularis absoluendus à Summo Pontifice. Respondetur, infamiam facti ortam ex malâ vitâ & notoriis criminibus tolli posse per pœnitentiam, & morum conuersionem, quæ talis sit vt iudicetur omninò emendatus qui antea habebatur infamis. Nec opus est dispensatione Episcopi; res enim dissoluitur per easdem causas per quas nascitur. Infamiam autem iuris duplicem esse Ciuilis & Canonici: illa tollitur per principem, hæc per Summum Pontificem, vbi crimen quod induxit infamiam, & propter quod reus condemnatus est, vel quod Confessus est iuridicè, reseruatur Summo Pontifici, vt homicidium Presbyteri, vel à Presbytero commissum. Si autem delictum absolui possit ab Episcopo, indirectè & accessoriè absoluendo à delicto, poterit & ab irregularitate infamiæ iuris ex tali delicto prouenientis absoluere. Vnde & Sacerdos qui ob fornicationem, Officialis sententiâ, è curâ Pastorali eiectus est, potest ab Episcopo liberari ab irregularitate quam contraxit propter infamiam iuris, quia potest Episcopus absoluere à fornicatione. Secùs dicendum esset, si ob occisionem Presbyteri, talis Sacerdos esset condemnatus, vel ob aliquod delictum Summo Pontifici reseruatum. Quod notandum est pro solutione multarum difficultatum.

De

De irregularitate ex defectu lenitatis. §. 26.

Irregularitas ex defectu lenitatis contrahitur per iudices, aut alios cum iis concurrentes ad sententiam mortis ferendam contra aliquem. Patet ex c. *quæsitum* 23.q. 4. & in c. *sæpe*, & c. *his quibus*. 23.q.8. Ideò autem inducta est hæc irregularitas ex defectu lenitatis, quia quamuis iustum sit & meritorium damnare reos ad mortem, qui tamen his iudiciis sanguinis se immiscent, apti non sunt satis ad repræsentandam Christi summam benignitatem, quæ debet elucere in iis qui ad ordines promouentur, vnde Ecclesia eos voluit habere irregulares & incapaces ordinum, etiamsi non peccauerint. Vt discant ex hinc Sacerdotes, quam benè eos deceat inter cæteros mortales virtus clementiæ & benignitatis circa omnes & in omnibus.

Dispensatio irregularitatum ex defectu. §. 27.

12. *Assertio.* Potest etiam Episcopus dispensare in multis irregularitatibus quæ ex defectu aliquo proueniunt. Nam in irregularitate orta ex defectu natalium, potest dispensare ad minores ordines recipiendos, & ad habendum beneficium simplex sine cura animarum, & quod non sit dignitas in Ecclesiâ, c.1.& 2. *De filiis Presbyterorum.* Cæterùm expositus de quo dubium tantum est, an sit illegitimus, non tenetur se reputare illegitimum, poteritque ordinari; si autem illegitimus bonâ fide ordinatus sit, posteà verò sciat se illegitimum, non poterit absque dispensatione ad alios ordines ascendere. Putat tamen Nauarrus cons. 3. *de ætate & qualitate ordinandorum*, posse Episcopum dispensare cum eo, vt exerceat actum ordinis quem bonâ fide suscepit. Illegitimus autem qui eo tempore natus est, in quo pater & mater cõtrahere Matrimonium legitimè poterant, fit legitimus per subsequens Matrimonium inter patrem & matrem, nec eget dispensatione,

In irregularitate orta ex defectu corporis magis iudex & arbiter est Episcopus, quam dispensator, proinde ad eum spectat deformitatem examinare & æquum ferre iudicium; non censetur autem multis irregularis, qui ita claudicat, vt possit sine baculo ad altare accedere & celebrare: possunt tamen tam deformes esse in illo contorsiones vt procul ab ordinibus arcendus esset: nec esset irregularis qui ob defensionem fidei membro aliquo careret, modò exercere actum ordinis posset; præmium enim potiùs meretur ab Ecclesia, quàm pœnam. *De claudo.*

In irregularitate ex defectu ætatis proueniente non dispensat Episcopus. Attamen si ordinatus ante ætatem actum ordinis ante dictam ætatem exercuisset, vbi ætatem attigisset, dispẽsari posset ab Episcopo, qui à solo Papa dispẽsandus esset,

vt ante dictam ætatem exerceret. Si non exercuisset actum ordinis ante dictam ætatem, cessaret ex se irregularitas aduentu ætatis requisitæ ad ordinem.

Dictum est de irregularitate orta ex defectu Sacramenti propter bigamiam. De ea quæ oritur ex defectu scientiæ, obiter tantùm hîc aduertimus, nequidem summun Pontificem dispensare posse cum omninò illiterato,quia est contra ius naturæ aliquem promoueri ad ordinem, ad quem est incapax, & cuius muniis defungi non potest. Vnde & Concilium Toletanum VIII. sub Martino anno 691. sic statuit. *Solus ergo accedat ad sacra Mysteria Dei tractanda quem morum innocentia & litterarum splendor reddit illustrem.*

De irregularitate orta ex defectu lenitatis in iudicibus & ministris iustitiæ dispensare solet summus Pontifex. Refert tamen Emanuel Sa verbo *irregularitas*, aliquos existimare posse Episcopum cum iis dispensare,quamuis praxis sit contraria & repugnet vsus,& sane in eadem opinione Barbosa de *officio & potestate Episcopi*, allegat. 39. post Didacum Couarruviam in clement. *si furiosus* parte 1. numer. 7. in fine. Nauarrum *in Manuali* capite 27. & alibi. Viualdum, Medinam, Maiolum, Bannez, & alios, quos laudat. Alij verò in maiori numero ad Summun Pontificem recurrendum esse censent: quorum opinio in praxi tutior est maximè in iis qui beneficia possident, aut ad ea prætendunt. Huius rei dat rationem Bonacina *de irregular. disp. 7. q. 5.* puncto vltimo propositione 1. Nam Tridentinum concedit Episcopis facultatem dispensandi in irregularitate proueniente ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario: sed irregularitas ex defectu lenitatis non prouenit ex delicto,sed ex homicidio iusto volito: Ergo eius dispensatio non est concessa Episcopis, ex vi eius facultatis quam habent ad dispensandum in omni irregularitate ex delicto occulto proueniente, cum exceptione illius quæ prouenit ex homicidio voluntario, quod intelligitur esse peccaminosum & in numero delictorum.

De impedimento canonico depositionis. §. 28.

Depositio est impedimentum canonicum quo per sententiam iudicis persona Ecclesiastica priuatur vniuersaliter ab omni officio & beneficio Ecclesiastico in perpetuum, absque spe restitutionis, retento tamen priuilegio clericali.

Depositio imponitur propter adulterium, stuprum virginis, concubinatum diu continuatum & notorium etiam post monitiones, debetque fieri per Episcopum aut eius Vicarium generalem in spiritualibus. *Concil. Trident. sess. 13. de Reform. c. 4.*

§. 4. Depositus retinet priuilegium Clericale,& qui eum percutit suadente diabolo, incurrit excommunicationem. Teneturque etiam Clericaliter viuere. Si verò depositus maneat incorrigibilis perseuerando in prioribus delictis, aut similia, vel grauiora admittendo, perdit priuilegium Clericale, & subditus manet Iudici sæculari, à quo iudicari potest sicut laïcus.

De Degradatione. §. 29.

Degradatio est impedimentum Canonicum, quo vir Ecclesiasticus, post sententiam depositionis propter aliquod crimen atrox, & scandalosum, priuatur actualiter & cum solemnitate vniuersaliter ab omni officio & beneficio Ecclesiastico,& ab omni priuilegio clericali in perpetuum, sine spe restitutionis.

Vndè degradatio est veluti exequutio depositionis quæ tantùm ex se est verbalis & per verba: at degradatio fit per actum aliquem solemnem & publicum in præsentiâ iudicis sæcularis, & plurium Episcoporum, vel si desint, Abbatum qui iure mitræ potiuntur, si sint in vrbe, vel iis deficientibus in præsentia venerabilium personarum in aliqua dignitate constitutarum; vt permittit Conc. Trident. loco cit. in quo actu degradandi, manûs partes inunctæ vitro vel cultello leuiter abraduntur, & abstrahuntur illi sigillatim sacra vestimenta & instrumenta quibus ordinatus fuerat, additâ certâ verborum formâ increpatoriâ & asperâ. Postquam solemnitatem factam ab Episcopo degradatus tradi solet iudici sæculari, nec manet ampliùs de foro Ecclesiæ, quæ eum exauthorauit & à se abdicauit, nullumque amplius dominium super eum retinet, sicut super clericos. Vndè non fictè, sed verè intercedit pro eo ad iudicem sæcularem, in cuius præsentia fit ea degradatio, vt moderetur pœnas & citrà mortem & mutilationem.

Non tamen propter ea degradatus amittit characterem qui est indelebilis, nec potestatem Ordinis ad validè consecrandum. Et per solum Papam restitui potest & reintegrari. Quamuis autem cautum sit Ecclesiasticis & politicis legibus ne clerici ac in sacris ordinibus constituti propter crimina morte plecterentur, nisi præmissâ degradatione; attamen propter controuersias quæ quotidiè nouæ & maiores exoriuntur inter vtrumque forum ciuile & Ecclesiasticum, ferè desinit vsus degradationis actualis in Gallia, Episcopis exigentibus, vt prius cognoscant de crimine clerici ad mortem damnati, & iudicibus sæcularibus contra obstantibus, quasi tergiuersarentur

Episcopi & iustam sceleratorum clericorum punitionem vellent eludere, cùm longe alia sit eorum mens.

Solemnitas degradationis. §. 30.

Modus autem seu solemnitas degradationis explicatur à Bonifacio VIII. de pœnis in sexto cap. 2. Actualis verò, inquit, siue solemnis cœlestis militiæ militis.i.clerici degradatio (cum ad eam fuerit procedendum) fiet vt exauctorisatio eius qui militiæ deseruit armatæ, cui militaria detrahuntur insignia: sicque à militia remotus castris reiicitur, priuatus consortio & priuilegio clericali. Clericus igitur degradandus vestibus sacris indutus: in manibus habens librum, vas vel aliud instrumentum seu ornamentum ad ordinem suum spectans, ac si deberet in officio suo solemniter ministrare, ad Episcopi præsentiam adducatur: cui Episcopus publicè singula, siue sint vestes, calix, liber, seu quæuis alia quæ iuxta morem ordinandorum clericorum in sua ordinatione ab Episcopo fuerint tradita seu collata, singulariter auferat: ab illo vestimento seu ornamento quod datum vel traditum fuerat vltimò inchoando:& descendendo gradatim degradationem continuet, vsque ad primam vestem quæ datur in collatione tonsuræ, tuncque radatur caput illius seu tondeatur, ne tonsuræ seu clericatûs vestigium remaneat in eodem. Poterit autem Episcopus in degradatione huiusmodi vti verbis aliquibus ad terrorem illis oppositis, quæ in collatione ordinum sunt prolata. Dicendo Presbytero hæc vel similia verba in remotione planetæ. *Auferimus tibi vestem sacerdotalem & te honore sacerdotali priuamus:* sicque in remotione reliquorum insignium. Similibus verbis vtens in ablatione vltimi, quod in collatione ordinum fuit primum infra scripto vel alio simili modo dicat. *Auctoritate Dei omnipotentis Patris & Filij & Spiritus Sancti, ac nostrâ tibi auferimus habitum clericalem & deponimus, degradamus, spoliamus & exuimus te omni ordinis beneficio & priuilegio clericali.* Hæc enucleatiùs continentur in Pontificali Romano, parte 3.

Meditatio pia. Attendant ad ista Sacerdotes & meditentur in istis figuram quamdam exhiberi terrificæ illius & reformidandæ degradationis, quæ post examen actuum omnium humanorum, in conspectu creaturæ omnis, à supremo iudice Christo fiet in Christianis & sacerdotibus, qui appensi in statera minus habentes inuenti fuerint. Verè enim tunc degradabuntur, omnique dignitatis gradu deiicientur, ac in æternum omnibus ornamentis suis spoliabuntur, gloriâ, gratiâ, virtutibus omnibus, omni officio ac beneficio misericordiæ

diuinæ

diuinæ, vt ſic tradantur tortori animarum aduerſario dæmoni. Nec deerunt tunc verba horrenda. *Ite maledicti in ignem æternum.* O cenſura terribilis! ô excommunicatio verè metuenda! ô impedimentum ſempiternum! ô degradatio miſerrima, luctuoſiſſima, ac omnibus huius vitæ laboribus, afflictionibus, pœnitentiis, auſteritatibus, ieiuniis, meditationibus, abiectionibus, opprobriis, tormentis, orationibus, ac piis exercitiis redimenda.

Dum recenſetur Index & Summarium, ne ceſſarent operæ, has illis edendas dedimus Litanias ex D. Paulo exſcriptas, ac non ſine ſpirituali fructu quandoque recitandas ab ordinandis & ordinatis, à Pœnitentibus & Confeſſariis, à Prædicatoribus & aliis, vt repleantur ſpiritu & amore Domini noſtri Ieſu Christi, cuius nomen ait D. Bernardus ſerm. 15. in Cantica. Lucet prædicatum, paſcit recogitatum, inuocatum lenit & vngit. *De quo & ſubiungit.* Si ſcribas, non ſapit mihi niſi legero ibi Ieſum.

LITANIÆ PAVLINÆ *nominis Ieſu.*

IESV, qui factus es ex ſemine Dauid ſecundum carnem, *miſerere nobis.* *Rom.* 1.

Ieſu, qui prædeſtinatus es & *manifeſtatus* filius Dei ſecundum Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum. *miſerere nobis.*

Ieſu, cuius Euangelium virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti. *miſerere nobis.* *c.* 3.

Ieſu, per cuius fidem Iuſtitia Dei eſt in omnes & ſuper omnes qui credunt in te. *miſerere nobis.*

Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine *tuo* ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ. *miſerere nobis.* *c.* 4.

Ieſu, qui traditus es propter delicta noſtra, & qui reſurrexiſti propter iuſtificationem noſtram. *miſerere nobis.* *c.* 5.

Ieſu, per quem iuſtificati ex fide pacem habemus ad Deum. *miſerere nobis.*

Ieſu, per quem habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in quâ ſtamus & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei & in tribulationibus. *miſerere nobis,*

Iesu, qui cum adhuc infirmi essemus secundum tempus, pro impiis mortuus es, cum vix pro iusto quis moritur. *miserere nobis.*

Iesu, per quem salui erimus ab ira iustificati in sanguine tuo. *miserere nobis.*

Iesu, in cuius vitâ salui erimus reconciliati. *miserere nobis.*

Iesu, per cuius vnius gratiam, gratia Dei & donum in plures abundauit. *miserere nobis.*

Iesu, per cuius vnius iustitiam *gratia Dei peruenit* in omnes in iustificationem vitæ, sicut per vnius delictum, in omnes homines *peruenit mors* in condemnationem. *miserere.*

Iesu, Dominus noster per quem gratia regnat per iustitiam in
c. 6. vitâ æternâ. *miserere nobis.*

Iesu, in quo baptizati sumus *ad instar mortis tua* consepulti tecum per baptismum in mortem, vt quomodò surrexisti à mortuis per gloriam patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. *miserere nobis.*

Iesu, cum quo mortui *mundo & peccatis*, credimus quia simul etiam tecum viuemus. *miserere nobis.*

Iesu, qui resurgens à mortuis iam non moreris, cui mors vltra
c. 7. non dominabitur. *miserere nobis.*

Iesu, per quem infœlix homo gratiâ Dei liberabitur de corpo-
c. 8. re mortis huius. *miserere nobis.*

Iesu, in quo qui sunt, nihil habent damnationis, & non secundum carnem ambulant. *miserere nobis.*

Iesu, propter cuius spiritum habitantem in nobis Deus viuificabit mortalia corpora nostra. *miserere nobis.*

Iesu, cui quos Deus præsciuit *futuros beatos*, prædestinauit conformes fieri vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. *miserere nobis.*

Iesu, cui etsi proprio filio Deus non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit. *miserere nobis.*

Iesu, cum quo omnia nobis Deus donauit, qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. *miserere nobis.*

Iesu, à cuius charitate quid nos separabit? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persequutio, an
c. 9. gladius? *miserere nobis.*

Iesu, qui es super omnia Deus benedictus in secula. *miserere.*

Iesu, verbum consummans & abbreuians: quia verbum breuiatum fecit Dominus super terram, *exinaniens te vsque ad naturam humanam.* *miserere nobis.*

c. 10. Iesu, finis legis ad iustitiam omni credenti. *miserere nobis*

Iesu, qui prope es omnibus *per gratiam tuam*, vt non sis deducendus à cœlo, aut ab abyssis reuocandus, *vt auxilium praestes.* *miserere nobis.*

Iesu, quem si quis confitetur ore suo Dominum esse & in corde suo crediderit *fide formatâ* quod Deus suscitauit eum à mortuis, saluus erit. *miserere nobis.*

Iesu, qui es idem Dominus omnium diues in omnes qui inuocant te. *miserere nobis,*

Iesu, in quo multi vnum corpus sumus, singuli autem alter alterius membra. *miserere nobis.* *c. 12.*

Iesu, qui in hoc mortuus es & resurrexisti, vt viuorum & mortuorum Dominus esses. *miserere nobis.* *c. 14.*

Iesu, ante cuius tribunal omnes stabimus & cui omne genuflectetur. *miserere nobis.*

Iesu, cui vnusquisque nostrum pro se rationem reddet. *miser.*

Iesu, qui non tibi placuisti, sed super quem improperia improperantium ceciderunt. *miserere nobis.* *c. 15.*

Iesu, qui minister fuisti circumcisionis, *Iudæis Dei verbum & gratiam administrans.* *miserere nobis.*

Iesu, cuius crucis verbum pereuntibus stultitia est, iis autem qui salui fiunt, Dei virtus. *miserere nobis.* *1. Cor. c. 1.*

Iesu, qui crucifixus Iudæis es scandalum, gentibus stultitia, vocatis Dei virtus & sapientia. *miserere nobis.*

Iesu, qui factus es nobis sapientia & iustitia & sanctificatio & redemptio. *miserere nobis.*

Iesu, quem solum crucifixum se scire gloriabatur Apostolus. *miserere nobis.* *c. 2.*

Iesu, qui es sapientia in mysterio quæ abscondita est quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram. *misere.*

Iesu, sapientia quam nemo principium huius seculi cognouit, quam si cognouissent nunquam te Dominum gloriæ crucifixissent. *miserere nobis.*

Iesu, qui es fundamentum præter quod aliud nemo potest ponere. *miserere nobis.* *c. 3.*

Iesu, super quo si quis super ædificet aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, illius opus manifestum erit in die iudicij. *miserere nobis.*

Iesu, cuius sumus, & qui Dei es. *miserere nobis.*

Iesu, qui venturus es & illuminabis abscondita tenebrarum & manifestabis consilia cordium. *miserere nobis.* *c. 4.*

Iesu, qui es Pascha nostrum & agnus noster Paschalis immolatus pro nobis. *miserere nobis.* *c. 5.*

Iesu, cuius membra sunt corpora nostra. *miserere nobis.*

Iesu,

c. 6. Iesu,qui vnus es Dominus noster per quem omnia & per quem nos sumus. *miserere nobis.*

c. 7. Iesu,qui mortuus es propter infirmum pereuntem. *miserere*

c. 8. Iesu,qui es Petra *spiritualis* ex qua fluxerunt aquæ in deserto in figuram sanguinis & aquæ ex latere tuo defluentis. *mis.*

Iesu,cuius sanguinis communicatio est Calix benedictionis cui Sacerdotes benedicunt,& cuius corporis participatio est panis quem frangunt. *miserere nobis*

Iesu,cuius Calicem bibere & Calicem dæmoniorum non possumus & cuius mensæ ac mensæ dæmoniorum participes esse non possumus. *miserere nobis.*

Iesu,qui es caput omnis viri,& cuius caput est Deus. *mis.*

c. 11. Iesu,qui in aqua nocte tradebaris, accepisti panem & gratias agens fregisti & dixisti, accipite & manducate hoc est corpus meum. *miserere nobis.*

c. 15. Iesu,cui nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema. *mis.*

Iesu,qui surrexisti à mortuis primitiæ dormientium. *misere.*

Iesu,in quo omnes viuificabuntur sicut in Adam omnes moriuntur. *miserere nobis.*

Iesu,qui cum tradideris Deo & patri regnum & *Ecclesiam electorum*,finis erit. *miserere nobis.*

Iesu, sub cuius pedibus Deus omnia subiecit, *miserere nobis.*

Iesu,qui es nouissimus Adam in spiritum viuificantem *ad dandam nobis vitam.* *miserere nobis.*

Iesu,qui es secundus homo de cœlo cœlestis,sicut erat primus homo de terra terrenus. *miserere nobis.*

2. Cor. 1. Iesu,per quem dedit nobis Deus victoriam. *miserere.*

Iesu,cuius Pater Deus est benedictus Pater misericordiarum & Deus totius consolationis. *miserere nobis.*

Iesu, per quem abundat consolatio nostra sicut & abundant in nobis possiones tuæ. *miserere nobis.*

Iesu,per quem Deus nos facit triumphare. *miserere nobis.*

Iesu, qui es imago Dei. *miserere nobis.*

Iesu, cuius mortificationem in corpore suo circumferebat Apostolus, vt vita tua & resurrectio manifestaretur. *miserere nobis.*

Iesu, ante cuius tribunal omnes non manifestari oportet, vt referat vnusquisque propria corporis provt gessit, siue bonum siue malum. *miserere nobis.*

Iesu, qui pro omnibus mortuus es, vt qui viuunt iam non sibi viuant,sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.*miserere.*

Iesu,in quo si quis noua est creatura, *per vtia conuersionem,* vetera transierunt & facta sunt omnia noua. *miserere nobis.*

Iesu,

Iesu, in quo Deus erat mundum reconcilians sibi. *miserere nobis.*

Iesu, qui cum non noueras peccatum factus es pro nobis *expiatrix victima* pro peccato. *miserere nobis.*

Iesu, cui nulla conuentio ad Belial. *miserere nobis.* *c. 6.*

Iesu, qui propter *nos* egenus factus es cum esses diues, vt tua inopia diuites *essemus.* *miserere nobis.* *c. 8.*

Iesu, per mansuetudinem & modestiam *quâ pollebas. miserere.*

Iesu, qui crucifixus ex infirmitate, viuis ex virtute Dei. *miserere nobis.*

Iesu, qui dedisti temetipsum pro peccatis nostris vt eriperes de præsenti sæculo nequam secundum voluntatem Dei. *mis.* *ad Galat. 1.*

Iesu, cuius serui non sunt, qui adhuc hominibus placent. *miserere nobis.*

Iesu, Filij Dei, qui dilexit me & tradidit semetipsum propter me, in cuius fide viuo. *miserere nobis.*

Iesu, qui ante insensatorum oculos proscriptus & crucifixus *repræsentaris.* *miserere nobis.* *c. 3.*

Iesu, mediator. *miserere nobis.*

Iesu, qui redemisti nos de maledicto legis factus pro nobis maledictum *& portans peccata nostra.* *miserere nobis.*

Iesu, qui factus es ex muliere & factus sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeres vt adoptionem filiorum reciperemus. *miserere nobis.* *c. 4.*

Iesu, cuius Spiritum misit Deus in corda *hominum* clamantem Abba Pater. *miserere nobis.*

Iesu, in quo neque circumcisio, neque præputium aliquid valet, sed fides quæ per charitatem operatur. *miserere nobis.* *c. 5.*

Iesu, Christe, cuius qui sunt *serui* carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. *miserere nobis.*

Iesu, cuius lex adimpletur altero alterius onera portante. *miserere nobis.*

Iesu, in cuius cruce solùm gloriantur serui tui, per quem illis mundus crucifixus est, & illi mundo. *miserere nobis.* *c. 6.*

Iesu, in quo benedixit nos Deus omni benedictione spirituali in cœlestibus. *miserere nobis.* *Ad Eph. c. 1.*

Iesu, per quem elegit nos Deus ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. *miserere nobis.*

Iesu, per quem Deus, *vt confidimus*, prædestinauit nos in adoptionem filiorum secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ. *miserere nobis.*

Iesu, in quo Deus nos gratificauit; & in quo habemus per sanguinem

sanguinem remissionem peccatorum. *miserere nobis.*
Iesu, per quem Deus proposuit omnia instaurare, quæ in cœlis & quæ in terra sunt. *miserere nobis.*
Iesu, quem pater constituit ad dexteram suam in cœlestibus: supra omnem principatum & potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. *miserere nobis.*
Iesu, quem Deus dedit caput supra omnem Ecclesiam. *misere.*
c. 2. Iesu, per quem *in spe* Deus nos conresuscitauit & concedere fecit in cœlestibus, vt ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ super nos. *miserere.*
Iesu, qui es pax nostra, qui facis vtraque vnum, *dum in te idem est Deus & homo.* *miserere nobis.*
Iesu, qui veniens Euangelisasti pacem iis, qui longe & iis qui prope. *miserere nobis.*
Iesu, per quem ambo *populi Iudæi & Gentiles* habemus accessum in vno spiritu ad patrem. *miserere nobis.*
Iesu, qui es summus lapis angularis, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum Sanctum in Domino. *misere.*
c. 3. Iesu, in quo habemus fiduciam & accessum in confidentiá per fidem. *miserere nobis.*
Iesu, ad cuius Patrem flectimus genua, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terrâ nominatur. *miserere nobis.*
c. 4. Iesu, qui ascendens in altum captiuam duxisti captiuitatem & dedisti bona hominibus, *miserere nobis.*
Iesu, qui ascendisti quia & descendisti primum in inferiores partes terræ, *miserere nobis.*
Iesu, qui dedisti in Ecclesia quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij ad ædificationem corporis *Ecclesiæ, misere.*
Iesu, qui dilexisti nos & tradidisti temetipsum pro nobis oblationem & Hostiam Deo in odorem suauitatis, *miserere.*
c. 5. Iesu, qui dilexisti Ecclesiam & tradidisti temetipsum pro ea, vt illam sanctificares, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberes tibi eam gloriosam non habentem maculam. *miserere nobis.*
ad Philip. c. 1. Iesu, ad quem adipiscendum mori lucrum est. *miserere nobis.*
Iesu, qui cum in forma Dei esses, non rapinam arbitratus es
c. 2. esse te æqualem Deo, sed temetipsum exinaniuisti in similitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo. *miserere nobis.*
Iesu, qui humiliasti temetipsum factus obediens vsque ad mortem

mortem autem crucis. *miserere nobis.*

Iesu, quem Deus exaltauit & cui dedit nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum. *miserere nobis.*

Iesu, propter cuius eminentem scientiam Paulus omnia arbitrabatur vt stercora, vt te lucrificaret. *miserere nobis.* c. 3.

Iesu, quem è cœlis saluatorem expectamus qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. *miserere nobis.*

Iesu, fili dilectionis Patris, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum. *miserere nobis.* *Ad Colos.* c. 1.

Iesu, qui es imago Dei inuisibilis primogenitus omnis creaturæ. *miserere nobis.*

Iesu, in quo condita sunt in terris & in terra visibilia & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes. *miserere nobis.*

Iesu, qui es ante omnia & in quo omnia constant, qui es caput corporis Ecclesiæ, principium & primogenitus ex mortuis. *miserere nobis.*

Iesu, qui es primatum tenens & in quo *Patri* complacuit omnem plenitudinem inhabitare & per eum reconciliare omnia. *miserere nobis.*

Iesu, pacificans per sanguinem crucis, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. *miserere nobis.*

Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. *miserere nobis.* c. 2.

Iesu, in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. *miserere nobis.*

Iesu, qui expolians principatus & potestates traduxisti confidenter palam triumphans illos in temetipso. *miserere nobis.*

Iesu, qui es in dextera Dei sedens. *miserere nobis.* c. 3.

Iesu, cum quo vita iustorum abscondita est in Deo, & cum quo apparebunt in gloria, cum tu vita eorum apparueris. *misere.*

Iesu, qui nos eripuisti ab ira venturâ. *miserere nobis.* 1. *Ad Thessal.* c. 2.

Iesu, qui in iussu & voce Archangeli & tuba Dei descendes de cœlo, ad iudicium. *miserere nobis.*

Iesu, cui descendenti ad iudicium plures sancti rapientur in nubibus obuiam in aëra. *miserere nobis.*

Iesu, qui cum Angelis virtutis tuæ in flammâ ignis dabis vindictam iis qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio. *miserere nobis.*

Iesu, à cuius facie & gloria virtutis pœnas dabunt in interitu æternas *impij* cum veneris glorificari in sanctis tuis & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. *miserere nobis.* 2. *ad Thessal.* c. 1

Iesu,

Iesu, qui iniquum *Antichristum* interficies spiritu oris tui & destrues illustratione aduentus tui. *miserere nobis.*

1. ad Timot. 1. Iesu, qui venisti in hunc mundum peccatores saluos facere. *miserere nobis*

Iesu, qui es vnus Deus, vnus mediator Dei. *miserere nobis.*

c. 2. Iesu, qui dedisti redemptionem temetipsum pro omnibus. *miserere nobis.*

c. 3. Iesu, qui es magnum pietatis Sacramentum, manifestatum, in carne, iustificatum in spiritu, quod apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo & assumptum est in gloria. *miserere nobis.*

c. 4. Iesu, qui es Deus viuus, saluator omnium maximè fidelium. *miserere nobis.*

2. ad Timot. 1. Iesu, saluator noster qui destruxisti mortem & illuminasti vitam & incorruptionem per Euangelium. *miserere nobis*

c. 3. Iesu, in quo omnes qui volunt piè viuere persequutionem patientur. *miserere nobis.*

Iesu, qui iudicaturus es viuos & mortuos. *miserere nobis.*

c. 4. Iesu, Deus saluator noster cuius gratia apparuit omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem & sæcularia desideria sobriè & iustè & piè viuamus in hoc sæculo. *miserere nobis*

ad Titũ c. c. Iesu, qui dedisti temetipsum pro nobis vt nos redimeres ab omni iniquitate, & mundares tibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum. *miserere nobis.*

ad Hebr. 1. Iesu, quem constituit Deus hæredem vniuersorum per quem fecit & sæcula. *miserere nobis.*

Iesu, qui es splendor gloriæ *Patris* & figura substantiæ eius portans omnia verbo virtutis tuæ, purgationem peccatorum faciens, sedens ad dexteram maiestatis in excelsis. *miserere nobis.*

Iesu, qui tanto melior Angelis effectus es quanto differentius præ illis nomen hæreditasti, *miserere nobis.*

Iesu, de quo dictum est ad Angelos Dei, vt adorent te. *miserere nobis.*

Iesu, qui dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propter quod vnxit te Deus oleo exultationis præ participibus tuis, *miserere nobis.*

Iesu, cuius thronus est in sæculum sæculi, & cuius manuum cœli sunt opera, *miserere nobis.*

Iesu qui propter passionem mortis gloriâ & honore coronatus es. *miserere nobis.*

Iesu, qui non confunderis *miseros homines* vocare fratres. *mis.*

Iesu,

Iesu, qui es Apostolus & Pontifex Confessionis nostræ, qui Deo fidelis es qui præfecit te. *miserere nobis.*

Iesu, qui amplioris gloriæ præ Moyse dignus es habitus: quantò ampliorem honorem habet domus qui fabricauit illam *miserere nobis.*

Iesu, qui es sermo Dei viuus & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti & discretor cogitationum & intentionum cordis. *miserere nobis.*

Iesu, cuius in conspectu nulla creatura inuisibilis est & cuius oculis omnia aperta sunt, ad quem nobis sermo, *& reddenda ratio operum in iudicio.* *miserere nobis.*

Iesu, Fili Dei, Pontifex magne qui penetrasti cœlos. *misere.*

Iesu, qui potens es compati infirmitatibus nostris, & tentatus es per omnia pro similitudine *& in exemplum nostrum*, absque peccato. *miserere nobis.*

Iesu, Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. *miserere nobis.*

Iesu, qni in diebus carnis tuæ preces supplicationésque cum clamore valido & lachrymis offerens, auditus es pro tuâ reuerentiâ. *miserere nobis.*

Iesu, qui cum esses filius Dei, didicisti ex eis quæ passus es, obedientiam & consummatus *per crucis mortem* factus es omnibus obtemperantibus tibi causa salutis æternæ. *mis.*

Iesu, qui pærcursor pro nobis introisti in cœlum. *miserere nobis.* c. 6.

Iesu, qui melioris testamenti sponsor factus es. *miserere.* c. 7.

Iesu, sempiternum habens Sacerdotium, vnde & saluare in perpetuum potes accedentes per te ad Deum semper viuens ad interpellandum pro nobis. *miserere nobis.*

Iesu, qui es nobis Pontifex sanctus, innocens, impollutus segregatus à peccatoribus & excelsior cœlis factus. *miserere.*

Iesu, qui consedisti in dextra sedis magnitudinis in cœlis: Sanctorum minister & tabernaculi veri quod fixit Deus & non homo. *miserere nobis.* c. 8.

Iesu, qui *accedens in hunc mundum* Pontifex futurorum bonorum per tabernaculum tui corporis non factum, *sed in vtero Virginis effigiatum* per proprium sanguinem introisti semel in sanctâ æternâ redemptione inuentâ. *miserere.* c. 9.

Iesu, qui introisti in ipsum cœlum vt appareas nunc vultui Dei pro nobis. *miserere nobis.*

Iesu, qui semel oblatus es ad multorum exhaurienda peccata & secundò sine peccato *in secundo aduentu* apparebis omnibus expectanti bus te ad salutem. *miserere nobis.*

Iesu, qui ingrediens in hunc mundum dixisti, Ecce venio vt fa- c. 10.

ciam Deus voluntatem tuam. *miserere nobis.*

Iesu, de quo in capite libri scriptum est , vt faceres voluntatem Dei. *miserere nobis.*

Iesu, qui vnam pro peccatis offerens Hostiam , in sempiternum sedes in dextera Dei , de cætero expectans donec ponantur inimici tui scabellum pedum tuorum , *& vel inuiti te Dominum agnoscant.* *miserere nobis*

Iesu, qui vnâ oblatione *interiori tu in ipsius in vtero matris, in cruce, in cœlo eadem vbique , ac etiam in altari* consummasti in sempiternum sanctificatos. *miserere nobis.*

c. 12. Iesu, author fidei & consummator: qui proposito tibi gaudio, sustinuisti crucem , confusione contempta, atque in dexterâ Dei sedes. *miserere nobis.*

Iesu, qui talem sustinuisti aduersus temetipsum à peccatoribus contradictionem , vt non fatigemur animis nostris deficientes. *miserere nobis.*

Iesu, pro quo nondum ad sanguinem vsque restitimus aduersus peccatum repugnantes. *miserere nobis.*

Iesu, testamenti noui mediator , cuius adspersio sanguinis melius loquitur, quàm Abel *vindictam clamantis.* *miserere.*

Iesu, iudex omnium & spiritus iustorum perfectorum. *mis.*

c. 13. Iesu, Christe qui heri & hodie & ipse in sæcula. *miserere nobis.*

Iesu, qui vt sanctificares per tuum sanguinem populum extra portam passus es. *miserere nobis.*

Iesu, ad quem extra castra & *mundi conuersationem* exeamus improperium tuum portantes. *miserere nobis.*

Iesu , Deus noster quem Deus eduxit de mortuis Pastorem magnum ouium in sanguine testamenti æterni. *miserere.*

Iesu, Christe cui est gloria in sæcula sæculorum. *miserere.*

Agnus Dei , qui coram tondente obmutuisti in sacratissima passione , vt disceremus à te mites esse & humiles corde. *dona nobis pacem.*

Agnus Dei , qui te cruentum in arâ crucis obtulisti pro omnibus , vt tolleres peccata mundi. *Propitius esto.*

Agnus Dei , qui etiamnum manibus Sacerdotum te offers assiduè & in omni loco in sacrificium propitiatorium. *Libera nos ab ira tua in die iudicij & miserere nobis.*

ESTO IESVS , ESTO MEVS : ESTO DEVS, ESTO MEVS.

Ex

Ex Constitutione Innocentij Papæ X.

CVm occaſione impreſſionis libri, cui titulus, Auguſtinus, cornelij Ianſenij Epiſcopi Iprenſis, inter alias eius opiniones orta fuerit, præſertim in Galiis conrrouerſia ſuper quinque ex illis, complures Galliarum Epiſcopi apud nos inſtiterunt, vt eaſdem propoſitiones nobis oblatas expenderemus, ac de vnaquaque earum certam, & perſpicuam ferremus ſententiam, &c.

Primam prædictarum propoſitionum : *Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant* : Temerariam, impiam, blaſphemam, Anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Secundam : *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*: Hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Tertiam, *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione* : Hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Quartam: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare* : Falſam & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Quintam : *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*: Falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, *vt Chriſtus pro ſalute. dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit*, impiam, blaſphemam, contumelioſam, diuinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus, &c.

Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem ſuper prædictis quinque propoſitionibus factam, approbare vllatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelij Ianſenij. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicæ 1653. pridie Kalend. Iunij, Pontificatûs noſtri anno nono.

Porrò cum hanc conſtitutionem promulgaſſet ſummus Pontifex, non defuerunt quidam clerici qui propoſitio-

nes illas se quoque damnare profiterentur, sed alio planè sensu quàm qui à Iansenio traditus & explicatus est, ad quem propositiones illas pertinere nullatenus asserunt, hac arte restaurandis disputationibus ac rediuiuæ liti post latum iudicium prolixam sibi materiam parantes. Quare vt his incommodis præuerteretur & constitutioni sua authoritas constaret, Gallicanæ Ecclesiæ Episcopi Parisiis congregati num. 40. adhibito antea diligenti examine, declararunt propositiones illas & opiniones esse Cornelij Iansenij à sanctitate sua damnatas, disertis & manifestis verbis, in Epistola missa 28. Martij 1654. ad eundem Innocentium X. cui etiam respondit paucos post menses, se damnasse doctrinam Cornelij Iansenij in 5. propositionibus. Atque cùm hoc sufficere deberet ad faciendam fidem: Tamen infirmitati quorumdam compatientes, addimus quod sequitur.

PARALELVM QVINQVE PROPOsitionum damnatarum cum Doctrinâ Cornelij Iansenij Iprensis Episcopi in libro, cui nomen Augustinus.

1. Propositio luculenter adstruitur *l. 3. de gratia Christi saluatoris c. 13.* vbi probare nititur multis personarum generibus mandata esse impossibilia, concluditque his verbis. Hæc igitur omnia plenissimè planissimèque demonstrant, nihil esse in sancti Augustini doctrina certius ac fundatius, quàm esse præcepta quædam quæ hominibus non tantum infidelibus, excæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque & iustis volentibus, conantibus secũdum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia: Deesse quoque gratiam qua possibilia fiant. Hoc sancti Petri exemplo, aliisque multis quotidie manifestum esse, qui tentantur vltra quod possint sustinere.

2. Propositionis doctrina non minus euidens est, dum explicato discrimine illo, quod fere fundamentum est principale cui innituntur eius dogmata, adiutorij *sine quoque* in statu naturæ integræ & adiutorij *quo in* statu naturæ lapsæ, sic habet *l. 2. de gratia Christi saluat, cap. 4.* gratia verò lapsæ ægrotæque voluntatis nullo modo in eius relinquatur arbitrio, vt eam deserat aut arripiat si voluerit, sed ipsa sit potius illa postrema gratia quæ inuictissimè facit vt velit & à voluntate non deseratur.

Ibid. cap. 25. His igitur & huiusmodi crebris locutionibus affirmatiuis

affirmatiuis , ſicut ſignificat Auguſtinus hoc ipſo quo data eſt homini gratia mox effectum ſequi : ſic è contrario negatiuè ſubinde ratiocinando docet hoc ipſo quod effectu homo deſtituitur , nullam ei gratiam collatam eſſe,ſed ſolo Pelagianæ gratiæ adiutorio , hoc eſt lege doctrinaque ad operationis præceptæ iuſtitiam niti.

Quod idem docet , nullam aliam gratiam Chriſti admittens præter efficacem,vt infra patebit.

3. Propoſitionem docet , qui nullam aliam libertatem admittit in ſtatu naturæ lapſæ , niſi libertatem à coactione , & nihilominus cum tali libertate bona ac mala merita aſſerit. Sic *l. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap.* 18. meminiſſe lectorem velim nos in ſuperioribus per multa capita doctrinam S. Aug. velut certam indubitatamque propoſuiſſe, quæ docebat naturam humanam peccato primi hominis ita violatam eſſe & arbitrium voluntatis , ſub terrenarum rerum cupiditate depreſſum , vt libertas ad faciendum bonum & ad abſtinendum à malo interierit & loco libertatis peccandi neceſſitas conſecuta ſit,&c.ita homo hic & nunc in ſingulis actibus quadam humanis viribus inſolubili neceſſitate teneatur.

Item,l.3.de gratia c. ſaluat. c. 19.Hinc nulla gratiæ efficacia, nulla neceſſitas actibus noſtris liberis formidanda eſt , ſed ſola vis coactionis & violentiæ.

4. Propoſitio his ſententiis continetur. *lib.8.in titulo c. 6.de hæreſi Pelagiana* , tertiò gratia generalis Maſſilienſium eſt actualis interna & ſufficiens ad credendum , non ad operandum latè ex principiis Auguſtini & Maſſilienſium adſtruitur. Item *cap. 7. eiuſdem libri.* Gennadius tamen Maſſilienſis item Presbyter de ſemi-Pelagianorum factione non minimus , accuratiùs nobis explicuit quo pacto Dei adiutorium ad ipſam fidem ac bonam voluntatem admitterent.

Item *l. 2. de gratia cap. ſaluat. c.* 15. tertio hoc falſum eſſe demonſtratur ex duplici errore Maſſilienſium , quorum vterque rem iſtam planiſſimam facit.Prior erat quod initium fidei orationem gemitus ac deſideria & huiuſmodi , ex nobis hoc eſt , ex libero arbitrio proſilire cenſerent & tamen gratiam etiam actualem in eorum opinione fuiſſe ad iſtos actus neceſſariam, cuius influxus in eorum libero relinqueretur arbitrio, & hoc eos apertiſſimè docuiſſe iam ſupra latè patefecimus.

Item *in paralelo natâ* 37. progrediuntur vlteriùs recentiores ad excogitandam talem gratiam , quæ & iſti vniuerſalitatis diuinæ voluntatis & conditioni quam inuoluit,hoc eſt humanæ voluntatis libertati attemperata ſit, vt cum ea videlicet

agat vel non agat si voluerit, non autem potenter flectatur vt agat. Vtrumque à Massilientibus illius gratiæ Architectis didicere.

5. Propositionis doctrina haud obscure exhibetur l. 3. *de gratia Christi saluatoris c. 21.* sed aliud argumentum pro gratiâ sufficienti omnium proferri solet, quia Christus est redemptor omnium, iuxta illud 1. ad Timoth. 2. c. *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*, &c. Respondetur & hoc argumentum sicut omnia præcedentia iam olim ad nauseam vsque ad Pelagianos præsertimque Massilienses inculcatum fuit, vt mirum sit recentiores tanto studio trita hæreticorum arma colligere & obsoleta reludere. Quin potius nihil mirum si ad idem scopum collimantes, eodem eadem via peruenire contendunt. Tum in progressu istius capitis solutionem illam magis approbat. Hinc genuinius veriusque respondemus Christum dici se dedisse redemptionem pro omnibus, hoc est pro vniuersa sua Ecclesia toto orbe dispersa: nec in vniuersi Augustini operibus, ni fallor, locus est vbi doceat Christum pro peccatis infidelium in infidelitate permanentium esse propitiationem vel pro illis se dedisse redemptionem, &c.

Qui attribuit semi-Pelagianis qui iidem sunt, ac Massilienses, tanquam errorem quod Christus pro omnibus mortuus sit, & istud principium negat, quid aliud dicit, quàm semi-Pelagianorum errorem fuisse Christum pro omnibus omnino mortuum aut sanguinem fudisse. Dicunt non esse in terminis: at quid verbis opus est, vbi sensus inest. Dixit D. Aug. in l. quæst. super Exod. q. 43. *quando dico Deus est æternus, non dico duas istas syllabas esse æternas, sed id quod significant.*

Index

Index contentorum in Examine Ordinandorum & Confessariorum.

P 4

p. 53. &
P 4

DE

DE TERTIO EXAMINE PRINCIPALI POENITENTIVM, PER CONFESSARIVM.

PRÆFATIO.

CVLPAS Medicorum in curandis ægritudinibus corporis, obruit terra, in qua corpora sepeliuntur: errata autem Confessariorum in excipiendis Confessionibus pœnitentium, silentij sigillum magna ex parte obtegit nunc apud homines, quæ quondam in magno Iudicij die, reuelanda sunt coram omnibus gentibus, cum magna ipsorum ignominiâ,& confusione,à qua Deus nos per suam immensam misericordiam liberare dignetur.

Dum autem horum erratorum quæ plura sunt quàm dici, aut scribi possint, radicem apud me diligentiùs perpendo, non vna dumtaxat, sed plures animo meo occurrunt causæ tantorum malorum: inter quas maximè insignis est, ignorantia artis ea solum examinandi quæ examinanda, & exquirenda sunt,abscissis cæteris quæ non sunt necessaria.

Etenim duplici claui ad aperiendum regnum cœlorum, donatum esse Sacerdotem,iam diximus in examine Presbyterorum,claui scilicet scientiæ, & claui potestatis. Hâc quâ sententiam ferat super Pœnitentem, quæ iusta sit, absoluendo scilicet, si ad gratiam absolutionis paratus sit; sin minus

differendo ad aliquot dies absolutionem, donec paratior redeat, vel reiiciendo pœnitùs, si in eo obex ad gratiam recipiendam reperiatur: illâ vero quâ antequam ferat iudicium, statum Pœnitentis cognoscat, sufficienti disquisitione peccatorum, & earum quę illa comitantur, pręcedunt, aut sequuntur circumstantiarum, in quantum necesse erit. *Iudicantem* quippe, vt habetur 30. qu. 5 *Oportet cuncta rimari, & ordinem eorum plena inquisitione discutere.* Quare si deesset officio iudex qui absque informatione, & sufficienti causæ cognitione, sententiam ferret de vita, & morte hominum, multò magis certè Confessarius, qui nulla de statu pœnitentium præcedente notitia, de morte, vel eorum vita æterna pronuntiaret.

Quod acutissimè expendens Doctor subtilis in *quartum librum Sent. Dist. decima nonâ, q. vnicâ,* Congruum asserit, datam fuisse Ecclesiæ clauim scientiæ, si data fuerit clauis potestatis, cuius veram etiam explicationem contra Magistrum sententiarum à quo minùs aptè intellectam putabat, in medium profert. Qui habet, inquit, auctoritatem diffinitiuè sententiandi in causâ: habet auctoritatem cognoscendi in causâ illa, nisi alicui committeretur, quod sine causæ cognitione sententiaret in causâ ad suum libitum; quæ commissio non videtur alicui rationabiliter facienda, qui posset in sententiando errare, cuiusmodi est omnis viator. Deus ergo rectè committens Ecclesiæ authoritatem primam, quæ dicitur clauis potestatis, commisit etiam illi secundam quæ dicitur clauis scientiæ, & in collatione primæ clauis quæ habetur *Ioan.* 20. intelligitur etiam collatio istius secundæ, tanquam pręuiæ, quantum ad vsum, vsui illius primæ. Nec est ista clauis scientiæ aliqua scientia actualis, vel discretio quæcumque, sicut magister videtur dicere dist. ista cap. 1. *Multi*, inquit, *indiscreti qui ante sacerdotium, nec post, scientiam habent discernendi, ideoque illam clauem in consecratione non recipiunt: qui verò ante sacerdotium scientiâ discernendi sunt præditi, & ante habita discretio augetur, & fit eis clauis, vt iam ea vti valeant ad claudendum vel aperiendum.* Ista inquam scientia actualis vel habitualis non est clauis ista, sed auctoritas cognoscendi, etsi requirat scientiam vel discretionem concomitantem rectum vsum eius: quemadmodum requirit clauis potestatis aliquam iustitiam ad rectum vsum eius.

Quæ quidem verba etsi prolixiora hîc inserere non pœnituit, quòd clauem illam scientiæ dilucidè satis explicent, quamuis in eo non placeat Scotus, quod opinionem. quam

tanquam

tanquam hæresim reputat D. Bonauentura in littera super eadem distinctione, Magistro affingat, qui in medio distinctionis eamdem interpretationem quam Scotus amplexus est, sibi placere asserit.

Sed Apage istas controuersias, cùm nobis sufficiat necessitatem disquisitionis & examinis præuij ante iustam absolutionem perspicere. Illo dirigitur Confessarius, ita vt palpebræ eius præcedant gressus illius, ne more cæci ambulet, qui cæcis ducatum præstet, nec iam in illum quadrare possit quod à rege Prophetâ dictum est. *Defecerunt scrutantes scrutinio.* Quia verè deficiunt Confessarij errantque à via veritatis & errare faciunt plurimos, dum deficiente arte examinis, errat in eis primum clauis scientiæ, & eâ errante, operatur iniustè clauis potestatis, absoluendo quos non oportet, & non absoluendo qui erant absoluendi.

Quid vero sentiendum sit de quibusdam Confessariis qui sine multa scientia in audiendis & reconciliandis pœnitentibus consenuerunt? an fauebit illis dictum Philosophi in Prologo Metaph. *Sed & expertos magis proficere videmus, sine experientia rationem habentibus.* Quam sententiam tractans Scotus lib. 1. quæstionum subtilissimarum *in Metaphysicam Aristotelis*, eam confirmat q. 5. hac ratione, quod peritus artifex certius cognoscit vniuersale, expertus autem certius singulare circa quod est operatio per se & ideo certius operatur, expertus quam artifex vnde sæpe accidit quod dicit Henricus de Gandauo, Rurales Doctores & prædicatores eorum quæ prædicant & docent frequenter ignorare rationes: sed tamen, inquit. *Quod lib.* 1. *q.* 35. Docent confidenter, quia sciunt ea quæ docent se à Magistris accepisse: quod idem dici posset de Confessariis respectu eorum quæ in sacro tribunali gerunt: verum vt modum sese habendi in diuersis casibus & circumstantiis dicant se à Magistris accepisse, eos certè debent sæpius legisse ac præceptorum provt ab iis traduntur meminisse, facile enim auditorum & lectorum subrepit obliuio. Sed & obseruandum est non mediocre discrimen esse inter expertum in arte corporali cuius effectus sensibus percipitur & expertum sine debita scientia in arte Pœnitentiali. Hic enim ex experimentis quid tantum proficiet cum operationis suæ effectum certò non agnoscat, nescit enim vtrum illi pœnitentes verè conualuerint & iusti sint coram Deo ex suis medicinis: ideò certiùs agere nõ potest post multum temp' in audiendis confessionibus impẽsũ: & qua ratione incert' erat vtrùm rectè egerit primo anno, eadẽ ratione incertus manebit in vigesimo anno:

no:idcircò multum metuere debẽt qui sine debita & sufficienti scientia eumdem modum seruant quo vident satisfieri pœnitentibus : etsi forsitan Deo non satisfiat : nec tali experimento debent ita confidere in respectu ad Deum, cui an satisfecerint numquam in præsenti vita experiuntur. Quamuis igitur experientiam diuturnam valde vtilem ad multa existimem: si tamẽ illa solidæ scientiæ ac veræ Theologiæ principiis destituta sit, non modicam perniciem aliquando afferet: vt è contra fructum maximum si cum debitâ scientiâ coniuncta fuerit, & confessarius expertus rationi semper innixus fuerit, qualem suppeditare possunt scripturæ sacræ; Concilia, determinationes Pontificum & solidæ Theologiæ Assertiones. Sed & ibidem Philosophus multis rationibus scientiam & artem præfert experientiæ.

Persequutio Ecclesiæ

Quare non absurdè Viualdus in *opere regali*, tract. de duodecim persequutionibus Ecclesiæ, asserit vndecimam persequutionem Ecclesiæ, quâ tribulatur ac valdè affligitur, esse per falsos atque idiotas Confessores & Prædicatores. Ista duo officia, inquit, si purè ac fideliter exerceantur, omne corpus Ecclesiæ lætitiâ inenarrabili fœcundant. Nec non Christianorum animis fructus dignos Pœnitentiæ germinare faciunt. Nam vitia & peccata quæ dissipant animas, soluunt, Virtutes, restaurant, Peccatores iustificant, Dæmones oppugnant, os inferni obstruunt, Angelos lætificant, Deum ad misericordiam prouocant, Portas Paradisi aperiunt. Ideò duplici præmio in æterna gloria remunerabuntur. Pro meritis quidem suis auream; pro acquisitione autem aliorum aureolam à Domino reportabunt. Sed si Confessores in officiis suis peruersè aut præposterè egerint, tunc nulla persequutio in totâ Ecclesiâ Dei acerbior. Nulla tamdem infœlicior. Hinc gestu peruerso ac motu incomposito corda infidelium molescere faciunt. Hinc ore vipereo & labiis iniquis animas feriunt. Hinc &c. & breuiter tam in publicis, quam in priuatis actionibus oues Christi vulnerant, cruentant, occidunt. Ideò nemo amplius in Ecclesiâ nocet, teste Gregorio, quam qui peruersè agens nomen vel ordinem sanctitatis tenet. Nam si diligentiùs inspexeris, profectò illa gratissima conscientiæ puritas, & cordis munditia ad quam principaliter tota Christiana Religio per veros Confessores ac Prædicatores, reintegratur, abraditur. Ex ignorantiâ quippe nec casus occurrentes discutere, nec difficultates diuinarum scripturarum explanare, nec peccatorum laqueos dissoluere sufficiunt, sed more impetitorum temerarias proferunt sententias, sicque

peccatrices

peccatrices animas in diuersoria mortis inducunt, ideò per os veritatis scriptum est. *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Hæc ille author, quibus non mediocriter terreri debent Confessarij & excitari vt redeant ad seipsos, seueroque examine scientiam suam excutiant, eamque pro virili adaugeant; cum ex ignorantia tot detrimenta prodeant in Ecclesiâ Dei.

Huic igitur malorum scaturigini plures apponere remedium conati sunt variorum tractatuum, librorum, summarum, imò & voluminum maiorum editione, quibus instrui possent Confessarij, qui lectionis & studiorum laborem non detrectarent. Quorum zelo cooperari cupientes ex nostrâ tenuitate præsens opusculum, cuius posuimus fundamenta in præcedentibus examinibus Ordinandorum & Confessariorum, adiungimus eo modo concinnatum ab aliquot mensibus, quo diuturnâ experientiâ iudicamus ad vtilitatem plurium magis profuturum. In eo incipimus tradere: (Nec enim illi vnquam vltimam manum à nobis imponendam existimamus) quid in genere & in particulari discutiendum sit in pœnitentibus, & id quidem non ad modum Summistarum plurimorum, qui innumeros texunt Catalogos culparum, nec quæ in eis dubia sunt, dissoluunt; sed sæpe ad modum Theologorum, qui ad radicem difficultatum attingunt, vt eas quantum patitur humana imbecillitas, ita aperiant, vt simul dissoluant, per vera Theologiæ principia.

Hoc autem vnum habui in mente vt veritatem solam inuestigarem, eámque vt certam in aliquibus difficultatibus, vt probabilem in aliis, & dubiam in aliis assererem, euitans quæ sibi aliqui proponunt pro scopo, scilicet vel nimium laxare, vel plus æquo astringere conscientias, ne fortè diffluant; quæ duo veritati aduersantur vt cum iis consistere nequeat. Quid autem horum duorum peius sit; docere scilicet strictiores opiniones vel laxiores, quia dubium, libet paulisper inquirere. Primum hoc præsupposito quod nomine opinionum non intelligantur hîc errores manifesti & hæreses, vt quod fornicatio non sit peccatum mortale, quod omnis motus concupiscentiæ sit peccatum & alia huiusmodi, quæ nullus Catholicorum Doctorum audeat propugnare, quæstio autem locum habere non potest cùm strictiores & laxiores sententiæ veræ sunt, quia cùm tunc malæ non sint, incongruum est quærere, quænam ex illis peior sit. Dicitur enim peius respectu alterius mali. Tantùm ergo mouetur quæstio cùm laxiores & strictiores sententiæ falsæ sunt, licet aliquâ verisimili ratione nitantur.

Opiniones laxiores & strictiores

Qua in quæstione opinabuntur plurimi, laxiores sententias peiores esse, ita vt si necesse esset à vero doctorem aberrare, longè satius esset, si aberraret docendo strictiores sententias, quàm laxiores. Primò enim qui strictiores docet sententias, plus videtur approximare viæ regni cœlorum; qualis à Christo Domino describitur Matth. 7. *Quàm arcta via est, quæ ducit ad vitam; & quàm pauci sunt qui inueniunt eam!* Deinde verò minùs incommodi afferunt, & plus securitatis sententiæ strictiores. Cohibent siquidem impetum naturæ & reprimunt sensus hominis, qui ad malum proni sunt, frænum imponunt concupiscentiis ne abripiantur ad desiderabilia quæque huius mundi, & abripiant animam in baratrum perditionis. Obligant hominem ad actus religionis, & pœnitentiæ peccatorum, quibus in hac vita nihil hominibus optabilius contingere potest: quid mali autèm inde, si in hac fragili ac momentanea vita, in lamentis perpetuis & in austeritatibus maximis vitam degant: cum hæc vita præsens nihil sit, aut momento stateræ leuior sit, si ad æternam comparetur? Laxior sententia plus habet incertitudinis, strictior plus securitatis. Quid autem prudentiæ conuenientius, quàm in rebus infiniti & æterni ponderis vitæ scilicet & mortis æternæ, dimittere incertum, & quod certius est amplecti? Sed & qui laxas sequitur sententias, videtur excusationes quærere in peccatis. Quod maximè abhorrebat Dauid Psal. 140. *ne declines cor meum in verba malitia ad excusandas excusationes in peccatis.* Adde istis verba Tostati Abulensis in opusc. *contra clericos concubinarios*: & licet aliqui Doctores videantur sentire oppositum, & timeo tamen, ne in finali iudicio, vbi de istis nulla erit dubitatio eis, qui blandas tenent ac blesas opiniones, dicatur eis, *Surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant*; quando nullum prorsus sibi, & nobis poterunt præstare remedium. Atque hæc ferè sunt quibus videri posset abeundum esse in viam strictiorum sententiarum, easque laxioribus præferendis.

Sed contrà alteri videbitur non esse tanti faciendam doctrinam, quæ adigit conscientias ad viam strictiorem. Primò enim non leuiter repugnare videtur spiritui legis Euangelicæ in quâ clamat Christus Dominus Matth. *Venite ad omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris; iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Cum è contra qui nonnisi seueriorem doctrinam probant, iugum Christi & legis Christianæ plurimis reddant intolerabile. Habent etiam hoc in-

commodi strictiores opiniones, quòd hominem pluribus corporis, & fortunæ bonis spolient, & animæ perpetuum metum incutiant, vt vix vnquam se officio suo satisfecisse gaudeat. Quid quòd sectatores opinionum illarum, superbi instar Pharisæi, contemnunt & iudicant cæteros vt à Deo reprobos & in viâ peccatorum ambulantes, quasi soli ipsi iusti essent, cæteri improbi, peruersi & omninò corrupti: cum è contra qui laxiores paulò sequuntur alios, non ita aspernentur, nec iudicent: sed potiùs extollunt, vt qui viam perfectionis sequuntur, & operibus supererogationis sese addicunt: & si quid in eis vituperant, ad summum, æstimant scrupulosos; quæ iniuria etiam pro laude nonnunquam accipi potest. Sed & si scrupuli ac vani metus inter miserias humanæ vitæ numerentur, non parum solatur animos anxios, dum audiunt aut legunt peccata non esse, vel non esse adeò grauia, de quibus metuebãt plurimum: idque vident non sine ratione ac authoritate sustineri. Adde doctrinam strictiorem à paucis admodum in praxim reduci, & interim reddere plurimorum conscientias erroneas, & occasionem esse consequenter peccatorum innumerorum, in eis qui moti authoritate Doctorum qui seueriores sũt, adhibent eis aliquam fidem; nec tamen eorum præcepta exequuntur, quantumuis peccare se autument. Cùm è contra qui laxiores docent sententias, facilè secundùm illas operantur ex bona fide & conscientia, quæ non mediocriter excusat à peccato formaliter, vt non imputentur coram Deo plurima opera, quia ex conscientia probabili peracta sunt. Denique mendacio nostro Deus non indiget, vt fræno strictiorum sententiarum, cùm à vero deuiant, continendæ sint in officio animæ.

Certè Ioannes Caramuel Doctor Louaniensis super regulam D. Benedicti in quam edidit commentarios num. 60. consultus quid sentiret de verbis istis à pio homine prolatis. *O Felix Ecclesia primitiua, quæ non laborat tot Doctorum sententiis?* Censet primo etiam statim post Apostolos, in primis Ecclesiæ sæculis doctissimos homines, qui tunc erant, debuisse philosophari ac ratiocinari, atque ideo probabilitatem sequi in iis quæ definita non erant à Spiritu sancto, vt si ageretur de aquâ miscendâ vino in calice, & de aliis controuersijs. Dicere autem inquit, quod probabiles opiniones sint morbi atque labores militantis Ecclesiæ, est error manifestus? sunt enim indices facilioris salutis, non inde Ecclesia infelix, quòd Doctores opinentur passim, sed & inde felicior quòd benigniùs & faciliùs suos possit ad lauream

empy

empyream promouere. Damnarentur plurimi quos sententiæ probabilitas saluat. Ergo & inde Ecclesia Catholica fœlicior, quod exuberet sanctissimis & doctissimis viris, qui introduxerunt benignas opiniones. Ad eumdem scopum tendit Ioannes Sanchius Doctor Hispanus *in Select. Disp.* 44. *nu.* 54. Vbi obsequium Ecclesiæ præstare existimat Doctorem opiniones releuantes docentem, & *num.* 70. satisfacit quærimoniis de multitudine opinionum moralium inter Doctores, notátque in hoc prouidentiam diuinam, cum ex illa varietate iugum Christi suauiter sustineatur, cui aliàs plerique rebelles se proderent. Imò cum Deus & homo sint quasi creditores, & ex eo quod respondeant Doctores peccatum ex tali opinione non enasci, nihil detrimenti Deo superoriatur, qui solum desiderat mandatum suum non infringi, quod fit operando iuxta vnam aut alteram opinionem probabilem: ex alia parte homini comparetur maxima vtilitas qui faciliùs operatur ex benigniori opinione; satius erit, inquit, & Deo iucundius homines excusabiles reddi quàm ei obnoxios constitui. Vnde Henriquez *in prœmio Summæ* aduertit differentiam inter Theologum & medicum, qui si vim morbi ignorat quamuis sine culpâ solet esse necis occasio: sed qui sapientum ac prudentum sententiæ probabili acquiescit, nullum patitur periculum conscientiæ: Deus enim ita nobis ignorantibus indulget, vt eam sententiam confirmet ad salutem, vt per medium spirituale sanet etiam vulnera quæ inculpabili ignorantiâ ignota sunt.

Nec dubium est, quin ignorantia multarum decisionum moralium nata ex contemptu Theologorum qui eas tractant & qui ab eis nunquam lecti sunt, aliquos impulerit ad infamandos casuistas cum eorum securiora præcepta primum audierunt. Solent quippe inexperti in aliquâ scientiâ ea quæ magis in eâ abstrusa vel mirari, vel non credere: sic enim vbi plures audierunt illa documenta moralia à se nunquam lecta aut audita, mirati sunt, humeros attollentes & ex deprauato affectu per odium præconceptum contra ipsos fidem eis non modò non accommodarunt, sed conuitiis variis infamarunt: at contrà, qui harum rerum lectioni aut aliàs dediti, vel assueti erant iudicium suspenderunt. Nos alios, dicebant, vidimus ventos aliasque procellas: alia audiuimus, quæ non minus speciem absurdi habebant, quæ pressius disquisita veritati consona inuenta sunt: cur non hæc similiter si suis momentis librentur?

Quare ergo inter delicias diuini amoris, & inter occulta

De

Dei beneficia quæ ad centum ſexaginta duo cõputauit Aloyſius Nauarrinus opuſculo ea de re compoſito, annumerandum putarem, quod liceat ſequendo opiniones probabiles quantumuis benignas, ſalutem adipiſci : & ſanctus Thomas *quolibeto 9.* art.15. aſſerit quod omnis quæſtio in qua de mortali peccato quæritur:niſi expreſsè veritas habeatur periculosè determinatur:quia error,inquit,quo non creditur eſſe peccatum mortale quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat à toto,licet fortè à tanto:error verò quo creditur eſſe mortale, quod non eſt mortale ex conſcientiâ, ligat ad mortale. Hæc Doctor Angelicus. Sed magis recreat quod refertur de P. Gaſpare Sanctio ſocietatis Ieſu,cuius non clariſſimum eſt ob eruditos commentarios in plures Scripturæ ſacræ libros, iis cum benignè egiſſet in quoſque pœnitentes magis reos, ac propter ea ſtimulis conſcientiæ pungeretur, ob Chriſti ſanguinem temerè , vt videbatur , effuſum : ad ſedandum huius animum biennio ante mortem, ſpectabilem ſe illi reddit Ieſus cum immaculatâ Virgine , candidis indutâ , metumque omnem abſtulit , aſſerens vti benignè egerat cum reis in ſacro tribunali confeſſionis , ita in iudicio extremo , benignè cum illo actum iri. Refert Hautinus *de Sacramento amoris* lib.1. cap. 3. ſect.1. art.2. diſt. 2. quod tamen intelligendum eſt de benignitate,quæ iuſtis limitibus ac maximè veritatis coërceatur.Sed & in eandem ſententiam plura afferri poſſunt ex Gerſone in libro potiſſimum *de vita ſpirituali*, cuius verba in prima parte quæſitorum huius examinis, producentur : cenſebat enim vix ferri poſſe Theologos Scolaſticos , qui præter libros nihil experti erant,cùm de actibus humanis ex rigore ſcholæ ſententiam pronuntiabant. Nihil enim eorum decretis ſeuerius quibus omnia ferè condemnant.

Quod tum maxime accidit cum ſunt ex iis qui plus habent ſuperbiæ quam ſcientiæ , maiorque æſtu fragrant ambitionis quam veræ charitatis , id vnum ſpectantes vt ſpectentur : cumque paſſionibus ſuis legem imponere nunquam didicerint , inuidiæ motu abrepti deiiciunt quoſcumque poſſunt, qui naturæ benignioris ac imitatione humilitatis Chriſti Domini , aut metu grauiorum malorum quæ à talibus reformidanda ſunt, in faciem illis reſiſtere nolunt.

An ſemper eorum vita ſanctior & fructus vberior , qui ſtrictiores opiniones iactant ? quid ergo ? hæretici obtinebunt: nam & quodcunque bonum facere poteſt homo de præcepto eſſe docent , nullum conſilium admittunt , omnem motum concupiſcentię peccatum clamitãt & alia huiuſmodi qui-

bus nihil irridens magis & conſcientiam conſtringens : at qui fructus huius tantæ ſeueritatis, niſi quod pluribus criminibus laxiores præbent habenas, vt iam docuimus in *ſummâ noſtrâ* Conciliorum tomo 2. claſſe 6. O altitudo conſiliorum ſatanæ ! ô fraudes & inſidias ! in iſtâ nimia ſeueritate ne quis exiſtimet errore deceptus doctrinam moralem Caluiniſtarum & Ianſenitarum præferendam eſſe prætextu iſtius rigoris,cum ibi oſtenderimus nouiſſima eius ad mortem ducere & in quælibet peccata.

Denique quis nobis reuelauit peccatores illos,quos confeſſariorum moderata benignitas ad perfectam & immutabilem reſipiſcentiam nondum adduxit , adducendos illicò fore per ſeueritatem. Quam nimis verum eſt quod ſcripſit D. Auguſtinus lib. 1.quæſt.Euangelic.cap. 8. *Cupiditas enim carnis expulſa per pœnitentiam à conſuetis operibus , cum non inuenerit in quibus delectationibus requieſcat , auidius reddit & aſſumptis ſecum ſeptem aliis nequioribus.* Exemplum ad hoc idoneum propoſuit Chriſtus. Luc. 7.de pueris ſedentibus in foro & *ad inuicem clamantibus cantauimus vobis tibiis & non ploraſtis*,&c. *lamentauimus & non ploraſtis*,ad Ioannem pertinet: *cantauimus tibiis & non ſaltaſtis* ad ipſum Dominum pertinet qui vtendo cum cæteris cibo & potu, lætitiam regni figurabat:*at illi* , inquit D.Auguſtinus *nec humiliari cum Ioanne , nec cum Chriſto gaudere voluerunt* , l. 2. quæſt. Euangel. c.11.quibus nobis deſignatur & auſteriores & benigniores confeſſarij , quorum auſteritate aut ſuauitate ; plures nequaquam perfectè mutarentur.Quid tu facilitatem horum ſemper incuſas ? age tu Radamentum in illo iudicio,& narra nobis poſteà victorias tuas ac triumphos quos de mundo,carne & dæmone duxeris. Quot milites ad reſtitutionem rapinarum induxeris? Quot publicanos à telonio abduxeris ? quot mercatrices à mendacio auocaueris ? quot nobilibus puellis capillos abſcideris , inaureſque ac alia ornamenta ſuperflua abſtuleris ? quot mulieres adulteras , non abſente proco , caſtas reddideris ?

Hæc & alia poſſunt in vtramque partem afferri,vt iſtius dubij anceps ſit iudicium , diſcamúſque ; non cenſendum eſſe de ſcriptoribus , ex eo quòd hi benigniores, hi rigidiores ſint, ſed ex eo quòd veri ſint in aſſertionibus ſuis,ſolamque veritatem ſequantur , quam nunquam inuenient quicumque vel plus iuſto ſtrictiores , vel laxiores apparere ambient. Qui morbus eſt noſtri ſæculi , ex quo tot ſchiſmata & diuiſiones in œconomia Pœnitentiæ cum animarum ſcandalo oriuntur,

vt

vt ab heterodoxis & aduersariis nostris id vertatur in opprobrium.

Non negarim tamen omnia vera in rebus moralibus non esse scriptis consignanda, cùm aliqua sint quæ vtiliùs dissimulabuntur. Quod nos etiam hîc proponimus, ea solùm ventilantes, quæ cùm difficilia sint, magis tamen ordinariè discutienda veniunt Confessariis in sacro tribunali; sicut nobis ex ipsa praxi constitit, quæ nobis ostium aperuit ad ea tractanda, non authores quibus aliquando firmamur, & maiorem fidem nobis conciliamus, ne soli sapere videamur, vt ex hoc scripto discerni valeat mortale à veniali, & in quibus periclitetur magis salus animarum, qui præcipuus est scopus tractatuum moralium non excitatio ad virtutes, & ea quæ sunt maioris perfectionis, ad quæ non in aliis libris adhortari sumus pro virili. Quamuis non sit minima pars iustitiæ, & probitatis dignoscere ac vitare peccatum mortale, inter tot rerum humanarum ambages, & anfractus. Vnde Philo Iudæus, l. de nominum mutatione, *quin etiam fortasse in mortali genere non aberrare idem plane vim habet atque bene agere.* Totum autem opusculum, & Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Iudicio subiicimus, atque etiam virorum doctorum censuræ qui Confessionum difficili experimento, non omninò cauerint.

PRIMA PARS EXAMINIS POENITENTIVM.

De iis quæ spectant ad pœnitentiæ Sacramentum.

PRIMO quæritur an Confessarius teneatur interrogare Pœnitentem, antequam absoluat, vel possit stare accusationibus factis à Pœnitente, absque vlteriori peccatorum discussione & examine

Respondetur, si Pœnitens ita appareat instructus, vt prob-

biliter iudicetur nihil reticere ex necessariis ad confitendum, abstinendum esse ab interrogatione ; vt quæ sit otiosa , forsan etiam curiosa , aut onerosa Pœnitenti. At si ex conditione Pœnitentis qui sit rusticus , ignorans , aut in rebus conscientiæ negligens,putet probabiliter Confessarius eum integrè non confiteri , aut aliquam ex circumstantiis quæ deberent manifestari,omittere,tenetur Confessarius defectum supplere interrogationibus,ideóque examinare.

Probatur ex c. *Omnis vtriusque sexus* , in Concilio Lateranensi sub Innocentio 3. *Sit Sacerdos discretus , & cautus more periti medici diligenter inquirens peccatorum circumstantias,* Et Concilium Parisiense sub Gregorio IV. celebratum,an.829. lib.1.cap.12.ait:*Presbyteri etiam imperiti solerti studio ab Episcopis suis instruendi sunt qualiter confitentium peccata discrete inquirere, eisque congruum in modum,secundùm Canonicam authoritatem , Pœnitentiam nouerint imponere , quoniam hactenus eorum incuriâ , & ignorantia multorum flagitia manserunt impunita, & hoc ad animarum ruinā pertinere dubium non est.*

Deinde Iudex tenetur discernere omnia necessario discernenda, antequam proferat sententiam, ne abutatur officio Iudicis:Confessarius autem Iudex est exercens Iudicium Sacramentale , ita vt peccet mortaliter , si negligat interrogare pro loco , & tempore de necessariis ad integram Confessionem. Quod toties accidere ait Nauarrus *in Comment. de Pœnit. Dist.6.cap.5.§.Diligens.* Quoties credit aliquid necessario confitendum , taciturum Pœnitentem nisi interrogetur.

Confessarius etiam medicus est , cuius officium est , interrogare ægrotum antequàm medicinam exhibeat si ægrotus ipse per se non possit sufficienter ægritudinem aperire : non enim sanat medicina quod ignorat, iuxta vulgatū Proloquiū.

Quæritur secundo. Si pœnitens non patiatur se examinari , dicens se de omnibus esse Confessum an Confessarius interrogabat ampliùs.

Respond. si Confessarius credat nihil de necessariis à Pœnitente omissum , siue quod omnia præcepta ordine attigerit, vel quòd Pœnitens rarò à via deflectat , imprudenter ageret interrogando,& venialiter saltem peccaret.Si autem Confessarius probabiliter iudicet Pœnitentem temerè , & imprudenter procedere , indigereque examine ampliori, non audiet perire volentem , nec cooperabitur ad malum imperfectæ Confessionis : sed prudenter examinabit non quidem de omnibus peccatis , sed iis quæ in Pœnitentem conuenire possunt,

aut

aut de quibus dubium ſuboriri poteſt ; cauebit tamen ne ſit nimius. Cuius rei duplex potiſſimum eſt ratio. Prima quia Confeſſarius tenetur curare vt iudicium Confeſſionis integrè fiat, & cauſa ſufficienter cognoſcatur;antequam ferat ſententiam, ideò eam debet perfectè examinare. Secunda ratio eſt quia etiam in confeſſione res Dei agitur ſuo modo, & tenetur Confeſſarius in ea partes Dei agere, omnemque Dei offenſionem in ea diſcutere antequam reus abſoluatur. Ita Suarez *De Pœnit.diſp.32. Sect.3*

Quæritur tertiò quis optimus modus interrogãdi Pœnitẽtes.

Reſpondetur eum videri optimum quem docet D.Bonauentura *in quart. Sent. Diſt. 19.in littera Dub. 5.* Dicendum inquit,quod abſque dubio oportet ipſum Confeſſorem diligentem eſſe inueſtigando : & ratio huius eſt,quoniam ipſe Iudex eſt, & Iudex diligenter debet inquirere cauſæ veritatem, maximè quando dubia apparet,ſecundùm quod dicit,Iob. 29. *Cauſam quam neſciebam diligenter inueſtigabam.* In talibus autem inquiſitionibus cauenda eſt ſuperflua curioſitas, & negligentia. Quædam enim ſunt quæ non debet quærere in ſpeciali Confeſſor, ſicut ſunt peccata inconſueta, & enormia, & contra naturam : de talibus intelligitur illud, Prouerb. 11. *Inueſtigator malorum opprimetur ab eis :* & ratio huius eſt,quia frequenter addiſcit Pœnitens quod non nouerat : & contingit ipſum Confeſſorem in talibus concuti:& ideò non debet talia quærere, niſi de longinquo per quaſdam circumloqutiones, vt ſi fecit qui confitetur, intelligat, ſi non fecit non addiſcat, &c. Alia verò ſunt inquirenda, ſcilicet tranſgreſſio decem præceptorum, commiſſio ſeptem capitalium, &c. & de his poteſt quærere quando videt negligentem,vel ignorantem eſſe ipſum Pœnitentem : hoc autem ſemper eſt attendendum,vt inquiſitio conferat ſtatui Pœnitentis ; ideo dicitur : *Iuſtus in principio accuſator eſt ſui. Venit amicus eius , & inueſtigauit eum.* Prouerb. 18. & cum magnâ prudentiâ oportet hoc facere,& ideò neceſſe eſt Confeſſores eſſe diſcretos.Vnde Prouerb. 28. *Sapiens ſibi videtur vt diues : pauper autem prudens eum ſcrutabitur.*

Hic autem addenda videntur quæ refert Viualdus *in opere regali* explicans vndecimam Eccleſiæ perſequutionem, vbi docet circa interrogationes quæ fiunt Pœnitentibus tria eſſe attendenda. Primo vt quilibet peccator interrogetur de peccatis,quæ conſueuerunt in hominibus illius conditionis abundare ; non enim oportet quòd à milite quæratur de peccato Clericorum, &c. Secundò vt non fiat explicita interro-

gatio de peccatis,nisi de illis quæ omnibus manifesta sunt. De aliis autem adinuentionibus peccatorum, ita debet à longinquo fieri interrogatio, vt si commisit dicat, si non commisit non addiscat. Tertiò vt de peccatis præcipuè carnalibus non descendat nimis ad particulares circumstantias. Quia huiusmodi delectabilia, quantò magis in speciali considerantur, magis concupiscentiam nata sunt mouere; vt dicitur *in* 3. *Ethic.* Et ideo potest contingere, vt Confessor talia quærens, & sibi, & confitenti noceat, & sic quandoque vt dicitur in Psalm.63. *Deficiant in suo scrutinio iniquitates scrutantes.*

Angelus verò *in summa* citatus à Nauarro loco præcipitato, Confessarios rerum venerearum interrogationibus nimis se oblectantes, vocat contaminatores Confessionis, aitque sæpissimè mortaliter peccare, si ob id eas faciant.

Præter hoc autem incommodum, interrogationes non necessariæ sæpe scandalo sunt Pœnitentibus, qui putant Confessarium, vel curiosum esse, vel ignorantem sui muneris, vel etiam quid peius de illo cogitant. Deinde per tales interrogationes tempus teritur, quod expendi deberet circa alia maximè necessaria, cum impatientiâ plurium qui sæpe expectant, & discedunt irati. Pœnitentes imparati sæpe turbantur, & mentiuntur, vel æquiuocè respondent, vnde abeunt cum scrupulis, & cum metu peccati; imò & cum vero peccato & sacrilegio, quare & repetere Confessiones aliis coguntur, vt sæpe experti sumus.

Deniquè deest muneri suo Confessarius, ad quem spectat resecare superflua omnia in Confessione, vt sit simplex Confessio, id est, nec paucioribus, nec pluribus verbis constare quam oporteat. Meliùs sanè impenderet tempus, si motiua aliqua efficacissima ad veram contritionem insinuaret pœnitentibus.

Quæritur quartò an Confessarius possit semper remittere Pœnitentem non satis paratum, vt amplius se examinet, vt per seipsum integrè postea confiteatur.

Respondetur. Multos Pœnitentes incapaces esse, vt per se integrè confiteantur, quantumcumque discussionem sui faciant, ideóque si remittuntur, vel non redeunt omninò, vel si redeunt, meliùs dispositi non sunt, ideóque vbi semel eorum Confessio incœpta fuerit, debebit Confessarius eos iuuare interrogationibus, si sat temporis suppetat, vel illis assignare horam opportunam in qua illos interroget quantùm sufficiet. Si verò tales sint Pœnitentes: vt maturiori sui discussione meliùs se accusent, non erit improbandum, si paulisper

paulisper differatur eorum absolutio, modò id fiat in Spiritu lenitatis, non tædio laboris; sed pro bono, & salute æterna proximi quem præcipuè intuebitur, & desiderabit Confessarius.

Hæc confirmantur decretó Concilij Burdigalensis, an. 1583. celebrati sub Sansaco Archiepiscopo c. 12. Quærant ergo imprimis Parochi à confitentibus, an prius conscientiam suam discusserint; qui quos nullo modo paratos ad Confessionem, vel meditatos nouerint, hortentur, vt cum magna peccatorum suorum detestatione, ac dolore paratiores alio tempore accedant. Verùm prudentis erit Confessarij nosse qui ita remittendi erunt. Quæ verba addit Concilium, quia non expedit omnes imperatos remittere, sed in aliquorum Confessionibus debet Confessarius Zelum suum, & industriam, & patientiam exercere, ad saluandam animam pro qua Christus mori dignatus est.

Quæritur quintò, si videat Confessarius Pœnitentem se satis examinauisse; & nihilominus aliquid omittere, an adhuc interrogabit?

Respondetur probabilius esse quod debeat interrogare, vt scilicet iudicium sit perfectum, omnisque contra Deum offensa in illo afferatur; agitur enim etiam res Dei suo modo in illo iudicio. Nec iuuat dicere Confessarij esse Pœnitentem audire solùm, non interrogare; id enim verum est, si nullus supponatur defectus in Confessione.

Notat tamen Lessius *in additionibus in 3. partem D. Thomæ q. 8. dubio 9.* Confessarium non teneri interrogare pœnitentem, quando videt illum satis diligenter se excussisse, quamuis fortè aliqua alia esset eliciturus, nisi timeretur eadem rursus commissurum.

Qua in re obseruari poterit monitum Cani in relect. de Pœnit. parte 6. *Nolo ego Confessores importunos esse, & intolerabile negotium facescere Pœnitentibus.* Quemadmodum nec eos quidem probo, qui imprudenter interrogando Pœnitentibus scandalum iniiciunt, atque adeò eos peccare docent. Quâ in re confidenter etiam reprobo summas istas Confessionum interrogationibus plenas qui idiomate vulgari non solùm eduntur, vt in publicum prodeant, sed passim etiam mulierculis, & Idiotis conferuntur, vt inde discant non confitendi, sed (vt ego sentio) peccandi rationem, & normam, &c. Hæc eius mens.

Quæritur ſexto, quid agendum ſi pœnitens interrogatus taceat peccatum, quod nouit certiſſimè Confeſſarius ab eo patratum fuiſſe, vt puta quia viderit propriis oculis.

Reſpondetur. Tunc Confeſſarius, vel putabit Pœnitentem alteri, à ſe peccatum illud confeſſum fuiſſe, ſi id probabiliter ſibi perſuadere poteſt. Vel vtetur ſcientiâ priuatâ ad conuincendum Pœnitentem, alias non abſoluet. Etſi enim in iudicio externo ſcientia publica requiratur, & velut iuridica, non tamen in hoc ſecreto Iudicio, in quo procuratur ſalus proximi.

Attamen cautè, & prudenter vtatur Confeſſarius ſcientiâ quam ex aliorum reuelatione hauſerit, potiſſimùm verò in Confeſſionibus excipiendis religioſarum: in multa enim incurrit incommoda, qui ordinariè aliâ vtitur ſcientiâ præter eam quam acquirit ex earum accuſationibus; non tamen ſemper contemnat quæ monebit Prioriſſa quæ zelo bono ducta fuerit.

Si autem Confeſſarius habeat ante ſe duos pœnitentes, quorum primus aperuit peccata poſterioris qui confitetur, caueátne in poſteriori audiendo qui forſan peccata ſua non confiteretur, ſignificet ſe eius peccata ſcire ex alterius Confeſſione, frangeret enim ſigillum. Quare vel alteri ea iam fuiſſe Confeſſum credet, vel non plus vni, quàm alteri credendum imaginabitur.

Quæritur ſeptimò, de quonam primùm eſt interrogandus pœnitens, qui examine indiget.

Reſpond. Ante omnia interrogandum de validitate aut inualiditate vltimæ Confeſſionis, cuius etiam tempus exquiretur. Etenim ſi inualida fuiſſet defectu attritionis ſupernaturalis, vel integritatis, reiteranda eſſet Confeſſio, & deueniendum ad tempus Confeſſionis præcedentis, quæ fuiſſet perfecta, vt ab illo tempore examen fieret. Quòd ſi aliter fiat, ædificatur ſuper fundamentum putridum & tota moles ædificij ſpiritualis corruit.

Si defuiſſet ſatisfactio, non opus eſſet reiteratione, ſed iterum iniungenda eſſet eadem ſatisfactio, aut ſi è memoriâ Pœnitentis non excidiſſet, alia poſſet iniungi abſque reiteratione præteritæ Confeſſionis, metiendo eius quantitatem ex quantitate illius quæ prius iniuncta erat: quâ de re plura inferius.

Quæritur

Quæritur octauò, si pœnitens eius sit conditionis, vt saltem possit aliqua enarrare peccata, licèt non omnia, nec cum debitis circumstantiis, an Confessarius debeat illa prius audire, quàm interroget?

Respond. debet, & præstat etiam vt pœnitens dicat priùs peccata sua crasso suo modo & imperfecto, id enim requirit & ratio iudicij & medicinæ, vt reus se accuset, & æger indicet medico quâ parte corporis laborat. Accedit quòd hoc modo paulatim discit pœnitens methodum sese accusandi, aperitque nonnulla Confessario, super quibus habeat diligentiùs inquirendum. Ideóque non erit interturbandus pœnitens, vt omnia liberè dicat, provt potest, exceptis superfluis in quibus tempus inutiliter teritur, & sæpe cum damno aliorum qui desiderant audiri.

Quod tamen intelligendum est, vbi proponit Confessarius examine totali & completo super omnes casus ad eum pertinentes eumdem iuuare. Nam si proponat tantùm supplere defectus Confessionis, quòd pœnitens non sit omninò rudis & ignarus, tunc vbi aperuit aliquod peccatum cuius non explicat speciem vltimam, nec numerum, nec circumstantias necessarias, non debet illi permittere vt alia peccata confiteatur, antequam interrogauerit de numero, specie & circumstantiis primi alius peccati malè confessi; nam in fine non recordaretur peccatorum non satis explicatorum, præcipuè si confessio esset multorum mensium.

Quæritur nonò an sint necessariò adhibendæ quædam interrogationes præambulæ, vt si pœnitens sese examinauerit, num sit excommunicatus, cuius sit status & conditionis, num sit de diœcesi, aut de parochiâ in qua Confessarius habet iurisdictionem.

Resp. istas interrogationes absolutè non esse improbandas, non videri semper debere præmitti, nisi super iis dubitet Confessarius ex aliqua probabili coniecturâ aut ratione.

Plures autem ex his interrogationibus præmittendæ erunt in Confessione generali, aut plurium annorum, quàm in Confessione paucorum dierum aut hebdomadarum, in quâ istarum circumstantiarum cognitio satis raro est necessaria. Et facilè haberi potest cum eius necessitas apparuerit.

Quæritur decimò an teneatur Confessarius monere pœnitentes qui sæpe sæpius accusant se de multis tanquàm essent peccata, cum tamen reuerà non sint peccata?

Respondetur affirmatiuè, teneri scilicet Confessarios

monere pœnitentes, qui multa superflua ingerunt in Confessionibus suis, de quibus se reos fatentur. Non enim aliter probi medici personam geret Confessarius, nisi doceat pœnitentes, qui in multis ægrotos se peccati ægritudine arbitrantur, cùm tamen vera peccata non sint.

Monitio illa etiam necessaria est, vt purior sit & simplicior materia Confessionis, quæ in peccatis dumtaxat consistit, non in imperfectionibns enarrandis, nec in aliis quæ tantùm vmbram habent peccati, aut tantum peccata sunt secundùm falsam opinionem scrupulosi confitentis. Quare Confessiones eorum qui cum veris peccatis multa intermiscent, quæ verè peccata non sunt, similes sunt aquæ mixtæ cum aliis liquoribus, quæ minus decens est materia baptismi. Accedit quòd cùm penitentes animo occupentur in detestatione huiusmodi vmbratilium peccatorum, vix possunt seriò cogitare de contritione & emendatione verorum peccatorum.

Contigit mihi inter concionandum de illis, leonis comparationem vsurpare, qui pugnaturus vngues introrsum versos gerit, donec accedente pugnâ, eos exerat contra verum hostem. Sic dicebat propheta, *fortitudinem meam ad te custodiam*. Vt non frustra impendantur vires nostræ & conatus interni pœnitentiales, quos contra sola peccata seu mortalia seu venialia sint, occupari par est. Denique si non moneantur pœnitentes de huiusmodi superfluis accusationibus, molestias ingentes procurant Confessariis & aliis pœnitentibus, qui diuexantur non leuiter, ex prolixitate inutili Confessionum.

Psal. 58.

Quæ sunt autem illa superflua de quibus magis ordinariè se accusant pœnitentes, doctè satis & appositè explicat Ioannes Sanchius inter primas selectas suas disputationes, quas iterum atque iterum legisse non pœnituit.

Inter cætera notat *disput.* 2. aliquos pœnitentes accusare se de virtutibus quasi essent vitia, vt si pater irascatur in filios, iustâ causâ exigente & ad correctionis finem. Non enim pater ob eam causam peccat; ius enim habet irascendi & corrigendi. Similem nuper notaui accusationem in virgine religiosâ, quæ accusabat se, de sensu doloris quem percipiebat paulò pòst communionem, cum speciebus iam consumptis, desineret præsentia realis Iesu Christi in ipsâ. Cui respondi, non esse id peccatum, nec eâ de re, se profiteri ream debere, cum potius id esset singularis & eximiæ deuotionis effectus.

Accusant

Accuſant ſe de Iudicio temerario alij, qui cautelâ aliqua vtuntur ad præcauenda aliorum mala, cum cautio ſit pars prudentiæ.

Alij quod de his & his rebus & negotiis loquuti ſint, de quibus verba habere nullum eſt piaculum.

Alij quod fuerint occaſio harum & illarum rerum quæ præter intentionem acciderunt,&c.

Alij accuſant ſe de odio & maleuolentiâ, ſi deſiderauerint aliquod malum pœnæ proximo, vt deſineret in Deum peccare & aliis nocere, quod tamen peccatum non eſt, cum frequentiſſima ſint huiuſmodi deſideria in viris, quos probat Scriptura ſacra,cuius rei ratio eſſe poteſt quod malum pœnæ, ſi ordinetur ad deſtruendum malum culpæ, bonum potius vocari debeat, quam malum. Aliud dicendum videretur ſi optaretur maius malum corporale, ad euitandum minus malum etiam corporale: ſeruandus enim ordo eſt inter mala, vt non deſideretur maius ad euitandum minus.

Si aliis occurrat in memoriam aliquis actus in ætate infantili & ante rationis vſum commiſſus qui tantùm peccatum ſit materialiter,illum ſubiiciunt Confeſſioni. Quod tamen minimè neceſſarium eſt, cum materia huius Sacramenti ſit tantum actus qui formaliter peccatum eſt, & ad culpam imputabilis,ſiue malus ſit, ſiue bonus.

Ad huiuſmodi accuſationes referri poſſunt prolixæ narrationes multorum pœnitentium de afflictionibus ſuis & rebus parum proſperè ſuccedentibus. Itemque narrationis imperfectionum,& defectus obſeruationis earum rerum quæ ſunt tantum de conſilio, non de præcepto. Quare cum omne peccatum ſit ſemper contra aliquod præceptum in re graui ſi ſit mortale, in re leui ſi veniale, iſta peccata non ſunt. Nec tenetur confeſſarius terere tempus in iſtis audiendis non ſine moleſtiâ. Et ſi velit pœnitens ob mortificationem & humilitatem narrare Confeſſario,præſtaret extra Confeſſionem aperire,vt ſimplicior eſſet Confeſſio, omni re extraneâ & ad rem non pertinente, remotâ.

Sed dum plures Confeſſarij ad iſta non attendunt,aut dum plurium Confeſſiones prolixiores eſſe cupiunt, fit vt pauci admodum perfectè confiteantur. In progreſſu autem huius examinis plura enucleabuntur quæ confiteri minimè neceſſarium eſt,quare ab his proponendis modò abſtinemus.

Nota tamen,ſi pœnitens ſe accuſat de aliqua actione vel omiſſione de qua controuertitur an ſit peccatum, & pro qua ſunt rationes probabiles ex vtraque parte, in huiuſmodi

accusationibus audiendum esse pœnitentem etsi opinetur Confessarius non inesse ibi peccatum: talis est accusatio de omissione relationis operum suorum ad Deum, quæ omissio secundùm probabilem aliquorum opinionem peccatum est.

Quæritur vndecimò de pœnitente qui parum notus est Confessario, qui se initio accusat quod nullas hactenus integras Confessiones fecerit, quomodo examinabitur?

Non pauci id proponunt statim cum ad tribunal sacrum pœnitentię accedunt. Quidam verè quod res ita se habeat, quidam falsò, quod leuiter opinentur rem ita se habere, excitati potentiori quadam motione, ad detestanda peccata, quæ ex variis occasionibus, inspirante etiam Deo, in eorum mentibus inest.

Non iudicabit autem præcipitanter Confessarius semper iterandas esse totius vitæ Confessiones, sed considerabit ingenium pœnitentis, inquirétque causas ob quas arbitretur inualidas esse totius vitæ Confessiones, vt ex earum causarum discussione, iudicet de necessitate generalis confessionis, quæ non erit promiscuè quibusvis consulenda aut permittenda.

Si assignat aliquas causas, quæ ante-actas confessiones reddunt inualidas, audiet pœnitentem de generali confessione, si satis sese disposuerit. Sin minus, assignabit tempus intra quod se disponat, datis ad id quibusdam monitis.

Si dicat pœnitens se vereri ne dolore sufficienti caruerit; nec propterea semper acquiescet, quia plures id dicunt quod tunc magis sensibili peccatorum dolore corda eorum feriantur, quàm antea; etsi gradum doloris sufficientem habuerint, cum contritio non requirat hanc & illam intensionem, modò sit verè & essentialiter contritio, seu perfecta seu imperfecta. Quod quidem diiudicari poterit ex quibusdam illius signis, vt, si pœnitens cogitaret de pœnis inferni, de miseria status sui, de perfectiori mandatorum diuinorum obseruatione, & ex pio motiuo quo impellebatur ad pœnitentiam. Ex his enim coniici potest probabiliter pœnitentem dolore sufficienti non caruisse, etsi eâ de re dubitet ob scrupulorum molestias, vel ob perspicaciorem sui præsentis status intuitum.

Quòd si dicat pœnitens se aduertere quasdam actiones esse nunc peccata mortalia, quas ante talia non putabat, sed solum venialia vel nullo modo peccata, ordinariè sufficit, vt de iis nunc confiteatur provt ea nouit. Qui enim intendit confiteri peccatum in proprio gradu malitiæ, etsi putet esse veniale quod mortale erat, nequidem illud ipsum peccatum tenetur iterum confiteri, quod priuata eius opinio non auferat

auferat intentionem illud ipsum confitendi secundum omnem eius malitiam. Docet Lessius in *resolutionibus, verbo Confessarius* casu 6. secus est si voluisset persuasum esse Confessario quod tantum esset veniale : quod etsi non sit ordinarium, aliquando tamen accidit.

Quòd si dicat pœnitens propterea inualidas esse præteritas confessiones, quod Confessarij satis non intellexerint grauitatem peccatorum ; Sufficit tamen si pœnitens factum explicuerit cum circumstantiis necessariis, siue interim peccatum mortale existimauerit, seu tantum veniale : sic enim non necessario repetendæ erunt præteritæ confessiones. Alioquin locus pateret innumeris scrupulis.

Si dicat pœnitens se præ verecundiâ aliàs peccata quædam mortalia reticuisse ; Quærat Confessarius in quot confessionibus ea omiserit & quænam sint, & si cum aduertentiâ omiserit & corpus Domini consequenter perceperit. Eæ siquidem solæ confessiones habendæ erunt inualidæ, reliquæ verò in quibus de iis nihil aduertit, validæ, cum peccata illa omissa in his confessionibus rationem peccati obliti habeant, ex quo non inualidatur confessio. Sicque ex necessitate hæ solæ confessiones reiterandæ erunt, si possit pœnitens reminisci de mortalibus, quorum tunc reus habebatur. Quòd si de nullis mortalibus recordari possit, præmisso examine sufficienti, nihil reiterandum erit, cum sufficiat explicare numerum confessionum & communionum quæ fuerunt cum illâ malâ verecundiâ hæc & illa peccata confitendi, de quibus modo se accusat.

Sed fortasse putabit pœnitens se numquam bene confessum fuisse, quod sæpius in eadem peccata de quibus se accusabat, relapsus sit. Equidem causa ista rationabilis est, & ex eâ prudentissimè plures mouentur ad repetendas confessiones, & ex eâ propendere sæpius debet Confessarius ad eas audiendas; quamuis si nihil aliud sit, non necessariò semper repetendæ sint ob id solum quod sæpius relapsus sit pœnitens ; modò enim contritionem sufficientem habuerit cum proposito emendandi se, & si forsan indulgentior Confessarius errauerit, multoties relapsum absoluendo, non sequitur tamen propterea inualidas fuisse confessiones. Maximè verò cum pœnitens extra occasionem peccati fuerit, & discreto Confessario vsus fuerit, qui spectatâ conditione pœnitentis, iudicauit magis illi salutare vt absolueret, nonobstante quod ex infirmitate humanâ, quæ maxima est, sæpius relaberetur.

Multi verò confessarij seueriores se exhibent, quod non satis attendant quo sensu loquuti sint aliqui ex partibus antiquis

antiquis contra eos qui iterum labuntur post pœnitentiam. Quos sapienter instruit Hugo de S. Victore in summâ sententiarum tract. 6. c. 12. *sed quoniam* inquit, *non litera, sed spiritus viuificat*. 2. Cor. 3. sensum auctorum in supradictis inspiciamus. Pœnitentia est præterita mala plangere, & iterum non committere, id est, de præteritis dolere & non tunc vlterum peccet, in voluntate habere. Non enim iudicat Deus hominem pro iis quæ futura sunt & non præsentia opere seu voluntate: nec vllâ probabilitate sequitur, iste committit plangenda, igitur non fuit pœnitens. Sed hoc, igitur non est pœnitens, quod nos benè concedimus, scilicet quod tunc non est verè pœnitens, sed quod olim non fuerit, à catholicis nullatenus est dicendum. Quod multis prosequitur idem author dignus qui legatur, ex his enim præstat quorumdam vel quarumdam animas corroborare in piâ confidentia de remissis peccatis vt quæ retro sunt obliuiscantur, ad vlteriora progredientes & ad supernæ ciuitatis brauium, magisque enitantur ad acquirendas perfectas virtutes, quàm ad recogitanda semper præterita.

Quaritur duodecimo, an interrogandus sit pœnitens, num commiserit aliquem actum qui secundùm probabilem opinionem, mortale peccatum non est, quamuis multi peccatum mortale esse existiment.

Respond. hanc quæstionem eò maioris esse momenti, quò plures casus inuoluit, de quibus concertatio est inter Doctores, an sint verè peccata mortalia. Videri autem non esse necessarium vt pœnitens super huiusmodi actu interrogetur; nam cùm illi sit licitum opinionem sequi probabilem, non est reus peccati in tali actu, qui probabiliter à multis habetur non peccaminosus, quamuis fortasse Confessarius contrariæ opinioni magis adhæreat; non ignarus tamen de probabilitate oppositæ sententiæ. Et sanè cui bono ista discussio? quandoquidem ex communiori sententiâ pœnitens non potest cogi à Confessario ad amplectendam suam opinionem probabilem, imò & probabiliorem, si ea quam sequitur sit vere probabilis; nec enim talis pœnitens est indispositus ad beneficium absolutionis suscipiendum, si nihil alius illi desit, nisi quod sequatur opinionem aliam ab opinione Confessarij, quæ tamen probabilis est.

Quare cùm quæritur, an interrogandus sit pœnitens num restituerit in casu, in quo etiam est probabilis opinio, quòd non teneatur ad restitutionem, esto, multi alij existiment eum teneri sub pœnâ damnationis. Cùm eadem sit quæstio, similiter

militer reſpondendum eſt non eſſe interrogandum pœnitentem de huiuſmodi reſtitutione:nam Confeſſarius debet agere partes pœnitentis ſui, eique fauere, ſaluâ iuſtitiâ. Cùm ergo ſupponamus pœnitentem ex probabili Doctorum opinione non teneri ad reſtitutionem,vix excuſari poterit Confeſſarius qui non neceſſariam reſtitutionem imperabit pœnitenti,quæ difficillima eſt ex ſe, & quæ vix à paucis adimpletur,etiam cùm eſt de neceſſitate ſalutis. Vnde & talis Confeſſarius, de quo dici poteſt, quod malit teneri ſuam ſententiam, quam animam,& qui ex proprio ſenſu & capitis imbecillitate aut obſtinatione,nollet diſcernere inter probabiles ſententias, eiſque acquieſcere,poſſet nonnullis auctoribus videri ſubditus reſtitutioni erga pœnitentem, quem adegit ad reſtitutionem non neceſſariam, vnde forſan multa patitur incommoda: qui enim cauſa poſitiua damni eſt, reparare tenetur: & Confeſſarius non minus debet agere cauſam pœnitentis, ne reſtituat quod probabiliter non debet, quam tertij, vt illi reſtituatur quod probabiliter debetur. Et cum pœnitens tunc bene & prudenter operetur,ſequendo opinionem probabilem, non poteſt cogi vt meliùs & optimè, prudentiùs & prudentiſſimè operetur.

Quod etiam iuxta Card. de Lugo *de pœnit.* diſ.22. ſect. 2. §. 2. *locum habet*, ſi Confeſſarius, multo adhibito ſtudio,cognouerit opinionem pœnitentis eſſe improbabilem reipſa quod nitatur falſo fundamento & quod, ex æquiuocatione, forſan procedat, modò tamen hæc opinio apud multos doctos, probatæ autoritatis habeatur probabilis. Remanet enim ſemper probabilis,non obſtante propriâ ſententiâ Confeſſarij, qui poteſt exſtimare rationes ſuas poſſe ſolui ab aliis ac iis reſponderi, nec ſe ſolum ſic eſſe illuminatum, vt reliqui cæci ſint.

Poſſet tamen Confeſſarius, qui non eſſet proprius Parochus pœnitentis, abſoluendo eum prima vice, monere ipſum, ne ampliùs ad ſe rediret, niſi ab opinione ſuâ improbabili deſiſteret; vtitur enim iure ſuo, cùm non teneatur pœnitentis audire Confeſſionem.

An autem Confeſſarius teneatur ſe conformare opinioni probabili pœnitentis contra propriam, ſub peccato mortali vel veniali, dubium eſt. Quidam aiunt teneri ſub mortali cum grauia peccata confeſſus eſt, quæ illi durum nimis eſſet coram alio repetere: fieret enim illi grauis moleſtia,cùm habeat ius ab abſolutionem conſequendam, ad quam eſt diſpoſitus. Alij tamen putant non eſſe tam grauem obligationem

Confeſſarij.

Confeſſarij. Quod magis æquum mihi videtur, ne cogatur iudex à reo legem recipere, & doctor doctrinam à diſcipulo. Ne etiam parui habeatur & contemnatur doctrina & ſcientia maior Confeſſarij, quæ inutilis ferè reddetur, ſi ita liceat pœnitenti ſub prætextu opinionis habitæ vt probabilis ab aliquibus Theologis, illi neceſſitatem abſoluendi imponere, non obſtante quòd ipſe euidenter difficultatem penetret, & falſitatem opinionis, quam tenet pœnitens, perſpiciat. Vnde nimis inualeſcerent opiniones laxæ, quæ ordinariè pœnitentibus arrident, quomodocumque illæ probabiles eſſent, quibus vt rectè ait Breſſerus *lib.* 3. *de conſci. cap.* 17. conuenit tantùm vti, vt quibuſdam medicamentis, & remediis maiorum malorum præſertim poſt factum. Quod peculiariter ſpectat viros doctos, qui de maiori vel minori probabilitate iudicare poſſunt. Adde quòd data eſt clauis ſcientiæ in Confeſſario, vt eâ ſecundùm euidentem & certam cognitionem quam habet, dirigeret clauem poteſtatis ne erraret, erroreſque confitentium corrigeret, ne eſſent perpetui.

Sufficit igitur quòd Confeſſarius doctus, qui opinionem probabilem pœnitentis iudicat, ex certâ vt putat ſcientiâ, improbabilem, poſſit illi acquieſcere relinquendo eum in bona fide, etſi non obligetur.

Ad hoc tamen vt ſic poſſit acquieſcere, nonnulla mihi videntur requiri in ipſo. Primum vt ipſe doctus Confeſſarius non adhæreat ſententiæ Caietani, in ſummulâ verbo *opinio*, opinantis conſcientiam tantùm probabilem non ſufficere ad actum bonum, quòd cum ea operans ſe periculo peccati exponat, ideoque peccet; iuxta illud Eccleſ. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Secundum eſt, quod conſequenter formet ſibi conſcientiam quod practicè ſit probabilis opinio pœnitentis, id eſt, poſſit eam ſecurè ſequi in praxi, etſi ſpeculatiuè falſam eſſe putet.

Poteſt enim vna opinio inuincibiliter eſſe probabilis vni quæ alteri non erit, ita vt hic excuſetur à peccato non alius qui eam ſequeretur. Sicut enim dicit Ariſtoteles l. 4. *Metaph. text.* 21. quod vni eſt delectabile alteri eſt contrarium: & quod vni eſt conueniens alteri eſt nociuum in animalibus: & ſimiliter eſt in nobis, quia quod vni homini eſt delectabile, alteri eſt contrarium: & etiam ſimiliter homini vnicuique contraria videntur. Quod modo alicui eſt delectabile, poſtea videbitur contrarium ſecundum ſenſum.

Non idē omnibus [...]*letur.* Nec eſt ratio quare quorumdam iudicinm verum ſit; quorumdam non. Si enim iudicium verius debet eſſe ex eo quod eſt

est plurium vel pauciorum ; tunc si ponamus omnes infirmitate laborare, vel omnes esse insanos vel amentes & duos vel tres esse conualescentes siue sanos aut intellectus iudicium habentes, videbitur tunc quod sani & compotes sui sint sicut laborantes aut amentes, eò quòd plurium iudicium iudicat eos laborare & esse insanos alios, &c. Iudicium ergo sensus non fit verius vel falsius eò quòd est plurium vel pauciorum.

Atque idem *ibid. textu* 24. refellit eos qui contradictoria vera dicebant, ideò quòd ponebant verum esse quod apparet sentienti & æstimanti. Nam omnia minus verè videntur remota quam proxima. Et sapores qui sanis dulces videntur ægris amari sunt, eo quod cholera combusta inficit eis linguam: quia scitur quod tales sunt sapores, quales sanis videntur. Deindè dicimus increpando istos, quia valdà dignum est admiratione si tanti Philosophi hic ponunt in quæstione, &c. Vtrum grauiora secundum pondus iudicanda sunt qualia videntur debilibus aut qualia videntur robustis : robusti enim non sentiunt pondus : infirmi autem etiam leui valdè supergrauantur pondere : & si iterùm de veris quæritur vtrùm sit iudicandum de veris per illa quæ videntur dormientibus & somnia sequentibus aut illa iudicanda sint vera quæ vigilantibus videntur.

Attamen hanc nostram sententiam infirmant duo authores non mediocris authoritatis S. Antonius Archiepisc. Florentinus & Godefridus de fontibus inter antiquos Theologos illustris.

Antoninus quidem in *summula Confessionalis* 2. p. tract. 1. c. 3. caueat autem confessor, inquit, ne sit præceps ad dandam sententiam de mortali, quando non est certus & clarus: & vbi in aliqua materia variæ opiniones sunt quam plurium & solennium doctorum vtrùm sit licitum vel illicitum : sicut de non soluendo decimas vbi non est consuetudo, parati tamen sunt ad dandum si Ecclesia peteret : quod quidam dicunt omnes esse in statu damnationis vt Innocentius : alij verò dicunt quod non, vt Thomas, Ioannes Andræas & Archidiaconus & de emptione iurium montis Florentiæ vel in præstitis venetorum, quod quidam dicunt esse vsuram, alij licitum dicunt & sic de multis huiusmodi, consulat tamen semper quod tutius est à talibus abstinere, *extra de sponsa & matr. c. iuuenis.* Non tamen condemnet contrarium facientes, seu contrariam opinionem tenentes, nec propter hoc deneget absolutionem. Sed vt dicit Guillel. dicat confessor. Quod illud faciendo non est tutum sed dubium & ideo sibi benè prouideat. Si autem

ſtro audiuit in iis quæ ad mores pertinent. Probat autem Sanchez quia authoritas viri probi ac pij non leue eſt fundamentum; at opinio eſt probabilis quæ non leui innititur fundamento. Si enim non eſt leuis momenti, ſed magni potius, vt aliquid Romæ contigiſſe credamus, id virum pium aſſerere: cur non magni erit, in re morali dubiâ, quòd vir pius & in eâ materiâ doctus cenſuerit. Idem docet aliquam opinionem ſi inueniatur in libro alicuius doctoris iunioris, nec conſtet eam eſſe reiectam à ſummo Pontifice vel improbabilem, probabilem haberi, quia quod typis mandatur magnâ circumſpectione & attentione elaboratum præſumitur & doctorum virorum iudicio ac cenſurâ probatum, nec minoris eſt authoritatis, quam ſi doctor grauis conſultus ore tenùs id ipſum diceret: ſi tamen quod ſcriptum eſt rectè ſuo caſui particulari applicare valeant, qui legunt. Si verò inueniatur in libro alicuius doctoris antiqui, non protinùs habenda eſt probabilis, nam poteſt eſſe antiquata iam & à ſede Apoſtolica reiecta, & poteſt eſſe conuicta falſitatis per rationes iuniorum. Vndè antiqui Doctoris opinio non poteſt eſſe probabilis, niſi Neotericus eam defendat ponderatis ex vtraque parte rationibus.

In iſta controuerſia prudenter ponderat Laurentius de Portel in *dubiis regularibus*, verbo, *Opinio eligenda num.* 4. in caſu nouo nunquam à Theologis diſputato, aliquem poſſe acquieſcere dicto vnius Doctoris aliquam rationem afferentis: ſecùs in caſu à multis aliis ventilato & pluribus rationibus in contrarium ac doctoribus munito. Non vacat enim periculoſo tunc ſequi vnius doctoribus opinionem, ſiue illam voce tenùs protulerit, ſeu prelo commiſerit. Neque enim liber eo ipſo quod probatus eſt, ab omni errore immunis ob hoc habendus eſt, cum carta omnia patiatur.

Quod autem iuniores authores antiquis anteponantur, id non omnes probabunt: cum multi quod in monetâ accidit, idem in ſcriptoribus putent, atque vt veteres nummos magis ſinceros magiſque probos habemus, ita illi ſcriptores æuorum præteritorum magis extollunt, dicente ſcripturâ & monente (Deuter. 32.) *Interroga patres tuos & dicent tibi, ſeniores tuos & annuntiabunt tibi:* & iterùm Prouerb. 3. *Verbis ſapientum accommoda aurem tuam.* Quod potiſſimùm in hoc tempore locum habere debet, in quo tot noui fœtus plerumquè informes ex typographia per ſingulos annos prodeunt, quique ſemel ex eâ egreſſi, nunquam amplius ad eam redeunt, ſicut nec coruus ad arcam. Vnum tamen eſt,

propter quod, recentiorum non incuriosi esse debemus, cum explicant casus huic tempori proprios, habent enim singulæ ætates sua difficilia, sed & sæpe mutantur iura ac constitutiones hominum seu Ciuiles seu Ecclesiasticæ, ex quibus nonnullæ resolutiones dependent, vt propterea opus sit aliter censere de quibusdam difficultatibus quam fieri solebat in præteritis sæculis. Sed & Nanus, si humeris gigantis insideat, plura potest circumspicere, quam ipse gigas: sic inuentis antiquiorum aliquid addi potest à recentioribus, dum expendunt eorum rationes: quin & Deus paulatim magis magisque illuminat Ecclesiam, videturque in præteritis sæculis aliquas ignorantias permisisse vt necessitatem gratiæ ac luminis supernaturalis magis homines agnoscerent.

Sed vt in re obscurâ aliquid discernamus, si opinio probabilis iustâ trutinâ appendatur, non ita cuique peruia erit. Nam si Aristotelem consulamus, qui in definitionibus propriis rerum assignandis maximè alios superauit, pauca admodum erunt probabilia; definit enim ipse l. 1. Topic. c. 1. probabilia in hunc modum. *Probabilia autem sunt quæ videntur omnibus, vel plerisque vel sapientibus, atque his vel omnibus, vel plerisque, vel maximè notis & claris*, τοῖς μάλιστα γνωρίμοις καὶ ἐνδόξοις. subiungit postea. Non enim quicquid videtur probabile, etiam est probabile; nihil enim eorum quæ dicuntur probabilia superficie tenus habet probabilitatis imaginem: quemadmodum in principiis rationum contentiosarum accidit. Confestim enim & plerumque iis qui etiam parua contueri possunt, perspicua est falsi natura, quæ in ipsis reperitur. Hæc Aristoteles, cuius definitioni si starent qui casus conscientiæ definiunt, pauca admodum inuenirentur probabilia nec admirationi cuiquam esset quod licet Doctoribus consulere opiniones probabiles, vel confessariis aut pœnitentibus illas sequi.

Probabilitas. Sed Aristoteles videtur tantum definisse probabilitatem quæ est per principia extrinseca authoritatum & Doctorum, non illam quæ est per principia intrinseca rationum. Recentiores enim ita distinguunt, vt inter cæteros Ioannes Caramuel in regulam D. Benedicti n. 52. Hanc vocans rationalem probabilitatem, illam authenticam, quæ ab authoritate propugnatorum prouenit. Cæterum, inquit, illa mihi sunt intrinsecùs probabilia quæ contra fidem non militant, & habent rationes quibus Antagonistas torqueant, fundamenta ex quibus obiectis satisfaciant, De quibus non vult esse iudices,

qui

qui Theologiam non sunt docti. Improbabilia autem definit, quæ habent paralogismos,& sophismata , quibus adoriantur contrarios , non verò rationem aliquam grauis momenti : Illa,inquam quæ supponunt dubia aut improbabilia,vt hostium obiectis satisfaciant.

Vtramque autem probabilitatem Bresserus vna definitione sic complexus est, *lib.* 3. *de conscientiâ cap.* 2. opinio probabilis est , quæ nititur ratione vel authoritate graui seu magni momenti (addunt aliqui) ita tamen vt oppositum nihil conuincat. Statimque addit vnius viri pij & docti authoritatem reddere opinionem probabilem , positis tribus conditionibus 1. vt doceat rem illam tanquam veram,& non tantùm tanquam probabilem 2. vt non hoc dicat obiter & per transennam ., sed deliberatè statuendo aliquam assertionem. 3. vt non reiiciatur communiter ab aliis tanquam improbabilis vel erronea. Adhucque totum istud limitat Corduba *l.* 2. *q.* 3. §. 1. *ad* 2. respectu simplicium qui rationes non possunt examinare , non autem respectu doctiorum qui eas possunt & debent examinare.

Suarez similiter tract. *de bonitate & malitia actuum humanorum.* disp. 12. sect. 6.existimat illam opinionem probabilem , quæ nititur authoritate aliquâ dignâ fide (quæ in re morali multum habet ponderis) non repugnat aut veritatibus ab Ecclesiâ receptis ; aut euidenti rationi ; neque etiam temerè contradicit communi , & receptæ doctrinæ Doctorum.

Qui autem non vnum authorem , sed quatuor requirunt vt opinio aliqua sit probabilis , lepidè refelluntur à prædicto Caramuel ; quia, inquit, loco citato quatuor authores dicunt vnius Doctoris , aut scriptoris authoritatem sufficere ad astruendam probabilitatem alicuius opinionis,pluresque allegat huius sententiæ : ergo si quatuor reddunt opinionem probabilem, vnus etiam satis erit vt reddat probabilem. Dicitque idem author *num.* 56. eum qui habet vnum authorem pro sua parte contra octo alios, posse asserere suam partem adhuc esse probabilem,contra nouem non posse asserere , quia nona pars non est materia magna,sicut est octaua.

In his ambagibus redeundum videtur ad definitionem Aristotelis,vt plures ex sapientibus iique noti & illustres requirãtur ad probabilitatem alicuius opinionis, si agatur de probabilitate authẽtica & extrinseca:& nos si sequamur regulas iuris, vnico testi in præiudicium tertij si solus ille est , fides non

est adhibenda,& 6. q. 2. c. *quod autem.* nullius personæ quantumlibet exercitatæ fides est adhibenda, nisi competentes probationes adhibeat. Quare Confessarius poterit diiudicare opinionem esse probabilem, si maximè illustres, & noti Doctores, iique plures illam sequantur, nec vllâ ratiocinatione contrariâ conuincatur vt aliter iudicet. Hinc est quod diximus quæsito præcedenti Confessarium valde doctum. qui certò videt, opinionem pœnitentis, quæ ab aliquibus habetur probabilis, falsam esse, & incerto niti fundamento, non debere cogi ad illam sectandam. Vndè dicendum videtur probabile esse quid respectiuum; quod enim est probabile vni, alteri non erit necessariò probabile, & multa simplicioribus erunt, qui falsi naturam facilè contuentur. Atque hæc est mens Cordubæ, Suaris, necnon Durandi in *Præfatione* super libros sententiarum, vbi ita habet.

Modus autem loquendi ac scribendi, in cæteris quæ fidem non tangunt, est, vt magis innitamur rationi, quam auctoritati cuiuscumque celebris vel solennis: & paruipendatur omnis humana auctoritas, quando per rationem elucescit contraria veritas. Quamuis enim captiuandus sit intellectus in obsequium Christi, & in his quæ fidem tangunt, plus acquiescere debeamus authoritati sacræ Scripturæ, quam cuicumque rationi humanæ, quia diuina notitia,quam exprimit sacra Scriptura plus excedit humanam notitiam, quam humana notitia bestialem: tamen omnis homo dimittens rationem propter auctoritatem humanam, incidit in insipientiam bestialem, vt comparatus sit iumentis insipientibus & similis factus sit illis. Et post pauca subiungit idem Durandus; nos igitur plus rationi quam cuicumque auctoritati humanæ consentientes, nullius puri hominis authoritatem rationi præferimus, attendentes quod omnibus existentibus amicis, sanctum est præhonorare veritatem, quam omnis terra inuocat, cœlum etiam ipsum benedicit:benedictus Deus veritatis.

Eadem quoque est mens Ioannis Sanchij in *Selectis,disp.* 14. vbi docet aliquem non posse operari iuxta aliorum opinionem,quoties ratio omninò euidens,& conuincens auctoritati opponitur. Non enim poterit tunc quis existimare se decipi in sua opinione & iudicium deponere, quod necessarium esset ad sequendam aliorum opinionem propriâ relictâ, siquidem tunc apparet in aliorum opinione manifestum errorem interuenire, vndè veritatem euidentem deserere opus est ad eam amplexandam,quod crimen indicandum fore nemo inficiabitur.

Obiicies

Obiicies credendum esse pœnitenti siue pro se, siue contra se loquatur, vel in præiudicium etiam tertij: Distinguendum est: esto in quæstionibus facti quod narrat: at in quæstionibus iuris non ita tenetur illi acquiescere Confessarius.

Obiicies rursus, ergo absolutè falsum esse quod Confessarius teneatur sequi opinionem pœnitentis probabilem. Respondetur, tantùm teneri illam sequi, quando est probabilis, non tantùm respectu pœnitentis, sed etiam respectu suiipsius Confessarij. Opinio enim non est mihi probabilis, si de eius contrariâ opinione conuictus sum, & penetro certissimè eius falsitatem, videoque manifestè eos qui illam sequuntur, niti falsæ & corruptæ citationi, vel æquiuocatione alicuius vocis esse deceptos, aut nonnisi argumento sophistico duci, aut aliâ viâ mihi dilucidè perspectâ, in errorem lapsos esse. Quod si alio modo res sese haberet, inutilis esset scientia & vana studia plurimorum Sacerdotum, cùm sufficeret vnius aut alterius scriptoris rerum moralium authoritas ad finiendam omnem controuersiam, & occludenda omnium ora, cui authoritati tenerentur omnes se summittere contra proprium sensum, rationem, lumen, & iudicium. At hæc intellectus humani summissio solius Dei, & Ecclesiæ authoritati debetur, vt coram illa absque vlteriori discussione existimemus nos errare & hallucinari, si aliter sentiamus.

Instabis ergo bellum fore iustum ex vtraque parte pœnitentis & Confessarij. Pœnitens enim iusto titulo petet absolutionem, cùm sit sufficienter dispositus sequendo opinionem probabilem: iusto etiam titulo recusabit illam Confessarius, cùm opinionem pœnitentis erroneam esse iudicet, nec velit illum in mendacio remanere, cum rectâ viâ dirigere teneatur. Respondeo hunc casum raró euenturum, si benè intelligatur opinio probabilis iuxta illa quæ superiùs diximus. Deinde si Confessarius doceat pœnitentem de falsitate suæ opinionis, illique clarè demonstret euidenti rationi repugnare, fallacique innixam esse fundamento, tunc desinit illi esse probabilis, sicque agnoscet se non esse sufficienter dispositum, nisi illam mutet. Denique non est inconueniens si Confessarius doctus resistat quandoque pœnitenti ignaro, qui debet acquiescere sicque esse consentiens aduersario suo, iuxtà verba Euangelica, dum est in via cum illo.

Vrgebis ampliùs hinc fore consequens, vitandòs fore doctiores ac perspicacioris acuminis Confessarios, à quibus difficilius erit sese expedire, quàm ab aliis quibus facili negotio opiniones probabiles sunt aut videntur.

Respondetur si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foueam cadunt. Christus est via, veritas & vita, non vocat se probabilitatem. Meliusque est homini, si per viam veritatis incedat cum maiori aliqua difficultate, quam si per vmbram & fucatam imaginem veritatis cum minori difficultate. Occulta enim sunt iudicia Dei super filios hominum, nec scimus vtrum omnia quæ habentur probabilia hominibus huius sæculi, etiam probabilia habebuntur in extremo iudicio: & interim verum est, quod scripsit D. Augustinus l. 3. de libero arbitrio c. 8. *solet recta opinio prauam corrigere consuetudinem, & praua opinio rectam deprauare naturam.* Quare nondum satis mihi videtur, pro rei grauitate ac momento, discussa doctrina quæ ferè inualuit de probabilitate opinionum, cuperemque doctiores hanc prouinciam sibi assumere, vt nodos illius omnes dissoluerent. Non tamen propterea existimo, illum viam tutam non sequi, qui regitur opinione probabili, etiam si forsitan benignior sit, quia via tuta est quâ peccatum vitatur, vt verè vitatur opinione quacumque probabili vel etiam minùs probabili, si tamen probabilis sit. Neque etiam arbitror, illum non excusatum iri apud Deum, qui sequitur opinionem probabilem, cùm illam sequendo nequidem venialiter peccetur. Nec possint plerumque homines aliter agere quàm secundùm probabilitatem opinionis, cùm non sint Angeli qui intuitiuè fere omnia vident, vixque quatuor res sint in vniuerso quæ certâ & euidentissimâ demonstratione agnoscantur ab hominibus. Sed cùm variè vsurpetur nomen opinionis probabilis, multaque hodie eo ipso vocentur probabilia, quòd ab vno aut altero scriptore doceantur; quæ tamen propterea verè non sunt probabilia, cùm aliæ desint conditiones ad probabilem opinionem requisitæ, potiùs putandum est, illam opiniónem verè esse probabilem, quæ talis videtur Confessario docto, qui multo adhibito studio quæstionem aliquam perfectè vt potuit examinauit, quàm illam quæ pænitenti parum scio, qui tantùm paucorum quorumdam authoritate nititur. Quâ in re recto tramite graderetur si ageretur de quæstione facti, non de quæstione iuris, in quâ probabilitas multò plura requirit, quàm vnius aut alterius testimonium. Denique accidit plerumque, vt doctior Confessarius noscat aliquas opiniones benigniores & tamen verè probabiles, quarum beneficio, liberat pœnitentem suum facillimè, cùm minùs doctus possit tantum illi mouere dubia, & scrupulos sine firma eorum solutione, vnde fit vt aliquando difficilius sit ab eis pœnitentem se expedire.

Obiicies

Obiicies, illam probabilitatem respectiuam ignotam fuisse hactenus, distinctionem illam probabilitatis respectu docti, & non docti esse nouam. Sed videtur nota fuisse Cordubæ apud Bressetum loco citato, necnon etiam Suari, qui vnus mihi pro pluribus est disputatione etiam præcitatâ *sect. 6. n. 3.* Candido Philaleto *in praxi* opinionum *q. 4.* & forsan aliis apud quos legendo reperietur. Sed si vnicus Doctor illius meminisset, sufficeret, quandoquidem vnus Doctor egregiè quæstionem aliquam discutiendo potest ostendere, aliquam doctrinam esse probabilem, quæ anteà talis non habebatur, si nimirum solidis rationibus id probet vltra propriam sui ipsius auctoritatem.

Tandem quamuis multi vniuersaliter doceant securitatem sententiæ minus probabilis quæ probabiliori: limitanda tamen videtur hæc doctrina in materiâ præceptorum, & extra materiam sacramentorum illorum quæ sunt necessaria, & instituta à Deo cum suis omnibus partibus necessariis, quæ si deficiant nihil efficiunt ex opere operato, quantumuis bona fide & cum opinione probabili suscipiantur: propterea enim scriptum est à D. Augustino l. 1. de baptismo contra Donatistas c. 3. *qui dubium haberet non illic rectè accipi, quod in catholicâ rectè accipi certum haberet: grauiter peccare in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo quòd certis incerta præponeret:* ad quæ verba rectè aduertit Matthias Hauzerius in *epitome* D. Augustini, in mediis ad salutem necessariis nunquam licere vti incertis, relictis certis: in præceptis autem licere vti sententia probabili, & incertâ obiectiuè aut speculatiuè, non tamen incertâ formaliter aut practicè seu sub ipsâ incertitudine aut dubio practico (quod significat, nisi sit probabilis ipsi agenti, iuxta ea quæ diximus) & affert rationem notandam huius discriminis, quod media, puta sacramenta, necessaria ad salutem, sunt determinatè à Deo instituta ac immutabilia & ideo præponendo certis incerta, salus animæ grauiter periclitatur: præcepta autem accommodantur ad captum subditorum recipiuntque suam expossitionem ac interpretationem. Scilicet præcepta in quibus est aliqua obscuritas, non aliter obligant quam eo modo quo nota sunt & publicata hominibus, cum lex ad hoc vt obliget, debeat publicari & innotescere: non censetur autem sufficienter innotescere, quam vt fert probabilis verè opinio eam intelligendi, nec aliter publicata esse videtur tanquam obligatoria: at Sacramenta eo modo operantur quo sunt à Deo instituta independenter ab opinionibus doctorum etsi enim centum doctores putarent

Baptiſmum in aquâ roſaceâ gratiam conferre, non propterea conferret. Vndè in his quæ ſunt eſſentialia Sacramentis; qui relicta probabiliori opinione minus probabili regitur, exponit ſe periculo, nihil efficiendi aut conſequendi per illa & ſi ſint neceſſaria ad remiſſionem peccati mortalis exponit ſe periculo ſalutis, ſicut & proximum. Quod valdè perpendendum erit in caſibus occurrentibus, atque huic doctrinæ multùm fauet Vaſquez 1. 2. *diſp.* 63.

Sed & iterum diſtinguendum eſt inter opinionem magis tutam & magis probabilem. Sæpe enim quæ magis tuta ſunt in moralibus, non ſunt magis probabilia, imò aliquando minùs. Eſt enim magis tutum quod magis remotum eſt à peccato; magis verò probabile quod melioribus fulcitur rationibus & authoritatibus. Sic opinio obligans ad reſtitutionem in aliquo caſu poteſt eſſe magis tuta & minus probabilis: Non eſt autem obligatio ſequi opinionem magis tutam, aut illam iubere, aut conſulere, ſi ſit minus probabilis, minúſque fundata authoritatibus ac rationibus, quarum rationum multò maior habenda eſt ratio, quàm authorum, quorum turba parum attendenda eſt, ſi in propriâ causâ loquatur ac in verba alicuius iurarunt, cuius ſola authoritate præuenti aliquam opinionem turmatim ſine delectu ſequuntur.

Obiectiones Candidi Philathei.

Dicendum non eſſe licitum minus probabilem partem amplecti, relicta probabiliore.

L. 2. de anima Probatur primò, auctoritate & ratione Philoſophi, à quo incipio, quia illius fundamentum eſt. Opinari in nobis non eſt, ſeu non eſt nobis liberum operari ergo: non poſſumus licitè ſequi minùs probabilem. Maior eſt Philoſophi & ſufficienter à nobis probata quæſtione ſecunda. Minor probatur, quia ſi poſſumus licitè ſequi minùs probabilem, ſicut magis probabilem; ergo eſſet nobis liberum opinari: antecedens patet, quia non poſſumus licitè ſequi, niſi quam poſſumus opinari veram, nam quòd non eſt ex fide, ſeu quod non credimus, aut opinamur licitum eſſe, peccatum eſt: ergo oportet, vt veram opinemur, partem contradictionis minùs probabilem, verbi gratiâ hanc: licitum eſt habere plures præbendas.

Probatur ſecundò, ex conceſſis ab aduerſariis, ad hoc, vt quis prudenter, & rectè operetur, debet habere probabile iudicium, quod licitum ſit illud, quod operatur: ſed qui ſequitur minùs, probabilem, non poteſt habere hoc probabile iudicium ergo &c. Maior eſt euidens, & à Sanchez, cùm cæte-

ris loco citato conceditur: Minor est Aristotelis, quia probabile iudicium idem est, ac opinio, seu opinari: opinari autem non est liberum, inquit Philosophus, sed sequitur plura, & fortiora motiua; & in minùs probabili, non sunt plura,& fortiora motiua, sed in magis probabili; ergo minùs probabilem non potest quis opinari, seu habere probabile iudicium de illa; iam consequentia currit: ergo non potest quis sequi minus probabilem.

Probatur tertiò, ad hoc vt licitè agam, non sufficit in iudiciis practicis, vt sequar, quod iudico probabile, sed necesse est, vt sequar quod opinor verum, sed non est in mea libertate, vt opiner veram vtramque, nec opiner veram, quam volo, sed necesse est, vt opiner veram, quæ habet fortiora motiua, qualis est magis probabilis; ergo necesse est, vt sequar magis probabilem, ad hoc vt licitè agam.

Minor patet ex Aristotele, & sæpè superius est probata.

Maior pariter probata, est, & nunc etiam probatur, addendo nonnulla; vt magis veritas huius assertionis elucescat.

Quia cùm vtraque opposita est probabilis, necessario vna illarum est vera, & altera falsa, sed non possum promiscuè sequi tam verum, quàm falsum, & multò minùs possum sequi, quod magis rationabiliter falsum existimo, nam sic conuincerer tam amare falsum, quàm verum: imo magis falsum amare, quàm verum? ergo non sufficit vt sequar probabilem, quia probabilis est tam falsa, quàm vera: ergo si aliqua est opinabilis vera, quia habet fortiora motiua, necesse est, ad hoc vt rectè agam, vt sequar, quam opinor veram.

Probatur quartò sic; ille non licitè agit, qui non sequitur dictamen rationis, sed qui sequitur minùs probabilem, non sequitur dictamen rationis, Ergo &c.

Minor probatur: ille non sequitur dictamen rationis, qui non sequitur inclinationem rationis, seu intellectus ad assensum, quod hoc sit faciendum, vel non faciendum; sed qui sequitur minus probabilem, relicta probabiliore, non sequitur inclinationem ad assensum: Ergo &c.

Maior patet, quia dictamen rationis est inclinatio eiusdem ad assensum, siue illa inclinatio, & assensus sit cum certitudine, qualis est in scientia, siue cum formidine, qualis est in opinione; nam dictamen rationis est etiam iudicium probabile, vt concedunt aduersarij, quod sufficit quia si non sufficeret, nihil agere possemus; nam agibilia, seu moralia, non habent certitudinem: inclinatio ergo ad assensum etiam cum formidine, est dictamen rationis: quia illud dictat

ctat ratio faciendum, ad cuius assensum sufficienter inclinatur, ex motiuis rationalibus: neque inclinari potest in contrarium, quia opinari non est liberum, vt probatum est; neque est aliud assignare, quod requiratur ad hoc vt ratio dicatur aliquid dictare probabiliter, nisi vt inclinetur ad dandum assensum, quod hoc sit faciendum. Iam verò minor illa, quod qui sequitur minùs probabilem, relictâ probabiliore, non sequatur inclinationem intellectus ad assensum, probatur, quia inclinatio ad assensum fit eò vbi sunt plura vel fortiora motiua, sed in minus probabili, perpensa cum magis probabili, non sunt plura, & fortiora motiua, sed sunt in magis probabili: ergo qui sequitur minùs probabilem, relictâ probabiliore, non sequitur inclinationem intellectus ad assensum, seu assensum ipsum; nam illi assentiatur intellectus necesse est, in quod fortiùs inclinatur, cùm liberum non sit opinari, atque ita à primo ad vltimum, cùm qui sequitur minùs probabilem, relictâ probabiliore, non sequatur assensum intellectus, qui est dictamen rationis, quod inter duo contradictoria necessario tendit eò, vbi sunt fortiora motiua, quæ semper sunt in probabiliore, non potest licitè agere; & hoc argumentum, si bene intelligatur, existimo demonstratiuum,& vis in eo est, quod potest quidem assentiri ratio minus probabilis, cum non est opposita probabilior; sed cum hæc est, non potest, quia opinari non est liberum, sed inter duo contradictoria necesse est opinari illam partem, vbi sunt fortiora motiua.

Probatur quintò, quicunque in syllogizando practicè in ordine ad electionem faciendam, non adhibet moralem, ac debitam diligentiam, vt verè syllogizet, non excusatur ab illa ignorantia, seu errore si erret: seu, quod idem est, qui scit se non adhibuisse moralem diligentiam, quam debet ad cognoscendum quod sit verum, vel falsum in agibilibus, quod sit licitum vel illicitum, peccat; sed qui sequitur minus probabilem, relictâ probabiliore, non adhibet moralem diligentiam ac debitam, vt non erret in syllogizando, imò diligit potiùs errare, ergo non excusatur si erret, quemadmodum sæpe errare continget.

Maior patet, quia ignorantia vincibilis, & affectata non excusat secundùm omnes.

Minor probatur, quia nemo dicet adhibuisse moralem diligentiam ad aliquod negotium rectè peragendum, illum, qui spontè minus probabilia media adhibuit ad eius rectam executionem; cùm hic vt plurimum à fine aberret; nam ratio diligens,

ligens, vt in pluribus non fallitur; & maior ratio est existimandi illum falli, qui sequitur minùs certa signa veritatis, quàm illum qui sequitur magis certa seu minùs fallibilia.

Probatur sextò ex Tullio, asserente *in libro de senectute* quod magnæ fœlicitatis est, veras opiniones in senectute saltem assequi: at minus veræ opiniones non possunt rem euidenter ostendere, seu veritatem demonstrare: ergo præferendæ sunt magis probabiles: & vt veras assequamur, magis probabiles sequi debemus.

Probatur sepsimò, in nullo alio humano graui negotio, in quo agatur de proprio cuiusque commodo, seu interesse, sequitur quis minus probabilem partem aut minùs verisimilia ad illius finem consequendum; at si quis illa sequatur, negligentiæ, seu culpæ ipsius imputabitur: ergo multò minus id faciendum est in negotio animæ, in quo agitur de offensa Dei & de vita æterna consequenda: ac si id fiat, negligentiæ, & culpæ est imputandum.

Antecedens patet ex supra dictis de seruo emente equum, signa habentem minora bonitatis, & monetam eligente auream, quæ minùs veri auri apparet; quis enim non culpauerit de malè acto negotio Domini. Neque dicas in casu nostro negotium malè agi non posse, quia sufficit, ad hoc vt bene agatur, vt probabilem opinionem sequamur: nam hoc sufficere, quando relinquimus magis probabile est illud, de quo disputamus, neque à te vt verum est assumendum, & non sufficere satis supra probaui.

Deindè cur sicut non sufficit terreno Domino, vt seruus ipsius minùs verisimilia media adhibeat ad negotium rectè perficiendum; sufficiet cœlesti, vt eligat homo minùs verisimilia media ad rectum inueniendum, & perficiendum, nònne si errauerit, vt ferè errabit, arguetur, eò quòd sponte errauerit.

Probatur octauò, si quis arcu iaceret sagittam, & collimaret ad aliquod signum, & probabilius illi esset, sic iaciendo, collimaturum, sed cum læsione manus, aliter verò iaciendo, non ita probabile esset collimaturum, sed futurum sine læsione manus, certè is si multò pluris existimaret collimationem, quàm manum illæsam, sine dubio sequeretur, nisi stultus esset, probabiliorem rationem collimandi cum læsione, quàm minùs probabilem sine læsione; sed in exquirendo quod est licitum iacimus quasi ad collimandum: ergo si multò pluris faceremus agere quod est licitum, quam aliquod nostrum temporale commodum, probabiliorem partem agendi quod est licitum, sequeremur potiùs cum incommodo temporali,

temporali, quàm minus probabilem cum commodo ; atque hoc est,quod S. Thomas docet *quodlibet* 8. eum, qui dubitans esse malum, seu illicitum, illud facit, anteponere temporale spirituali. Neque dicas illum, qui sequitur minùs probabilem, non dubitare practicè, sed deponere dubium per hoc, quod probabilem opinionem sequitur, asserentem quod sit licitum.

Contra enim est, quia non habet vllam rationem seu opinionem aliorum probabilem, quod sit licitum, at habet probabiliorem, quod sit illicitum, vnde cum habeat motiua maiora ex parte, quæ asserit illicitum, non potest, neque physicè opinari, quod sit licitum, quia liberum non est opinari, sed oportet secundùm motiua : si ergo non potest opinari, quod sit licitum, quod certissimè tenendum est ex Aristotele, & ratione supra : neque potest deponere dubium,quod habebat, & sic in dubio nòn potest licitè agere, imò est in deteriori conditione pro eo licitè faciẽdo, quàm qui est in dubio,quia cum habebat fortiora motiua, inclinantia ad assensum, quod illud sit illicitum, opinandum est illi, illicitum esse, non autem contrarium, itaquè minùs potest illud licitè facere,quàm qui est in dubio, & hoc argumentum benè nota.

Probatur nono ex multis absurdis, quæ sequuntur ex isto asserto, quod liceat sequi minùs probabilem partem,quæ quidem ita sunt absurda, vt diuiserint ab inuicem aduersarios, & inter se pugnare coegerint ; nam alij absurda illa,vt verè sunt, esse fatentes, rationem aliquam afferre sunt conati, cur generalis ipsorum propositio de minùs probabili licitè sequenda, limitanda sit, & cum exceptionibus intelligenda : alij verò considerantes exceptiones sine fundamento veræ rationis afferri, audacter negant illa esse absurda, quamquam reclamante conscientia : quod enim concedunt absurdum non esse,imò asserunt prudenter & licitè fieri, id ipsi agi secum nullomodo vellent, nempe si ægrotarent, nancisci medicum, qui minus probabilem viam ipsos curandi sequeretur ; aut si litigarent, pro iustitia se litigare putantes, habere iudicem, qui pro minùs probabili, contra magis probabilem iudicaret, aliaque huiusmodi quæ tantùm ore tenus concedere possunt, vt vera.

Probatur 10. Quia qui sequitur minus probabilem non vitat periculum peccandi quantum fieri potest : at Eccl. 3. *qui amat periculum peribit in illo.* Ac sicut qui in eligendo equo illum acciperet, minora signa bonitatis haberet, non adhiberet diligentiam debitam ad habendum bonum equum : ita est

eſt de eo qui ſequitur opinionem minora ſigna bonitatis habentem.

Sic duobus paris authoritatis viam oſtendentibus diuerſam, leuis eſt corde qui vni magis quàm alteri aſſentitur: ergo multò magis qui aſſentiretur ei qui minoris eſſet authoritatis: ergo ſimiliter qui minus probabilem ſequitur ſententiam.

Hæc & plura Philaletus coaceruat, quem ſequitur Proſper Fagnanus additis etiam aliis probationibus *comment. in l.* 1. *Decretalium*, vt *infrà* dicitur.

Noſtra autem ſententia eſt, ſi fiat iſta comparatio, tantum licere minus probabilem ſequi quando vtraque ſententia tuta eſt licet vna magis, quàm altera: & quando comparatio iſta non ſit inter contradictorias & omnino contrarias propoſitiones, quarum vna alteram deſtruat. Nam cùm ex duabus propoſitionibus contradictoriis vna neceſſariò ſit vera, altera falſa, nec poſſint eſſe ambæ ſimul veræ, nequidem per diuinam omnipotentiam: ſitque hoc principium magis certum in Philoſophiâ, ac in ea fundatiſſimum iuxta Ariſtotelem *lib.* 4. *Metaph.* 5. Vbi Albertus Magnus habet medicinam erroris eorum qui duo contradictoria ſimul vera, aut falſa eſſe aſſerebant. Si licitum eſſet aſſentiri minus probabili, multò magis licitum eſſet aſſentiri magis probabili, ac ſic licitum eſſet indifferenter amplecti verum vel falſum bonum, vel malum, quod repugnat. Tantum ergo id licitum erit cùm agitur de duabus opinionibus quæ ſe inuicem non deſtruunt & quæ ambæ poſſunt eſſe ſimul veræ, licèt vnius veritas ſit clarior & ideò eſt probabilior, vt quando agitur de modo quo ſe gerent noui Presbyteri quando ſimul cum Epiſcopo ordinante conſectant. Vna opinio eſt, vt non intendant determinarè conſecrare, vel non conſecrare, ſed ſolum facere quod facit Eccleſia,

Quando licet ſequi minus probabile.

Alia opinio eſt quòd intentionem ſuam referant ad inſtans in quo finiet Epiſcopus. Si quis vtramque opinionem probabilem teneat, vnam tamen magis alia probabilem, poterit minus probabilem in praxi ſequi.

Explicatur ex iis quæ habet Bouerius *in Cenſurâ Paranetica* contra Marcum Antonium *de Dominis p.* 2. *in l.* 1. *c.* 8. Probabile non inter verum & falſum, nec inter duas propoſitiones contradictorias verſari, cum ex iis vna determinatè vera, altera determinatè falſa ſit, vt propter ea medium inter eas reperiri non poſſit: vndè probabilitas reperitur tantùm inter verum certum & verum incertum in quibus verſatur. At in

contra

contradicentibus si vna vera, altera falsa est. Ideò ambæ simul sunt incapaces probabilitatis.

Si quis ergo ex duabus talibus propositionibus illâ relictâ quæ magis determinat intellectum propter meliora motiua, velit in praxi sequi partem contrariam, hic non agit ex opinione, sed ex imaginatione, dissimulator est & proditor perspicaciæ sui intellectûs. Vel ex vrbanitate assentitur aliquot Doctoribus & ex deprauato affectu eligit falsum, reclamante conscientiâ, nec agit ex fide, atque ideò peccat, ait idem Candidus *quæst. 2. de opin. praxi.*

Dubitari verò amplius potest vtrum si suppeteret via alia certa & extra omnem aliam controuersiam, adhuc licitum esset vti probabili, vel probabiliori opinione.

Quod si via certior suppetit. Andræas Duuallius tract. *de humanis actionibus* q. 4. docet, opinionem probabilem & probabiliorem relinquendam esse, quando certa via nobis occurrit. Et sic, inquit, nonnulli meritò docent, eum qui ex opinione etiam probabiliori aliquod peccatum taceret peccaturum: quippe cùm exponeret se periculo errandi circa integritatem Confessionis, &c. Nec respondeas; practicè certus est de valore Confessionis, propter Doctorum illorum sententiam: hæc enim probabilitas contra iudicium speculatiuum & contra regulam prudentiæ non præualet, nec potest vnquam præualere: vndè non potest istud dubium deponi, vt patet propter certitudinem in contrarium: præsertim verò cùm nullum illi ex hac peccati declaratione periculum, aut damnum immineat: & sic qui vellet confiteri Sacerdoti de quo an iurisdictionem necessariam ad absoluendum haberet, dubitaret, relicto Confessario, de cuius iurisdictione nullum illi subesset dubium, infallibiliter peccaret.

Hæc tamen doctrina sustineri non potest quin collabatur tota doctina de opinione sequendâ probabiliori, cùm ordinariè via certa illa sit quæ per opinionem probabiliorem iudicetur: & aliundè innumeri scrupuli inde scaturiant, cùm mentium angustiæ & difficultates sint circa Confessionem huius, aut illius actionis propter quam solet qui vult pœnitere anxius esse, an teneatur confiteri, cùm nouerit probabiliter non esse in eâ peccatum: & si confiteatur consequenter debeat proponere ab eadem in posterum abstinere: vel etiam aliquando restitutionem facere, vel quidpiam aliud quod inuoluitur in Confessione, & ad quod modicam, aut nullam habet dispositionem.

Integritas Confessionis duplex. Nec verò se exponit periculo errandi circa integritatem Confessionis, nisi circa integritatem materialem, non formalem

lem quæ ſola eſt eſſentialis & in eo conſiſtit, vt pœnitens confiteatur omnia peccata quæ poſt ſufficientem conſcientiæ diſcuſſionem recordatur & nouit eſſe peccata? nam materialis eſt quæ in eo conſiſtet, vt quis omnia peccata mortalia confiteatur nullo excepto, quæ materialis integritas non eſt abſolutè neceſſaria.

Nec quicquam committitur contra iudicium ſpeculatiuum, aut regulam prudentiæ confitendo peccata iuxta opinionem verè probabilem & ſi minus propabilem, cùm opinio probabilis verè ſit ſufficiens regula actionum moralium quam quis ſequendo non peccat.

Nec obſtat quòd nullum periculum, vel damnum immineat ex Confeſſione: cùm ex huiuſmodi damno, aut periculo non oriatur, vel minuatur obligatio confitendi. Quamuis & Confeſſio non careat ſuis difficultatibus, nec quilibet, ſemper eſt paratus ad propoſitum abſtinendi à re forſan vtili, de qua forte ſuſpicio aliqua peccati orta eſt, & Confeſſarij non ſint ſemper ad manum quibus confidas libenter.

Iuriſdictio porrò Confeſſiarij eſt de eſſentiâ Sacramenti, & ſic ex inſtitutione Chriſti, vt ſine illa abſolutio nulla ſit, etiamſi putetur probabiliter ineſſe: vnde probabilitas opinionis non ſic confert ad iuriſdictionem ſicut ad integritatem formalem, inuenietur enim integritas formalis propter opinionem probabilem quod aliqua actio non ſit peccaminoſa mortaliter & de neceſſitate clauibus ſubiicienda: non verò inuenietur vera iuriſdictio & ſufficiens propter opinionem pœnitentis: ideòque periclitatur ſi illa in re non ſit vera, cùm non ſit hîc tuta via.

Adde quòd non minus fruſtra de caſibus conſcientiæ tractatus ederenrur ſi propter viam certam relinquenda eſſet opinio tam probabilior ac minus probabilis, quàm ſi minus probabilis, pro probabiliori: quippe non ſolum quod eſt tutius & melius quiſque ſatis regulariter videt, ſed etiam quod eſt certius & ab omni malo, aut periculo remotius. Quare ſicut homines non ad melius, ſed ad bonum tantum tenentur, ſic non ad certius, ſed ad verum tantum tenentur, quale eſt omne probabile quod tale eſt perſpectis omnibus, ita vt ſit probabile ſimpliciter, & non tantùm ſecundùm quid cùm vnica tantùm ratio conſideratur. In quo eſt quorumdam hallucinatio, qui habita ratione vnius tantùm motiui ſtatuunt eſſe probabile. *Probabile ſimpliciter & ſecundum quid*

Ideò Leſſius *ad 3. partem D. Thomæ q. 6. de Confeſſione art.* 4. Vbi aſſerit eum ſe committere diſcrimini qui negligit

S

confiteri id quod est dubium sitne mortale, annon,ac peccare mortaliter.Sic tamen dubium hoc intellige, inquit, si dubitet ita,vt non habeat probabiles rationes ad credendum non fuisse mortiferum. Si enim habeat probabiles rationes, vel probabile iudicium sapientum, non fuisse peccatum mortiferum, potest omittere eius Confessionem.Ratio est,quia cum tali iudicio positiuo posset operari. v. g. facere talem contractum, nec peccaret mortiferè : ergo multò magis poterit omittere eius Confessionem tanquam non sit peccatum mortiferum,eo quod probabiliter credat non esse.

Quare autem potius licet sequi minus tutam relictâ tutiori, quàm minus probabilem relictâ probabiliori, ratio est in promptu,plures vias statuit Deus pro salute adipiscenda:alias aliis tutiores & alias minus tutas, vt patet in statu sæculari & religioso.

Deus autem non statuit mendacium & falsitatem, quin imò scriptum est de illo Ps. 5. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium:* Quia igitur qui sequitur minus probabilem inter sententias contradicentes,aut sequitur mendacium,aut periculo euidenti illius se committit, nequaquam illud licitum, deflectit à via rectæ salutis, quia si est rationabilis,scit ex duabus contradicentibus vnam esse falsam, etsi essent ambæ in æquali gradu probabilitatis, non minus vnam posset eligere, quàm ex duobus pomis vnum manducare sciens certo vnum in se venenum mortiferum continere : multò ergo minus licitè poterit minus probabilem amplecti.

Atque obseruatâ hâc duplici limitatione quando vtraque opinio est tuta, & non est comparatio inter contradictoria, soluentur faciliùs argumenta omnia Philaleti, si quis sedulò aduertat, nec eius mens fuit cum illis limitationibus impugnare quod sentimus.

Quia verò de ista probabilitate acerrimè disputatum est hisce annis præteritis & multæ censuræ circa illam editæ,adiiciam aliqua ex recenti scriptore, qui cum hæc ad prelum currerent,incidit in manus meas ad duas horas, nec id ingratum fore lectori existimo.

Doctrina Prosperi Fagnani de probabilitate.

Prosper Fagnanus *Commentariis in lib. 5. Decretalium de constitutionibus c. ne innitaris.*

13. Doctrina de libera electione opinionis probabilis in moralibus hoc sæculo introducta est.Medina primus videtur scripsisse in fauorem probabilitatis. Hæc doctrina ex hoc solo redditur valde suspecta quod sit noua & à consuetudine Ecclesiæ

clesiæ exorbitans dicente Apost. ad Hebr. 13. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.*

Extenderunt hanc doctrinam ad lectores & magistros, ad consiliarios & iudices,ad medicum quem posse præbere medicinam, quam probabilius putet fore noxiam;si contrarium tamen putet probabile cum non aliud remedium suppetit, estque talus ægri desperata.Valentia 2.2.*disp*.3.*q*.10.*puncto* 2.Vbi ait hoc casu esse intelligendum illud ex Galeno, *interfice audacter*. Alij addunt etsi præsto sit aliud medicamentum vt tenent Azorius *tom*.1. *lib*. 2. *inst. mor. cap*. 17. *q*. 11. Arrag. in 22. *q*. 64.*art*. 4. & alij. Multi etiam putarunt prædictam doctrinam habere locum in essentialibus Sacramentorum, amplius Sacerdotem teneri in Sacramento pœnitentiæ sequi opinionem pœnitentis minus probabilem, etiam posse vti minus probabili circa suam iurisdictionem, etiam in mortis articulo, vt Ioannes Sanchius *in select. disp*. 19.*num*. 8. etiam sine iusta causa differri posse restitutionem, aut fieri per partes.Dicunt insuper ex hac varietate opinionum iugum Christi faciliùs sustineri posse, sine qua plures non saluarentur.

Num. 42. Ego verò quamuis sciam quam durum sit impetum fluminis sistere & doctrinam hanc prurientem auribus principum & priuatorum ac fere omnium mentibus infixam conuellere,tamen fretus clementiâ Dei, qui veritatem diu latere non finit, in medium afferam quæ magis ad illius manifestationem conducere videbuntur.

Num. 44. Proponit quæstionem an opinio probabilis per se sit regula morum, eámque liceat sequi præscindendo à quacumque opinionis oppositæ probabilitate. 1. *Quæstio.*

Num. 60. negat Eccl. 32. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te & antea omnem actum consilium stabile.* Est autem veritas indubitata rei certitudo, vt definit Glossa in Extrau. Ioannis 22. *Sedes Apostolica.* At opinio probabilis hanc indubitatam certitudinem non habet.Imò quod opinamur incertum est, & opinio se habet ad verum & certum.

Consequenter adhibet vsque ad viginti sex probationes ex variis iuribus & authoritatibus, estque hæc vigesima sexta. Supponens illud tanquam principium certum & infallibile, quod in actibus humanis vt quis rectè & cum virtute operetur, requiri vt habeat certitudinem saltem moralem de rectitudine & honestate operationis iuxta illud Augustini *tene certum & dimitte incertum*.At certitudo illa moralis est determinata ad vnum & excludit formidinem de contraria parte. Atque ideò repugnat agere cum certitudine morali & ex opinione.

Nu. 112. respondens ad 5. & 6. negat esse supra humanam facultatem habere moralem certitudinem de omnibus eligibilibus, quia scriptura ad hoc non hortaretur, si esset supra humanam facultatem. Sed faciat vnusquisque quod in se est ad attingendam veritatem & inuocet auxilium Dei. Eccl. 1. *Fili concupiscens sapientiam accede ad illam & Dominus prabebit illam tibi*, confundantur ergo & erubescant sequaces probabilitatum, qui asserunt esse supta facultatem ad veritatem peruenire. Sed quid opus istis opprobriis, impossibile istud morale est, id quod est valde difficile, vt reuera est.

Nu. 121. proponit aliam quæstionem an ex duabus opinionibus oppositis æque probabilibus vel quasi, liberum sit cuilibet sequi vtramque vel alteram quam maluerit.

2. *Quastio.* Pro decisione supponit non implicare duas contradictorias opiniones esse probabiles, nam probabilem esse, nihil est aliud quam veram apparere ex aliquo fundamento non leui. At hoc supponere est petere principium & quod est in quæstione.

Pro resolutione negatiuam sequitur ac nu.110. ad illam difficultatem, quod in dubio nemo sit spoliandus, vides, inquit, quam multæ sequantur ineptiæ ex tua assertione quod homo in foro conscientiæ sit manutenendus in possessione suæ libertatis contra Deum & legem &c. Et nihilominùs etiam si in dubio iudicandum esset pro possessore etiam in foro conscientiæ, quod est omninò falsum: tamen obseruandum est, possessionem stare pro Deo & lege, quandoquidem in instanti quo homo est iudicij capax tenetur legem Dei seruare. Et possessio est semper pro Deo. Adde pro obligatione desistendi ab actione in dubio, cùm tunc non appareat magis licitum quàm illicitum, actioque tunc sit volita seu bona, seu mala. Quod naturæ lex non permittit.

Nu. 244. affert verba Deuter. 17. *in ambiguo iudicio ad Sacerdotem & iudices illius temporis recurrendum esse.* Vnde infertur in ambiguo non licere sequi quamlibet opinionem, sed recurrendum ad summum Pontificem.

3. *Quastio.* Nu. 253. proponit tertiam quæstionem an liceat sequi minus tutam & probabilem videtur enim confundere minus tutum cum minus probabili, in quo est hallucinatio non parua.

Negatiuam tenet affértque plusquam triginta fundamenta, & in progressu narrat quæcumque fere gesta sunt Parisiis circa controuersias morales de pluribus casibus, item in Belgio per Archiepiscopum Meclíniensem, cuius opus laudabile fuisset curare seruari decretum Concilij Prouincialis Mecliniensis,

niensis, in quo ordinatur Confessariis lectio Casuitarum quatuor, sed de his alibi diximus.

Num. 403. Quærit an auctoritas vnius Doctoris in materia morali in qua vertitur periculum peccati, reddat opinionem probabilem. 4. *Quæstio.*

Negatiuam partem sequitur adhibitis tamen limitationibus & exceptionibus ex æquitate adhibendis. Quibus addit. Quod enim vix tolerandum esset in Philosophicis, Theologi nostræ ætatis non pauci in nullâ re magis contendunt, quàm vt certatim in materiâ morum adinueniant plausibiles & ingeniosas opiniones pallio probabilitatis tectas, adeo vt quod maximè deplorandum est, is præclarius agere & maiori laude dignus videatur, qui maius profert paradoxum. Quæ quantùm conueniant cum Iansenio Iprensi, perspicient qui librum eius procemialem legerunt, de quo satis diximus in *Summâ Conciliorum*. Neque nos quorumlibet Casuitarum patrocinium suscipimus. Sed vt ad quæstionem redeamus, iam diximus initio huius quæsiti in quo casu liceat sequi opinionem vnius doctoris, quare illiteratus debet petere consilium à magos litteratis, & plures vni præferre.

Cæterùm Prosperi Fagnani Canonistæ eruditi liber est editus Romæ an. 1661. meminit quoque obiter candidi Philaleti, quem ait esse Andræam Blancum S.I. Presbyterum, quem primum fortiter compescuisse probabilitatem asserit: satis autem Philaletus se prodit esse Iesuitam *in q.* 7. vbi vocat Sanchez doctissimum nostrum patrem, ac propter ea nolens sub proprio nomine scribere, sibi Candidi nomen attribuit, Philaleti verò cognomen, quasi nihil aliud, quàm veritatem diligeret. Conuenit autem cum Philaleto in doctrinâ ferè quoad omnia. Nam quatuor eius resolutiones in Philaleto tractantur eadem methodo, nisi quod Prosper Fagnanus fusior est in rationibus congerendis, ac minus obscurè primam suam resolutionem viginti sex rationibus fultam proponit, scilicet quod ad licitè agendum, necessaria sit certitudo moralis, quæ sit sine formidine oppositi, nec sufficit opinio probabilis quæ compatitur illam formidinem, nec distinguit inter certitudinem Physicam quæ excludit quamlibet formidinem & moralem, quæ tantùm rationalem respuit. *Quis Philaletus.*

Sed nec meminit eius distinctionis quam scitè docet in *Pharo scientiarum* disp. 4. q. 1. Sebastianus Isquierdo, quâ distinctione adhibitâ maximè debilitantur eius probationes.

Vndè & hanc resolutionem, quæ contra ea quæ diximus magis militat, absurdam & falsam existimo nec admitti

posse aut probari ab vllo Theologo qui secreta animarum piarum diu & sæpe persenserit, cum ex illis plures metu percellantur ne sit aliquod delictum in maiori parte suarum actionum: ita vt necesse sit sæpius illius indicere, vt nonobstante illo metu confiteantur, communicent Sacro sanctæ Eucharistiæ & plura etiam negotia sæcularia agant quæ animæ si peccarent propter illam formidinem, nihil aut parum esset sanctitatis in Ecclesia. D. Paulus damnandus esset qui tali timore concutiebatur in suis operibus, dicens *nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Et alibi *cum metu & tremore salutem vestram operamini,* & Salomon centies timorem Domini inculcat. *Beatus vir qui semper est pauidus. Timor Domini cum electis mulieribus graditur.* Et Dauid *seruite Domino in timore & exultate ei cum tremore.* Et Iob in lege naturæ dicebat *verebar omnia opera mea sciens quod non parceres delinquenti.* Nihil frequentius in scriptura & in Sanctorum vitâ. Sed nec actus fidei immunis est ab omni formidine irrationali, quantò minus actus moralis, vt mirum sit viros veritatis amantes id non perspexisse & paradoxum arbitrari, quod ab omni æuo creditum & retentum fuit.

Quod spectat ad secundam resolutionem, quod non liceat sequi alteram ex duabus sententiis æquè probabilibus. Id verum est in propositionibus oppositis contrariè aut contradictoriè, non in disparatis quæ se inuicem non destruunt. Nam liberum erit pœnitenti dare eleëmosynam, vel in frumento, vel in pecuniâ, si æquè probabile sit subuentum iri vtroque modo necessitati pauperis.

De tertia propositione sufficit eadem circa Philaletum distinctio adhibita.

Quartam resolutionem de sequendo vno Doctore in aliqua difficultate, quia adhibet limitationes debitas, improbandam non putamus.

Rationes verò eius omnes, in quantum sunt contra nos dissoluere nimis prolixum esset: nec breuitas à nobis intenta permittit vt tot certas impleamus, sed nec necessarium id iudicamus, cum maior pars difficultatum, quas ibidem tangit, partim iam ex dictis dissolutæ sint, partim verò dissoluendæ ex dicendis suo loco in progressu harum quæstionum.

Ex his porro sic differtis ac eo ordine dispositis quo gradatim nobis innotuerunt, concludi poterit confessarium, aut alium quemlibet posse amplecti opinionem probabilem fultam sufficiente ratione, aut authoritatem pondere, non obstante formidine aliquâ irrationali de oppositæ veritate. In comparatione

paratione vero minus probabilis & magis probabilis opinionis, vbi erit quæstio circa contradictoria, debere, semper sequi magis probabilem, seu in consilio dando, seu in absolutione pœnitentis, cum vtramque veram esse opinari non possit, & in ista comparatione, cum sit expressè, ponderando vtriusque motiua, minus probabilis debeat haberi falsa & non nisi abusiuè probabilis: secus vero in disparatis propositionibus & non contradictoriis.

Atque vbi rem examinauerit secundum omnia motiua quæ poterit, vt rem se satis percipere prudenter confidat, iuxta illam debet cum suo pœnitenti agere, eumque ab errore & falsa opinione sua liberare, qui si in istis minus complacentem Confessarium habeat id suorum negotiorum grauitati imputet, nec aliter intelligimus quæ in præcedenti quæstione ex aliorum sententiâ cum aliquâ ambiguitate proposuimus, vt res ventilaretur, antequam determinaretur. Vt mouet Arist. lib. 3. *Metaph.* cap. 1. *Ad illam quæ quæritur scientiam, necesse est in primis nos percurrere, de quibus primo dubitandum est*

Quæritur decimoquarto an cum Pœnitens se accusat de aliquo actu, sit interrogandus, num dum perpetraret, eum peccatum esse mortale existimaret.

Potest Confessor supponere quòd qui confitetur aliquod peccatum, scienter illud commiserit, & ista circumstantia de cognitione peccati implicitè continetur in accusatione peccati, etsi non exprimatur à Pœnitente. Nec etiam tenetur exprimere, quia quod communi iure inest alicui rei, non est necessariò exprimendum. Sed iure communi præsumitur eum qui peccauit, scienter peccasse; ergo etiam qui confitetur peccasse, confiteri videtur se scienter peccasse: & hinc concludit Nauarrus in Comment. de Pœnit. Dist. 5. in cap. *consideret in principio*, contra Adrianum, eum qui contra legem Dei, & suam conscientiam peccauit, non teneri id expresse explicare, & nisi addat se ignoranter errasse, videri confiteri se scienter deliquisse: quod certè, inquit, meam, quæ aliquando fuit scrupulosa, conscientiam suauiter consolatum est.

Addit tamen necessarium esse in vno casu, confiteri aliquid factum fuisse contra conscientiam, quando scilicet nullam ob aliam legem id erat peccatum; nisi quia contra conscientiam erroneam factum fuit. Quibus præsuppositis pro soluendâ quæstione propositâ videtur distinguendum esse inter Pœnitentes, quorum aliqui periti sunt rerum moralium, & satis instructi in rebus spiritualibus, alij verò partim ad modum in iisdem versati sunt. Hi ergo vltimi sæpe sæpius in-

terrogandi erunt pro prudentia Confessarij, num peccatum aliquod opinarentur, aut subolfacerent in actu illo, de quo se accusant. Quia si nihil peccati subodorati sunt, peccauerunt magis materialiter, quàm formaliter,& de eo propterea se accusant quod resciuerint postea ibi inesse peccatum.

Quamuis adhuc distinguendum sit inter ea quæ pertinent ad principia legis naturalis, qualia sunt quæ præceptis legis Decalogi exprimuntur, quæ cùm non fuerint apparenter ratione boni alicuius vestita, nemini adulto ac rationis compoti ignorare licet, & inter ea quæ ex illis principiis ductu rationis eliciuntur, quæ multi simplices ignorant, ignorantia inuincibili, quâ proindè à peccato immunes sunt, vt sunt plures actus interni cogitationum,aut desideriorum prauorum,atque etiam multi tactus impudici inter iuuenes rusticos, de quorum malitia penitùs non cogitant,quoadusque interrogentur, vel aliquid legant, aut audiant, quod eorum memoriam, & conscientiam excitet. Ita Henricus à Gandauo *quodl.* 14. q. 33.

Si autem cogitationem de peccato inexistente tali actui habuerunt, & si cum abstractione à mortali, vel veniali, tunc censet idem Nauarrus in *Manuali prælud.* 9.*num.*9. ad peccatum mortale non sufficere quod conscientia dictet esse peccatum in communi, sed quod dictet esse mortale. Cui sententiæ suffragatur Gregorius Valentia *to.* 2. *disp.* 2. *q.* 14. *puncto* 4. & Mæratius *tract. de bonitate & malitiâ actuum humanorum disp.*9.*sect.*3. Accedit Faber Fauentinus *l.*4. *sent. dist.*14. *disp.*7. *c.* 1. vbi refellit Vasquesium existimantem sufficere ad mortale, quod quis consideret esse malum in communi in actu aliquo, vel dubitet, quia sic exponit se periculo peccati mortalis. Sed nimis erecta esset & rigorosa via salutis. Accedit quod vt dicebat Scotus, Deus non est pronior ad condemnandum,quàm ad miserandum: ergo sicut Deus non acceptat quemcumque actum quem homo cognoscit esse bonum vel putat esse bonum, vt puta attritio, sed requirit actum valde bonum, scilicet contritionem: ita non est dicendum quod velit damnare aliquem propter actum quem putat vel dubitat esse malum in communi: non tamen iudicat nec dubitat, an sit graue & mortale, sed solum esse in genere mali: quia sic existimare videtur esse peccatum & malum leue. Nec obstat dictum diui Pauli 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Quippè vult tantum significare se reum esse posse,etsi conscientia eum non accusaret, propter aliquod peccatum obliuioni traditum.

1.2. *disp.* 59. *c.* 3.

In

In hac difficultate videtur, eum qui operatur, cum cogitatione quod res sit mala in communi, non determinando an mortaliter, vel venialiter peccare eâ specie peccati, quæ inest ipsi actui: qui enim taliter operatur, vult malum illius operationis qualecumque sit, vnde peccabit tantum venialiter, si res sit tantum mala venialiter, mortaliter verò peccabit, si res sit grauis momenti & ex se sufficiens ad mortale. Quare huiusce rei inuestigatio magni est momenti ad discendum statum Pœnitentis, & ad quem gradum malitia eius ascendat.

Quæritur decimoquintò an cùm satis perspiciat Confessarius ex gestu, & habitu personæ; Pœnitentem commisisse quidem multos actus peccaminosos, sed cùm ignorantiâ inuincibili, cum inaduertentia, aut indeliberatione, ita vt sit tantùm in iis peccatum materialiter non formaliter, vt loquuntur Theologi, debeat eum interrogare de his actibus.

Respond. videri posse quibusdam quod debeat interrogare, vt eum instruat, non secùs ac concionatores debent annuntiare mala quæ perpetrantur; etiamsi plures, qui ea committunt, nesciant in iis peccatum esse: verum est ex istis interrogationibus consequuturum aliquando, vt iam peccent formaliter, & illis à Deo imputetur ad reatum pœnæ æternæ, quod antea non imputabatur, si nimirum ad eosdem actus redeant, quos iam sciunt esse peccata. Sed vt hæc ratio non deterruit Christum Dominum à legis suæ promulgatione, dicentem Ioan. 15. *Si non venissem & loquutus eis fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habet*; Ita nec debet arcere Confessarios, quò minùs detegant peccatum & offensam Dei vbi inuenitur, cùm ea de causa constituti sunt à Deo super pœnitentes, vt eorum morbis medeantur, inter quos non vltimum locum tenet ignorantia, quâ sublatâ, si deterius aliquid illis contingat, debent sibi ipsis imputare.

Verùm cùm Confessarius debeat intendere, & procurare bonum maius pœnitentis, videtur quod in huiusmodi casibus debet potius dissimulare, & abstinere ab interrogationibus. Nec prodest afferre exemplum concionatoris, qui non desinit prædicare, etsi præuideat per accidens aliquos inde fore deteriores post notitiam veritatis: vt enim optimè aduertit Canus *in relect. de Pœnit. parte 6.* Concionator est Doctor publicus, cuius doctrina licet aliis sit odor mortis in mortem, debet tamen populo tradi, vt aliis sit odor vitæ. Nam, vt ait D. Ambrosius sermon. 83. *Prædicatio Sacerdotis in plebe, saluandis correctio est, contestatio iudicandis.* Doctrina ergo quæ ad bonum publicum ordinatur, propter malum priuatum, non

est intermittenda. At doctrina quæ bonum priuatum, pro fine habet, cessante fine, id est priuato bono, cessare debet; talis est autem doctrina Confessarij pœnitentem instruentis. Ita etiam censet Suarez *de Pœnit. disp.* 32. *sect.* 4. confirmátque exemplo Medici, qui non debet adhibere Medicinam, si timeat maius damnum allaturam, quàm fructum. Vndè si pœnitens coniugatus esset cum impedimento irritanti, vel coniugandus, qui esset in ea dispositione, vt nullum vellet adhibere remedium, quamuis impedimentum manifestaretur à Confessario, tunc melius esset relinquere pœnitentem in bonâ fide.

Secùs esset si interrogaretur à Pœnitente Confessarius; deberet enim veritatem manifestare, ne conscius esses erroris approbati.

Cæterùm quod dicimus debere Confessarium abstinere ab interrogationibus, id non est intelligendum vniuersaliter. Plures enim casus sunt in quibus non obstante scandalo Pœnitentis qui perseueraturus est in actu cuius malitiam agnoscet, interrogandus tamen est à Confessario. Putà primò si actus ille redundaret in malum publicum & commune; vt enim bonum quò communius, eò melius, ita malum publicum magis euitandum, quàm particulare. Si quis ergo inuincibiliter haberet aliquas erroneas opiniones, falsa dogmata; item si quis ignoraret se non esse Sacerdotem, qui Sacerdotis munia obiret, proculdubio de iis interrogandus esset à Confessario. Putà secundò, quòd etsi pœnitens ad aliquod tempus in eo actu perseueraturus sit, attamen spes sit, quòd interrogatio illa breui fructum bonum habitura sit, vt magis ordinariè accidit.

Quæritur decimo-sextò an interrogandus sit pœnitens de huiusmodi actibus, quando Confessarius dubitat an interrogatio profutura sit, vel obfutura. Quia si interroget Confessarius, exponit se periculo damni inferendi; si non interroget, videtur deesse Officio Pastoris, Doctoris & Medici.

Respond. probabilius videri interrogandum esse Pœnitentem. Quia tota ratio cur non esset interrogandus, esset damnum proximi, quod præuidetur futurum, si aperiatur illi malitia actus in quo nihilominus perseuerabit. At quando res est dubia, non verè præuidetur malum proximi, idcirco cessat ratio cur non interrogetur. Cùm aliundè pertineat ad officium Confessarij interrogare; quamuis non sit certus de fructu, & profectu interrogationum. Sed & quamuis difficile nobis esset rationem reddere huius assertionis, non desinit tamen videri nobis probabilior. Sunt etiam aliquæ propositiones in moralibus

moralibus quæ probabiles statim primo intuitu veræ apparent, etsi rationem satis explicare non detur.

Nota verò nos hîc loqui in casu in quo dubitat Confessarius: si enim probabiliter credit interrogationem obfuturam, ab ea debet abstinere, quæ est Sententia Magistri Cani Episcopi Canariensis loco citato in præcedenti quæstione. Nam frustra niti, & nihil aliud quàm laborando odium quærere (vt Salustius ait,) extremæ dementiæ est, & D. Augustinus *de Pœnit.* Dist.7.*c. si quis, Ideo,* inquit, *do tibi Pœnitentiam, quia nescio, nam si scirem nihil tibi prodesse, non tibi darem, nec te admonerem.* Ratio quoque perspicua est, quia nulla lex obligat ad actus inutiles otiosos. Item sicut correctio ad bonum illius qui corripitur, ita Confessio ad bonum Pœnitentis ordinatur. Sed quando scio nihil me mea admonitione profuturum, non teneor fratrem corripere, aut delinquentem, aut ignorantem. Nam ex fine ratio mediorum.

Id verò intelligendum est, si nec statim, nec postea fructus admonitionis speratur. Deinde cùm verisimiliter credo hanc ignorantiam duraturam. Nam si aliundè constaret submouendam esse ab alio, videlicet Confessore qui imprudentiùs mederetur illi malo, certè consultiùs ignorantem admonebo, præterquam, si remedium est intolerabile.

Quæritur decimo-septimò, an cùm Pœnitens accusat se de aliquo peccato, debeat Confessarius eum interrogare, an sit assuetus huiusmodi peccato sæpiúsque in illud lapsus fuerit ante vltimam Confessionem à cuius tempore se accusat.

Qui existimant Pœnitentem posse istud occultare Confessario, & eam æquiuoco responso negare, consequenter existimabunt huiusmodi interrogationes non esse proponendas à Confessariis. Verùm dicendum est, quòd vt Confessarius vituperandus esset, qui semper & ad singulas accusationes pœnitentis has interrogationes repeteret: sic etiam laudandus qui aliquando & prudenter, cùm interest pro bono pœnitentis vt status eius cognoscatur in aliquibus peccatorum speciebus, de consuetudine & actibus præteritis interroget. Aliter enim se gerere debet cum eo qui à decem aut pluribus annis quotidie Deum plasphemat, furatur, aut luxuriæ mollitieive immergitur, quàm si id rarò fieret & cùm longè minore propensione. Vtiliter enim differtur communio ad aliquot dies, forsan etiam absolutio, huiusmodi peccatoribus. Alia remedia, & satisfactiones medicinales adhibentur, aliæ etiam admonitiones.

Nec iuuat obiicere Pœnitentem per huiusmodi interrogationes adigi ad peccatum iam legitimè confessum iterùm confitendum,

fitendum, quod nullâ potestate humanâ fieri potest. Etenim non id fit vt peccata præterita & per Confessionem præteritam deleta, iterùm exponat tanquam materiam absolutionis, quod nullâ authoritate humanâ fieri posset; sed tantum vt eâ manifestet tanquam media necessaria ad aperiendum statum suum præsentem, qui aliâ viâ cognosci non potest. Sic qui incestum commisit cum sorore vxoris, de quo confessus est, si ab ea debitum petat, peccatum illud aperiendo, debet etiam aperire incestum præteritum. Sic qui duxit vxorem cuius aliàs matrem carnaliter cognouit, non potest peccatum præsens explicare; quin turpitudinem præteritam detegat, quantumcùmque de eâ absolutionem anteà consecutus fuerit. Sic qui non restituit, furta præterita debet aperire. Veruntamen in istis Confessarius non debet esse nimius, sed vt in multis aliis sapiat ad sobrietatem.

Quæritur decimo-octauo an teneatur Confessarius interrogare Pœnitentem de peccatis venialibus.

Respond. Confessarium non habere maiorem obligationem ad interrogandum, quàm habeat Pœnitens ad se accusandum; certum est autem ex definitione Concilij Tridentini *Seß.14. de Sacrament. Pœnit. c. 5.* neminem obligari ad Confessionem peccatorum venialium. Nihilominus aliquando tenetur Confessarius interrogare, vt si aliquis communicaturus afferat tantùm ad sacrum tribunal aliquas imperfectiones quæ non habeant rationem veri peccati venialis, si Confessarius velit impendere absolutionem, debet saltem inquirere de venialibus vt habeat materiam sufficientem pro Sacramento administrando: & nonnunquam vtile erit interrogare nec remittere cum sola benedictione absque absolutione, vt pœnitenti vi absolutionis & directè remittantur venialia, & concomitanter mortalia, si quæ occulta habeat.

Cæterùm cùm Confessarius habet aliquos Pœnitentes ordinarios qui vix peccant nisi venialiter, eumque adeunt, vt ad aliquam vitæ perfectionem promoueantur eius directione, quicquid sit de præcepto, & de necessitate, non debet omittere, si tempus dederit, interrogationes requisitas ad detegendam omnem malitiam venialibus peccatis annexam, tùm vt horrorem maiorem illis incutiat, tùm vt satisfactiones magis commensuratas imponat, tum vt remedia magis efficacia adhibeat, tùm etiam vt viâ absolutionis securiori, eorum animas ab iisdem peccatis integrè eripiat. Videtúrque esse ista mens omnium Pœnitentium qui vitæ suæ spiritualis regimen committunt Confessariis quos in directores assumunt.

Quæritur

Quæritur decimo-nono an in Confessione generali debeat Confessarius interrogare Pœnitentem se accusantem de peccatis, an illa aliàs Confessus fuerit.

Si Pœnitens minus sit instructus, debet de aliquibus peccatis sic interrogari, vt detegantur Sacrilegia eius in Confessionibus, & Communionibus præcedentibus, si sciens & memor absque causâ sufficienti omisit. Si verò agatur de peccatis commissis ab vltimâ Confessione, interrogatio ista non videtur magis necessaria, quàm vtrum peccata quæ confitetur, deleuerit per actum contritionis, qua de re non inquiritur. Consultum tamen est ob multas rationes præmittere Confessionem peccatorum ab vltimâ legitimâ Confessione, deindè generalem cæterorum peccatorum. Vbi tamen antecedentes Confessiones inualidæ apparent ab initio Confessionis, præstaret absque aliâ distinctione rescire numerum Confessionum præteritarum quæ sacrilegæ fuerunt, tum omnium peccatorum, seu declarata fuerint aliàs, seu nunquam declarata.

Quæritur vigesimò cùm Confessarius ex Confessione rustici hominis satis deprehendit ipsum in præcedentibus Confessionibus nunquam declarasse numerum aut speciem vltimam peccatorum mortalium, an de tali defectu ipsum debeat interrogare, vt sic curet ipsum reiterare præteritas Confessiones?

Respondeo praxim magis ordinariam esse, vt abstineant Confessarij ab huiusmodi interrogationibus, quòd supponantur huiusmodi Confessiones validæ, & non necessariò repetendæ, quòd scilicet Confessarius, qui statum talium hominum perspectum habet, ex modo confitendi eorum, notitiâ sufficienti eorum conscientiam inspiciat, quam ipsimet aperiunt grosso suo modo iuxta suam capacitatem, Vnde non videtur necessarium tam graue iugum Confessariis perspicacioribus imponere. Cui responsioni maximè fauet opinio Cani in *relect. de Pœnit. part. 6.* qui quærens an Confessio ex negligentiâ mutila & manca non quidem penitus crassâ & supinâ, sed culpabili tamen, sit à Pœnitente iterum facienda. Cui quæstioni respondet ex sententia Caietani talem Confessionem non esse repetendam; sed si postea in memoriam peccatum illud negligenter omissum venerit, sat erit illud confiteri, & negligentia in conscientiâ examinanda, ac proinde sacrilegium illud quod in suscipiendo Pœnitentiæ Sacramento commissum est. Suadetur, quia moraliter loquendo, talis Confessio est integra, cùm intendat Pœnitens omnia confiteri quorum habet memoriam. Item quia aliàs nimiùm anxios redderemus scrupulosos, imò piorum etiam animos turbaremus,

perpetuâ

perpetuâ iterandæ Confessionis sollicitudine : verentur enim sese in examine conscientiæ negligentes extitisse. Addit. Si quis mercator non confitetur de aliquo contractu quem licitum credebat ex culpabili ignorantiâ , & muliercula aliquam superstitionem , &c. non arbitror equidem tam criticos ac seueros Iudices futuros,vt omnes horum anteactas Confessiones,iubeant iterari : intrepidè cum Caietano tenere possumus, eiusmodi Confessiones repeti non debere.Hæc Canus.

Fatendum tamen est præcedentes Confessarios maximè oneri suo defuisse , dum à iuuentute , non procurauerunt , vt tales integrè confiterentur quoad numerum & species , sicque assuefierent integræ Confessioni,quantùm moraliter fieri posset,neque enim integritas illa metaphysica esse debet. Porrò quod dicitur hîc de rusticis , intelligendum est de cæteris qui minùs subtiliter peccata confiteri solent.Quibus etsi non semper sit necessaria Confessionum repetitio,vtilissimè tamen aliquando consulitur cùm magis instructi fuerint.

Quæritur vigesimo-primo an debeat Confessarius Pœnitentes de imperfectionibus voluntariis interrogare,vt quod inspirationibus diuinis non consenserint , quod non ita feruenter Deum amauerint , aut ornauerint,&c.

Non solùm non debet Confessarius de huiusmodi imperfectionibus interrogare , sed etiam secundùm aliquos prudentiùs ageret , si impediret Pœnitentes ab huiusmodi accusationibus,quibus veluti obruitur materia sufficiens absolutionis, ne detegatur à Confessario. Et sanè videtur esse magis imperfectorum,imperfectiones in Confessione Sacramentali congerere,quas meliùs in Confessione interiori & spirituali coràm Deo facta , agnosceret peccator. Puriùs igitur & perfectiùs confitetur qui nihil affert in Confessione , nisi quod est materia sufficiens saltem absolutionis. Attamen quia perfecti inter homines rari sunt , & superflua non nocent , tolerari poterunt sæpissimè tales accusationes , & ex iis conabitur Confessarius maiorem notitiam status Pœnitentis haurire, vt Medici officio erga eum defungatur in remedio debito adhibendo. Maximè autem tolerari poterit accusatio de resistentiâ contra inspirationes diuinas in transgressione alicuius præcepti : talis enim resistentia peccatum est , licet non sit distinctum ab ipsa transgressione in quo continetur , & in cuius declaratione sufficienter declaratur. Aliud est de resistentiâ contra inspirationes in rebus non præceptis , quæ non est peccatum,provt definitum est à facultate Parisiensi , me præsente in censura latâ tertiâ die Maij an. 1638. in librum Gallicum inscriptum

Censura fac.Paris.

scriptum *de la sainte Virginité.* Hæc Doctrina quâ docet opera Concilij vbi inspirata sunt & applicata per inspirationem huic vel illi personæ, esse obligatoria & transire in præceptum, est falsa, periculosa, & conscientiarum perturbatiua & erronea.

Quamuis autem sufficeret authoritas facultatis Theologiæ Parisiensis ad hanc doctrinam firmandam & persuadendam: arridebit tamen nonnullis si etiam ab exteris aliquam illi vindiceraus. Hanc igitur sententiam manifestè docet præter Doctores Parisiensis Ioannes Sanchius Doctor Hispanus *in selectis, disp.1.num.6.* Pœnitens inquit, admittens imperfectiones, vel putat venialia peccata committere, vel non: si putat, cum tunc ex conscientiâ erroneâ delinquat venialiter, eas fateri licitum & vtile; at tunc à Confessario instrui debet peccata venialia nullo modo esse; ne deinceps ex errore peccet in eo quod peccatum nequaquam est: si verò putet peccata non esse, sed solum imperfectiones, ad quid illas confessioni subiiciet? cùm respectu illarum Sacramentalis Confessio minimè instituta fuerit, &c. Et sanè si scrupuloso non permittitur scrupulos confiteri, quantumcumque ex conscientiâ scrupulosâ putet esse peccata, minus permissum erit illi imperfectiones confiteri qui certò scit peccatâ non esse.

Obiicit deinde videri posse saltem religiosos debere imperfectiones confiteri, cùm teneantur ad perfectionem tendere, conatúrque soluere hoc argumentum, ad quod respondemus, nos satis dilucidè, prout Deus dedit, explicauisse obligationem religiosorum tendendi ad perfectionem, toto ferè tractatu quarto Theologiæ affectinæ seu Thomæ meditantis, qui est vltimus secundæ partis secundæ Vbi diximus religiosum tendere ad perfectionem eo ipso quod vota sua & regulas obseruat: ex hac enim diligenti & assiduâ praxi, nascitur habitus ipse perfectionis, qui nihil est aliud, quàm promptitudo & facilitas quædam tum ad consilia, tum ad regulas & constitutiones proprias religionis obseruandas. Quare non est opus quòd religiosus alio modo se accuset de imperfectionibus, nisi quòd debet se accusare quod votis suis defuerit, aut forsan regulis & constitutionibus, si sub pœna peccati mortalis incurrendi, aut venialis latæ fuerint, in quo vltimo casu potest se reum fateri, quia venialia confiteri licitum & vtilissimum religiosis. *Tendere ad perfectionem quid.*

Quæritur vigesimo-secundo. An debeat Confessarius examinare Pœnitentem num dolorem habeat de peccatis, de quibus confitetur? *De Examine doloris.*

Respond. Ordinariè Pœnitentes non esse interrogandos, an habeant

habeant istum dolorem de peccatis, in quo etiam includitur propositum vitandi peccata in futurum. Potest enim Confessarius, cùm confitentes instructi sint de Sacramento Pœnitentiæ, & de iis quæ ad illud debitè suscipiendum requiruntur, præsupponere eos non accedere ad confitendum peccata, sine aliquo dolore, cùm eo fine accedant, vt ab eo statu malo, & statu damnationis in quo putant se constitutos esse per peccatum, exeant: moti ad hoc per motiuum fidei, quæ docet illis Confessionem, remissionem peccatorum operari, & liberare à statu damnationis. Accedit quòd accessus Pœnitentis ad Sacerdotem cum humilitate, & genuflexione, signum sit doloris, maximè verò humilis accusatio peccatorum. Quod etiam locum habet, vt plurimùm, etiamsi Pœnitentes dicant se non accedere cum sufficienti dolore, qui mos est plurium iure merito reformandus, quia per hoc non volunt significare se carere omni dolore; sed non habere ita magnum & vehementem vt desiderarent, pro magnitudine peccatorum. Si enim intelligeretur eos omni prorsus dolore carere, remittendi essent, vel disponendi ad actum doloris sufficientem.

Vt igitur res ita sese habeat magis ordinariè: Attamen operæ pretium est, vt aliquando Confessarius diligentiam adhibeat circa inuestigationem doloris, vt cùm Pœnitens apparet valdè rudis, & confitetur sua peccata modo quodam indifferenti, quasi Historiam quamdam narraret, tunc enim necessarium videtur, vt Confessarius interroget illum, num ex animo peccatum abhorreat, & proponat seriò ab illo in posterum abstinere. Cui asserenti credere tenetur, cùm corda non penetret. Nonnumquam etiam illi proponat quædam motiua contritionis, aut doloris de peccato, vt quod per illud Deus infinitè adorandus, & amandus pro nihilo ducatur, ac si nullam reuerentiam, nullámque amorem illi deberet rationalis creatura, quæ est ingratitudo, & deformitas summa in creaturâ quæ totum bonum suum, & à Deo recepit, & ab eodem sperat.

Excitātia ad dolorem. Proponat illi aliquando multos à gloriâ æternâ excidisse, & in infernum cum damnatis detrusos, qui non tot peccata commiserunt, ac ipse Pœnitens commisit. Stimulari damnatos inuidiâ contra ipsum, vt qui adhuc spirat in terra, & sperat veniam, cum peccatis longè pluribus, & grauioribus, quàm vnquam ipsorum fuerint. Dicat illi aliquandò vnicum peccatum sufficere ad æternam damnationem animæ, ipsum autem peccasse super capillos capitis sui, vt ex ipsius peccatis, si dispergerentur, plures damnati constitui possent. Dicat alteri: equidem Turcæ ipsi, & barbari infideles qui Christum non nouerunt,

sunt, te non sunt peiores, minùs contra Deum blasphemant quàm tu ipse; præ te iustificati apparent, qui horror in Christiano homine? Nonnunquam commouebit eos ad dolorem, vt sæpe expertus sum, iniungendo eis inter alia, vt dicant decies ista verba per singulos dies, spatio vnius mensis. *Deus æterne tibi gratias refero quod non sim in profundo inferni, propter crimina mea.* Innumera sunt eiusmodi motiua quæ spiritus pietatis suggerit piis Confessariis, vt aliquando paucis verbis pungant Pœnitentium corda. Præstabit etiam nonnunquam audita ipsorum Confessione, eos remittere pro spatio quadrantis, aut semihoræ, vt cogitent seriò, si peccata abhorreant, & firmiter statuant ab iis in posterum abstinere, vt cum redierint, non dubitet amplius Confessarius de ipsorum dolore.

Cæterùm nonnulli anguntur, num dolor Pœnitentium verè sit supernaturalis in entitate, & immediatè ex instinctu gratiæ Spiritus sancti. Sed quicquid agant Confessarij, secretum istud penetrare non poterunt, & frustra ordinariè conabuntur scrutari: cùm enim Christiani sint qui accedunt ad tribunal Pœnitentiæ, ducuntur motiuo fidei, quia Christiani sunt, & sperant deleri peccata per Sacramenta, & Deo reconciliari, & per hoc in via salutis se constituere, quod saltem mediatè est ex gratiâ & instinctu Spiritus sancti: cùm igitur proponant sibi obiectum supernaturale, hoc debet satis esse Confessariis, cùm non possit certitudo haberi de principio supernaturali, atque etiam de entitate supernaturali huius actus, vt frustra laborem insumant, qui illud principium sibi certum esse desiderant: sed de hoc vide supplementum 1. *theol. affect.* quod est summula *de ente supernaturali.* *Dolor supernaturalis*

Difficultas autem maior est cùm pœnitens se accusat de defectu doloris in præcedentibus Confessionibus, idque verè, quia reuerâ caruit dolore contritionis, vel attritionis. Sententia autem est communis necessariam esse in hoc casu reiterationem præcedentium Confessionum, cum vero dolore de iisdem, quia præcedentia Sacramenta Pœnitentiæ caruerunt materiâ necessariâ, scilicet dolore. Vnde tenetur Confessarius monere ipsum, vt se accuset à tempore vltimæ Confessionis, in qua nihil defuit idcircò; eam debet exquirere, eiusque tempus: non enim recepit gratiam per præcedentes Confessiones non dolorosas. Neque etiam sufficit, vt post absolutionem conteratur de peccato, vt eius recipiat effectum, quemadmodum is qui fictè suscepit baptismum. Quia dolor est materia essentialis Sacramenti pœnitentiæ,

ideò si desit dolor, nullum est Sacramentum,& necessariò reiterari debet.

Contrà hanc communem Doctrinam quæ seruanda est pro praxi à Confessariis, docet Canus in *relectione de Pœnit.parte* 6. & multi Thomistæ cum eo, post D. Thomam in 4. *sent. dist.* 17.*q.* 3. *art.* 4.*q.* 1. Confessiones istas non esse necessariò repetendas,sed per dolorem postea accedentem illas suum effectum consequi, non secus ac qui fictè baptisatus est, accedente postea dolore de peccato, sine reiteratione baptismi, effectum baptismi consequitur, scillicet gratiam & remissionem peccatorum.Quæ opinio si vera esset, non modicum solatium Pœnitentibus, & Confessariis afferret, dum tam sæpè Confessiones totius vitæ reiterandæ veniunt, propter defectum doloris, vel verum, vel ita existimatum:sufficeret enim Pœnitentibus qui putant se nunquam verum dolorem habuisse,se accusare de defectu doloris in præcedentibus Confessionibus. Prima autem ratio Cani est. Quod oportet semper homines esse sollicitos de reiterandis prioribus confessionibus, cùm nullus certò cognoscat se dolorem sufficientem habuisse, cùm confiteretur. Sed hæc ratio non vrget multùm, cùm homo possit experiri actum doloris sui, adeóque sufficienter illum cognoscere, vt de bono statu suo certitudinem quamdam concipiat, non quidem fidei, & infallibilem, sed moralem quæ satis sit ad tranquillitatem, & pacem conscientiæ,deindè quòd dicit Canus de dolore præcedentium Confessionem, idem dici posset de dolore accedente posteà; cùm enim non minus pateat homini, semper deberet esse sollicitus de eo,vt reiteraret,& optimè illum haberet,

Pœnitentia non reuiuiscit.

Secunda ratio Cani est, quòd dolor non sit magis pars essentialis Sacramenti quàm satisfactio quæ est tantùm pars integralis, & si dolor sit pars essentialis, non tamen necesse est,vt præcedat absolutionem, sed sufficit quamuis sit ordine posterior. Quemadmodum, si dolor sequeretur Confessionem, haberetúrque in momento, in quo datur absolutio, sufficeret ad consequendum effectum absolutionis. Sed ad hanc rationem responderi potest Pœnitentiam administrari per modum Iudicij, in quo satisfactio tenet locum mulctæ, vel emendæ quæ magis ordinariè soluitur post finitum iudicium, & pronuntiatam sententiam: ideò satisfactio adimpletur post sententiam absolutionis, & cum datâ absolutione sequatur statim eius effectus, satisfactio non potest esse nisi pars integralis, quæ supponat finitum esse iudicium pœnitentiæ secundùm essentialia, requiratúrque ad eius

eius complementum, & perfectionem totalem, ad quam conferunt etiam ea quæ non sunt essentialia; contritio autem non tenet locum mulctæ & emendæ, ideò non est eadem ratio cur sequi possit absolutionem, quemadmodùm sequitur satisfactio. Imò est ratio peculiaris, cur debeat præcedere, scilicet institutio Christi, qui ita voluit vt Pœnitentiæ iudicium imitaretur iudicium ciuile & humanum; ita tamen, vt differret in vna re, quòd scilicet in iudicio humano condemnetur qui crimen fatetur, vndè iudicium humanum est iudicium iustitiæ: at in iudicio Pœnitentiali absoluitur qui crimen cum dolore fatetur: cùm itaque talis sit institutio Christi non sufficit dolor post absolutionem, sed illi debet esse præuius ex institutione Sacramenti, cuius est prima pars essentialis. Vndè constat manifestum discrimen inter Pœnitentiam, & cætera Sacramenta quæ quis cùm fictè receperit, id est sine dolore, recedente fictione recipit eorum effectum, qua scilicet dolor est tantùm dispositio ad illa fructuosè recipienda, non est eorum pars essentialis: at contritio, seu dolor respectu Pœnitentiæ, non est dispositio ad eam, sed pars eius essentialis.

Tertia ratio Cani est quòd Confessio ex culpabili negligentiâ non integra, modò non sit ex intentione expressâ mutila, repetenda non est: ergo idem videtur esse de Confessione non dolorosa, cuius tantùm supplendus erit defectus. Sed quicquid sit de antecedenti, non sequitur. Quia in tali Confessione mutila, modo quo dictum est, affertur essentialis materia Sacramenti ex parte Confessionis, quæ est Confessio omnium mortalium quorum quis habet memoriam, quod hîc obseruatur. At si desit dolor, non affertur essentialis materia, ideò Sacramentum inualidum est, & informe, id est, sine affectu proprio.

Vndè Confessarius debet obligare pœnitentem ad reiterandas Confessiones, quæ fuerint sine vero dolore, non secus ac baptismus, reiterandus esset sine verâ aquâ collatus, si tamen tunc baptismus dici posset, & quemadmodùm aqua putata non sufficit ad baptismum, sic nec dolor putatus talis qui verè non est. Quod est contra Toletum. *lib. 3. cap.* 10. §. *Tertius casus est.*

Quæritur vigesimo tertiò, an Confessarius teneatur examinare, si sit propositum expressum in Pœnitente de vitando peccato in futurum.

Hæc quæstio præcedenti similis similem habet solutionem. Verumtamen specialis est difficultas, an cùm iam

ſatis aduertit Confeſſarius Pœnitentem animo deteſtari peccata præterita, teneatur etiam ſollicitus eſſe, an actu expreſſo proponat nouam vitam ducere in poſterum, & ab eis cauere. Quæ quæſtio dependet ex alterâ, an ſcilicet præter actum expreſſum doloris de peccatis, etiam requiratur actus expreſſus propoſiti de iis vitandis in poſterum; an verò ſufficiat propoſitum virtuale de vitandis peccatis quod videtur in dolore includi. Doctores enim hîc in varias abeunt ſententias. Canus in *Relect. de Pœnit. parte prima*, & multi alij volunt requiri propoſitum formale, & expreſſum præter illum dolorem, quia ſcilicet Concilium Florentinum in decreto Eugenij aſſerit primam partem Pœnitentiæ eſſe contritionem *cum propoſito non peccandi de cætero.* Et Concilium Tridentium Seſ. 14. *de Sacr. Pœnit.* cap. 4. definit contritionem, quæ primum locum inter Pœnitentis actus habet, animi dolorem eſſe, ac deteſtationem de peccato commiſſo, *cum propoſito non peccandi de cætero.* Quæ verba, videntur accipienda, vt ſonant. Alij vero dicunt ſufficere propoſitum virtuale & implicitum quod continetur in actu contritionis, in quantum qui abhorret, & deteſtatur peccatum præteritum, cenſetur conſequenter abhorrere futurum, cùm ſit eadem ratio de abhorrendo peccato pro futuro, ac illo abhorrendo quod præteritum eſt. Vnde conſequenter dicunt Pœnitentem qui totam mentem ſuam occupauit in deteſtando peccato præterito, nullâ habitâ cogitatione de futurâ vitâ meliori ad quam merè priuatiuè ſe habuit, vt loquitur Almaïnus *in 4. diſt.* 14. q. 1. validè abſolui, nec opus habere vt Confeſſionem cum hoc dolore factam repetat.

Exemplum rudis peccatoris.

Vtraque autem ſententia probabilis eſt, ſed in praxi conſulendum eſt propoſitum formale de meliori vitâ in futurum, & nonnunquam id exigendum eſt à Pœnitentibus, quorum diſpoſitio non ſatis euidenter manifeſta eſt Confeſſario, an firmiter proponant ab his peccatis abſtinere de quibus ſe accuſant. Si enim reſpondent, vel ſibi hoc non eſſe poſſibile, vel aliquam exceptionem afferant, vt peccator ille qui eâ de re à me interrogatus reſpondebat, omnia ſe emendaturum, exceptâ fornicatione, ſignum eſt non eſſe verè diſpoſitos, nec habere ſufficientem dolorem, idcircò inſtruendi erunt, & remittendi ad aliquod tempus, nec abſoluendi, antequàm verè proponant emendationem. Quando autem reſpondent difficile quidem ſibi eſſe omnia cauere, nihilominus ſe id velle & ſperare cum gratiâ Dei non amplius in mortale peccatum relapſuros; Tale propoſitum etſi non omnino

anno perfectum, videtur sufficiens. Verè etenim commutatio vitæ in melius multis est difficillima. Excipiendus est tamen casus mortis certè, & proximè imminentis, in quo sufficit dolorem solum de præteritis peccatis inquirere, nec vlla ratio postulat, vt sollicitus sit Confessarius de isto proposito, etiam sub conditione, cùm vita sit desperata, ita Suares *de Pœnit. disp. 4. sect. 3.*

Obiici autem potest si dolor sufficeret absque expresso proposito, sufficere etiam propositum efficax non peccandi de cætero, absque vllo actu expresso detestationis peccatorum, quæ detestatio virtute includitur in illo proposito. Quod tamen est expressè contra verba Concilij Tridentini loco citato. *Declarat igitur sancta Synodus hanc contritionem non solùm cessationem à peccato, & vitæ nouæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere.* Respondetur non esse parem rationem, quia quicumque proponit nouam vitam se ducturum in posterum, non eo ipso abhorret peccata præterita, sicut refertur de ista muliere, quæ ex adulterio insignes viros pepererat; quæ quidem in extremis constituta satis parata ad numquam peccandum, dicebat tamen Sacerdoti se dolere non posse de præterito adulterio, ex quo tam præcellentes viri procreati erant, cui dictum est à Confessario, vt si non posset dolere, saltem desideraret dolere. Quod remedium erat inefficax, cùm Pœnitentia requirat dolorem actualem.

Instabis idem etiam e[illegible] de dolore respectu propositi, quia quicumque dolet de [illegible] præteritis, non eo ipso paratus est ab iis in futurum a[illegible]re, propter aliqua commoda, & voluptates forsan, qu[illegible] cùm præteritæ sint, contemnuntur; at cùm sunt futuræ grauiùs feriunt animam, maioremque vim exercent in cor hominis. Vt ipsa experientia teste, multi inueniantur qui statum peccati præteritum grauiter defleant, qui cùm cogitant de futuro, molles sunt, & vix eliciunt propositum melioris vitæ. Respondetur, quicumque dolet de peccatis præteritis vel ob amorem Dei, vel ob metum gehennæ & propter debitum motiuum supernaturale, eo ipso paratus est ad vitanda peccata in futurum, cùm sit eadem ratio ad ea vitanda, ac est ad detestanda peccata præterita. Et si qui defleant peccata præterita, nec possunt sibi proponere emendationem vitæ in futurum, illi ea non defleant ob debitum motiuum supernaturale quod excluderet omnia prorsùs peccata, sed ob motiuum aliquod naturale, vt propter miserias & fœditates, & alia incommoda quæ cum ipso coniuncta sunt. Quod

moriuum insufficiens est ad verum dolorem qui sit legitima materia Pœnitentiæ. Verus enim dolor peccatorum præteritorum est veluti radix & origo propositi melioris vitæ, etsi cum aliquâ repugnantiâ partis inferioris, quæ non impedit verum dolorem spiritualem, quem proindè si haberent, eo ipso dispositi essent ad illud propositum, quod in illo continetur, sicut posterius continetur virtute in priori à quo fluit, sicut riuulus in fonte, fructus in arbore, & radius in sole: at verò cum propositum melioris vitæ sit quid posterius vero dolore ex quo nasci solet, non ita illum continet, sicut riuulus fontem non continet, nec fructus arborem, nec radius solem: quare propositum melioris vitæ non infert illum dolorem, nisi quando ex illo producitur & actu est. Proindéque cùm dolor de peccatis non contineatur virtute, & implicitè in proposito, sicut propositum continetur in dolore; qui habet propositum melioris vitæ, sine dolore expresso, non habet implicitè, & virtualiter dolorem, sicut qui habet dolorem, habet virtutem, & implicitè propositum melioris vitæ.

Nunquid, inquies, qui accederet ad Confessionem nihil cogitans de peccatis, sed plenus ardore diuini amoris cum proposito seruandi omnia eius mandata, optimè esset dispositus ad recipiendum effectum integrum Pœnitentiæ, & tamen vt supponitur, non dolet de peccatis, totus veluti absorptus in amorem Dei. Quod illis familiare est, qui vehementer Deum diligunt, vt vix cogitent de quoquam alio, quam vt ei se vniant atque adhæreant, non autem vt peccatum abhorreant. Hunc amorem sufficere docet Suares *disp.* 12. *de fide sect.* 4. *n.* 19. cui videtur etiam fauere D. Thomas part. 3. q. 87. art. 1. & addi potest, quod habet Card. de Lugo de *Pœnit.* disp. 14. sect. 5. eum qui diligit Deum super omnia actu efficaci, & ex hoc motiuo proponit firmissimè custodire omnia eius mandata, eo ipso dici communiter habere contritionem virtualem, quia in eo actu continetur implicitè detestatio peccati præteriti, licet homo non recordetur, nec putet se offendisse Deum. Adde non solùm habere contritionem virtualem, sed habere & exhibere præsentem velut ipsam formam & animam Contritionis quæ forma est actus dilectionis Dei. Adde iterùm, duplicem amorem Dei distingui posse; vnum affectiuum qui est amor complacentiæ in diuinis perfectionibus: alterum beneuolentiæ, & obedientialem quo anima vult in omnibus Deo placere, eique obedire in omnibus mandatis propter ipsum solum, eumque solùm sufficientem esse dispositionem ad Pœnitentiam. Tertiò probabilius adhuc esse quod requiratur dolor expressus,

expressus, seu displicentia de peccatis, quia Sacramentum Pœnitentiæ ita est institutum à Christo, vt habere debeat dolorem pro materia necessaria. Hócque est magis conforme verbis Scripturæ sacræ Conciliorum & Patrum qui semper requirunt illum dolorem in Pœnitentia, quæ non aliter nomen meretur Pœnitentiæ. Et quamuis aliqua affectio dolore sit nobilior, non tamen sufficit ad legitimam materiam Pœnitentiæ, sicut liquor alius ab aquâ, eaque pretiosior ad baptismum non sufficeret.

Quod etiam de proposito expresso melioris vitæ, & non solum implicito, & virtuali dici potest. Longè scilicet probabilius esse quòd requiratur. Pœnitentia enim licet directè respiciat præteritum, habet tamen pro fine, emendare Deo culpam, commissam & iniuriam ei illatam compensare: ad quod maximè congruit vt homo habeat animum alias iniurias deinceps non faciendi atque quemadmodum parentes, inquit Canus *loco citato*, cùm liberos puniunt, propositum melioris vitæ ab illis per pœnas extorquent, ita Deus à pœnitentibus exigit in vindictâ voluntaria peccatorum, vt in melius corrigere statuant quæ peccauerunt. Prætereà in omni motu non est recessus à termino aliquo sine accessu ad oppositum: ergo nec in Pœnitentiâ erit motus auersionis à peccato per displicentiam, sine conuersione ad iustitiam, vt sicut pœnitens detestatur vitam iniustam antecedentem, ita voluntate complectatur futuram iustam consequentem. Deniquè si verba Conciliorum intelligi possent, de solo proposito implicito melioris vitæ, eodem modo intelligi possent de proposito ieiunandi quadragesimam, audiendi missam diebus festis, & aliis huiusmodi: par enim vtrobique est ratio; quare cùm aliquid singulare voluerint dicere de proposito non peccandi, intelligenda sunt de proposito expresso. Quare & rectè notat Suares *disp.*4. de *Pœnit. sect.*3. contrariam sententiam de proposito virtuali, & implicito non esse populo prædicandam. *Opinio non prædicanda.*

Quæritur vigesimoquartò, quid examinare debeat Confessarius in imponenda aut commutandâ satisfactione Sacramentali. *De examine satisfactionis.*

Sibi primum ob oculos mentis ponat verba Concilij Tridentini *sess.*14.*c.*8. *de Sacramento Pœnitentiæ.* Debent ergo Sacerdotes Domini quantum spiritus & prudentia suggesserit pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutares & conuenientes satisfactiones iniungere: ne si fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alie-

norum peccatorum participes efficiantur. In quibus Concilij verbis perpendendum est, quòd quidam dissimulant, Confessarium debere rationem aliquam habere facultatis pœnitentium, quæ partim corporalis, partim spiritualis est. Quidam enim etsi firmiores lacertos corporis habeant, exilis tamen & exiguæ virtutis sunt quoad animam, vt non possit ab iis sperari quòd satisfactionem aliquam grauiorem, qualem mererentur peccata, perfecturi sint. Quapropter monet D. Antonius *in summâ Confessionalis tract.* 1. *p.* 3. *c.* 12. Debere Confessorem talem dare pœnitentiam, quam verisimiliter credat pœnitentem impleturum, ne ipsam violando, deteriùs illi contingat. Et sic tandem, inquit, iniungat ei pœnitentiam quam libenter suscipiat. Et si non potest gaudere de omnimodâ purgatione eius, saltem gaudeat quod liberatum à gehenna transmittit ad purgatorium. Et *cap.* 13. addit, minus malum est, si contingat errare, quod erret dando nimis paruam quàm nimis magnam, vt dicit Chrysostomus 21. *q.* 7. *c. alligant.* quia vt ibi dicitur, melius est Deo reddere rationem de nimiâ misericordiâ, quam de nimiâ seueritate: si enim benignus est Deus: vt quid Sacerdos vult esse austerus? exemplum habemus à Christo, vt dicit Raymundus, qui nulli vnquam grauem imposuit pœnitentiam: sed dicit *vade & amplius noli peccare.* Et ad hoc maximè debet attendere Confessor excidere ab eo causas, & occasiones peccatorum. *& cap.* 14. imponenda est pœnitentia contraria ad malum quod commisit secundum Raymundum, videlicet superbo opera humilia: guloso ieiunia: auaro eleemosyna; quia contraria contrariis curantur. *& cap.* 14. Item pro peccato occulto non est imponenda pœnitentia talis, vt possit oriri aliqua suspicio peccati commissi. Hæc prudenter D. Antoninus. Quibus addendum est quod sicut legislator non debet dare populo leges simpliciter bonas, sed bonas tali populo, exemplo medicorum, qui ægrotantium qualitates inspiciunt, & educantium pueros teneros, qui eorum infirmitatis rationem habent, ita confessarius congruam pœnitenti legem pœnitentiæ debet præscribere.

Satisfactio quibus minuenda.

Vnde diminui potest seueritas satisfactionis, propter personam quæ confitetur, si soleat vitam ducere austeriorem, quales plerique religiosi, & quædam miserabiles personæ. Si Sacerdos qui quotidie Sacrificium missæ celebret, quod est propitiatorium pro peccatis. Si plura soleat impendere in eleemosynis & operibus misericordiæ. Si indulgentiam plenariam consequi statim debeat. Denique ratione contritionis feruentioris quæ minus pœnarum in purgatorio luendarum relinquit.

Obiicies prohiberi pœnitentias falsas in multis Conciliis, vt quæ Ecclesiam perturbanr: At tales pœnitentiæ videntur esse falsæ cùm peccatorum grauitati non contemperantur.

Respondeo in Concilio Melphirano in Apulia celebrato an. 1090. tempore Vrbani secundi can. 16. aliter intelligi pœnitentias falsas. Falsam pœnitentiam esse constat cùm spretis pluribus de vno solo peccato pœnitentia agitur: aut cùm sic agitur de vno, vt non discedatur ab alio falsa sit pœnitentia, cum prorsus ab officiali curiali aut negotiali non receditur, quæ prorsus sine peccatis agi non prævalet. Aut si odium in corde gestet: aut si offenso cuilibet non satisfaciat; aut si non offenderit, offensus non indulgeat: aut si arma quis contra iustitiam gerat. Hæc Concilium, ex quo patet perperam hîc obiici à quibusdam neotericis canones de falsis pœnitentiis quæ Ecclesiam conturbant cum longè diuersa sit mens Conciliorum.

Obiicies rursus Canonem 74. Concilij Cartaginensis quarti sub Anastasio celebrati Erâ 436. hoc est anno Domini 398. vt Sacerdos, inquit, pœnitentiam imploranti, absque personæ acceptione, pœnitentiæ leges iniungat. Respondeo non committi peccatum acceptionis personarum, cùm ob iustas rationes cum altero benignius agitur, sed quia vna persona magis placet quàm alia, sine iusta causa. Si autem inquit D. Thomas 2.2. *qu.* 63. *art.* 1. aliquis consideret in eo cui aliquid confert, non id propter quod id quod ei datur, esset ei proportionatum vel debitum, sed solum hoc quod est iste homo (puta Petrus vel Martinus) hoc est acceptio personæ, quia non attribuitur ei aliquid propter aliquam causam quæ faciat eum dignum, sed simpliciter attribuitur personæ. At in his quæ modo determinamus, nihil est simile.

Maior est difficultas cùm agitur de immutandâ pœnitentia seu satisfactione, vel quod illius oblitus sit pœnitens, vel quod desideret illam immutari, quia forsan difficilior est. In hac difficultate Ioannes Sanchius in *Selectis disp.* 14. *num.* 19. tenet non posse per alium Confessarium etiam superiorem mutari pœnitentiam etiam iisdem peccatis sacramentaliter auditis. Quia omnes Sacerdotes vtuntur potestate à Christo accepta: quare vnus non potest irritam reddere alterius sententiam. Nec remedio propterea destituuntur animæ, quia eximentur à pœnitentia si imprudenter sit iniuncta, vel reddita sit impossibilis.

Verùm hæc sententia refellitur, quia duo Confessarij, non se habent sicut duo indices inæqualis potestatis quorum

vnus ſit ſuperior alter inferior, ſed ſicut duo iudices ſuccedentes in eodem tribunali & munere, quorum poſterior reuocat totam cauſam ad eum ſtatum in quo erat, cùm nondum eſſet iudicata, ſicque reuocat priorem ſententiam, ac aliam profert ac ſi eſſet iudex prior, qui idem poſſet ante executionem illius ſententiæ. Vt enim in negotiis forenſibus ſupplicatur iudici, aut eius ſucceſſori in eodem tribunali per libellum ſupplicem (requeſtam ciuilem vocant) quatenùs iterato examine controuerſiam diſcutiat, mutetque iudicium: non aliter in foro pœnitentiæ ſupplicatur Confeſſario vel eidem vel alteri priori ſuccedenti in eodem tribunali, & cognitione eiuſdem cauſæ, vt mutet ſententiam aliamque ſatisfactionem imponat. Atque praxis eius rei communior, quam vt legitimam defendunt plerique recentiores, Suarez *diſp.* 38. *de Pœnit. ſect.* 10. Cardinalis de Lugo *de Sacram. Pœnit. diſp.* 35. *lect.* 6. *&* alij.

Sed hoc ſuppoſito dubium eſt an id fieri poſſit extra Sacramentum confeſſionis, non auditis ſacramentaliter iiſdem peccatis. Negat iterum Ioãnes Sanchius *diſputatione præcitata num.* 7. qui enim aufert antiquam pœnitentiam, nouam imponit: at implicat partem ſacramentalem abſque toto confici, conſtantérque inhæret huic ratiocinationi, ita vt infringi non poſſe exiſtimet propter authoritatem plurium Doctorum qui contra arbitrantur. Probabilior tamen opinio eſt, id poſſe ab eodem Confeſſario, modò notitiam ſaltem confuſam habeat ſtatus pœnitentis; permanet enim moraliter idem ſacramentum quamdiu pœnitens in ordine ad remiſſionem peccatorum, ſubmittit ſe Confeſſario qui ſatis inſtructus eſt de eius ſtatu, vt ab eo poſſit leges pœnitentiæ accipere. Sic Valerus *de differentiis vtriuſque fori*, verbo *iudex differentia* 13. Aduerte, inquit, extra confeſſionem poſſe ab eodem Confeſſario pœnitentiam commutari, ſi fiat id intrà vnum diem vel alterum diem, dum peccata adhuc habet in memoriâ; quia iſto in caſu cenſetur idem iudicium. Idem poterit fieri ſi intrà triduum aut hebdomadam redeat pœnitens? & cenſeo eam poſſe commutari etiam ſine causâ: quia ſicut fuit in eius arbitrio eam imponere: ita in eodem debet eſſe illius commutatio. Nam vnaquæque res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur. Cum autem petitur commutatio ab alio ſacerdote, requiritur cauſa, & ſemper poſtulanda eſt, & concedenda eſt in ipſo actu confeſſionis, & nullo modo extra eam. Si tamen pœnitentia non ſit impoſita in ſatisfactionem & vindictam, ſed ſit tantùm medicinalis ad cauenda futura exiſtimat

mat ad instantiam pœnitentis à quolibet Confessario extra confessionem commutari posse, suspendi aut de ea dispensari. Vt, inquit, sæpè practicaui. Fateor tamen praxim huius pœnitentiæ medicinalis difficilem esse, cùm soleat Confessarius rationem medicinæ & vindictæ in vna eademque satisfactione sic inuoluere, vt non possint facilè ab inuicem distingui & separari.

An verò cum pœnitens confitetur se non adimpleuisse pœnitentiam, & eius oblitum esse vt non possit eandem adimplere, debeat Confessarius requirere iteratam confessionem peccatorum pro quibus imposita erat, disputari potest. Respondetur verò si non sit obligatio restitutionis alicuius erga proximum, vel adeundi superiores pro aliquâ dispensatione aut absolutione alicuius censuræ, vel abstinendi ab aliqua occasione periculosâ, ita vt satisfactio merè respiciat Deum, posse pœnitentem absolui absque iteratâ confessione: in casu verò prædictæ obligationis reiteranda esse peccata. At quo modo id resciat Confessarius? Petat à pœnitente num recordari possit aliquid huiusmodi eius pœnitentiæ annexum fuisse. Si enim nihil huiusmodi sit, poterit iniungere pœnitentiam tam pro peccato non adimpletæ satisfactionis quàm pro aliis peccatis absque reiteratione confessionis. Si secùs res sese habeat, necesse erit reuoluere præteritæ confessionis materiam. *De Pœnitentia obliuione deleta.*

Quæri vlteriùs potest an Confessarius à quo pœnitens postulat commutationem satisfactionis, debeat inquirere an ab aliquo superiore pro casibus sibi reseruatis imposita fuerit: Videtúrque affirmatiuè respondendum. Quia cum satisfactio imponatur per modum sententiæ & præcepti, nec possit inferior infringere præceptum superioris, inferior Confessarius non poterit mutare pœnitentiam quam superior imposuit. Maximè cum inferior non succedat superiori in eodem tribunali: habet enim veluti tribunal altius, qui maiori pollet potestate & iurisdictione super casus reseruatos. Quare quemadmodùm inferior Confessarius non potest absoluere à reseruatis, sic nec immutare poterit satisfactionem quæ pro iis imposita fuerit; accessorium enim sequitur naturam principalis.

Obiicies: quando superior commutauit votum reseruatum in aliqua pia opera, eadem pia opera, sublatâ reseruatione mutari posse in alia per Confessarium inferiorem qui vota commutare non poterat: ergo à pari idem dicẽdum videtur de pœnâ impositâ pro peccatis reseruatis, quando reseruatio abla-

ta

ta est per absolutionem. Respondetur tamen discrimen esse, quod pia opera in commutatione voti non iniunguntur per modum præcepti, sicut satisfactio in absolutione peccati reseruati.

Dubitabis denique an inquirere debeat Confessarius si pœnitentia imposita fuerit pro solis venialibus, & quid tunc agendum. Respondetur non absurdam videri huiusmodi disquisitionem, non quod teneatur pœnitens sub peccato mortali leuem pœnitentiam pro solis venialibus impositam peragere, vt censet Ioannes Sanchius *in Selectis disp. 16.* quòd illa materia grauis sit reputanda, inquit, in quantùm constituitur pars Sacramenti Pœnitentiæ. Est enim tantum pars integrans non essentialis, sicut est confessio ipsorum venialium, quando simul manifestantur mortalia: ad hoc ergo vtilis esse potest talis disquisitio, vt in leuiora opera commutetur talis pœnitentia; quod aliter fieri deberet, si pro mortalibus imposita esset. Pauci tamen ex pœnitentibus aptè respondere poterunt, si de hoc interrogentur, vnde sæpe supersedendum erit huic disquisitioni.

De Examine satisfactionis.

Quæritur vigesimo-quinto, an Pœnitens qui iniunctam Pœnitentiam compleuit, debeat interrogari an illam integram compleuerit, dum esset in statu gratiæ.

Hæc proponitur quæstio, propter grauissimam difficultatem, quæ accidit cùm Pœnitens, cui iniuncta est Pœnitentia pro vno mense, statim post vnum aut alterum diem, incidit in peccatum mortale, & nihilominus perseuerat mense integro in Pœnitentiâ adimplendâ. Est enim difficultas non leuis, an per talem Pœnitentiam satisfaciat coràm Deo pro pœna temporali peccatis debitâ post remissionem culpæ. D. Thomas anxius fuit in hac quæstione: nam *in quartum sent. dist.* 15. *q.* 1. arbitratur non satisfacere: at *dist.* 22. *q.* 1. docet Pœnitentem verè satisfacere, etsi adimpleat Pœnitentiam in statu peccati mortalis. Et nihilominùs Maior *in* 4. *dist.* 15. *qu.* 1. dicit D. Thomam sibi non contradicere; quia, inquit, contradictio requirit eamdem disputationem, & idem tempus: interdum homo scribendo, capit vnam materiam probabilem distractus pro tempore in aliis curis, rebus scholasticis impertinentibus, vel legendo alia, mutat opinionem immemor præscriptorum, nec adhuc debemus dicere virum sibi contradicere, sed quod tenuit duas opiniones probabiles.

Vnde & idem Maior probabiliorem esse putat eorum sententiam, qui dicunt Pœnitentem satisfacere, satisfactione scilicet non meritoriâ, adimplendo Pœnitentiam in peccato mortali post absolutionem commisso, ita vt liber sit à pœna, nec

nec debeat æternaliter in inferno puniri ratione eius pœnæ; quia,inquit,homo satisfacit homini laborando in mortali. Patet de agricola & viticola, & honorans parentes in mortali non est transgressor illius præcepti:Igitur,&c.similiter Durandus eadem distinctione qu. 2. licet primum modum, quamuis duriorem, dicat esse securiorem, quod peccator postquam reconciliatus est, debitor sit pœnæ finitæ non qualitercumque soluendæ, sed in statu gratiæ, in quo est Deo accepta, ita vt si non soluat cum eâ conditione remaneat debitor pœnæ infinitæ in inferno soluendæ: Attamen subiungit secundum modum non esse totaliter contemnendum.

Scotus autem in reportatis super *quartum dist.* 15. *qu.*1.absolutè & sine fluctuatione putat & docet satisfactionem completam in peccato mortali liberare Pœnitentem ab illa pœna temporali pro qua iniuncta erat; quia, inquit, non oportet quod soluens pœnam iustam, sit amicus illius quem offendit. Patet de latrone,qui suscipiendo dispendium,vel aliquam pœnam pro peccato, quod commisit contrà legem impositam sibi à rege, satisfacit ei exteriùs, non tamen fit ex hoc amicus Regis.Et si dicas, igitur damnati in inferno de omnibus peccatis suis possent satisfacere suscipiendo illas pœnas. Respondeo quòd satisfactio non solùm est redditio alicuius operis laboriosi, sed voluntaria redditio: Dæmones autem non voluntariè suscipiunt pœnas illas. Ex quibus concludit Scotus tali Pœnitenti de nouo venienti ad Confessionem, non esse iniungendam pœnam nouam pro illis peccatis pro quibus satisfecit (scilicet existens in peccato mortali) sed pro illis pro quibus non satisfecit. Et certè hæc est praxis communior Confessariorum,quæ forsan originem habuit ex probabilitate illius sententiæ,quamtumvis à multis Theologis illi contradicatur.Sed vt dicit Maior *loco præcitato*, positio non est propterea solidior, quòd à pluribus famegeratis foueatur, sed quia in lumine naturali est rationabilior.

Dicimus igitur non debere Confessarium examinare Pœnitentes de ista conditione in adimplendâ Pœnitentiâ, quia multi putant opus in mortali factum esse satisfactorium, quamuis non sit meritorium.Quæ opinio etsi nobis non videatur admittenda;tamen non peccat nec mortaliter,nec venialiter qui opus Pœnitentiale in mortali adimplet, satisfacitque præcepto Confessarij, non secùs ac qui ieiunat in statu peccati mortalis,vel missam audit,non propterea peccat.Aliàs enim qui habet in eleemosynam dandam per singulos dies vnius mensis,deberet se examinare an esset in statu gratiæ antequam illam

illam daret, vt sic Pœnitentiam adimpleret sine nouo peccato, quod repugnat praxi & menti omnium fidelium. Denique probabile est Pœnitentiam iniunctam, cùm sit pars Sacramenti, & opus Sacramentale, sublato obice peccati consequi effectum suum, etsi nullum vestigium sui relinquat in Pœnitente. Quæ opinio attribuitur Palatio *in 4. dist. 15. qu. 4. concl. 5.* vbi tamen eam reprobat: est autem Nauarri *in comment. de Pœnit. dist. 6. cap. 1. in principio. Numero* 48. *&* 49. Suares *de Pœnit. disp.* 38. *sect.* 8. Cardinalis de Lugo *de Pœnit. disp.* 23. *sect.* 5. & aliorum plurimorum.

Quid autem censendum cum pœnitens citius vel tardius pœnitentiam adimpleuit, & aliis diebus quam præfixerat sacerdos. Ordinariè valet talis pœnitentia, magisque quando citiùs adimpleta est, quia restitutio quo minus differtur, eo gratior est creditori: aliqua tamen culpa est eam differre sine causa, & mutare dies præfixos, quando constaret confessorem ob maius bonum pœnitentis, eos intendisse. Non tamen necesse esset aliam iisdem diebus pro illâ substituere quia absolutio non datur cum pœnitentiâ determinatâ ad certos dies tanquam sub conditione necessariâ, vt fieri solet in iubilæo, nec valor operis meritorij ac satisfactorij tam dependet à tempore quàm à dispositione subiecti. Sic ferè censet Ludouicus Beia *de satisfactione Sacramentali casu 7. p. 1.*

Quæritur vigesimosextò, an Confessarius teneatur, examinare Pœnitentem, num præter opera iniuncta à Confessariis, alia opera satisfactoria exercuerit.

Solutio dependet ab altera quæstione, num qui peccauit mortaliter, & cui leuior satisfactio demandata est à Iudice spirituali, teneatur sub peccato mortali in hac vita satisfacere per opera laboriosa voluntariè assumpta, vel possit, sine peccato expectare Purgatorium in quo exsoluat omnia peccatorum debita. Quibusdam videtur esse necessarium primo propter illa verba, Matth. 3. *Facite ergo fructum dignum Pœnitentiæ*, quæ verba videntur inferre præceptum de complendâ integrâ satisfactione peccatorum hac vita. Sanctus autem Doctor in commentariis suis in Matthæum dicit fructum dignum Pœnitentiæ triplicem esse. Primus fructus est, inquit, vt puniat in se quod commisit, & hoc iudicio Sacerdotis Hier. 21. *Postquam conuertisti me, egi Pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum.* Secundus est, vt fugiat peccata, & occasiones peccati, Eccl. 21. *Quasi à facie colubri, fuge peccatum.* Tertius est vt tantùm studeat ad benè agendum quantùm studuit ad peccandum. Ad Rom. 16. *Humanum dico propter infirmitatem*

carnis

carnis nostræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Ex quibus inferas aliud intelligi per fructum Pœnitentiæ dignum, quàm opus iniunctum à Confessariis. Accedit etiam ratio quod in hoc peccare, sit contra charitatem sui ipsius exponere se pœnis acerbissimis Purgatorij.

Verumtamen Suares *de Pœnit. disp.* 15. *sect.* 7. & Mæratius in *Tract. de Pœnitentia disp.* 35. negant istam obligationem. Tum quia reus non tenetur sibi ipsi debitum inferre supplicium: satis est quod sit paratus exequutionem sententiæ ab alio factam sustinere. Tum quia pœna Purgatorij, & dilatio beatitudinis non est damnum irreparabile, & tam graue, vt homo teneatur sub mortali vitare venialia, & pro iis semel admissis in hac vita satisfacere. Probabilius igitur videtur non obligari Confessarium ad hanc disquisitionem, illique debere sufficere, quod Pœnitens dicat se Pœnitentiam iniunctam exequutum fuisse. Quamuis laudabile sit Pœnitentes exhortari, vt ex seipsis laborent in operibus pluribus Pœnitentiæ, cum pro peccatis leuior imponitur, quia prudenter iudicatur magis profutura.

Quod spectat ad locum Matthæi. *Facite fructus dignos Pœnitentiæ*, vel fructum dignum Pœnitentiæ, vt habet biblia Xisti quinti iussu edita, intelligitur ibi baptismus per Pœnitentiam, sicut interpretatur Pascasius Abbas Corbeiensis, *lib.* 2. *in* Matthæum. *Facite ergo*, inquit, *fructus dignos Pœnitentiæ*. Videlicet, inquit, baptismi, si placet per generationem fidei regni heredes fieri. Quod autem patres vtantur verbis quæ significant quamdam necessitatem satisfaciendi pro peccatis, nihil exindè concludi potest, loquuntur enim Patres in genere; possuntque illa opera fieri, vel ex iussu Sacerdotis, vel ex propria deuotione, nec determinant Patres vtrum præter ea quæ iniuncta sunt à Sacerdote, alia necessariò superaddi debeant sub pœna damnationis æternæ. Frustrà enim admitteretur Purgatorium, si in hoc sensu intelligendi essent, cùm ergo non loquantur in nostra hypothesi, in vanum hîc assumuntur. *Fructus digni Pœnitentiæ.*

Quæritur vigesimoseptimò, an debeat Confessarius interrogare pœnitentes de circumstantiis aggrauantibus, non tamen speciem mutantibus.

Respondeo controuersiam esse inter Theologos, an ex se teneatur Pœnitens satis instuctus confiteri circumstantias, intra eamdem speciem Physicam notabiliter aggrauantes. Quamuis autem opinio affirmans probabilis sit, atque etiam negans, certum *De examine circumstantiarum*

tum tamen mihi est, vbi Pœnitens examine indiget propter imperitiam, Confessarium debere eum interrogare de circumstantiis notabiliter aggrauantibus intrà eamdem speciem, intelligitur autem circumstantia notabiliter aggrauans, quæ talis est, vt ex se sufficeret ad materiam peccati mortalis. Probatur, quia Confessarius habet ius, & tenetur ea cognoscere de peccato Pœnitentis quæ necessaria sunt ad verum iudicium ferendum de eius statu, ad condignam, & commensuratam Pœnitentiam imponendam, & ad remedium adhibendum: atqui sine cognitione circumstantiarum notabiliter aggrauantium, non poterit nisi cæco modo de Pœnitentis statu ferre iudicium, nec conuenientem Pœnitentiam imponere, neque etiam remedium adhibere. Supponatur enim aliquis qui furatus sit Regi millionem auri, & dicat in Confessione se furatum fuisse quantum sufficiat ad peccatum mortale, certum est Confessarium non satis perspicere eius statum: nam alius qui furatus fuisset quadraginta asses, eodem modo se posset accusare, & sic Confessarius non posset dispar iudicium ferre de duobus istis, qui toto cœlo differunt, & quorum alter millies altero iniquior est. Deindè aliquando peccatum ratione alicuius circumstantiæ reseruatur, vt in direptione bonorum naufragorum, ergo potest Confessarius scire hanc circumstantiam, vt videat num possit absoluere.

Quamuis autem Concilium Tridentinum, *Sess.* 14. *cap.* 5. *&* *Can.* 7. explicans materiam necessariam Confessionis, faciat tantùm mentionem circumstantiarum quæ mutant speciem peccati; dici potest duplicem considerari posse speciem peccati, Moralem vnam, physicam alteram: est enim, vt ait D. Bonauentura *in* 4. *Sent. Dist.* 17. *Part.* 3. *art.* 1. *q.* 1. esse naturæ, & esse moris. Et aliquid est alicui accidentale secundùm esse naturæ quod est essentiale secundùm esse moris, & quamuis circumstantiæ sint accidentales actui secundùm esse naturæ, tamen essentiales sunt secundùm laudem, & vituperium, quæ laus venit ex parte moris, vel eius contrarium; igitur furtum veniale, & mortale differunt specie morali, non physicâ; vnum enim habet tantum malitiam grauem. Idem dici potest de furto 40. assium & 40. scutorum: nam etiamsi sint eiusdem speciei physicæ in ratione furti & ablationis rei alienæ, in ea tamen specie vnum habet malitiam grauem, aliud malitiam grauissimam, & moraliter alterius speciei moralis, quia excessus vnius furti super aliud sufficeret per se ad constituendum peccatum mortale: porrò peccatum mortale & veniale debent haberi diuersæ speciei in genere moris,

quidquid

quidquid sit de specie Physicâ. Quemadmodum igitur furtum mortale differt specie morali à furto veniali, quia excedit in quantitate quæ sufficit ex se ad peccatum mortale; Idem dicendum est de furto quadraginta scutorum, respectu furti quadraginta assium. Sed & quamuis pœnitens, iuxta opinionem probabilem non teneretur ex se & immediatè confiteri circumstantiam illam notabiliter tantùm aggrauantem intra eamdem speciem, eam tamen tenetur confiteri, si de ea interrogetur à Confessario, & nonnulla sunt quæ potest, & debet examinare Confessarius, vt gerat vices Doctoris & medici, vt est omnis circumstantia, tam notabiliter aggrauans, vt mutet speciem moralem, licèt non mutet physicam. Seu mutet illam ratione maioris quantitatis, seu durationis diuturnioris, seu maioris intensionis actus.

Atque hac circumstantias confitendas esse consulunt, qui non existimant necessariò esse confitendas, quia earum manifestatio conferret ad meritum & ad emendationem propter verecundiam: quamuis onus imponere nolint vbi non est.

Quæritur vigesimo octauo. An teneatur etiam Confessarius interrogare de circumstantiis alleuiantibus intra eamdem speciem.

Supposito quòd Pœnitens, indigeat examine, tenetur etiam aliquando Confessarius de huiusmodi circumstantiis interrogare, vt rectum ferat iudicium de statu Pœnitentis: & ratio videtur manifesta, quia tenetur Confessarius discernere inter lepram & lepram; inter peccatum mortale & veniale, inter peccatum graue & grauissimum: at id non potest fieri, sine cognitione circumstantiarum alleuiantium: & sine earum notitia decipi poterit Confessarius æquè vt Pœnitens credens peccatum mortale, vbi tantum est veniale, imò forte nullum peccatum. Vt v. g. in furto quòd quis committit grauissimâ, aut extrema necessitate adactus ad sustentandam vitam per aliquos dies. Sic erit in contumeliis, quas quis protulit ex motu primo iræ, aut iustissimo dolore percitus. Et sanè præstat vt pœnitens non interrogatus dicat has circumstantias, quàm eas retineat: quamuis enim eas reticere possit, si non interrogatur, ad maiorem suiipsius confusionem, non curans si decipiatur Confessarius in hac re, iudicium tamen pœnitentiale sincerius erit & perfectius si veram sui notitiam exhibeat Confessario. Quin etiam videri posset aliquando esse peccatum mortale non aperire has circumstantias, tam notabiliter alleuiantes, vt mortale materialiter, non imputetur nisi ad veniale peccatum coram Deo, quia decipit

Confessarium in re graui, & ex qua maximè dependet iudicium Confessarij super statu pœnitentis. Vndè D. Bonauentura *in* 4. *Sent. Disp.* 17. *parte* 3. *art.* 1. *q.* 3. vult confitendas esse circumstantias alleuiantes, si tantum diminuant, vt actus sit in genere venialis: sicut comedere carnes in quadragesima propter infirmitatem.

Quæritur vigesimonono. Quid debeat interrogare Confessarius super circumstantia quis.

Respondeo, pœnitentem interrogari posse de voto in peccatis contra castitatem ad cognoscendam speciem sacrilegij. Non est autem necessé scire, an sit votum solemne, vel simplex, vel vtrum pœnitens ediderit votum religionis,& sit persona religiosa; quamuis Cardinalis de Lugo *de pœnitentia Disp.* 16. §. 2. existimet circumstantiam illam esse aperiendam, quia religiosus per votum se donauit religioni, cui dominium sui corporis donauit non secùs ac voluntatis, & fortunarum; vndè sicut mulier Matrimonio copulata specialem malitiam committit in peccato carnis, quæ necessariò est aperienda, propter iniuriam viro illatam. Idem censendum erit de persona religiosa, propter iniuriam illatam religioni. Verùm cum mulier dederit viro corpus in genere donationis longè diuerso à donatione religiosi, & ad vsus longè diuersos, non videtur satis firmiter concludi ex illo exemplo necessitas illa confitendi statum religionis,& recendendi à communi opinione, quæ eximit personam religiosam à manifestatione prædictæ circumstantiæ, sicut & Sacerdotem in simili peccato à manifestatione sui Sacerdotij. Itaquè nisi alia adiuncta sint quæ moueant Confessarium ad interrogandum de hac circumstantia, non inquisitus pœnitens non tenebitur illam aperire.

Circumstantia religionis.

Nam ex adiunctis mouebitur aliquandò prudenter; imo & tenebitur inquirere Confessarius, tenebiturque respondere pœnitens, sine æquiuocatione; Vt si ex apertione vnius circumstantiæ, velut ex apertione vnius ianuæ, velit sibi aditum facere ad alias malitiæ species cognoscendas: abyssus enim abyssum inuocat, & peccatum ad aliud trahit: forsitan enim religiosus peccauit in loco sacro coram sanctissimo altari,& corpore Christi, forsitan abusus est Sacramentis; quod idem cogitari posset de Sacerdote non religioso, & nisi aliquando adiuuetur pœnitens aliquibus opportunis interrogationibus,non integrè confitetur. Adde quòd prouidendum est de variis remediis pro diuersitate personarum. Admouendæ etiam variæ occasiones & interdicendæ à Confessario. Vndè non est tutum os penitùs occludere Confessario, vt nonnulli

faciunt

faciunt, qui super his inquisiti respondent cito, non esse necessarias interrogationes huiusmodi, vel aliquid durius. Super enim alia circumstantia *quis*, ius habet Confessarius de multis interrogandi, vt si sit persona publica in aliquo peccato notorio propter scandalum, si curam habeat aliorum, quos ad peccandum induxerit cùm in ducem viæ, & salutis illis se prebere debuerat; si sit assuetus huiusmodi peccatis de quibus se accusat; si teneatur alios docere, & huiusmodi, in quibus maxima requiritur prudentia in Confessario, vt pro opportunitate, has modò quæstiones, illas modò proponat, de quibus hîc nunc supersedemus, aliquid dicturi in hoc etiam tractatu, suis locis.

Quæritur trigesimo. Quid debeat interrogore Confessarius super circumstantia quid.

Ad tria capita reducuntur quæ pertinent ad hanc circumstantiam *quid*.

Primum est quantitas rei factæ, dictæ aut concupitæ contra legem Dei æternam, quâ in re Confessarius debet ea obseruare quæ præscripta sunt de circumstantiis notabiliter aggrauantibus, & minuentibus, *supra quæst.* 23. *&* 24.

Secundum caput continet personas circà quas committitur peccatum, & tenetur Confessarius de eis interrogare, quotiescumque conditio personæ refundit malitiæ speciem diuersam in actum peccaminosum, quod discerni debet, si violatur aliqua virtus specialis ex eo quòd committatur contra talem personam. Sic igitur, si se accuset peccator quòd iniuria affecerit aliquem, potest interrogare an fuerit persona sacra, quia violatur virtus religionis. An fuerit pater, vel aliquis ex proximis consanguineis, aut affinibus, quia sic violatur virtus pietatis. An fuerit benefactor quia peccatur tunc contra virtutem gratitudinis: an fuerit etiam persona nobilis, & valde excellens, quia violatur virtus obseruantiæ, & cùm violantur diuersæ virtutes, quarum actus obligant, committuntur consequenter diuersa specie peccata, quæ subiiciuntur examini Confessarij.

Tertium caput continet effectum qui consequitur ex actu peccaminoso. Vt qui vulnerat mulierem grauidam, vndè sequitur aborsus. Qui vulnus infligit ex quo sequitur paupertas totius familiæ eius qui vulneratus est, nonnumquam etiam mors. Qui reuelat secretum, ex quo sequuntur dissensiones maximæ; qui infamat virginem, ex quo fit, vt nuptui non tradatur, nec ab vllo sponso requiratur.

In his igitur, & similibus exemplis, quidam existimant,

ſufficere vt pœnitens ſe accuſet de actu quem liberè & volu tariè elicuit, non de effectu qui voluntariè accidit, qui ta tùm malitiæ moralis capax eſt, in quantum voluntariè fi Vèrùm puto eſſe in his diſtinguendum; vel enim effectus q conſequitur ex peccato, eſt neceſſarius, & ordinariè conn xus ipſi peccato, vt vix ſine illo hoc reperiatur, ita vt debu rit, vel ſaltem potuerit præuideri: & tunc videtur quòd Co feſſarius debeat interrogare de huiuſmodi effectu, etiamſi a tequam acciderit, doluerit peccator, quia propter hunc e ctum actus peccati eſt longè grauior,vt patet in eo qui reliq in domo puluerem tormentarium, vnde ſequitur conflagrati domus, poſtquam diſceſſit. Vel effectus eſt merè per accidens, nec vllam habet connexionem cum actu peccati, vt præuideri debuerit, aut potuerit, tuncque non videtur neceſſaria accuſatio aut interrogatio de huiuſmodi actu. Imo etiam non erit neceſſaria de effectu primo modo ſumpto, ſi accidat tantum poſtquàm peccator pœnituit, & confeſſus eſt actum malum, cui talis effectus ſuperuenire poterat, abhorrens ab hoc effectu: Etenim tunc omnem malitiam actus ſui aperuit Confeſſario, quare receptus eſt in Dei gratiam nec de nouo peccat, cùm accipit talis effectus. Nihilominùs poterit per accidens iuterrogari pœnitens de tali effectu, illúmque confiteri debebit, ſi nimirum ſit illi annexa cenſura, vel irregularitas; vel ſit in eo caſus reſeruatus. Tam multa videlicet perſpicienda ſunt vt neceſſe ſit Argum eſſe Confeſſarium, & plenum oculis ante & retrò, ſi nulli patri muneris ſui deeſſe velit.

Quæritur trigeſimo primo; Quid debeat Confeſſarius interrogare de circumſtantia vbi.

Reſpondetur in aliquibus peccatis, circumſtantiam loci ſacri addere ſpecialem malitiam neceſſariò aperiendam, de qua proinde poterit Confeſſarius interrogare pœnitentem, ſecundùm prudentiam propriam, cùm ita ſapienter iudicauerit.

Primum horum peccatum eſt effuſio ſeminis quæ ſit peccaminoſa mortaliter, ſiue fiat per pollutionem voluntariam, ſeu per copulam illicitam, quæ effuſio ſi publica ſit & notoria Eccleſiam polluit, vt reconciliatione indigeat, antequam diuinum officium in ea celebretur. Idem dicendum eſt de tactibus impudicis partium verendarum, non de aliis leuioribus, contrahunt ſiquidem ratione loci ſacri malitiam Sacrilegij, licet Eccleſiam non polluant.

Secundum eſt effuſio Sanguinis humani in magnâ quantitate, ſiue quis occidatur, ſiue tantum vulneretur, quæ ſi fiat

fiat cum peccato mortali, etiam polluit Ecclesiam, si verò iudicetur facta sine peccato mortali propter inaduertentiam aut aliam causam, non polluit. Sicut alias iudicatum in maiori Ecclesia Parisiensi, cùm dubitaretur, num intermittendum esset diuinum officium iam incœptum, propter grauem & sanguinolentam hominis percussionem à custode Heluetio factam; cum enim videretur Heluetius ille non peccasse mortaliter fungendo suo munere, licet cum aliquo excessu veniali, non est intermissum officium, nec reconciliata Ecclesia. Quòd si percussio fiat sine Sanguinis effusione, sitque grauior, videtur habere specialem malitiam sacrilegij, sicut de tactibus magis impudicis dictum est, licet Ecclesiam non polluat. Sunt tamen de percussione discordantes sententiæ non improbabiles, sicut & de tactibus.

Tertium peccatum est furtum, quod si fiat in Ecclesia, seu res sacra auferatur, seu res prophana, sacrilegium est, & quidem duplex sacrilegium, si res sacra de loco sacro auferatur, duplici sacrilegio specie diuerso conflatum, si res non sacra de loco sacro, erit simplex sacrilegium. Ita tamen si res illa non sacra attineat aliquo modo ad Ecclesiam, vnde multi putant furem crumenam diuitis in Ecclesiâ furantem non debere illam circumstantiam aperire.

Præter hæc peccata sunt etiam quædam alia, per quæ notabilis irreuerentia loco sacro affertur, de quibus non potest certa regula afferri. Per locum autem sacrum non intelligitur cœmeterium, vel campanile, aut vestibulum Ecclesiæ, nec claustra, aut cellulæ habitationésque regularium, sed ipsamet Ecclesia cum capellis adiunctis

Quæritur trigesimo-secundo. Quid sit interrogandum super circumstantiâ quibus auxiliis.

Respondetur interrogandum esse de mediis quibus commissum est peccatum, quando media illa habent specialem repugnantiam cum aliqua virtute, vt si sint prohibita, repugnant obedientiæ. Si media illa contineant irreuerentiam contra res sacras, & repugnent religioni, vt cum quis rebus sacris, oleo sacro, aut Eucharistiæ sacris speciebus abutitur ad facinus aliquod perpetrandum. Cùm quis inuocat dæmonis auxilium eiusque operâ aliquod opus aggreditur, quod nefas est maximum, potissimùm in baptisatis qui abrenuntiauerunt Sathanæ. Si quis inducat alios homines qui non erant ad hoc parati, & dispositi, vt secum malum aliquod operentur furando, occidendo, &c. Quia est ibi peccatũ scandali quod repugnat charitati, siue interim peccatum ex se requirat consortium alterius

vt fornicatio, siue non requirat ex natura sua: inductio enim alicuius ad malum, specialem habet malitiam. Vndè & adulteri, & fornicatores sæpe interrogandi erunt de concausis, & coadiutoribus peccati, si nimirum per seruos amasiam vocauerint, aut eamdem nolentem persuaserint, aut si per aliquas intermedias personas ad sui amorem allexerint. Videtúrque etiam necesse interrogare de numeo personarum, quarum operâ peccatum exequutioni demandatum est, & quot conatus variis temporibus adhibiti sunt ad eos incitandos ad opus malum, quia ex his omnibus valdè multiplicantur peccata.

Putat autem Suares 4. *tomo in* 3. D. Thomæ *Disp.* 22. *Sect.* 4. quando actus est intrinsecè malus, non licere illum petere etiam à parato, & dispofito ad illum, non esse tamen speciale peccatum si sit actualiter expositus. Si verò, inquit, actus de se non sit malus, ab hoc tamen homine non sit absque peccato præstandus, vt est mutuum, petendo vsuras: tunc necesse est, vt qui petit actum, habeat aliquam rationabilem causam petendi, vel certè vt alius sit hîc & tunc actualiter expositus ad talem actum committendum. In quo non probatur quod ait, vsuras non esse per se malum.

Quæritur trigesimo-tertio, quâ de re debeat interrogare Confessarius super circumstantia cur.

Qui existimant nullos actus esse indifferentes, omnémque actum peccatum esse, qui non refertur ad gloriam Dei, variè exagitandos esse pœnitentes super circumstantia finis, docebunt. Sed non est hæc nostra sententia. Quia tamen aliquando tenemur amare Deum, & aliquid propter gloriam eius purè operari, non vituperarem Confessarium qui à Pœnitente minus deuoto quãdoquè requireret, nùm vnquam in vitâ suâ aliquid operatus fuisset purè & simpliciter ad gloriam Dei, & ex mero desiderio illi complacendi, simúlque illi iniungeret, vt ante exitum vnius aut alterius diei, aliquem actum eliceret purè propter gloriam Dei, & ex desiderio illi complacendi, semotâ omni aliâ intentione, ne talis Pœnitens appareat in horâ mortis nunquam in totâ vitâ Deum purè amasse; quod verendum est ne valdè multis Christianis contingat, qui nequidem sciunt quid, sit amor Dei & charitas. Poterit etiam inquiri de peccato commissionis contra finem, si propter finem moraliter malum aliquam actionem exercuerit: nam fures proponunt sibi aliquando mœchiam pro fine, & dupliciter vno actu peccant, aliquando ventris ingluuiem, vt semel extra Sacramentum Pœnitentiæ mihi confessus est fur & homicida pessimus, qui nihil intendebat aliud ex omnibus

suis

ſuis furtis & homicidiis, niſi adhuc ſemel aut iterum opiparè conuiuati.

Dubitatur autem an ſi quis omittit ſacrum propter ſtudium, ſit ſpeciale peccatũ in illo ſtudio quod videtur indebito modo amari. Sed probabilius eſt non eſſe in hoc caſu ſpeciale peccatum; finis enim intentus non poteſt actui communicare malitiam, quam non habet: vndè vbi finis erit mortaliter malus, inferet actui malitiam mortalem, vbi erit venialiter malus, malitiam venialem, vbi erit indifferens nullam ex ſe infert malitiam.

Et quâ regulâ deducunt quidam Canonicum qui Diuinis Officiis intereſt ad lucrandas diſtributiones, ex hoc capite non peccare nequidem venialiter; quia hic finis nequidem venialiter malus eſt. Quod tamen probari non poteſt, quia non ſola finis in ſe bonitas aut malitia, aut indifferentia reddit opus bonum malum vel indifferens: ſed congrua vel incongrua medij ad eum habitudo. Eſt autem incongrua habitudo Officij ſpiritualis ad lucrum temporale. *De fine diſtributionum.*

Cæterum etſi finis malitiam ſuam poſſit actui communicare, non tamen bonitatem ſuam: Vndè D. Paulus ad Rom. 8. ait: *Non ſunt facienda mala, vt eueniant bona*, & Hieronimus Hangeſtus, *in moralibus cap.* 8. Dicitur, inquit, intentio iudicare omnes, in malis quidem ſemper: non ſic autem in bonis; nam ex integrâ causâ bonum; malum autem ex defectu conſurgit. Et plus requiritur ad bonum, quam ad malum; ad malum ſiquidem ſufficit finis malus, non autem ad bonum ſufficit bonus. Sic non ſufficienter excuſatur qui dicit, hoc bono fine egi; nam requiritur cum debitis circumſtantiis debita operis materia.

Ampliùs quæritur & de examine intentionis, cum enim multi, multæque ſæpè ſe accuſant quod non recta intentione aut purè propter ſolam Dei gloriam omnia ſua opera ſint operati aut operatæ. Quid circa hanc accuſationem perpendendum erit Confeſſario?

Notandum quod ſolerter aduertit Palatius *in* 2. *diſt*, 38. *diſp.* 1. finem vt intentum ſpecificare voluntatis actum, internum ſcilicet, cui eſt pro obiecto: at vt executus, eſt tantùm circumſtantia. Et quia hoc, inquit, plerique Theologorum non obſeruarunt, implerunt charitatem & onerarunt libros multis impertinentibus ſermonibus.

Hanc accuſationem ſic generaliter propoſitam non vacare ſcrupulo arbitrantur non pauci. Quod inter opera hominum multa ſunt quæ non ſunt proportionata cum gloria Dei, au

quid quam ad illam conferant : & videatur inutile referre aliquid tanquam medium ad aliquem finem cui nihil confert aut inseruit. Hinc notat Ribera *l.* 4. *vitæ sanctæ Theresiæ c.* 10. ipsam vouisse in omnibus consectari maiorem Dei gloriam, sed in iis rebus quæ essent alicuius momenti, non autem vbique & per omnia:quæ esset sementis perpetua scrupulorum vt scriptor ille sapientissimus & cœlitus collustrarissimus optimè admonuit , sicut de illo scribit Theophilus Rainaudus in *Heteroclitis spiritualibus sect.* 2. *puncto* 2. Inde elicitur tunc perpendendum numquámne se suaque omnia in Deum retulerit , vt possit aliquando gloriam consequi & in gloria Deum in æternum laudare, admirari ac in illo conquiescere, quibus in actibus maximè creatura rationalis Deum glorificatura est.Iterum perpẽdendum num finem alienum ab hoc fine sibi præstituerit pœnitens in suis actibus , qualis finis esset perpetratio alicuius peccati : aut alicuius rei vanæ & inutilis, cum actus relati ad hunc finem apti essent sua natura & proportionati ad aliquid melius : est enim inordinatio aliqua in huiusmodi directione,rei melioris ad minus bonam : sicut dicitur de Nerone qui hamis ex auro solido pisciculos venabatur. Nec caret omni peccato prodigalitas hæc spiritualis, qua cara & pretiosa,vt sunt pleræque actiones virtutum,in vilibus & quisquiliis expenduntur.

S.Theresiæ votum.

Ideo aduertendum est ex Pelbarro de Themisuar in 2. *sent.* verbo *intentio* §. 5. post Scotorellum in 2.*dist*. 40.*q*.1. & etiam Guillelmum *dist*. 38. quod actus non est præcisè ex fine bonus nisi simul adsint omnia correquisita. Quia vt Dionysius de *diuinis nominibus c.* 4. dicit. Bonum est quod constat ex causa integra : vnde sicut ad pulchritudinem corporalem requiruntur omnia membra pulchra:ad turpitudinem autem sufficit priuatio vnius membri : ita ad bonitatem actûs requiruntur omnia per se requisita. Sunt autem præcipuè tria quæ requiruntur ad hoc quod aliquid sit bonum ex intentione.Primum vt finis intentus habeat rationem melioris boni quam ea quæ sunt ad finem. Nam si diligerem Deum solum propter me vt propter finem , graue peccatum esset , quia Deus est summè melior. Secundum vt ea quæ sunt ad finem sint bona (saltem non mala ex se) ideo peccatum est si quis furetur vt pauperem nutriat , vel mentiatur vt proximum saluet. Quia furari non est bonum, similiter nec mentiri. Non enim omnis actus specificari potest à fine bono , sed tantùm actus qui est bonus vel indifferens est capax specificationis huiusmodi. Tertium vt sit consideratio & cum debitis circumstantiis

respectu

respectu debiti obiecti. Puta quando oportet & vbi & sicut oportet. Quia opera moralia scientiam requirunt, obiectumque debitum & debitas circumstantias.

Ex qua doctrina à paucis improbata, infertur finem debere præualere medio, nec excusari à culpa actus illos quorum finis est ignobilior, & quid minus ipsis mediis quæ ad illum assumuntur insumuntúrue. Iuxta quod assistentia in choro ad lucrandas distributiones, sine vllo meliori fine peccaminosa reputabitur, refragante Suares 2.2. vbi *de charitate*.

Videtur tamen excipiendum esse ab hac regula eum, qui cum absolutè Dominus sit rerum suarum, vult insumere aliquid pretiosum pro re vili aut modici pretij: cum enim rem aliquam posset pro libito distrahere & absumere, cur non etiã ad rem aliquam quamtulamcumque comparandum, nulli interim detrimentum afferens? Vnde vlteriùs deducitur quod cùm homo non sit Dominus famæ aut vitæ alienæ, non ita licere, salua iustitia, per calumniam aut occisionem in ista aliena grassari, etiamsi intentionem flectat ad propriam immunitatem. Quis enim probet quod propter intentionem saluandi vnum aut alterum nummum diues vitam eripiat proximo? aut quis nullius famæ in re publica intentione saluandi honoris ex alapa inflicta aut calumniâ illatâ sanguinem fundat, si nihil aliundè maiori & meliori dignum consideratione occurrat? Verè etenim non patitur charitas proximi, vt pro minimâ re conseruanda, maximum illi damnum inferas. Quibus de rebus graues mouentur hodiè controuersiæ. Quas qui volunt generali quadam sententiâ terminare non appositis iis circumstantiis, quibus appareat de proportione mediorum ad finem & de potestate legitimâ agentis, magis inuoluunt quàm explicant difficultatem quam hic tantum generatim attingimus. *Pro pretio medij ad finem seruanda.*

Cæterùm aduertat adhuc confessarius ex eodem Pelparto vbi *supra* §. 7. tripliciter aliquid fieri propter Deum non purè. 1. vt sit finis sub fine. Putà seruire Deo principaliter & vt hoc meliùs possim seruire mundo, ad acquirendas diuitias, vt possim distribuere pauperibus & hoc meritorium est. 2. vt finis principalis propter Deum habeat aliquid sub se non propter Deum. Vt Canonicus Deum principaliter intendens, ac præbendam non propter Deum & venialiter peccat, mortaliter verò si intenderet exponere præbendam in actum peccati. 3. vt sint duo fines æquè principales ambo, vt si quis æquè propter Deum ac propter pecuniam operaretur. Quod esset damnabile, cum sit Deus super omnia diligendus & nil æquè cum illo.

Ex his paucis habet confessarius vndè dubia plura dissoluat. Sicut ex iis quæ diximus *in Theol. affect.* 1.2.tract.2.vbi de triplici intentione. Sed & vide infrà in 1.præcepto.

Quæritur trigesimo-quarto, quid sit interrogandum super circumstantia quomodo.

De tribus potissimùm dubitari potest, super interrogationibus ad illam circumstantiam pertinentibus.

Primum est, an peccatum fuerit perpetratum ex ignorantiâ, an ex passione, seu infirmitate, vel ex malitiâ aut contemptu expresso. Ad istud autem dubium dicendum est, aliquando expedire, vt Confessarius resciat à Pœnitente modum peccati. Etenim sæpè ignorantia excusat à peccato & si non à toto, saltem à tanto. Similiter inaduertentia totalis de malitiâ moralis actûs; vt enim quis peccet mortaliter, debet considerare, vel dubitare saltem, vel opus esse malum, vel operi inesse periculum malitiæ, vel scrupulo aliquo angi. Quod si nihil horum præcesserit, inconsiderantia censetur omninò naturalis & consensus quantumuis longo tempore duret, non est peccatum mortale, provt defendit Vasquez ad 1. *Secundæ disp.*107. *cap.* 3. ex multis auctoribus Alensi, D. Bonauentura, Alberto Magno & aliis quos apud eum videre poteris, quod scilicet peccatum non sit sine consultatione, & consultatio non sit sine cogitatione, & aduertentiâ. Vndè qui die veneris nihil omninò cogitans manducat carnes non peccat mortaliter. Ex quo capite dici posset multorum Confessiones imminutas esse ac imperfectas, in quibus aperiantur peccata magis materialiter, quàm formaliter defectu examinis, de ignorantiâ aut inconsiderantiâ peccati. Non sic est de vehementiori passione, per quam delinquitur in legem diuinam: vix enim ardentior aut remissior passio mutat actus speciem, & si addat malitiæ, vel detrahat, provt reddit actionem magis & minus voluntariam: Vndè non consideratur in furto aut in adulterio vtrùm ex intensiori aut remissiori amore procedat: & quamuis, vt legitur apud Almainum in moralibus cap.8. Dicit Augustinus & recitat Magister in quarto, plus peccat qui fornicatur cum turpi, quam qui cum pulchrâ: quia habet minus allectiuum & consequenter minorem amorem: stulta tamen esset & impertinens interrogatio de huiusmodi circumstantiâ. At vero interrogatio de malitiâ & contemptu, qui reperitur sæpe in actu peccaminoso, omitti semper non debet, quoniam ex hoc capite mortaliter peccatur.

Secundum dubium est de habitudine & consuetudine ex qua committitur peccatum. Ad quod dicendum est interrogationem

gationem de huiusmodi circumstantiâ esse vtilissimam & sæpè necessariam,quia aliter agendum est cum Pœnitente ad aliquod peccatum assueto, & cum alio qui minus frequenter labitur, quamuis enim in rigore dari possit absolutio sine dilatione assueto periuriis, ebrietati, calumniis & detractionibus & huiusmodi peccatis, si,sit Pœnitens & ex animo doleat emendationemque proponat, ac summotæ sint occasiones externæ (nam ab internis quis liber est?) Attamen præstat differre talibus absolutionem, donec per aliquot dies tres aut quatuor abstinuerint à peccatis quibus ita assueti sunt vt ferè in naturam transierint, nisi ratio aliqua particularis aliud suadeat. Sed & aliquando aliter discerni non potest occasio proxima peccandi,quam amouere tenetur pœnitens.

Non tamen debent Confessarij ad singula peccata interrogare, an Pœnitentes iis sint assueti,& aliàs in eadem inciderint, sed tantùm ad ea peccata de quibus rationabiliter coniiciunt, & quòd ex diuturnâ habitudine committuntur, & cui habitudini aliquod remedium particulare opponi potest. Imo opinio est Ioannis Sanchij in select. disp. 9. Confessarium in rigore ius non habere ad interrogandum de consuetudine peccati, quia idem esset ac pœnitentem obligare ad eadem peccata legitimè confessa iterum repetenda, quod extra reseruationem ad superiores,nullo iure humano induci potest:quo non obstante diligenter aduertendum est, quod notat Hangestus in Moral. cap.8. Quod etsi frequentia & consuetudo non possit efficere de veniali mortale, quia omni alio circumscripto tertius vel quartus actus non est magis rationi difformis, quàm si fuisset elicitus primus: Tamen ratione alicuius obligationis specialis vel scandali, multùm aggrauari actum ex frequentiâ & consuetudine,vel etiam deaggrauari.Per consuetudinem enim abrogantur leges, ita vt actus vltimi possint non ampliùs esse mali, abrogata lege. Per peccatum quod frequenter committit Prælatus, scandalisaretur populus, putans id esse licitum. Per frequentiam peccati venialis posset quis diffamari diffamatione mortaliter fugibili. Per tertium furtum imminet furi suspendium. Per tertiam crapulam lædi potest sanitas notabiliter, quæ per priores crapulas erat tantùm debilitata. Sicque per consuetudinem fit aliquandò ex veniali mortale.

Tertium dubium esse potest de intentione actus peccaminosi,an sit illa intentio actus discutienda.Puta aliquis se accusat de odio proximi, an examinandum est quantum fuerit illud odium,& quàm intensum. Quod dubium ex parte coincidit cum secundo:sæpè tamen actus peccati non est passio,quia

non fertur ad bonum, vel contra malum sensibile, proindeque continet peculiarem difficultatem, ad quam respondet Suarez *disp. & sect. citatis* satis manifestari in effectu qui consequi solet, intentionem valdè extraordinariam actûs. Putà aliquis ex intenso ac odio occidit inimicum, & post mortem cadauer eius multis impetit ictibus per quamdam feritatem. Quòd si intentio illa in solo corde maneat, nec se prodat per effectus externos, vix ab hominibus discuti potest, nec suadendum Confessariis vt multùm de illa solliciti sint.

Dices posse esse tantam intensionem illam vt reddat peccatum duplo maius. Cur igitur non aperietur in Confessione, vt aperitur quantitas furti quo redditur furtum mortale duplo maius? Respondeo in furto augmentum illud esse satis notum: est enim quid exterius: at verò maior illa intensio interna est, vulgò nota non est: tenetur autem pœnitens confiteri tantùm vltimam speciem peccati vulgo notam, vt dicetur inferius: in re enim morali non consideratur vltima species Logicè aut Metaphysicè.

Quaritur trigesimo-quinto, quid interrogandum sit super circumstantia quando.

Dissentiunt Doctores an actus malus qui in die festo perpetratur, habeat diuersam specie malitiam; sed communior est opinio quæ hodie inualuit, vt ex illa circumstantiâ non adueniat actui malo specie diuersa malitia, quare non est necesse confiteri an furtum, vel fornicatio inciderit in aliquod festum, quantumuis solemne, nec necesse est vt Confessarij regulariter super hac circumstantiâ vexent Pœnitentes, nisi ipsi sponte sua ad maiorem humiliationem id velint aperire. Et certè si ex hac circumstantiâ notabilis malitia sacrilegij inesset actui, multum damni festa afferrent Christianis.

Quidam tamen excipiunt diem sacræ communionis, & sanctam diem Veneris, putantque his diebus peccatum enorme, vt fornicationem, ita reddi enormius, vt necesse sit illam circumstantiam indicare. Hos tamen refellit Cardinalis de Lugo *disp. 16. citata sect. 12.* Quòd sacerdos deberet in singulis peccatis explicare circumstantiam missæ celebratæ eodem die, quod praxi non est consentaneum. Addi tamen posse aliquod peccatum ratione temporis contrahere malitiam notabilem necessariò in Confessione aperiendam propter grauissimam aliquam irreuerentiam contra diem festum admissam, vt si quis in die Veneris sanctâ, Bacchanalia ageret, ludicra spectacula exhiberet, vel si quis ab altari immediatè ad concubinam progrederetur. Simile est quod à duobus annis

Parisiis

Parisiis contigit die Veneris sacrâ, in qua quidam aulici, cum horrendis impudicitiis & blasphemiis ex condicto, deuotioni publicæ illuserunt: non enim dubium, quin circumstantia temporis in huiusmodi casibus detegenda sit.

Sed aliud angit quandoque conscientias, an explicanda sit diuturnitas actus peccaminosi. Ille enim malum desiderat per vnicum instans, hic per horam & diem integrum. Considerandum est actum peccati habere quamdam durationem sibi ordinariam, de qua nihil est dicendum, nec interrogandum; si autem illa duratio esset valdè extraordinaria, & aperienda esset, atque etiam à Confessario discutienda, si ex adiunctis illius coniecturam probabilem conciperet: nam regulariter & absque probabili coniecturâ nihil de hac inquiritur, exceptis actibus malis interioribus, ex quorum duratione, cognoscitur numerus peccatorum numero distinctorum, quæ in iis commissa sunt, quando scilicet contrariis actibus interrupti fuerint, sed de iis agetur inferiùs.

Quæritur trigesimo sexto, quid discutiendum maximè in Confessione generali peccatorum totius vitæ.

De Confessione generali totius vitæ egregiè tractat Suffrenius *in anno Christiano*, parte 2. tomi 1. vbi de recollectione annuâ agit, eiusque vsum antiquum, necessitatem & vtilitatem exponit. Quoad antiquitatem, notat in præteritis sæculis eam in vsu fuisse, cùm D. Bonauentura eam præscribat suis religiosis statim in ipso religionis ingressu. Necessariam autem esse asserit in tribus casibus, primus cùm in anteactis Confessionibus peccatum aliquod mortale omissum est, vel ex verecundiâ, vel ignorantiâ crassâ & affectatâ, vel defectu examinis. Secundus casus est cùm verus dolor, quod spectat ad præterita peccata, & firmum propositum in eo quod spectat ad futurum tempus, defuerunt. Tertius casus cùm Sacerdos qui priùs absoluit, verâ caruit iurisdictione ad absoluenda peccata. Extra hos casus, nec Christus, nec Ecclesia obligarunt homines ad idem peccatum legitimè confessum denuò confitendum. Vtilitatem denique Confessionis generalis maximam esse probat. 1. ex victoriâ quam supra semetipsum obtinet pœnitens, humiliando semetipsum in denudatione peccatorum totius vitæ. 2. ex intensiori dolore quem concipit ex intuitu plurimorum peccatorum, quæ simul ob oculos mentis exposita, ad contritionem vehementiorem excitant. 3. ex maiori confidentiâ salutis quam inde homo percipit, dum reparantur defectus præteritarum Confessionum. 4. ex testimonio & significatione quam præbet homo benè in posterum insti- *Vtilitas generalis confess.*

instituendæ vitæ, agendo tunc quod est tantum ex consilio, & supra præceptum. 5. ex nouâ gratiâ quæ acquiritur virtute sacramentalis absolutionis. 6. ex demonstratione magni odij in peccata, cum toties eorum accusatio iteratur. 7. ex renouatione vitæ & exspoliatione veteris hominis quæ tunc intenditur. 8. ex eo quod per illam Confessionem excitatur homo ad ampliores satisfactiones seuerioresque pœnitentias Deo offerendas, propter multitudinem & grauitatem peccatorum. Subiungit posteà idem author verè pius, & qui dum sæpe concionaretur Parisiis, & in aliis locis, non minus ad planctum quàm ad plausum auditores suos mouebat, scrupulosis non esse consulendam illam Confessionem generalem, quæ eis non est remedium, sed crux & præcipitium periculosum; non enim propterea liberantur ab animæ angustiis & turbinibus, nisi obediant, Deo confidant ac eum diligant. Item valdè lubricis qui maiorem partem vitæ sordibus luxuriæ innumeris fœdarunt, postquam enim semel aut iterum Confessionem generalem instituerunt, præstat vt obliuiscantur antiquarum fœditatum, ne si eas sæpius discutiant sigillatim, velut ex fœtidâ cloacâ quæ mouetur, noxius odor exhalet.

Hæc non obiter perpendenda sunt à Confessariis vbi agetur de Confessione generali; quia autem præfatus author pauca dixit de antiquitate Confessionis generalis, libet adhuc illam confirmare ex Cæsario *illustrium miraculorum* l. 3. cap. 13. vbi narrat sanctimonialem quamdam Alcheydis nomine dictam, cùm infestaretur à dæmone, consilium habuisse à viro religioso vt Confessionem generalem purè, plenè ac deuotè faceret, vt sic à dæmonis infestatione liberaretur. Cùm autem illa properaret ad locum in quo Confessionem illam perficeret, occurrens illi dæmon in viâ, exquisiuit quo festinaret. Cui illa, vado confundere me & te. Iterumque dissuadenti dæmoni ne confiteretur, dixit. Sæpius confudisti me & ego confundam te, non reuertar. Illa autem flectente genua ante Priorem suum, & os ad Confessionem aperiente, dæmon clamans & eiulans euanuit, nec vnquam ab illa horâ ab eâ visus vel auditus est.

vt verò his prælibatis quasi è diuerticulo ad quæstionem reuertamur. Respondetur maximè inquirendum esse de validitate, aut inualiditate præteritarum Confessionum. Et de causâ inualiditatis, vt sic Confessio generalis sit supplementum cæterarum Confessionum, si quid in eis desit. Vtrùm verò inquirendum sit, an inualidæ sint ex verecundiâ confitendi omnia, vel ex defectu doloris, aut iurisdictionis in Confessariis, quorum multi temerè præsumunt se illam habere, non sine maximo

mo detrimento pœnitentium, qui diuites peccatis, dimittuntur inanes & vacui verâ remissione, an inquam id rescite necessarium sit, nemo hactenùs quem legerim discussit. Puto tamen causas illas esse discutiendas, quia videtur maior malitia ex vna causa quàm alterâ. Rescite autem quot peccata omissa sint datâ operâ in hac Confessione, quot in illâ alterâ, si hæc nulla sit ex omissione vnius peccati mortalis, illa ex omissione duorum, non est opus examinare: & nimis esset laboriosum tum pœnitenti, tum Confessario. Inseruit autem hæc prima disquisitio, quia plus operæ impendendum est in Confessione generali necessariâ, quàm in illa quæ tantùm est de consilio, & sine necessitate suscipitur, in quâ non omnia ita exactè requiruntur.

Aliquandò autem consulunt, pœnitentes quibus in animo est confiteri generaliter, an liceat illis tacere aliquod peccatum mortale, quod nollent omninò resciri à Confessario quem adibunt propter aliquam rationem quâ ducuntur. Quibus respondendum est, si peccatum istud mortale aliàs legitimè declaratum sit in Confessione, id licitum esse, cùm nemo teneatur bis idem peccatum mortale confiteri.

Hoc autem posito si interrogandi sunt pœnitentes in Confessione generali, percurrenda erunt tria genera præceptorum diuinorum, scilicet præceptorum fidei, morum, & sacramentorum; tum eorum quæ certos status hominum spectant. Hæc autem hîc breuiter tractata esse voluimus, quia speramus examen istud pœnitentium vtile futurum iis qui generali Confessioni incumbent, cum ex eius lectione & peccatorum recordari poterunt, & dubia soluere, vt sic cum fructu dicant, *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

Quæritur trigesimo-septimo, quo pacto diiudicabit Confessarius, an aliqua actio attingat malitiam peccati mortalis, vel limites peccati venialis non excedat.

Hæc quæstio etsi aliqua ex parte tractata sit in examine Confessariorum *p.1.* Adeò tamen grauis est momenti ad exercendum iudicium perfectum in sacro tribunali, vt reiterata & accuratior eius discussio supeflua esse non possit.

Doctores igitur communiter tres tradunt regulas ad discernendum inter mortalia & venialia, *Tres regulæ ad discernendum peccatum*

1. Regula sumitur ex sacris Scripturis quæ aliquando dicunt aliqua peccata Deo valdè esse exosa excludere à regno Dei aut mortem inferre, sicut ea quæ enumerat Apostolus ad Rom.1. ad Galatas 5. & hæc habenda sunt pro mortalibus, Alia verò leuioribus censuris notantur in Scripturis vt Matt 5. qui

qui irascitur fratri suo,reus erit iudicio, *Qui dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio, qui dixerit fatue, reus erit gehennæ.* Duo enim priora tantùm pro venialibus habentur, tertium mortale. Sic ad Ephesios 5. quia stultiloquium & scurrilitas non repetitur inter ea quæ excludunt à regno Dei, colligitur esse tantum venialia. *Fornicatio*, inquit, *& omnis immunditia & auaritia* (quæ ibi opponitur iustitiæ, non liberalitati) *nec nominetur in vobis: aut stultiloquium aut scurrilitas, quia omnis fornicator aut immundus & auarus, quod est idolorum seruitus non habebit hæreditatem in regno Christi & Dei.* Vnde patet studium sacræ Scripturæ confessario esse pernecessarium, vt attentè illam perscrutetur.

2. Regula est, quia de pluribus altum est silentium in Scriptura sacra, traditio Ecclesiæ & doctrina magis vsitata à Doctoribus & scriptoribus probatis, vt ea habeantur mortalia vel venialia, quæ ab ipsis talia habentur: cum Deus non permitteret Ecclesiam decipi & animas malè gubernari in re tam ardua & tanti momenti: ac quoniam resolutiones magis speciales de casibus singularibus ac circumstantiis vix agitatæ sunt cum tanta diligentia, quantum à trecentis aut quadringentis annis per Theologos etiam scolasticos ad quos spectat de iure diuino & naturali ferre sententiam: eorum sententia magis communis magni ponderis esse debet ad ferendum æquum de his rebus iudicium: vt qui hodie adeo eleuant Theologos morales, nimium sibi arrogent ac nimium superciliosi sint, qui supra patres suis sapere volunt: nisi graui aliqua authoritate, ac ratione hactenus inaudita fulciantur. Vndè confessarius debet iungere lectioni recentium Casuitarum lectionum aliquorum antiquorum, vt cum inuenerit eos conspirare, magis firmetur in iudicio discretionis mortalium à venialibus. Et dicat nouis Anti-casuitis illud D. Augustini l.6. contra Iulianum c. 8. *Antequam essem natus multa Catholica lumina vestras futuras tenebras redarguendo praeuenerunt:* aut illud eiusdem lib. 2. contra eumdem Iulianum. cap. 2. *Nondum vobiscum apud ipsos iudices agebamus & apud eos acta est causa nostra. Nec nos nec vos eis noti fueramus, & eorum pro nobis contra vos latas sententias recitamus*, &c. *Tu quò confugias? an quia non numerandas, sed ponderandas esse censes sententias, & addis multitudinem nihil prodesse cæcorum: etiam istos cæcos dicere audebis?* &c. *Hos itaque de aliis atque aliis temporibus & regionibus ab Oriente & Occidente congregatos vides? non in locum quo nauigare cogantur homines, sed in librum qui nauire possit ad homines*, &c. quæ etsi afferuntur

à

à D. Augustino de sanctis Patribus, non absurdè tamen de Theologis qui res istas magno studio discusserunt, etiam dici poterunt, cum illi prodeant rationibus probabilibus armati, quibus tunc fidem non denegandam, idem D. August. Epist. 19. Quæ est ad D. Hieronymum luculenter asserit, etsi illorum authoritas impar sit librorum Canonicorum authoritati. Sed nec æquum est in omni scientia demonstrationes Mathematicas desiderare, vt non desinam mirari quorumdam Theologorum, certè parui capitis, temeritatem, qui etsi nossent triginta Theologos inter quos erant plures Cardinales & Episcopi & Professores emeriti Theologiæ, sententiam aliquam docuisse, ipsi tamen qui vix forsan per aliquot horas legissent aliqua scripta circa rem quæ in quæstione versabatur, audebant nihilominùs eorum famam proculcare hac vtentes norma. Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.

5. Regula ad discernendum mortale à veniali est rationis naturalis lumen quo deprehendi poterunt, si aliundè constare non possit, quæ grauiter ex æquo & prudenti iudicio grauiter lædunt Deum vel proximum: sicut enim ratione naturali aliquando cõstat euidenter aliquos morbos esse lethales, alios leues: idem erit de peccatis. Atque hac viâ infractionem legum de rebus leuibus non peruenire ad malitiam mortalem, quia longissimè distat à ratione naturali, vt pro quacumque re leuissima obligari possit anima ad mortalem culpam, cum lex humana pro quacumque leuis rei transgressione ad mortem non possit obligare cum non peior debeat esse in hac vita subiectio animæ quam corporis.

Fauèt isti regulæ D. Thomas qui in secunda secundæ multas morales difficultates resoluit per axiomata ex Aristotele desumpta: etsi enim inculpandi essent, qui semper versarent in ore Aristotelem quasi diuinus esset dum disserunt de re aliqua Theologica; Nonnulla tamen sunt in actionibus moralibus quæ optimè per eius doctrinam elucidari possunt. Nec D. Paulus ad Rom. 1. Non damnat scientiam Philosophorum, imo magis approbat, sed eorum vitam vituperat, quod non provt sapiebant illam instituerunt, *qui cum cognouissent Deum*, inquit, *non sicut Deum glorificauerunt*. Atque exindè tanta necessaria est in confessario prudentia, vt cum desunt authoritates scripturæ, ac Doctorum traditiones, legesque & Canones factum particulare non attingunt, ductu rationis naturalis fidei lumine illuminatæ (nec enim alia est ratio in Christianis) agãt quod magis probabile dictat ratio naturalis, quæ cum prima præcepta Decalogi dictauit inutilis haberi

non debet ad ea interpretanda in pluribus casibus perplexis; cum nullus magis aptè legem interpretetur quam qui eamdem tulit.

Si autem ponderatis omnibus dubia sit mens Confessarij fluctuans & incerta quid agendum. Certè tutiorem viam sequatur. Non est autem dubia mens, sibi formet si opinionem & conscientiam licet cum formidine aliqua de contraria sententia, quia aliud est fides & scientia, aliud opinio, aliud scrupulus, aliud dubium, & qui ista omnia accuratè non diiudicat, vix recto calle potest incedere, & iuuat menti imprimere axioma Scoti in 2.*dist.*21.q.1. Quod cum certitudine intellectus de aliqua conclusione potest stare opinio de alia (scilicet opposita) quia non repugnant.

Est & aliud obseruandum ad discriminanda peccata quod venialia sunt triplicis generis, seu triplicis modi, quædam enim sunt venialia ex genere, quarum materia non sufficit ad mortale etsi deliberatè fiant. Vt mendacia iocosa: ratio enim naturalis dictat indecens esse, vt homo grauis propter talia amicitiam vellet dissoluere, multo magis vt Deus: alia sunt venialia ex defectu & leuitate materiæ, vt furtum vnius assis: licet enim materia furti secundum speciem sufficeret ad mortale, paruitas tamen in illa specie non patitur existimare Deum velle recedere ab amicitia: alia denique sunt peccata venialia ex imperfecta deliberatione, quod in omni materia verum est, talia sunt peccata semi-dormientium & aliqua etiam semi-ebriorum. Sentientes enim de Domino in bonitate, iuxta monitum sapientis *Eccles.* 1. non existimant pro talibus Deum priuaturum homines supremo bonorum omnium, & addicturum pessimo malorum omnium. Attento quod mortale peccatum sit deordinatio opposita ordinationi sine qua finis scilicet beatitudo non potest sequi aliquo modo vt ibidem, Scotus doctissimè & verè asserit, veniale vero deordinatio opposita ordinationi quæ non est absolutè necessaria ad finem vltimum consequendum, sed vtilis, ita vt peccans venialiter faciat aliqua retardatiua à beatitudine. Quod ampliùs explicamus in Theolog. Affect.1.2.tract.2.

Præter has autem regulas generales, quædam alias magis speciales & determinatas assignat, iuxta numerum & ordinem alphabeti. *lib.* 2. Rosarij Theologiæ Pelbarrus de Themisuar verbo *peccatum*, quæ quia fusiori examine indigent, hîc omittimus.

Tantummodo aduertenda cum attentione D. Thomæ doctrina *quodlibeto* 9.*art.*15.*de variis actibus humanis. Actionum humana*

humanarum, inquit, *multiplex est differentia.* Quædam enim sunt quæ habent difformitatem inseparabiliter annexam, vt fornicatio, adulterium & alia huiusmodi, quæ nullomodo leuia fieri possunt, & de numero talium non est plures habere præbendas, &c. Quædam vero sunt actiones quæ de se indifferentes sunt ad bonum vel malum, vt leuare festucam de terrâ, &c. Et tale non est plures habere præbendas cum hoc plurimas in se ordinationes contineat, &c. Sunt verò quædam actiones quæ absolutè consideratæ deformitatem vel inordinationem quamdam important. Quæ tamen aliquibus circumstantiis aduenientibus bonæ efficiuntur sicut occidere hominem, vel percutere in se deformitatem quamdam importat, sed si addatur occidere malefactorem propter iustitiam, vel percutere delinquentem causâ disciplinæ, non erit peccatum, sed virtuosum. In numero harum actionum videtur esse habere plures præbendas.

Hanc D. Thomæ doctrinam explicat, comprobatque Lessius in tract. *de actibus humanis q.* 18. *art.* 8. Vocatque has vltimas actiones malè sonantes, quæ etsi non sint per se malæ, vt illud *per se*, idem valet quod intrinsecè essentialiter: sunt tamen per se malæ, vt illud *per se* idem est, quod sine nouis circumstantiis; *quomodo tamen aliquid*, dicitur per se indifferens & per se bonum.

SECVNDA PARS

EXAMINIS

POENITENTIVM,

Super præceptis diuinis, & præceptis Ecclesiæ.

Quæritur primò quid in genere inquiri possit à pœnitente super præceptis diuinis & Ecclesiæ.

BENE aduertit Hieronymus Sauaranola in *Eruditorio Confessorum*, examen instituendum esse super præceptis Decalogi quibus rectè ordinamur, tum ad Deum, tum ad proximum. Vt enim in republicâ rectè se ha-

bet ille qui benè ordinatus est, tum erga principem, tum erga consubditos suos: si qui præceptis Decalogi obtemperat, rectè se habet erga Deum prima tria præcepta obseruando: ac erga proximum reliqua septem.

Notat autem Polancus in *Directorio Confessariorum* quatuor inquiri posse de præceptis diuinis. Primò de cogitationibus. Secundò de verbis. Tertiò de operibus. Quartò de omissionibus. Quæ quatuor ipse prosequitur incipiendo à fide, à qua nos etiam, inconsulto illo, initium duxeramus, sed aliâ ratione. Nimirum quòd existimemus primum genus præceptorum Dei obligare ad fidem. Secundum ad Decalogum. Tertium ad ea quæ in rebus sacramentorum obligant. De quibus tribus præceptorum generibus, dedimus aliàs catechismum, annotatis peccatis quæ vulgò committuntur contra singula præcepta, vt instar speculi repræsentaret legentibus quibus in actionibus contra ea impingant homines. Iis verò hîc omissis, quæ dubia sunt & difficilia maximè discutimus.

Tria genera præceptorum.

Quod verò plures reuocant ad Decalogum omnia Dei mandata, quibus deuincti sunt Christiani, non satis distinguunt Ecclesiam à Synagogâ Iudæorum, quibus Decalogus decem mandatorum à Deo datus est per Moysen, quare si omnia Dei præcepta quibus in Christianâ religione obligamur, in illis decem mandatis continentur, non distinguuntur à Iudæis Christiani. Præstat igitur Dei mandata ad tres claues reuocare. Ad præcepta fidei, morum & sacramentorum.

Præcepta fidei.

Quæritur secundò quomodò interrogandus sit pœnitens de peccatis contra fidem, iuxta propositam methodum in quæsito præcedenti.

Respondeo interrogari posse 1. de cogitationibus contra fidem, si iis voluntariè immoratus sit cum quadam complacentia: nam si displicuerint huiusmodi cogitationes, peccata non sunt, sed dæmonis sæpe tentationes eò minùs metuendæ, quo fuerint magis insolitæ, cùm minùs iis consentire soleant qui iis diuexantur, qui proindè sæpe sæpius monendi erunt, vt istas cogitationes contemnant, ac pro nihilo ducant, nec de eis confiteantur: sic enim contemptus dæmon discedit, & faciliùs curantur. Deindè de dubiis circa fidem, si putauerit aliquos fidei articulos incertos esse ac dubios: qui enim hoc modo in fide dubitat, hæreticus est. De erroribus contra fidem, si quid contra Ecclesiæ dogmata sapuerit, infidelium doctrinæ vt veraciori adhæserit.

2. Interrogari potest pœnitens de verbis si contra articulos fidei locutus sit, vel disputauerit sine necessitate cùm non esset satis versatus in doctrina fidei. Ex temerariis enim quo-

rundam diſputationibus oriuntur ſcandala, quare omnibus non ſunt licitæ. Et ſi hæc cum animo dixerint, vel contra mentem loquendo, vt ſe fortiori pollere ingenio demonſtrarent, quod multis ſtultis huius ſæculi familiare eſt, quibus nihil potiùs eſt, quàm vt verbo impetant magis ſacro-ſancta religionis myſteria, non ſine puſillorum offenſione.

3. De operibus. Vt ſi interfuerit concionibus hæreticorum, ſi in rebus ad religionem pertinentibus cum iis commercium, & communionem habuerit. Si ad occultandam religionem iis veſtibus vſus fuerit, quæ per ſe primo ad ſuperſtitioſum cultum alicuius falſæ ſectæ inſeruiunt, quæ quidem non habeant communem & corporalem vſum, ſed ſacrum, vel quaſi ſacrum in tali ſectâ; qui enim talibus vtitur veſtibus, mortaliter exercet ſuperſtitioſum cultum, cùm ſuperſtitioſus cultus ſit primarius harum veſtium finis. Quod ſi veſtes infidelium alium vſum prophanum & communem habeant, peccatum non erit iis vti ad ſe occultandum. Vide Suarem *de Fide* diſp. 14. ſect. 5. quare qui Conſtantinopoli rediit cum pileo quo vtuntur Turcæ ne Chriſtianus videretur, non videtur peccaſſe, cum pileus ille alium vſum habeat.

4. De omiſſionibus ſi pœnitùs ignoret fidei myſteria. Si cùm teneretur fidem palam profiteri, defuit fidei Confeſſioni. Si actum fidei internum tempore obligationis non exercuit: tenetur enim aliquandò actus fidei exercere, atque etiam ad ipſa myſteria fidei attentum ſe præbere; *deſolatione enim deſolata eſt terra, quia non eſt qui recogitet corde.* Sed inſtituti noſtri non eſt texere catalogum peccatorum omnium, ſed potiùs difficilia quædam excutere, quæ non rarò occurrunt, & Confeſſarios remorari ſolent.

Quæritur tertiò an debeat Confeſſarius interrogare Pœnitentem de articulis fidei, & an eos ſciat.

Reſpondetur, quando hominis rudis excipitur Confeſſio, qui probabiliter apparet ignarus articulorum fidei, interrogandum eſſe de præcipuis articulis fidei, ſaltem quoad eorum ſubſtantiam, vt verbi gratia, an ſciat vnum eſſe Deum in tribus perſonis. Quæ perſona fuerit incarnata. Quonam nomine appellata ſit perſona incarnata, & conſequenter, quid ſit Chriſtus, vbinam exiſtat nunc ſecundùm quod eſt Deus, & vt eſt homo. An humanitas eius ſit tantùm in cœlo, vt intelligat pœnitens quòd exiſtat etiam realiter in ſanctiſſima Euchariſtia. Ratio eſt, quia requiritur fides explicita præcipuorum articulorum fidei, iuxta illud D. Athanaſij; Quicumque vult ſaluus eſſe, ante omnia opus eſt, vt teneat Catho-

Sa, ferè sequitur Medina, *l. 1. c. 14. §. 2.* Item Faber Fauentinus in 4. *sent, dist. 14. disp. 7. c. 2. n. 48.* Quam refert Andræas Victorellus, *in notis* ad Aphorismos prædicti Sa verbo *fides*, cum multis aliis qui sunt in contraria opinione. Intrepidè autem eam tuetur Ioannes Sanchius *in Selectis* disp. 9. nu. 8. vbi negat absolutionem debere denegari ignoranti doctrinam Christianam, & si sæpe admonitus non didicisset, dummodò pœniteat præteritæ negligentiæ, & emendationem proponat, quia vniuscuiusque præcepti violati emendationem proponere, & dolorem habere, sufficiens dispositio est ad absolutionem, quando pœnitens aliud efficere non potest tempore Confessionis quàm dolere. Firmatque suam sententiam authoritate Thomæ Sanchij in Summâ lib. 2. cap. 3. num. 21. Eidem sententiæ tanquam probabili fauet Lessius in resolutionibus, *Verbo* Confessarius *casu* 5. quod cognitio expressa præcipuorum mysteriorum fidei sit necessaria non necessitate medij, sed præcepti, à quo pro aliquo saltem tempore possunt aliqui excusari, ne peccent. *Ignorantium confessiones.*

Sed dubium est quo pacto excusari poterunt à reiteratione Confessionum præteritarum supposita communi opinione. Ignorantiâ enim illorum videri potest esse peccatum perpetuum, quod proindè obstaculum fuit gratiæ, ne vnquam iustificari possent, quantumuis absoluerentur, non secus ac si fide Catholicâ caruissent. Vndè non est hæc difficultas inter minimas quæ exagitare possunt mentes Confessariorum. Certè per plures annos mihi plurimas animi procreauit angustias, vt etiam multis fuerim author Confessionum generalium, propter illam ignorantiam, in qua nati & educati adoleuerant vsque ad perfectam ætatem, & vsque ad senium aliquando.

Occurrunt autem modo aliqua media quibus vel quorum aliquo possent excusari à reiterandis Confessionibus præteritis. Primum est illud quod habet Canus in relect. de Sacram. p. 2. Vbi contendit ante promulgatum Euangelium non fuisse necessariam Christi fidem explicitam; sed satis fuisse implicitam, aitque non esse eamdem rationem etiam promulgato Euangelio de remissione peccatorum, & æterna finalique salute. Non enim omnia quæ ad hanc consequendam exiguntur, ad illam alteram sunt necessaria, eò quòd salus æterna secundum diuinæ procurationis ordinem, per media quædam temporaria, & successiua administratur. Posset igitur quispiam imaginari, cognitionem expressam præcipuorum articulorum fidei esse necessariam ad salutem æternam, non ad

iustificationem ipsam. Quod medium videtur inefficax,& facilè impugnari posset. Secundum medium est, quòd vt baptismus,& ordo, remoto obice conferant effectum suum, quamuis non reiterentur, ita Pœnitentia conferat gratiam remoto obice ignorantiæ, etsi non reiteretur, quod medium probabilius est secundo. Tertium medium est, quòd non obligetur de facto Christianus ad discenda mysteria fidei, donec audierit se teneri sub pœna peccati ad illa scienda. Vndè antequam illud sciat, iustificatur in Confessionibus, nec opus habet vt repetat; Si verò postquam obligationem suam nouerit, contemnit, & negligit culpabiliter, peccat verè, & illi ignorantia imputatur ad peccatum: sed peccatum istud se habet tanquam obliuioni traditum, quod non impedit remissionem peccatorum, sufficitque illud ipsum confiteri, cùm venerit in mentem, absque reiteratione præcedentium Confessionum.

Praxis pro istis ignorantibus. Doce eos ante absolutionem esse vnum Deum in tribus personis. Secundam personam fuisse incarnatam. Iesum Christum esse Filium Dei incarnatum. Eius humanitatem esse in cœlo & in Eucharistiâ. Impone illis vt per aliquot dies repetant decies ista verba, *Iesus Christus est Filius Dei, nunquam illius obliuiscar.* Nec communicent, priusquam ter quaterve Catechesibus puerorum, si fiant in loco, interfuerint. Hoc remedium pluribus profuit.

Sed & memoriâ tenaci mandandum est, quod solerter aduertit Matthias Hauzeur tom. 2. Epitomes D. Augustini ad librum *de Magistro.* Quosdam scilicet esse hebetis ingenij ex quadam corporis complexione ineptâ ad deferendum audita defecata per sensus internos: sicut enim pueri aut fatui ante quamdam maturitatem temperamenti corporalis non perueniunt ad vllum vsum rationis: ita & aliqui pro maturitate temperamenti plus minusve emergunt & perueniunt ad aliquem vsum rationis; ita vt credibile sit plures quam putetur, non assequi plenum vsum rationis nec sufficientem ac obligantem ad explicitè discenda & scienda quædam communia fidei mysteria quorum non sunt capaces. Quamuis enim videantur in humanis negotiis satis iudiciosi: id tamen fortè non tam est ex vsu rationis, quam ex quadam industriâ naturali, animali & consuetudinariâ: sicut miramur in variis brutis, circa ea quæ sunt ad conseruationem vitæ aut speciei suæ. Sunt tamen qui non tam deficiunt vsu rationis & iudicio quam memoriâ, ita vt audita vtcumque percipiant, sed vel rem vel verba memoriâ conseruare aut repetere nequeant. Si tamen faciliùs ad interro

interrogata respondent, non tam deficiunt memoria intellectuali rerum, quàm sensitiua verborum. Quæ sunt obseruatione digna circa instructionem rudiorum.

Ex quibus intelligere licet non omnes qui interrogati de mysteriis fidei respondent tres esse personas in Deo, ac secundam incarnatam fuisse in Maria Virgine scire propterea & concipere mysteria fidei, nam nuda verba ex memoria animali repetunt, nec quicquam sciunt aut concipiunt: sicut si auiculæ loquaces verba quædam pronuntiarent. Quare pluribus vtile erit Deum humiliter precari vt mentem aperiat hac breui oratione, Deus semper idem, nouerim te, nouerim me, vt enim docet D. August. in libro *de Magistro, Dei sapientiam ac veritatem omnis anima rationalis consulit : sed tantum cuique panditur, quantum capere propter propriam, siue malam, siue bonam voluntatem potest.* Hoc est, prout quisque maiori vel minori affectu ad ipsam veritatem percipiendam fertur.

Quæritur quartò, qua de re sit interrogandus qui confitetur se disputauisse contra quosdam articulos fidei, & aliquid asseruisse fidei Orthodoxæ contrarium.

Hæc quæstio ideò proponitur vt possit discerni, quando pœnitens crimen hæresis ita incurrerit vt propterea sit excommunicatus, & absoluendus per Episcopum, vel pœnitentiarium. Notandum est ergo inter Catholicos multos esse, qui vel ex nimiâ loquacitate, vel propter aliquam vanitatem, vel ex studio contradicendi, vel ex aliâ causâ forsan adhuc deteriori, multa ineptè, & imprudenter effutiunt contra fidem, etiamsi Catholici sint, nec ab Ecclesiæ vnitate vellent se esse separatos : quare & Missæ intersunt, & vt Catholici audiunt, & volunt audire semper. Dubium ergo est sæpe Confessariis, an pro illo tempore quo contra fidem loquuti sunt, hæretici fuerint, & excommunicationi in hæreticos latæ subditi sint.

Puto ego quod à talibus inquirendum est, num si illis expositum fuisset, cum ita contra fidem loquerentur, quod suæ propositiones hæreticæ erant, & contra mentem Ecclesiæ, ita vt qui eas pertinaciter tueretur extra numerum filiorum Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ recensendus foret, an tunc voluissent in his propositionibus permanere. Si enim respondent, quod eo non obstante in suis propositionibus permanere voluissent, verè in hæresim lapsi sunt, & excommunicationem, remittique debent ad Episcopum ad eosve qui potestatem habent absoluendi ab hæresi ; fuerunt enim pertinaces : at verò si respondent, nequaquam se ita dispositos

X 5

fuisse, sed in prædicto casu se renuntiaturos fuisse iis quæ contra fidem proponebant, vt qui habuerint voluntatem perpetuò adhærendi Ecclesiæ Catholicæ, tunc non erunt censendi hæretici defectu pertinaciæ, non erroris, poterúntque absolui à quibuslibet Confessariis iurisdictionem in eos habentibus. Increpandi tamen erunt sæpissimè, & quòd dictis suis dicteriisque pusillorum conscientias perturbent, & quòd contra fidei Confessioenm peccent.

Placet autem hîc referre verba Innocentij *extra*. De summa Trinitate & Catholica fide. c. *Firmiter* in glossa : quæ verba referuntur ab Ochamo in tractatu de Sacramento altaris. In tantùm valet fides explicita, vt dicunt aliqui, vt si aliquis eam habet, quod scilicet credit quicquid Ecclesia credit ; si falsè opinatur ratione naturali motus, quòd pater maior est, vel prior filio : Vel quòd tres personæ sint tres res ab inuicem distantes, non est hæreticus, nec peccat : Dummodò hunc errorem non defendat, & hoc ipsum credit quod credit Ecclesiam sic credere, & suam opinionem fidei Ecclesiæ supponit. Quia licet sic malè opinetur, non tamen est illa fides sua, imò fides sua est fides Ecclesiæ.

Aduertendum tamen est in verbis Innocentij ad hæc verba, *non peccat*, addendum esse, si fuerit ignorantia inuincibilis. Nam semper non excusantur à peccato mortali, qui errant in iis quæ tenentur scire, etiamsi essent rustici, quâ de re lege Toletum *instr. Sacerd.* lib.4. cap.3.

Quæritur quintò, qua de re sit interrogandus qui dicit se fuisse hæreticum, & habuisse in animo errores contra fidem orthodoxam.

Respondetur de tribus maximè posse interrogari.

Primum est an errores illi merè fuerint interni, nec eos verbo protulerit. Quia si fuerint merè interni, absolui poterit Pœnitens à propriis Confessariis, nec erit remittendus ad Episcopum. Si verò verbo protulerit, quamuis nullus audierit, censet Gregorius de Valentia *tom. 3. disp. 1. q. 11. puncto 3.* hæresim esse reseruatam & excommunicationi subditam, quia est hæresis per se externa, & est tantùm per accidens quò nullus audierit. Credo tamen probabilius in isto casu non esse excommunicationem, quia moraliter istud occultum est, & Ecclesia non iudicat de occultis. Similiter si quis hæresim animo retinens, ieiunium non seruet, carnes comedat in Quadragesima, & si ex hæresi interiori id proueniat, non censetur hæresim promulgasse, quia ista non sunt signa certa hæresis.

Secundum

Secundum de quo poterit interrogari, est de specie sectæ, & hæresis quam professus est. Quamuis enim quidam censeant omnes errores contra fidem eiusdem esse speciei, quia tamen variæ sectæ & hæreses, varias habeant superstitiones quæ diuersa continent peccata, idcircò videtur esse Pœnitens interrogandus de sectâ, & hæresi quam professus est. Et sanè si sectæ sint eiusdem speciei ratione auersionis à fide Catholica, sunt diuersæ speciei ratione conuersionis ad varias cæremonias ab Ecclesia improbatas.

Tertium de quo videtur aliquandò interrogandus Pœnitens, qui fatetur se fuisse hæreticum, est de ætate & de modo, quo in hæresim incidit, quia quidam sunt hæretici, qui sic nati sunt, vt ita loquar, à parentibus scilicet infidelibus & hæreticis progeniti, quique numquam audierunt de fidei controuersiis & disputationibus. Vnde si pium Doctorem inueniant in ætate duodecim aut quatuordecim annorum, qui illos instruat in vera fide, absque magnâ resistentiâ eam amplectuntur, vnionemque cum Ecclesiâ Catholicâ postulant. Qui tales sunt, si moraliter, non culpabili ignorantiâ laborasse videntur, censet Laymanus tract. 1. *de virt. Theolog. cap.* 13. postquam instructi fuerint, absolui posse à propriis Parochis, nec remittendos esse ad Episcopum pro consequendâ absolutione. Quæ opinio semper mihi placuit, cùm tales magis materialiter hæretici sint, quàm formaliter: Qui sententiam suam, ait D. Augustinus *epist.* 162 Quamuis falsam atque peruersam nullâ pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audaciâ animositatis suæ pepererunt, sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cautâ sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum inuenerint, *nequaquam sunt inter hæreticos deputandi*, ex quibus aperta est mens D. Augustini. Seruandæ tamen Episcoporum constitutiones, si quæ sint ea de re.

Filij hæreticorum.

Ad confirmationem huius resolutionis accedit Franciscus Pegna *ad* 3. *partem directorij inquisitorum* Nicolai Emericyci *commentario* 40. asserens abiurationem hæresis faciendam tantùm esse ab annis pubertatis. Sed hæc difficultas, inquit olim iam proposita & definita mihi videtur in Concilio Tholosano, anno Domini M. CC. XXIX. in hæreticos Albigenses celebrato vbi c. 11. ita scriptum est. Vniuersi tam mares quàm fœminæ: masculi à decimoquarto anno & supra, fœminæ à duodecimo, abiurent omnem hæresim extollentem se aduersùs sanctam & Catholicam Romanam Ecclesiam & fidem orthodoxam quibuscumque nominibus censeatur. Hæc *ibi.*

Idem

Episcopi Normaniæ congregati in Synodo Rothomagensi anni 1581. supplicauerunt summo Pontifici, vt dignaretur sua sanctitas prouidere: qui respondit vt pro necessitate prouinciæ concederetur ad tempus hæc facultas, scilicet absoluendi ab hæresi,cui magis visum fuerit. Quòd summi Pontificis responsum extendi etiam posse ad alias prouincias, asseri potest. Nec deest ratio,cùm alia rescripta summi Pontificis ad varios Episcopos in corpore iuris inserta faciant ius & regulam agendorum præscribant.

Quòd si aliquis habeat opiniones erroneas & temerarias, aut huiusmodi notis afficiendas in rebus ad religionem pertinentibus, scrupulus est non leuis an de huiusmodi debeant examinari pœnitentes, maximè si docti fuerint,& qui credunt se optimis rationibus fulciri vel authoritatibus authorum magni momenti,ita vt ipsos errores suos doctrinam sanam & intemeratam arbitrentur, irrisurique sint Confessarium aut relicturi, si de illis opinionibus eos velit monere vel arguere.

In hac controuersiâ duæ sunt oppositæ sententiæ; vna docet non esse peccatum mortale tenere aliquas opiniones,modò non sint hæreticæ & ab Ecclesiâ damnatæ. Ita D. Antoninus 1. *parte summa titulo* 3. §. 10. atque huic sententiæ fauet Ioannes Sanchius in *selectis disp*.4. *num*.2.vbi asserit imprudentiam per se non esse peccatum,nisi ratione alicuius malæ operationis, vt inquit acutè Vasquez 1. 2. *tom*. 1. *disp*. 101. *num*. 14. *&* *disp*. 119. *c*. 2. *num*. 3. *&* 4. licèt enim imprudentia virtuti prudentiæ opponatur, quia tamen non est virtus moralis & electiua, sed intellectualis,sicut ars, ex imprudentiâ deficere non erit mortalis & culpabilis defectus

Altera sententia est Suaris in *tract. de fide*, *disp*.19. *sect*.6. vbi tanquam certum statuit errorem licet ad hæresim directè non pertineat, esse culpabilem. Tum quia damnantur à Conciliis & à summis Pontificibus, necnon etiam aliquando puniuntur qui propositiones erroneas & temerarias,licet nō sint hæreses, tenent aut tuentur. Tum quia huiusmodi errores in materiâ religionis imprudenter & temerè tenentur, qui parant viam ad hæresim,vt exempla quotidiana demonstrant, scandaláque plurima & turbas gignunt in Ecclesia, quæ ex huiusmodi opinionibus scinditur in varias partes. Debilitant insuper fundamenta fidei, & propter affinitatem, & propinquitatem quam habent ad hæresim, sæpè corroborant hæreticos,vt obstinatiùs persistant in hæresi,& nunquam ad Ecclesiæ gremium reuertantur. Adde illis,peccasse eos qui errores Arrij defendebant

defendebant ante definitionem Concilij Nicæni, qui errores Eutichetis ante Concilij Calcedonensis determinationem, qui Nestorij & Pelagij antequam in Concilio Ephesino damnarentur, & qui errores Lutherij & Caluini antequam anathemate ferirentur per Concilium Tridentinum. Quidni ergo idem sentiamus de aliis opinionibus, quæ quotidiè inualescunt, contra mentem antiquiorum Doctorum, etsi fortè nondum Ecclesia iudicium satis manifestum de omnibus tulerit?

Ad rationem Sanchij respondetur etiam in intellectu esse peccatum, alioquin hæresis peccatum non esset, cuius subiectum est intellectus.

Ad quæstionem verò propositam, an debeat de huiusmodi interrogare Confessarius, distinguendum est. Vel enim est spes aliqua quòd profutura sit interrogatio, & monitio túncque prudenter de iis interrogabit & monebit pœnitentem Confessarius: vel nulla est spes & se pœnitens credit tutum esse in conscientiâ, nec alios inficit suis erroribus cum detrimento Ecclesiæ, tuncque præstat relinquere pœnitentem in bona fide, quàm monendo nihil proficere, & non nisi rixas mouere. Sic fieri consueuit cùm aliquibus matrimonio iunctis cum impedimento dirimente quòd ignorarent, & quod certò non amouerent, si de eo tollendo monerentur. Probari potest ex D. Augustini dicto quod habetur c. si quis autem de pœnit. dist. 7. *si scirem non tibi prodesse, non te admonerem.*

Opinio Doctoris Seuertij.

Ad idem pertinet quod docet Seuertius in *libro de Atheïsmo & hæresibus cap.* 2. Hæresim non tantum in verbis consistere sed etiam in factis, qualia essent Laïcorum in officia Ecclesiastica inuasiones quasi in ea ius haberent, cum hæreticis frequentationes ordinariæ, ad eorum concionabula profectiones sæpius iteratæ, contemptus Pontificis & Sacerdotum, & inter hæc raro Missæ adesse, raro ieiunia statuta seruare. Hæc quippe produnt sæpe hæreticum hominem esse, etsi voce tenus dicat se Catholicum. Non quidem si talia semel, aut iterum ratióne fiant, quia vna hirundo non facit ver, sed si sæpius, quia produnt tunc animi obstinationem. Est enim versutia modernorum hæreticorum maior quam antiquorum qui non ita se occultabant ac plerique hodierni. Vnde & idem Seuertius vult definitionem propriam hæresis esse hanc. Hæresis *est dogma falsum fidei orthodoxæ contrarium in solius baptisati animo hærens, & duplici signo vel alterutro indicatum, vocali scilicet vel saltem factitio, aut manuali, quoties externa*

Hæresis definitio.

na continuata opera hæreticorum propria de mentali sufficientem fidem facere possunt.

Similiter præter Atheïsmum in quorumdam brutorum hominum qui de Deo nequidem cogitant, & aliorum qui dum expressis verbis negant, admittit tertium Atheïsmi genus baptisatis hominibus peculiare & iis qui antea infusa fide clari, veram quandoque religionem professi sunt, postmodum autem retrò abierunt. Inter hos verò atheï sunt illi, qui etsi Deum ore tenus fateantur, tamen diuinæ essentiæ attributa, vel voce, vel factis quoque negant, nimirùm diuinam omnipotentiam, infinitatem, iustitiam, bonitatem, misericordiam, æternam prædestinationem, prouidentiam circa creaturas, gloriam beandis Christianis paratam, & id genus alia. Quod perindè planè est ac si Deum ipsum negent. Nam diuina attributa non sunt aduentitiæ in Deo qualitates ipsi hærentes, quales hominibus accidunt. Ita vt qui vnum negat ex attributis, confestim alia omnia & Deum ipsum quoque tollit, cùm id indiuisibile ens (partes extra partes non habet) vel totum remaneat & credatur, vel totum negatione ex animis auferatur. Diuinam verò omnipotentiam subtrahere, & in Atheïsmum collabi dicuntur Christiani illi, qui persuasum sibi habent Deum non posse aliquas rerum substantias in alias commutare; qui prætereà in quocunque persecutionis aut afflictionis genere desperare videntur; neque spem in Deum collocant, qui eos ab huiusmodi periculo eripere possit: sed vel animum abiiciunt, vel ad magos in suis curis & perditis rebus accurrunt, qui secretum reuelent; & si id officium sit solius Dei, aut per se ipsum aut mediante Angelorum ministerio, qui ea de causa sanctis sæpissime apparuere, vt D. Petro in Vinculis, & aliis in lacubus atque carceribus. Diuinam iustitiam oblimare verè censentur ij, qui Deum pessimorum hominum vindicem nesciunt, sempiternas ac sensibiles inferni pœnas in anima & corpore irrident, respuunt, negant, qui peccatum & peccandi occasiones flocci pendunt, ac si nihil peccaretur, aut puniretur in vniuerso humano genere: qui temporaneas pœnas & animorum perturbationes ac mortem & ineuitabile fatum, aut ad varios fortunæ casus aduentitios, non ad diuinam prouidentiam, bonitatem iustitiamque referunt, necnon de æterna meritorum mercede haudquaquam curant. Diuinam rursus veritatem animo affectato & expresse ignorant illi, qui sacras paginas à Deo ipso reuelatas atque dictatas nolunt, spernunt, in profanos & carnales discursus vertunt: neque Deum seriò, sed fallacibus minis locutum putant, dum ignem æternum comminatur

tur iis qui mandata non seruant. Denique cœlestem prouidentiam determinatè blasphemant, quicumque Deum esse peccatorum causam & eum cum pessimis hominum actibus concurrere scribunt, veluti Caluinistas præstare docemus ex professo in bibliorum anacrisi digressione IV. plura subticemus. Ergo omnes eiusmodi homines quantumuis voce & nomine Christiani videri vellent, reuera tamen Atheï sunt in summa, tales sunt ij de quibus his verbis in suis Epiniciis vaticinatur Psaltes, *Dixit insipiens in corde suo non est Deus, & quorum Deus venter est*, ait Apostolus: Hoc est, quibus alia cura nulla est, quam bonis, facultatibus quæ affluere, vt vberiore vtantur crapula. Nam veluti loquitur ibidem D. Augustinus: hoc ab homine colitur (tanquam Deus) quod præ cæteris diligit. Tandem vero Atheï sunt illi, & plusquam terrestres homines tanquam sues, qui cœlestis regni nihil planè solliciti, vnam ciuilem politiam, suaque duntaxat domestica commoda

Atheus quis. & epulas quærunt, &c. Vt mox igitur finem imponamus, exacta definitione aperire conuenit, quid sit Atheus, iuxta tertiam solam hodie magis communem Atheïsmi acceptionem. Atheus ille dicitur *qui passionum animi ægritudine & pertinaci magis obcæcata voluntatis quam intellectus errore ductus, diuina attributa antea recognita ex certo aliquo cultu, cum interno tum externo, eoque vel vocali vel factitio signo sponte negat: & qui de nullo fixo honore sollicitus est, quo conditorem suum tutò veneretur*. Ex qua quidem definitione, assumptis in abstracto terminis, verè quoque Atheïsmus describetur. Hic Atheïsmus redolet apertè exteriorem Apostosiam à Fide, eámque implicitè continet: modò aberrans spontè operetur, nec aliquo ducatur timore. Sic vniuersæ definitionis sensum inter plures aperit Syluester verb. *Apostasia*. 4. & verb. *Excommunicatio*. Vbi docet tales cum hæreticis esse ipso facto excommunicatos: quia omnimode discedendo à fide suscepta (ex probabiliori coniectura) seu à determinato & vnico cultu externo, hæreticorum limites excedunt, etiamsi occultè talia infidelitatis opera perpaucis testibus aperiant. Eiusmodi notoriè extitisse legimus Imperatorem Iulianum Apostatam, qui primùm Catholicus Romanus, in Ethnicam postea impietatem lapsus, aut veriùs in Atheïsmum.

Si autem obiiciatur definitiones rerum esse immutabiles. Antiquam autem & receptam hæresis definitionem eam esse quam Vuiguerius assignat instit. c. 10. §. 5 vers. 8. Hæresis *est assertio falsa siue dogma falsum Catholicæ veritati contrarium cum pertinacia in eo qui Christianam fidem professus est*. Vbi

dicitur

dicitur assertio falsa vel dogma,nō factū peruersū,quia,inquit factum peruersum contra veritatē Catholicā non est hæresis.

Respondet idem Seuertius definitiones rerum naturalium esse immutabiles, non verò rerum moralium quæ in solo intellectu,aut voluntate existunt, quia humana voluntas cùm sit valde mutationi obnoxia, fertur in obiecta sua nunc vno,nunc altero modo, nunc minùs, nunc feruentiùs, vt necesse sit propter ea eius habitus,aut actus cùm creuerint alia explicatione hominibus manifestare.

Hæc ille,nec sine probationibus,cùm scriptum sit Iacobi 2. *Fides sine operibus mortua est & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.*

Et secundum D. Thomam 2. 2. q. 124. art.5. *opera virtutum sunt quædam protestationes fidei.* Et Christus Matth.23. & Luc.11.Scribas & Pharisæos condemnat, etsi legi Moysi verbis blandirentur quandoque,licet factis negarant.

Nec dubium quin in plerisque qui Catholico nomine censentur res ita sese habeat, etsi non possit regula ista statui vniuersalis pro omnibus, cum plerique facinorosi in moribus nollent fidem mutare. Quare discutione opus est confessario, nihilominus ex diuturnitate prauorum operum eorum maximè quæ directè religioni aduersantur, locus est suspicioni & vtiliter tales interrogabuntur à Confessario an sincerè credant hos & illos articulos de fide.

Quæritur sextò, an super primo decalogi præcepto vnum cole Deum, *interrogandus sit pœnitens, num vnquam Deum amauerit, adorauerit, sciátue quid sit amor Dei, & quid sit actus adorationis?*

Id vilissimum esse existimo & persæpè necessarium, præceptum enim amoris Dei, & adorationis in aliquo saltem casu est obligatorium, & nemo potest illud adimplere qui nesciat quid sit amor Dei,& quid adoratio.Quare & nos in Principiis Doctrinæ Christianæ,seu paruo nostro Catechismo Gallicè pluries edito, in explicatione primi præcepti proborum morum,perspicuè istos actus explicauimus,vtpotè sine quibus primum præceptum obseruari non possit. Annon dolendum est & cum gemitibus inenarrabilibus deplorandum, cùm via salutis æternæ via sit mandatorum, infinitam esse Christianorum multitudinem,quę si interrogetur quomodo eliciendus sit actus amoris & adorationis erga Deum, vel obmutescat, vel quæ non conueniunt, respondeat. Quomodò ergo primum istud præceptum morale adimplebunt, qui ignorant penitus, quid sit amare Deum,quid sit adorare?

Vndè notandum est Christianos teneri aliqua scire expressè ex duplici capite, vnum caput vt satisfiat præcepto fidei, quæ requirit assensum expressum aliquorum mysteriorum: alterum caput est, vt nonnulla agenda peragant, quæ sine scientiâ & cognitione perfici non possunt, & ad praxim deduci. Vndè præter mysteria præcipua fidei, alia etiam tenentur scire de præceptis diuinis, & de modo legitimo accedendi ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Sic igitur tenentur Christiani scire, quo pacto formari debeat actus diuini amoris, & actus latriæ seu adorationis erga Deum, nec vaçant culpâ Confessarij, qui ista penitus negligunt.

Quare etsi in Theologiâ affectiuâ 2. 2. *tractatu 2. de virtutibus Theologicis*, non pauca tradiderim de his quæ spectant ad charitatem per plures meditationes, non inutile tamen fore existimo, si aliqua hîc inseram de eadem virtute, ne veluti transitu quodam quæ principalis est virtus, & cuius primum est & maximum mandatum, præstricta esse videatur. Sed scripturus de charitate pectus plenũ charitate exopto & peto à sancto Spiritu, vt quia est amor, ipse illuminet intellectum. Exordiendo autem à naturâ & essentiâ charitatis, sciendum est primò, quod vt virtutes omnes supernaturales sunt quædam participationes diuini ordinis, non indignè de charitate scripsit, qui vt propriam eius naturam propalaret, dixit illam esse participationem Spiritus sancti, qui est tertia in Trinitate persona. Vt enim Spiritus sanctus secundùm proprietatẽ suam personalem est quædam tendentia in Deum, sic charitas est pondus, tendentia, inclinatio ad Deum. Quò fit vt anima charitate informata tendat ad Deum, & habeat in se quoddam veluti pondus, quo ad ipsum feratur, cogitando de ipso, ipsum desiderando, ipsum æstimando, ad eius vnionem & participationem cupiendo. Fauet Hurtado in præcursore theologo *disp*. 1. controuersia 4. membro 6. §. 1. *sicut voluntas, inquit, est inclinatio in bonum conueniens naturæ intellectuali, prout est intra ordinem naturæ, ita charitas est inclinatio gratiæ habitualis in bonum beatificum & supernaturale*: vnde est formalis participatio illius ponderis diuini & amoris à quo Deus vt summè beatus se diligit. Hæc autem formalis participatio in creaturis propter earum limitatum esse partitur in actum & in habitum qui est illius principium.

Duo sunt autem actus proprij charitatis interni præcipui & palmares, ex quibus cæteri actus originem trahunt, & in quibus radicantur, complacentia scilicet in bonis Dei, quæ actu habet & beneuolentia respectu bonorum quæ nondum

habet,

habet, sed habere potest. Qualia censeri debent omnia creaturarum obsequia, laudes, diuinæque omnes Dei exaltationes, quas illi procurare possunt creaturæ. Probatur, quia ex Aristot. l. 2. Rhetor. c. 4. *amare est velle alicui bonum eius causa.* His autem duobus modis possumus velle bonum Dei, vel complacendo in omni bono quod iam habet, siue illud sit internum, vt sunt eius omnes perfectiones, siue sit externum, quales sunt creaturæ & obsequia ab ipsis illi præstita: vel desiderando vt bona externa ampliora habeat, aut semper habeat. Sed notandum est, quod ait D. Thomas. 2.2. quæst. 27. art. 2. *amorem qui est in appetitu intellectiuo importare quamdam vnionem secundùm affectum amantis ad amatum, in quantum scilicet amans æstimat amatum quodammodò vt vnum sibi, vel ad se pertinens, & sic mouetur in ipsum.* Quæ D. Thomæ verba valde ponderanda esse diximus in *Theol. affect.* 2.2. *tract.* 2. *medit.* 15. *puncto* 3. vt cognoscamus actus amoris diuini non elici, nisi cum hac formalitate & respectu, quo creatura amans respicit Deum, vt ad se quòdammodo pertinentem, reputatque bonum illius quasi esset suum. Hunc autem actum diuini amoris tanti facit Scotus in 3. *sent. dist.* 8. *q. vnica* vt ex hoc principium meriti repetat. *Primum obiectum*, inquit, *circa quod aliquis meretur, primo est ipse Deus, secundùm quod affectione iustitiæ vult Deo bonum vt esse & bene esse, scilicet iustum, sapientem, &c.*

Portò de his duobus primariis actibus charitatis piè differit sanctus Fräciscus Salesius in *tractatu illo aureo de diuino amore toto libro quinto*, quos vocat præcipua charitatis exercitia. Quibus additur à pluribus tertius actus amoris, qui vocatur appretiatiuus, quo anima Deum rebus omnibus anteponit illum supremè æstimando.

Notandum autem triplicem illum diuini amoris actum includere submissionem ad Deum, atque ad omnia eius præcepta, nullo excepto, iuxta illud Rom. 13. *plenitudo legis est dilectio*, Ita vt vbi verè sunt huiusmodi actus, sequatur obseruatio mandatorum Dei: nam qui planè & integrè sibi complacet in Deo, atque in omnibus eius attributis, sibi etiam in eo complacet quod sit supremus Dominus omnium cui omnia obediunt: idcircò illi obedit, etsi non obediat caret amore complacentiæ in eius dominio ac principatu. Vndè non satis consequenter loquuntur quidam docentes, peccatum consistere posse cum amore complacentiæ in Deo; quia etsi quis peccet, hoc non impedit, quin sibi placeat Deum esse beatum ac felicem, hoc enim tantum locum habere potest in amore com-

placentiæ imperfectæ & inadæquatæ circa aliqua tantum Dei attributa, non omnia; qui amor imperfectus falsus Dei amor est, quo multi decipiuntur existimantes se amare Deum, etsi in peccato sint.

Similiter qui amore beneuolentiæ fertur erga Deum, cum desideret Deum omni cultu debito ac reuerentiâ affici, id præstat primum quantum in se est, ac eius mandata implet, nec committit peccatum quod Deo summè oppositum est, ac quo eius honor quem auidè cupit, violatur. Quòd si committat peccatum, ac putet se amore beneuolentiæ ferri erga Deum, semetipsum seducit, putans se illi bonum velle, cui malum & dedecus infert.

Atque res adhuc magis perspicua in amore appretiatiuo, quoniam qui præfert Deum omnibus, etiam eius voluntatem sibiipsi suisque commodis ac propriis desideriis anteponit, vt in eius offensam non incurrat. Et iuxta aureum dictum D. Augustinus tract. 9. in epist. canon. Ioannis. *Quis est qui dicat diligo Imperatorem, sed odi leges eius.*

Vnde amare Deum & non peccare coniuncta simul sunt. Nec est remedium potentius contra omnia peccata, quàm vera, sincera & non fucata Dei dilectio. Quæstio est autem, quid præcipiatur in præcepto charitatis? an hi tres actus, aut eorum aliquis, vel quidpiam aliud. Ac primò nobis præcipi, vt habeamus charitatem habitualem supernaturalem quæ cum gratiâ sanctificante infunditur, mihi dubium vix esse potest. Negat autem præcipi alios actus speciales Ioan. Sanchius *in select.* disp. 1. n. 21. *Tum* inquit, *solent pœnitentes ordine præceptorum decalogi præmittere se non amasse Deum ex tota intentione cordis sui.* Cúmque hoc mandatum speciale non sit in lege Dei, sed generale, sicut mandatum dilectionis proximi generale est, per septem decalogi præcepta distributum, vt docet Vasquez *tom. de pœnit. quæst.* 90. *art.* 1. *dub.* 4. *num.* 40. aduertens tale præceptum negatiuum esse, cum satis adimpleatur per hoc, quod nullum malum proximo inferatur. Suarius *tom. de fide tract. de charitate disp.* 5. *sect.* 4. *num.* 4. monens præceptum diligendi proximum non obligare ad habendum actum internum cum per se non pateat proximo sicut Deo. Molina 1. *p. q.* 63. *art.* 2. *&* 3. *disp. vnica, membro* 2. necessarium non erit accusationem illius præmittere, sed statim incipere à particularium præceptorum transgressionibus: & post pauca testimonia pro se allata. Quapropter temerè satis loquutus est Lorca 2. 2. *q.* 44. *artic.* 3. *disp.* 57. dum hanc sententiam impiam & erroneam appellat: ex eáque sequi dicit, vt

nullus

nullus constrictus sit in totâ vitâ memor esse Domini Dei sui, ad ipsúmque affectu mentis conuerti, ita vt ei placere proponat. Ioanni autem Sanchio prælusit Thomas eiusdem cum illo cognominis *in sum. l. 2. in præfatione*, asserens primum Dei præceptum non esse de diligendo Deo, vt vulgo circumfertur. Quippè, inquit, præcepta dilectionis Dei & proximi non sunt ex decem decalogi præceptis, sed in omnibus claudunrur tanquam prima principia ad quæ omnia reducuntur; vt docet D. Thomas 2.2. *q.* 44. *art.*4.

Non potest tamen probari tam aspera censura contra Lorcam, qui melius hîc sapere videtur, vt nobis visum est in 2.2 *Theol. affect. tract.*2. ob rationes ibidem allatas, quibus addi potest, vix eâ viâ distinctum iri virtutem obedientiæ à virtute charitatis, si nihil aliud importet charitas Theologica, quam mandatorum obseruantiam? Quare ergò tot mouentur à Theologis quæstiones speciales de charitate? Quare toties hæc in scripturâ commendatur? Quare dicit D. Augustinus l.1.Confess.c.4. *quis ego sum Domine, vt amari te iubeas à me, & nisi amen te, mineris ingentes miserias:* Denique hic sensus est omnium ferè spiritualium, qui speciali mandato se constringi credunt ad amandum Deum. Videatur citatus Salesius in *tractatu citato, libro decimò*: sed & verba Christi aperta sunt Matth. 22. vocans præceptum dilectionis Dei *primum & maximum*.

Cum verò actus amoris alius sit complacentia in eius perfectionibus, alius sit beneuolentia quo ipsi bonum desideratur, alius sit appretiatio summa illius esse infiniti, & illius etiam voluntatis, quo fit vt perfectè eam creatura velit adimplere obediendo eius præceptis; hinc dubiũ oritur in quo actu ex prænarratis consistat maioritas & præcellentia amoris ac charitatis. Subit autem cogitatio in mentem quod sit amor complacentiæ, quo voluntas sibi complacet & exultat quodammodo in perfectionibus internis potissimum sui amati. Ratio est, quia hic est amor fruitiuus beatorũ qui videtur esse summus amor Dei: at amor viatorum eo maior videtur ac præcellentior, quo magis amorem beatificum æmulatur. Sed & per illum amorem vult anima Deo maius bonum, qnod est bonum ipsius internum, complectens infinitatem bonorum ipsius: per beneuolentiam autem non vult anima Dei alia bona quàm externa, quæ consistunt in cultu obsequij & laudibus creaturarum. Quæ bona sunt quasi nihilum ad immensitatem diuinam comparata. Longè ergo præcellentior ac magis meritorius erit diuinus amor complacentiæ quam bene-

uolentiæ. Restaret ergo dubium de actu amoris appretiatiui, quo Deus æstimatur super omnia, præfertúrque eius lex ac præceptum omnibus. Sed cùm hic actus sit veluti quidam appendix actus beneuolentiæ, ex qua fit vt cum velit esse cæteris omnibus antepositum, eodem modo philosophandum erit de illo actu appretiatiuo amoris, ac de actu beneuolentiæ: quare hinc conficitur precellentissimum & maximum charitatis actum esse amorem complacentiæ.

Quis autem ex his tribus actibus amoris sit in præcepto, nullum legi qui explicauerit: aliquem tamen ex his præcipi mihi dubium non est: aliquem etiam ex his tribus sufficere ad implendum præceptum affectiuæ charitatis mihi est valde probabile: vt verò hi tres actus frequenter elicerentur, omnibus suaderem, atque etiam vt peritus aliquis Theologus tractationem huius difficultatis susciperet, vehementer optarem. De hac enim quæstione valdè me sollicitum fuisse memini inter primos annos studij theologici, donec tamdem incidi in quædam manuscripta, in quibus aliquid de iis continebatur, quæ sermone & scriptis, quas bigas in nobis agit charitas, sæpè alios docui vt proximorum animas iuuarem ad amandum Deum.

Interim huic difficultati alia annectitur, an teneatur confessarius pœnitentem interrogare, an omnia sua opera ex dilectione Dei seu propter Deum exercuerit. Fuit enim opinio Gregorij Ariminensis in 2. *sent.* nullum actum humanum esse moraliter bonum, nisi fiat ex dilectione Dei actuali vel habituali, infusa vel acquisitâ, ita quod ad huiusmodi actum concurrat effectiuè dilectio Dei vel habitus eius. Sed refellit hanc opinionem Hangestus in moral. c. 8. *hæc dura opinio*, inquit, *non mihi videtur vera.* Primò peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei, sed nulla à Domino Deo data fuit lex viatoribus tam onerosa arctans in omnibus actibus liberis, talem obseruare in Deum relationem. Aliàs turpissimè errasset vsque nunc Ecclesia, huiusmodi legem populo potissime viris simplicibus non promulgans: & est lex Christiana certis præceptis contenta, inter quæ nullum est sic viatorem sub peccato arctans omnibus actibus liberis suis huiusmodi circumstantiam relationis in Deum præstituere.

Deindè non subuertitur debitus agendi ordo sed obseruatur cum pro finis concessi adeptione ab operante propria adhibentur media, quibus huiusmodi finem esse adipiscendum iura voluerunt. Cum itaque Dei præcepta sint æternæ beatitudinis consequendæ, atque perpetuæ pœnæ vitandæ media,

turpiter

turpiter aberrant indiſtinctè aſſerentes præceptorum obſeruantiam illo fine vitiari. Id falſum putauerim, etiam huiuſmodi fine ipſi mandatorum obſeruantiæ cauſalitatem ſine qua non tribuente, modò non præſtituatur appreciatiuè vltimus, nec operi deſit alius ei pro tunc debitus. Huic ſuffragatur Pſalmus 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem.* Finis igitur ille mercenarius opus non inficit: & per conſequens nec perditionis eius timor, iuxta illud Prouerb. 15. *In timore Domini declinat omnis à malo*, & Iſaiæ 26. *à timore tuo Domine concepimus & parturiuimus ſpiritum ſalutis.* Hinc ſalutari conſilio peccatoribus ad pœnitentiam euocandis duo hæc proponuntur nouiſſima, ſcilicet beatitudinis, atque gehennæ æternitas tanquam allicientia ad ſequendum bonum & declinandum à malo, & quamuis meliores ſint qui ſolo ac puriſſimo & amore ducuntur, non tamen mali ſunt qui timore corriguntur.

Amplius piè credendum eſt, moralem bonitatem, ex fine honeſto ſcatentem, atque gratiæ coaſſiſtentem acceptari à Deo. Quia odia in dubiis ſunt reſtringenda, & fauores ampliandi: éſtque potius ad miſericordiam quàm ad ſeueritatis rigorem inclinandum, nec hic fauor vitia fouet, ſed potiùs ad honeſta concitat animos. Mirum profectò eſſet, ſimplices & ferè totam hominum turbam præmio fruſtrari qui honeſta præceptorum opera, ſine actuali Dei conſideratione nec in virtute præcedentis dilectioni Dei operantur.

Obiicies haberi 1. Cor. 1. *Omnia in gloriam Dei facite*, & ad Coloſſ. 3. *Omnia quæcumque facitis, ſiue in verbo, ſiue in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti facite.* Eſt etiam dictum Saluatoris Matt. 12. *Omne verbum otioſum quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Iudicij.* Reſpondendũ verbum Apoſtoli illic eſſe conſilij, non præcepti: foret tamen præcepti expoſitum negatiuè, id eſt, nihil contra gloriam Dei facite, & ad alia dicendum, accipi otioſum pro eo quod vtilitate caret debita, ad quam videlicet pro tunc tenetur operans.

Ex quibus patet Confaſſarium non tam ſollicitum eſſe debere de carentia relationis ad Deum in operibus pœnitentis, quàm de relatione ad malum finem, ſi fortè inſit. Sed aliqua alia ſuo loco dicentur inferiùs de *amore diuino*; cur enim charitas hic locum ſuum, non habebit?

Quæritur ſeptimò, de quibus ſit interrogandus maleficus?

Bonacina *in explicatione primi præcepti q.* 5. reſpondet debere Confeſſarium inquirere à malefico, Primò an pactum

dæmone inierit, & promiserit se à fide Christi discessurum. Curare enim debet vt Pœnitens eiusmodi pactum dissoluat, abrenuntiando Satanæ, Chirographúmque lacerando, si quem habeat Secundò, an Satanæ cultum aliquem exhibuerit; deinde an aliquod sacrilegium contra sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum commiserit, aut contra alias res sacras; an intercesserit hæresis, an ex rebus sacris maleficium confecerit, vt ex Eucharistia, ex oleo sacro, &c. est autem maleficium opus excedens communem captum & facultatem hominum consensu factum interueniente nimirum pacto explicito, vel tacito hominis cum diabolo, vt definit Gregorius Valentia *tom.23. disputatione 6. quæstione 3. Puncto 4.*

Malefi-cium.

Adde interrogari debere de specie maleficij, si fuerit amatorium vel veneficum, de quibus maleficiis supra diximus in examine Diaconorum, parte tertia. Deindè de specie damni quod intulerunt malefici, quia tenentur restituere. An cuiquam pauperiem fecerint, vel nocuerint in animalibus, in fructibus terræ? Quas solemnitates in pacto adhibuerint. Quos libros habeant? Quibus instrumentis vsi sint in procurando damno? Propter quem finem? Quibus personis nocuerint? Item etiam an ad tollendum maleficium modo illicito vsi fuerint, quia etiam peccant, dum modis superstitiosis, vtuntur ad tollendum maleficium? Nec licet maleficum vi, aut precibus, aut muneribus adigere, vt auferatur malum quod intulit, quando in destruendo maleficio, aliquid illicitum adhibere debet: secùs verò quando maleficus modo licito illud potest dissoluere, quia vt tenetur abstinere à malo inferendo, potest ab eo peti vt abstineat. Multòque magis vt indicet quo loco sit, vt destruatur.

Trufatica est illa quæstio, ait Scotus *in 4. sent. dist. 24.* an liceat tollere maleficium intentione curandi maleficum. Non enim solum licet, sed est meritorium destruere opera diaboli. Nec in hoc est aliqua infidelitas, quia destruens non acquiescit operibus malignis: sed credit dæmonem velle & posse fatigare dum tale signum duret & destructio talis signi imponet finem vexationi. Vbi tamen Scotus non asserit id posse fieri per vana & superstitiosa, vt illi imponit Gregorius Tholosanus *lib.3. de republicâ cap. 31.*

Non videtur insuper omittenda interrogatio, num maleficus, qui se talem fuisse pœnitet interfuerit aliquando conuentibus illis quos sabbata vocant, ad quæ sagi sagæque conueniunt ex conuocatione dæmonum, in quibus tam abominanda perpetrantur in contemptum diuinitatis, Eucharistiæ,

Crucis

Crucis sanctæ, ac tam crudelia, ac turpia, vt horror sit ea scribere. Tot enim testimoniis horum conuentuum veritas comprobata est, vt in dubium reuocari non possint, & licet Canon. Episc. *causâ* 15.*q*.1.ex Concilio Ancyrano reuocet ista ad imaginationem : perpendendum tamen est concilium tantùm id determinare in particulari casu de quibusdam mulierculis, quæ per aëra ferebantur equitare super multa animalia, cum Diana & Herodiade, quæ amplius non viuebant, non vero tradere regulam generalem de omnibus istis. Aliundè Canon iste fictitius videtur pluribus, nec inuenitur in collectione Conciliorũ Cresconianâ, nec illâ quæ est Binij, nec in nouissima Coriolani.

Minúsque illud licet quicquam agendo ad gratificandum dæmoni, iuxta id quod docet D. Augustinus l.10 de *ciuit. cap.* 22.vera enim pietate homines Dei aëream potestatem inimicam contrariam pietati *exorcisando eiiciunt non placando:* nec etiam licet vllum obsequium petere aut acceptare, quia ad fidelitatem Deo debitam spectat nullam cum eius hostibus societatem habere. D. Thomas 2.2.*qu*.90.*art*.2.

Ad hoc quæsitum pertinet superstitio vanæ obseruantiæ, quæ est vsus mediorum inutilium & minimè à diuina prouidentia constitutorum ad assequutionem alicuius effectus. Vt cùm quis pronuntiando aliqua verba sæpè barbara & incognita, & aliquas cruces certo modo & incerto numero faciendo, vult curare morbos hominum vel equorum : vel ignem extinguere, & alios inopinatos effectus producere ex tali remedio. In his siquidem cùm aliquid verè operantur, tacita esse potest dæmonis inuocatio etsi non expressa. Magis verò istud arguendum est peccati mortalis, cùm adhibentur nomina Dei vel Angelorum, quæ sunt ignotæ significationis, vel characteres ignoti; eo enim ipso suspecta esse debent ista omnia, tanquam ad dæmonem referantur. Nec sufficit quòd quis protestetur antea se omni pacto cùm Dæmone renuntiare, quia cùm satis constet ibi inesse superstitionem, inutilis est talis protestatio, quemadmodum esset in eo qui actione aliquâ ex se malâ protestaretur nihilominus se Satanæ non adhærere, non excusaretur propterea.

De his D. Augustinus lib.2. de Doctrina Christiana cap.20. *superstitiosum est*, inquit, *quicquid institutum est ab hominibus ad facienda & colenda idola pertinens, Vel ad colendum sicut Deum creaturam, &c. vel ad consultationes & pacta quadam significationum cum dæmonibus placita ac fœderata.* Ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat, &c. sicut sunt

inaures in summo auriū singularum aut de strutionum ossibus ansulæ in digitis,aut cum tibi dicitur singultienti, vt dextera manu sinistrum pollicem teneas: his adiunguntur millia inanissimarum obseruationum. Atque multis huiusmodi enarratis, atque etiam inspectione siderum in die natali concurrentium concludit cap. 22. *Si dixerint vobis ; & ita euenerit, ne credatis iis*, Deut. 13. non enim quia imago Samuelis Regi Sauli vera prænuntiauit 1. *Reg.* 28. propterea talia sacrilegia quibus illa imago præsentata est, minus execranda sunt: hæ omnes igitur artes huiusmodi, vel nugatoriæ,vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum, pacta quasi infidelis & dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudianda & fugienda Christiano, 1. Cor.10.*Nolo vos socios fieri dæmoniorum*, & cap. 24. *Quæ omnia tantum valent, quantum præsumptione animorum quasi communi quadam lingua cum dæmonibus fœderata sunt, quæ tamen omnia plena sunt pestiferæ curiositatis,cruciantis sollicitudinis, mortiferæ seruitutis.* Sicut omnes significationes humanæ pro suæ cuiusque societatis communione animos mouent, &c. Nec ideo consenserunt in eas homines, quia iam valebant ad significationem, *Sed ideo valent, quia consenserunt in eas*: Sic etiam illa signa, quibus perniciosa societas hominum comparatur,pro cuiusque obseruationibus valent.

Ex quibus patet, quod sicut verba non tantum valent inter illos qui ea primò instituerunt, sed etiam inter eos qui post talem institutionem iis vtuntur: Idem est de signis ac pactis magicis. Quæ omnia obseruatu digna sunt à Confessariis, vt firmius conuincant pœnitentes, qui aliquando tantum mali in istis nolunt agnoscere, quantum inest,vt plures difficile sit ab iis amouere, sub eo prætextu, quod nulla mali species appareat quandoquè, vt ab aliquot annis paruit in puluere sympatetico quo vulnera sanantur, absque applicatione medicamenti ad partem vulneratam, sed ad pannum sanguine aut sanie vulneris illitum, in quacumque distantia sit vulneratus. Quod illicitum iampridem visum pluribus Theologis parisiensibus, licet Loth *in resol. Theologicis tract.*14. *quæst.*1.*art.*5. doceat quempiam probabiliter posse tutâ conscientiâ vti tâli puluere, renuntiando tamen prius omni pacto cum dæmone. Quia, inquit, est probabile vel saltem dubium, an puluis ille talem habeat virtutem naturalem: in tali autem casu censendum est potius effectum à virtute naturali procedere. Quæ ratio parum solida est, cum non liceat operari cum conscientiâ dubiâ peccati mortalis, nec sit vlla probabilitas virtute natu-

tuli posse aliquod agens curare ægrotum distantem. Deindè nihil prodest verbis renuntiare Sathanæ, nisi etiam de facto eius operibus quis abrenuntiet, sicut in Baptismo Christiani omnes se obstringunt.

Verùm est tamen in aliquibus hominibus vel mulieribus reperiri posse gratiam gratis datam ad propellenda aliqua mala: vt in Rege Christianissimo Galliæ ad curandas strumas, mediante tactu & adhibitis istis verbis cum signo crucis, *rex tangit te, & Deus te sanat*, vt obseruari consueuit. Quod similiter reperiri potest in aliquibus, qui bona fide operantur, sine vlla vanæ superstitionis obseruantiâ. viuuntque honestè & sanant aliquos morbos solo tactu & precibus, in quibus nihil est vanum & superstitiosum: existimari enim potest tales homines donatos esse gratiâ aliquâ gratis datâ: Sicut vidimus hominem de stirpe Sancti Huberti, hac virtute pollentem circa infestos rabie. Atque istis adstipulatur Carolus Baucius Pœnitentiarius Neapolitanus in *tractatu de superstitione* & Thomas Sanchez in *summâ lib. 2. cap. 40. num. 47. in fine.* Quare cum huiusmodi dissimulare poterit Confessarius.

Quæritur octauò, quomodo examinandus sit qui confitetur se blasphemum fuisse, nihil vltra addendo.

Respondetur blasphemiam esse dictum contumeliosum contra DEVM aut sanctos. Putat autem Bonacina in *explicatione primi præcepti quæst. 8. puncto quarto*, blasphemiam in DEVM esse eiusdem speciei, cum ea quæ est contra sanctos; tum quia eadem est ratio de iuramento per Deum & per sanctos, ac de blasphemia in Deum & in sanctos. Dùm quia vtraque blasphemia opponitur virtuti religionis, quæ est vnius speciei, ideò vtraque blasphemia erit eiusdem speciei. Citatque inter cæteros Gregor. de Valentia 2. 2. *disput.* 1. *q.* 13. *puncto* 1. Vbi tamen hoc non asserit. Nec rationes quas affert, validæ sunt: nam iuramentum per Deum, & per sanctos non est eiusdem speciei. Nec religio species est infima virtutis, sed genus, quod sub se continet diuersas species, vt puta Latriam cui opponitur blasphemia in Deum, & Duliam, & Hyperduliam, cui opponitur blasphemia in Sanctos, & alias etiam species quibus opponuntur alia peccata. Proinde asserendum est blasphemiam in Deum differre specie à blasphemia in Sanctos. Primùmque inquirendum esse à blasphemo pœnitente, an verbum contumeliosum protulerit in Deum, vel tantum in Sanctos, nec necesse est scire, quinam Sancti illi sint?

Deindè verò quia blasphemia alia est hæreticalis, cùm attribuitur

tribuitur Deo aliquid contra veritatem fidei, vt dicendo eum crudelem, aut impotentem: alia verò simplex quæ non sit enuntiatiuè, sed per modum operandi, aut imprecandi, vt cùm dicitur maledictus sit, &c. vel inuito Deo. Resciendum erit à pœnitente quonam modo ex his duobus se gesserit, quia blasphemia hæreticalis continet errorem contra fidem, peccaturque in ea, si non contra fidem, saltem contra confessionem fidei, quamuis non fuerit mens hæretica Pœnitentis. Adde etiam inquirendum esse, an tunc verba contumeliosa prolata fuerint ex animo contra Deum expresè irato aut offenso, an tantum contra proximum, vt sæpe sæpius accidit. In primo enim casu est blasphemia formaliter & grauissimum peccatum mortale, dæmonibus & damnatis familiarissimum. In secundo casu non erit blasphemia vt cùm quis iratus dicit per Corpus Dei, per Sanguinem Dei, sed erit species iuramenti. *Scito*, ait Caietanus in summula v. Blasphemia. *Quod dicere ad Sanguinem Dei: vel Corpus Dei, siue inuocando per modum iurantis, siue resonando in rixa, aut perturbatione contra aliquem, non est blasphemia; quoniam postquam verbum caro factum est, Deus, habet & Corpus, & Sanguinem & non dicitur per modum iniuriantis, quamuis irreuerenter, cum secundo modo dicitur, & propterea peccatum est graue, non tamen mortale.* Intellige tamen Caietanum, cùm hæc dicta fuerint inaduertenter.

Quæritur nouò. An interrogandus sit blasphemus de conuitio in particulari, quod contra Deum protulit.

Respondetur Confessarium abstinere posse si velit, ab huiusmodi discussione. Quia quæcumque iniuriæ Deo irrogatæ sint, sunt eiusdem speciei, siue quis dixerit Deum crudelem, seu impotentem, seu non videntem, aut non prouidentem, & huiusmodi. Ita Diana *de circumst. aggra. resol.* 51. & plerique alij. Laudabiliter tamen in praxi quidem Confessarij interrogant; quænam verba contumeliosa in Deum iactata fuerint, quia nonnunquam, tam horrenda sunt, & execranda, vt ex horum sola recordatione, nedum accusatione humili, pœnitens horrorem maximum, & dolorem peccati concipiat. Item etiã quoties in vno iræ impetu illa protulerit: quãuis enim sit vnicum blaspemiæ peccatum, cum quis sine interruptione morali, multa in Deum aut in Sanctos profert conuitia: repetitio tamen aut multiplicatio conuitiorum, etsi vno impetu factã, circumstantia est maximè aggrauans, cuius deformitas obiecta animo Pœnitentis, non leuiter eum potest concutere, vt feruentiùs doleat. Est etiam blasphemia in Deum

Deum diuersæ speciei à blasphemiâ in sanctos, sicut cultus Dei est alterius speciei à cultu sanctorum. Ita Lessius *in resolutionibus*, verbo *Confessio*, etsi putet periurium per Deum & per sanctos esse eiusdem rationis.

Quæritur decimò, an debeat Confessarius rescire à blasphemo, an ex assuetudine diuturna blasphemet, & cum aduertentia.

Respondetur affirmatiuè vt noscet Confessarius, an pœnitens peccauerit mortaliter. Qui enim firmiter proposuit non blasphemare, detestatusque est pessimam consuetudinem blasphemandi, & postea ex vi pessimi habitus in verba malitiæ prorumpit, non aduertendo sensum verborum: ita quod si aduertisset, ea certè nō protulisset, proindéque sit inueterata consuetudo, ac lapsus linguæ, ac inaduertentia, causa blasphemiæ, tunc est blasphemia materialiter, non formaliter, nec peccatum est mortale. Iuuat etiam illam assuetudinem notam habere, quia præstat nonunquam differre absolutionem ad aliquot dies taliter assuetis, si nihil aliundè obstet, vt discat non blasphemare, & suæ saluti, cuius valde immemores sunt, prospiciant, dum vident se velut excommunicatos haberi à Sacerdote Christi supremi iudices vices gerente.

Dixit autem, qui firmiter proposuit amplius non blasphemare, &c. Quia ante illud propositum per quod retractatur inueterata blasphemandi consuetudo, non minuuntur peccata in ratione grauitatis propter consuetudinem; sicut enim bonum maius est bonum, quo fit ex voluntate firmiori, & constantiori, ita malum maius est malum quo fit ex voluntate magis obstinata, & addicta malo.

Vtrum autem vnica retractatio execrandæ consuetudinis istius, eximat à peccato blasphemum, qui reincidit pluries in eadem verba blasphemiæ sine aduertentiâ, & ex vi habitus & consuetudinis, meritò disputari posset. Credo autem quòd non eximat, nisi pro aliquod vicibus, putà tribus aut quatuor, post quas nisi iterum doleat ac seriò curet remedium adhibere peruersæ inclinationi, relabitur in eundem statum in quo erat, ante propositum non blasphemandi, omnésque actus blasphemiæ, licet sint cum inaduertentia, imputabuntur ad culpam, quia voluntarij sunt in causa quæ est illa detestanda consuetudo, cui remedium efficax tenetur adhibere. Quod idem dicendum de iurandi consuetudine. Cum enim ex recidiuis monitus sit sufficienter de consuetudine sua adhuc regnante & operante, nisi iterùm, iterúmque eam reprimere conetur per dolorem, & nouum propositum eam coërcendi, meritò censetur eidem consentire cum omnibus suis actibus, vt

propterea

propterea sint ad culpam imputabiles: & certè nisi ita esset, innumeri blasphemi excusarentur, qui aliquando pœnitent, & nihilominùs vitam viuunt dæmonum, per singulas horas Deum expressis verbis abnegantes, eúmque taliter habentes, ante cuius faciem Angeli contremiscunt præ reuerentiâ, ac si ens nihili foret. Quod peccatum heu heu! magis viget in ipsis Christiano nomine insignitis, quam in Turcis, barbaris, & quibuslibet infidelibus. Quid enim plerumque sunt exercitus Christianorum quàm turmæ blasphemantium, quid conuenticula compotantium, & inebriantium se vino & zito, quid aulici nobiles, quid agasones, aurigæ, baiuli, magistratuum serui, quàm ora putei infernalis ex quibus fumus blasphemiarum perpetuo ascendit?

Quæritur vndecimo. De quibus interrogandus sit qui se accusat tantum in genere, quòd iurauerit per nomen Dei, nihil vltra explicando.

Cùm iuxta dictum Tertulliani, l. 1. *contra Praxeam circa initium*, maior pars Christianorum sint idiotæ, id est, minus docti & instructi quàm par sit, sæpe sæpius accidit vt pœnitentes vix dimidiam partem peccati per se aperiant, ideóque variis interrogationibus iuuandi sunt, vt integrè confiteantur quantum ferre potest humana infirmitas. Cùm ergo plures tantùm id dicant inter confitendum, ego iuraui; Quæritur hîc quomodo sese gerere debeat Confessarius, cum huiusmodi Pœnitentibus.

Respondetur, resciendum esse ab eis, quibus verbis iuramenta sua protulerint, an dicendo per Deum, vel per mortem aut caput Dei. An execratoriè iurauerint imprecando sibi malum, vt dicendo Dæmon me abripiat, pestis me suffocet, Deus me abneget, & huiusmodi. Deindè quoties ita iurauerint. Tertiò an iuramenta hæc vsurpauerint inter comminandum alicui graue aliquod malum, vel simpliciter aliquid asserendo, & an illud fuerit verum vel falsum, aut dubium habuerint de rei veritate vel falsitate, quia mortale est peccatum adducere Deum in testem rei falsæ, vel dubię, quantùuis parui sit momenti, quia fit iniuria Deo quasi rei non veræ testis esse posset. Et si aliquid promiserint cum iuramento, an illud fuerit bonum vel malum, & an habuerint animum adimplendi, & de facto adimpleuerint. Et si iurauerint cum veritate, vtrum in re tanti ponderis vt iuramentum mereretur, quia non caret culpâ qui absque sufficienti necessitate iurat: assumit enim nomen Dei in vanum: iuxta verba Theodoreti q. 41. in Exodum, vbi interpretatur illa verba. *Non assumes nomen Domini Dei*

Nomen Dei raro proferendum.

tui in vanum. Puto, inquit, diuinam legem statuere, ne quis nomen Dei pronuntiet sine aliqua ratione, aut docendi, aut orandi, aut necessariæ cuiuspiam occasionis. Solent etiam nonnulli, etiam ludentes, & ridentes vt inciderit, nomen Dei linguâ proferre: hoc arbitror diuina lege prohiberi. Si enim consueuerunt multi pretiosiorem vestem diebus festis reseruare, multo magis diuinum nomen precibus atque docendi officio æquum est reseruare. Denique interrogandus erit Pœnitens, an iuramentum eius fuerit solemne & coram iudice, an simplex & extra iudicium; an etiam iurauerit cum verbis æquiuocis cùm iuridicè interrogaretur, veritatisque occultatio illicita esset, est enim tunc peccatum mortale, & an damnum proximo attulerit. Ex quibus patet quantum pondus negotiorum, ex hoc capite, incumbat.

Quæritur duodecimò. Quomodò interrogandus sit qui dicit se iurasse per Sanctos, aut per creaturas ad dignoscendam grauitatem & qualitatem peccati.

Tot sunt formæ iuramentorum, vt sæpissimè non possit discerni, an aliquis verè iurauerit, & peccauerit. Idcircò aduertendum est ad iuramentum sufficere, non tantùm expressam Dei inuocationem in testem; sed etiam tacitam, quæ fit tribus modis. Primò tangendo manu aliquid sacrum, puta crucem, reliquias, aut librum Euangeliorum eâ intentione, vt Deus qui in eis significatur, testis sit rei assertæ. Secundò iurando per creaturas cum additione nominis Dei in obliquo, vt per aërem Dei, per terram Dei. Tertiò iurando per creaturas aliquas simpliciter & sine addito sed creaturas excellentiores, in quibus Deus singulari modo relucet, vt per sanctos, per animam rationalem; idem enim fermè est ac iurare per Deum, sumendo continens pro contento & signum pro signato: in eis enim creaturis Deus singulariter refulget & veluti significatur. Resciendum autem erit à Pœnitente, an in huiusmodi formulis, habuerit intentionem iurandi, quia si defuerit intentio, cum verba directè iuramentum non important, non verè iurauit, nec censendus erit reus periurij, nec tenebitur ex vi iuramenti ad quicquam adimplendum, quamuis aliundè peccauerit, temerè res sacras vsurpando. Probatur quia cùm istæ formulæ sint indifferentes ad plura, debent determinari per intentionem, vt rationem iuramenti sortiantur.

Vnde remotâ iurandi intentione, non est iuramentum dicere per fidem viri nobilis, aut probi viri, vel per meam conscientiam, vel tam verum est ac Deus est, quamuis illud vltimum non careat irreuerentia veniali, etiamsi verum sit, quia

res non habet æqualem veritatem cum veritate Dei, nec est comparatio vlla inter verum creatum & increatum; & si falsum sit, irreuerentia videtur mortalis; si fiat scienter & cum aduertentia, quia tacitè continetur in ea formula asserendi, negotio Dei: quid enim est, hoc tam verum est vt Deus est, nisi cùm istud falsum sit, falsum est esse Deum? Ipsissimi veritatum omnium fontes non sunt nobis accessibiles, vt dicebat insignis Theologus Scotus laudatus à Corrado 1. *parte quæsito* 21. atque adeo insolentissima superbia est tantam nobis fidem arrogare, vt veritates caducas nostras cum illis sempiternis conferamus.

Interest ergo vt Confessarius interroget de formulis istis iurandi, & de intentione eas vsurpantis, vt dignoscat, si verè fuerit periurus Pœnitens & ad quid teneatur, & videat statum illius an sit in peccato mortali, & cum maiori certitudine lepram à lepra discernat, prohibeatque expressiùs vt mortalia quæ verè ita sunt.

Ad quod etiam pertinet ista forma asserendi, per mortem *di*, per corpus *di*, aliqui enim ita loquuntur, non proferentes integrè nomen Dei, quia non habent intentionem vllam iurandi per Deum, & idcirco expressè cauent ne proferant nomen Dei. Quibus ego sæpe dixi, scelus esse tam prope fuisse, consuetudinemque hanc valde esse periculosam & omnino reprimendam, ne cum aliquis iratior fuerit, intret penitùs quò tam proximè solitus erat accedere. Qui tamen aliquoties ita loquitur, cauendo ne integrè proferat nomen Dei, quia non habet intentionem iurandi, non est meo iudicio reus peccati mortalis; sed venialis; & huius quidem grauioris quò frequentioris.

Quæritur decimò tertiò, an à Pœnitente satis instructo, qui profitetur se periurium sextuplex commisisse, requirendi sint omnes modi & formulæ quibus nomen Dei in testimonium assumpsit.

Censet Bonacina in explicatione secundi præcepti decalogi, *quæst.* 1. *puncto* 2. iuramentum esse eiusdem speciei quouis modo fiat, quia inuocatio diuini testimonij, in qua consistit iuramenti essentia, est eiusdem rationis quouis modo fiat, siue sit assertorium, siue promissorium, siue simplex, siue solemne, siue per Deum, siue per sanctos; hæc enim materialiter se habent ad iuramentum: Quare, inquit, in Confessione non est necesse, per se loquendo ista exprimere, cùm non mutent speciem, nec habeant aliam speciei malitiam per se loquendo. Eadem est Lessij sententia in *resolutionibus* verbo *Confessio*

Confessio casu IX. Ex qua resolutione concludi posset nequaquam Confessarium teneri ad ampliorem discussionem.

Videtur autem alia sententia Suaris *lib. 3. de iuramento cap. 2.* postquam enim distinxit iuramentum in vanum, quod ex eo solo capite malum est, quod careat omni vtilitate & fine bono, in iniustum quod est turpe & inhonestum ex parte materiæ,& in periurium, quo mendacium confirmatur, tractans de eorum distinctione, subiungit. Quicquid verò sit de eorum speculatione in ordine ad mores, certum est ita distingui, vt regulariter necessarium sit particularem iuramenti defectum in Confessione aperire: quia, vt videbimus, infinitè,vt sic dicam,in grauitate distinguuntur,regulariter loquendo.

Quidquid autem sit de eorum sententia, probabilius videtur non sufficere tam generalem accusationem sextuplicis periurij. Etenim si iuramentum fuit exsecratorium super re falsâ, continet speciale peccatum contra propriam sui ipsius charitatem.Si iuramentum fuit promissorium,nocet proximo, cui damnum infert, quod discutiendum est in Confessione; si periurium fuit solemne, reseruatur eius absolutio Episcopis, eorumque Pœnitentiariis. Idcircò non solum cum imperitis, sed etiam cum doctioribus laborandum est Confessario,vt fiat integra & recta Confessio iuramentorum.

Notandum tamen eum qui vno continuato sermone pluties mentitur & periurat vnum tantum peccatum committere, quod perficitur in vltimo mendacio seu periurio. Sic si quis sine morali interruptione pluries blasphemat, vnum tantum blasphemiæ peccatum committit, nec tenetur in confessione numerum explicare. Ita Diana *part. 3. tract. 4. resolut.* 163.

Quæritur decimoquartò, quid inquiret maximè Confessarius à Pœnitente assueto iuramentis.

Sentiebat D. Augustinus suo tempore quam essent homines in iuramenta procliues. Ideo in serm. Domini in monte l. 1. aiebat. *Nemo nouit nisi qui expertus est, quam sit difficile & consuetudinem iurandi extinguere, & nunquam temere facere quod nonnunquam facere necessitas cogit.* Nec verò meliora sunt nostra tempora temporibus D. Augustini, necdum in mundo imminuta pessima illa iurandi ac peierandi consuetudo.Ad quæstionem ergo propositam respondetur;debet inquirere inter cætera an habeat consuetudinem iurandi & mentiendi simul, quia longè diuersum est iudicium, si consuetudo sit tantum iurandi,sed in re verâ & sine mendacio.Et in primo casu tenetur Pœnitens explicare numerum iuramentorum,

quia sunt tot peccata mortalia, atque etiam consuetudinem illam detestari, quia constituit eum in statu peccati mortalis, & in occasione proximâ ad peccandum, estque talis consuetudo peierandi, peccatum perpetuum, non secùs ac defectus restitutionis, quando fieri potest & non fit, quamuis interrumpatur per inaduertentiam, & defectum attentionis. Idcircò debet Pœnitens talem consuetudinem abhorrere; vt sic reddatur inuoluntaria, & non ampliùs peccaminosa, possitque absolutionem consequi. Legi potest Suares l. 3. *de iuramento c.6. & 8.* Vbi censet ita solitum peierare ad singulas horas sine discussione vllâ, an res vera sit vel falsa, non esse dispositum sufficienter ad recipiendam absolutionem, nisi propositum efficax concipiat de illâ tollendâ, & adhibendis mediis contra illam, non iurando ampliùs, nisi cum veritate, iustitia, & iudicio. De hoc autem proposito credendum erit Pœnitenti, non obstante quacumque præcedenti frequentia: quia sicut potuit mutari in malum; ita etiam poterit mutari in bonum: verumtamen postquam Confessarius adhibuerit varia remedia, vt amotionem occasionum externarum si quæ sint, frequentiores Confessiones, aliasque Pœnitentias pro singulis iuramentis temerè prolatis: vbi hæc non sufficerent, interdum, inquit, erit vtile differre absolutionem per aliquot dies, in quibus cogatur attentiùs vigilare, & contrariam consuetudinem aliquo modo inchoare, & in his non est scrupulosè procedendum, sed facta morali diligentiâ, illa cum proposito debet censeri sufficiens, quia non oportet vt confessor iudicet illum non ampliùs peccaturum, sed satis est quòd iudicet illum in præsenti habere tale propositum, & facere quod moraliter potest, vt efficax sit: nec huiusmodi humanæ infirmitates curari efficaciùs ab homine possunt.

Dilatio absolutionis.

Quòd autem obiici potest consuetudinem illam tantum constituere hominem in occasione remotâ peccandi, non secùs ac fomitem peccandi; respondet *cap. 5. citato*, id verum esse de consuetudine iurandi cum veritate, & aduertentiâ, non verò de consuetudine temerè iurandi, quicquid in buccam venerit, quia continet periculum proximum iurandi falsum; & quamdiu est voluntaria, peccaminosa est, & ponit hominem in statu peccati. Nec est simile de fomite, quia periculum peccandi ex illo proueniens magis est naturale, & contractum, quàm voluntarium, & actibus propriis acquisitum. Et nihilominus tenetur homo contra periculum ex fomite imminens armari orationibus & proposito resistendi, ne propter nimiam negligentiam constituat se in statu peccati, pro ratio-

Fomes peccati.

ne

ne periculi: per statum autem peccati non intelligitur peccatum actuale tantùm, nec peccatum habituale tantùm, sed præter illud, dicit tantam deordinationem voluntatis, vt sit obiectum peccati mortalis noui, quoties homo illam aduertit, nec vult illam tollere, quemadmodum quando quis aduertit se non restituentem, cùm possit, nouum peccatum committit, si statim efficax restituendi propositum non concipiat.

Quæritur decimo-quintò, de quibus sit examinandus iurans, vt sciatur obligatio quam habeat ex vi iuramenti.

Respondetur primò videndum si iuramentum sit de re licitâ, nam iuramentum faciendi quidpiam contra bonos mores, non est obligatorium, imò peccatum est tale iuramentum, & eius adimpletio. Vt si quis iurauit, vlturum se de inimico, se iniuriam illaturum, se furaturum.

Secundò videndum est si res sit inutilis, & nullius vtilitatis, quia ex huiusmodi iuramento nulla nascitur obligatio.

Tertiò videndum si res sit magni momenti, & ponderis, quia dubium est, an qui promisit sub iuramento rem parui momenti, teneatur sub peccato mortali ad illam præstandam, estque probabilis eorum opinio qui dicunt tantum obligari sub pœna peccati venialis, quamuis iuramentum assertorium de re leui, mortale sit, si res falsa sit. Ita Scotus & Nauarr. contra Caietanum apud Corradum *in responsis quæsito* 138. Sicut enim inter homines, si aliquis promittat alteri rem minimam vt acum, calamum, si non det, non propterea inimicus euadet, nec eius gratiam amittet; ita existimandum est rem se habere inter homines & Devm, etiamsi res leuis esset tota materia iuramenti. Addit *ibid.* Petr. de Atragona super D. Thomam 2.2.*qu.*89. *art.*3. contra eumdem Caietanum; durissimum esset, vt quis peccaret mortaliter, non seruando promissum in re leui, cùm non sit censenda magis rigida lex iuramenti, quàm lex decalogi, scilicet non furtum facies, sed ista lex decalogi mitigatur ex materia leui: Ergo à fortiori & lex iuramenti quæ minùs rigida esse debet. Quòd autem spectat ad iuramentum assertorium in re leui, ideò est mortale, si sit falsum, quia adducitur Devs in testimonium falsi ad præsens, quod nunquam licet; at in iuramento promissorio de re leui in futurum præstanda, habetur tantum intentio assumendi Devm in testem de animo præsenti adimplendi rem suo tempore, qui animus si deesset, mortaliter peccaretur.

Quartò inquirendum erit an iuramentum dolo factum fuerit vel metu, & quidem si dolus sit circa substantiam rei, quæ

iuramento confirmatur, non obligat; si vero metu factum fuerit, obligat propter reuerentiam DEI, qui in testem assumptus est.

Quintò disquirendum erit, an iuramentum fuerit cum animo iurandi & se obligandi, quia fictum iuramentum, & factum sine animo iurandi aut se obligandi per se, non obligat ad exequutionem, saluo præiudicio alterius. Probaturque ex c. humanæ aures causâ. 2.2. q.5. *Diuina Iudicia talia foris nostra verba audiunt, qualia ex intimis proferuntur.* Quòd si iuramentum fuerit tantùm cum animo, non adimplēdi, verè obligat, quemadmodum contractus quem celebrat aliquis cum animo non soluendi, verè obligat ad solutionem. Ratio autem est quòd intentio non implendi non est contra substantiam iuramenti, vt est intentio non se obligandi; vnde per hāc destruitur virtus iuramenti, quia destructâ rei substantiâ, destruitur virtus; per illam autem non destruitur substantia iuramenti: est enim quid posterius iuramento; & quod illud supponit.

Quod verò obiici potest de violatore virginis eiusdem secum conditionis cum ficta promissione Matrimonij, quòd tenetur eam ducere. Verum est teneri, sed non ex vi ficti iuramenti, sed propter illatum nocumentum, quod non potest æqualiter resarcire per pecunias cùm sit æqualis conditionis, sed tantùm per Matrimonium cùm ipsa.

Sextò etiam considerari poterit num iuramentum contrarium sit alteri iuramento priùs facto, quia priùs iuramentum inducit obligationem quæ non tolletur per posterius iuramentum, quod in eo casu censetur illicitum, cùm non liceat obligationi priori deesse. Si tamen secundum iuramentum priori contrarium sit in materiâ præiudiciali, ex qua alter damnum sentiat, reparandum erit.

Septimò considerari poterit an illud quod iuramento assertum est, sit in vsu, quia iuramentum de seruandis statutis Collegij, Capituli, Confraternitatis, aut alicuius Communitatis quæ in desuetudinem abierūt, vel numquam recepta vsu fuerunt, vel per contrariam consuetudinē abrogata sunt non obligat per se. Ita Homobonus Pœnitentiarius Bononiensis 1. *p. Examinis Ecclesiastici tract.* 7. *cap.* 9. Siquidem iusiurandum interpretari nos oportet de statutis quamdiu fuerint in more posita, iam enim vim amplius statuti non habent, cùm in sacris Canonibus scriptum sit, quòd leges instituantur, cùm promulgantur; firmantur autem, cùm moribus vtentium approbantur. Quæ Doctrina notenda est à Confessario pro

Statuta Collegiorum.

Confra

Confraternitatibus, Societatibus, Scolasticis, mercatoribus & alijs, citatque octo auctores. Sed iuuat hic attexere verba Gersonis in l. *de vita spirituali*, *lect.* 4. Nobis insuper, inquir, dicendum videtur, quòd multæ institutiones sunt ad quarum obseruationes videntur omnes se quotidianis iuramentis adstringere, quas tamen obseruare non tenentur, non quòd periurium sit licitum;sed quia iuramenta talia sunt semper intelligenda ciuiliter: horum exempla sumere possumus in præclarâ Vniuersitate Parisiensi,& in Ecclesiarum aliis Collegiis. Constat quòd nouiter intrantibus dictam Vniuersitatem, vel Collegia, leguntur explicitè constitutiones aliquæ inter cæteras, quæ nullatenùs obseruantur, quibus lectis petitur ab eis.Vultis ista iurare?Qui respondent,ita iuro,nec aliquid excipiunt? Quòd si quis dixerit omnes præsentes, tam eos qui exigunt, quàm illos qui præstant iuramentum, criminaliter deficere, videat quomodo tot & tales summæ litteraturæ, & probitatis viros possit absque temeritate damnare. Hæc Gerson.

Octauò excuti poterit num aliqua accidentia superuenerint quæ iudicio prudentum suspendant vel tollant rei iuramento promissæ adimpletionem.Vt si res promissa iam reddita sit nociua, inutilis, vel impossibilis propter aliquod infortunium, vel si is in cuius fauorem promissum est, notabili quadam ingratitudine promissorem offendit, fidem ei non seruauit. Si etiam magna mutatio in promittente superuenerit, ita vt si eam aduertisset,non promisisset.

Deniquè considerabit aliquando Confessarius num tale sit iuramentum,de quo per superiores, Episcopum aut Pœnitentiarium dispensari possit, quod fit non difficile, quando iuramentum dolo aut metu extortum est.Quando dispensatio non est in præiudicium proximi, subestque rationabilis causa dispensandi. Quando iuramentum in fauorem alicuius factum, nondum ei notum est, aut ab eo acceptatum. Quòd si non subsit causa dispensandi, saltem partim relaxari poterit, partim commutari, habitâ ratione circumstantiarum. Quin etiamsi iuramentum sit in solius DEI honorem factum, poterit per quemlibet Confessarium commutari in euidenter melius, vel rem æquè bonam, quæ scilicet Deo gratior sit, vel æquè grata. Probatur quia id fieri potest per ipsum iurantem, vt docet Card. Coletus *l.* 4. *cap.* 27. Non sic est, cùm iuramentum est in fauorem hominis cui non semper æquè placet quod melius est.

Difficile tamen dispensandum est cum iis qui iurauerunt

se nunquam lusuros, quando ludus talis est, vt in eo amittatur notabilis quantitas pecuniarum. Talibus potius persuadendum est vt votum seruent, nec voluit aliàs Pius V. dispensare in huiusmodi, teste Corrado *in addit. ad q.* 138. *responsorum.*

Quæritur decimo-sextò, de quibus interroganda sit quæ nubere intendit, & tamen dubitat se aliàs simplex votum castitatis, aut religionis emisisse, dum esset iunior.

Id non rarò accidit vt nubere velint quæ castitatem vouerunt, aut putant, dubitantve maximè se vouisse, & putaui sæpè Sathanam impellere quosdam homines vt ea magis expetant ad matrimonium, quæ voto se obstrinxerunt, vt sic votum reddant irritum, & si non vouissent, non ita adesset nuptiarum occasio. Vt vt sit, inter illas quædam verè vouerunt, aliæ non vouerunt, sed scrupulis anguntur, multumque negotij facessunt ad discernendum de voti veritate.

Notandum est, vt ait de Graffis 2. p. *Decision. aurearum* c. 3. *in voto.* tria ex parte vouentis consideranda esse vt votum teneat, rationis deliberationem, propositum voluntatis, & promissionem quâ demum ratio voti perficitur. Hæc igitur tria primò discutienda erunt in casu proposito, & à se inuicem distinguenda, ne propositum pro ipso voto accipiatur.

Deindè petendum est ab eis qui dubiis agitantur ea de re, an cum aliqua præmeditatione id egerint, quo anno ætatis, quibus verbis in vouendo vsæ fuerint; vt enim in Baptismo non fit propriè votum, quia tria ista verba, quæ dicit baptizatus *abrenuntio, volo, credo*, non significant vllam promissionem, sic sæpè non est votum, cum nulla verba istud denotant: petendum insuper num ratum habuerint aliquando primum votum, & quo ætatis anno, quo motiuo inductæ fuerint. An tunc temporis cùm vouerunt, sciuerint naturam voti, eiusque virtutem ad obligandum, an habuerint intentionem se obligandi. An denique distinxerint inter votum castitatis, & votum non nubendi; vtrumque enim apud plerasque confunditur, creduntque votum non nubendi votum esse castitatis simpliciter.

Ex his interrogationibus iuuari poterit Confessarius ad indagandam rei veritatem, & ad sapienter consulendum in ista occasione. Aliquæ enim habent tentationes vouendi ad singulos ferè dies, in quibus putant se vouere, cùm ex abrupto sola voti consideratio earum mentem pulsat, quæ verè non vouent, nec audiendæ sunt, sed reiiciendæ cum frequentiis de votis suis imaginatiis consulunt. Si ante vsum rationis id

id vouerunt, non videntur teneri; item si ante annos pubertatis, & reclament pater, aut mater patre mortuo, eaque vota pro patria potestate irritent, nec peccat pater in reuocando, quia vtitur patria potestate sibi à Deo concessâ. Ita de Graffis *loco citato*. Etsi enim possint se obligare Diabolo per peccatum mortale, vel inuitis parentibus, vnde aliquis colligeret etiam se posse obligare Deo sine consensu parentum; vsu tamen receptum vt parentes talia vota impuberum irritent, modò tamen post pubertatem ea non confirmauerint. Ita Lessius de iust. l. 2. c. 40. dubit. 10. de voto. Imò cum iste modus sit securus & facilior, atque etiam in Scriptura sacra *Numerorum* 30. *cap.* authoritatem habens, præstat aliquando eos casve quæ ante pubertatem sic vouerunt, remittere ad patrem tutoremque aut tutricem, vt talia vota pro authoritate suâ irritent, quoniam dantur Romæ dispensationes sæpe cum valde difficilibus conditionibus, vnde fiunt inutiles, & sæpius duplicatis expensis Romam redeundum est; vt mitigentur, & tandem quæcumque conditiones apponantur, difficultatem ingerunt discreto viro Confessori, cum periculum lapsus in carnem non sit æquale in omni die & anno, & sæpe maius sit ex importunitate procorum.

Si sciuerint virtutem voti ad obligandum, etsi expressam intentionem se obligandi non habuerint, ex hac parte votum non poterit irritum haberi: quemadmodum enim qui cognoscit iuramentum, habere vim obligandi, iurando se obligat, etsi expressè id non intendat, sic qui cognoscit votum habere vim obligandi, inter vouendum ligatur, censeturque tacitè intendere se obligare, quando expressè non intendit contrarium.

Si verò habuerint in vocando solam intentionem non nubendi, votum earum non est reseruatum Summo Pontifici, vt est votum castitatis, & religionis, ideóque poterit ex causâ dispensare Pœnitentiarius habens potestatem ab Episcopo, iuxta ea quæ tradit Thomas Sanchez in *summa l.* 4. *cap.* 38. *num.* 20. post Paludanum, D. Antonium & Sairum, de quibus *infra* màgis patebit. Quod etiam poterit, si quis vouisset se fore Subdiaconum aut Sacerdotem ptopter eamdem rationem, quia de iis votis dispensare potest Episcopus, aut eius Pœnitentiarius, qui habetur pro magno eius Vicario in iis quæ spectant ad forum interius quæ sibi Papa non reseruauit. Non verò de voto castitatis aut religionis, nisi forsitan ad eum accedant, cùm iam omnia parata sunt ad nuptias, nec differri possunt sine scandalo: in illa enim vrgentissimâ ne-

cessitate, potestatem habet Episcopus dispensandi seu potiùs commutandi vota illa, reseruata alias Summo pontifici: similiter si accedant post Matrimonium iam contractum: propter necessitatem enim reddendi debitum, etiam videtur Episcopus habere potestatem concedendi vsum Matrimonij quamdiu durauerit, & intelligitur summus Pontifex ex naturali quadam æquitate noluisse in his casibus vota hæc simplicia sibi reseruasse, propter grauia incommoda quæ exinde sequerentur.

Probabile est etiam votum castitatis conditionatum, conditione adimpleta non esse reseruatum Papæ, quia ab initio propter conditionem reseruatum non erat. Nec votum religionis, cum status religiosus redditus fuerit impossibilis ante professionem ex superueniente corporis infirmitate.

Extra autem hos casus debet Confessarius ad Bancarios remittere qui Romæ dispensationem obtineant, mediantibus decem, aut duodecim libellis, (secundùm ius antiquum, nam hodie ferè duplum exigunt) quæ ipsis bancariis dantur pro procuratione, delatione & aliis impensis Scripti Pontificij, quo potestas fit doctori in Theologiâ, aut in decretis ex approbatis ab ordinario, in actu confessionis, huiusmodi vota in pia opera commutandi, ad effectum contrahendi Matrimonij pro vna vice, si preces veritate nitantur, nimirum si periculum sit aliquando incontinentiæ propter nimios stimulos carnis, aut satis virium & sanitatis non suppetat ad ferenda religionis onera. Neque enim Summus Pontifex: errat autem in istis dispensationibus, quas non concedit nisi ob iustas causas, earumque veritatis examen committit Doctoribus approbatis, vt eas examinent in ipso actu Confessionis Sacramentalis. Est autem ista regula quam seruat Summus Pontifex in dispensationibus, vt quotiescumque aliquid promittitur, quo seruato salus corporalis aut spiritualis amittitur, & peccatum mortale incurritur, votum non seruetur. Quæ considerianda sunt ab iis qui breuia Apostolica executioni demandant in ipso actu Confessionis Sacramentalis. Sicut & cum plures causæ dispensandi propositæ sunt, si vna sit vera quæ sufficiens fuisset ex consuetudine & stillo ad dispensandum, non impeditur dispensatio, etsi alia sit falsa. Docet Pontius de *matrimonio. lib. cap.* 8. §. *vltimo.* Quod notandum erit etiam pro foro exteriori.

Quæritur decimo-septimò, quid examinabit Confessor in Pœnitente qui indiget interrogari, vt sciat num peccauerit circa festi obseruationem.

Ad

Ad duo capita reducuntur quæ inquiri possunt in isto articulo, aliqua enim obseruanda sunt in die festo quodcumque sit, & aliqua etiam vitanda. Vnum quod obseruandum est sub pœna peccati mortalis est auditio Missæ propter præceptum Ecclesiæ; quare de ista re interrogari debet Pœnitens, an audierit vel interfuerit Missæ cum debita attentione saltem ab Euangelio vsque ad finem. *Examen tertij precepti.*

Neque probabilis est opinio Nidet. in *praeceptorio*, vbi docet sufficere audire Missam quacumque die hebdomadæ cum intentione satisfaciendi pro die festo, quia qui præuenit diem solutionis debiti, non minùs benè soluit quam qui ipso die soluit. Etenim si ista ratio valeret, omnia turbarentur in Ecclesia: præueniretur enim dies ieiunij, & quisque pro libito diem sibi seligere posset ad abstinendum ab operibus seruilibus, & ad implenda alia præcepta Ecclesiæ; vndè fieret, vt vnitas, & congregatio fidelium in orando, & ieiunandò dissiparetur cum eius virtute: est enim virtus vnita fortior seipsâ dispersâ. Non est autem opus interrogare an Pœnitens die festo actum amoris, aut contritionis elicuerit;etsi enim id optimum sit,non est tamen obligatorium sub pœna peccati mortalis.Nec etiam necessarium est interrogare vtrùm esset in statu gratiæ, & charitatis cùm audiret Missam. Potest enim etiam existens in peccato mortali habituali, quod vocant Theologi,audire Missam,sine nouo peccato.

Qui verò de Missâ Parochiali, vt vocant. Interrogabitne Confessarius, an saltem tribus Dominicis illi interfuerit pœnitens saltem semel:cum eâ de re præceptum faciant quædam Concilia Prouincialia. Respondeo in Prouinciis in quibus ipsa Concilia quæ de hac re statuunt,recepta sunt & obligant, debere pœnitentes hac de re examinari. Non puto autem talia Concilia vbique recepta esse sub obligatione peccati mortalis.Vndè & in manuali Parisiẽsi est tantum monitum,& exhortatio ad illud,nõ præceptum,quod à quibusdam concionatoribus deberet considerari. Nihilominus Iodocus Clictoueus Doctor Parisiensis *sermone de tertio precepto* explicans, vt omnes obstringantur audire Missam reuerenter diebus festis, addit. Quod potissimum de Missa Parochiali est intelligendum, quoniam ad illam præsertim audiendam obligantur parochiani, dummodo non habeant aliquod legitimum impedimentum, quod rationabiliter eos excuset: ergo qui ex negligentia aut contemptu diebus festis non audiunt Missam nec conueniunt ad Ecclesiam, nullam penitus habentes excusationem, neque curant audire suam

Missam Parochialem, cum id possint facere si vellent, peccant mortaliter: quia faciunt contra hoc præceptum Ecclesiæ. Hæc ille, quibus plura opponi possunt propter contrariam consuetudinem quæ magna vi pollet contra obligationem legis humanæ, etiamsi expressa esset. Vnde inter regulares Pelbartus de Temisuar in *rosario Theolog. super 4. sentent.* verbo *excommunicatio* §. 20. Episcopus, inquit, excommunicat omnes non audientes Missam in Festis in Parochiali Ecclesiâ, quod si aliud non addit, solum erunt excommunicati qui sine rationabili causâ ibi non audiunt: aut in casu à iure vel generali consuetudine permisso. Etiam illi qui propter corporalem infirmitatem non audiunt & huiusmodi non erunt excommunicati. Similiter qui audiunt in Ecclesiâ fratrum minorum & Prædicatorum. Si vero in sententiâ adderet siue ex rationabili causâ dimittit, siue non: Siue in casu permisso à iure vel à consuetudine, siue non: sic continet intolerabilem errorem & non ligat: quia sicut Episcopus attentando contra ius nihil facit. *x. dist. cap. vides:* ita etiam attentando contra consuetudinem generalem totius orbis, est nullum, vt patet 11. *dist. cap. his*, quod esset, si posset prohibere ne audiretur in Ecclesiis Minorum & Prædicatorum.

Hanc quoque sententiam docet P. Illuminatus *responso* 93. ita vt tantùm Parochi possint monere, non autem compellere Parochianos ad Missam Parochialem ex *Trident. sess.* 22. quod etiam declarauit sacra Congregatio vt refert Barbosa *p. 2. allegat.* 24. extatque eâ de re declaratio Leonis X. quam refert idem Barbosa *de potestate Parochi. cap.* 11. quæ sufficere debent iis quos hîc informare cupimus, qui si aliter hoc enodandum putant, diligenter attendant omnia, ne inter fratres seminent discordias, sine fructu. Sufficit igitur vt plurimùm adhortatio ad Christianos, vt frequenter adsint in illa Ecclesiâ in quâ Christi caractere insigniti sunt, in quâ à Deo constituti sunt tanquam in statione militari vt pugnent contra aduersarios salutis, in quâ est pastor & dux spiritualis qui de earum animabus rationem redditurus est, vt proinde teneatur eis omnia ad salutem necessaria nota facere, ac pro iis etiam, si tantum grauis necessitas spiritualis postulat, sanguinem vitamque perdere.

De Prædicatione & Vesperis maior est difficultas, censetque Caietanus in *summâ* verbo *festum*, non esse peccatum mortale, si quis non intersit prædicationi, aut Vesperis. Licet, inquit, cum abstinentiâ solius Missæ cultus sufficiat in festo ad euitandum mortale peccatum, tenentur tamen fideles idem expendere in diuinis laudibus, saltem eundo ad præ-

dicationem, & ad vesperas. Vnde qui festos dies post Missam vanè consumunt ludendo, iocando, otioseque vagando, aut venando, spectaculis intendendo, & huiusmodi, licet ex ipsis operibus vtpotè non seruilibus, mortale non incurratur; ex omissione tamen diuini cultus ad quod festa instituta sunt, grauiter peccatur, quia non reddunt quæ sunt Dei Deo; & quia quantum in se est ridiculo exponunt Christiana festa, iuxta illud; *viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata eius.* Et hoc præcipuè tangit viros graues, & maiores, & dominos, cæteri namque eos imitantur. Vbi Nauarrus in *Manuali c.* 13. interpretatur Caietanum dicentem grauiter peccare de graui peccato veniali.

Puto in hac difficultate, considerandum esse an pœnitens à longo tempore defuerit prædicationi & vesperis. Si per valde diuturnum tempus defuerit, vt puta, per octo aut decem menses, sine rationabili causa, & maximè si non sit ita instructus vt doctrinâ non indigeat, non poterit excusari à mortali; sunt enim in moralibus nonnulla quæ si semel aut bis terve tantùm fiant, non sunt mortalia, secùs vero si pluries. Exemplum est in Confessario qui indiscretè obiurgaret pœnitentes bis aut iterum, non peccaret mortaliter, secùs verò si id multoties, & ex consuetudine faceret. Quare poterit Confessarius interrogare pœnitentem qui à multis temporibus non fuit confessus, de isto defectu, an in illo sit.

Aliud autem quod vitandum est in die festo, est opus seruile, quod quidem non est peccatum, vt interpretatur Lyran. in *cap.* 20. *Exodi*; quod opus, inquit, est maximè seruile, seruitute Diaboli & maximè impedit vacare diuinis, ita quod qui adulteratur illâ die, est transgressor duplicis præcepti. Cuius opinionem sequutus est Hieronymus Hangestus *in moralibus.* c. 8. Vbi ait hoc præcepto prohiberi opus seruile tam seruitute peccati, quam seruitute corporis. Vnde etiam asserit eum qui peccat die sabbati, seu mortaliter, seu venialiter, sẽper duplici peccato peccare; scilicet illo peccato quo peccat, & violatione sabbati. Quam doctrinam suprà reiecimus in examine circunstantiarum. Per opus igitur seruile intelligitur illud opus, quod tantùm seruientibus conuenit, non illud quod æquè dominis ac seruis; infinitæ autem sunt controuersiæ de istis operibus, & quando in iis peccatur, si aliquando fiant, multaque obseruanda monet rectè Caietanus loco citato, ne præceps sententia feratur de peccato mortali.

Inter cætera autem aduertendum est festa Christianorum non obligare cum tantâ seueritate ac Sabbata Iudæorum: Christiani enim filij sunt; Iudæi serui, multò autem mitior

solet esse conditio filiorum quàm seruorum. Quare multa fiunt licitè à Christianis in festis, quæ in Sabbato Iudæorum omnino erant prohibita. Quare à discussione plurimorum operum poterit abstinere Confessarius, quorum nonnulla in sequenti quæstione declaranda sunt, vt exindè iudicium probabile de cæteris haberi possit.

Quæriturdecimononò quas causas discutiet Confessarius, vt videat an is qui festo laborauit in aliquo opere, immunis sit à peccato.

Respondetur primò non esse considerandum an qui aliquod opus exercuit lucri causâ fecerit vel siue spe lucri, quia finis iste est per accidens? neque ex eo redditur opus aut magis, aut minus seruile quod fiat ob pecuniam, an gratis, idcirco regulariter potest Confessarius supersedere discussioni istius finis. In cuius locum vtiliùs poterit inquirere.

An multùm vel parùm laborauerit in festo, aut dominico die, excusantur enim à mortali parùm laborantes, qui vendunt, aut emunt aliquid in paruo temporis spatio; maximè non apertis officinis, qui aliquid circa se agunt, suendo, tondendo cum aliqua necessitate, parum temporis insumendo; qua ratione excusari possunt barbitonsores qui vnum aut alterum tondent. Maximè quod tonsio capillorum sit ad ornatum corporis, qui die vetitus non est: putat autem Diana *in compendio*, verbo *festum* requiri duas horas vt quis peccet mortaliter, ratione temporis insumpti. Bonacina *in explic. 3. præc. punct.* 3. dicit vnam horam sufficere. Alij relinquunt iudicio prudentium, minúsque temporis requiritur in operibus seruilibus, quæ cum multo labore, & strepitu fiunt, vt opera fabrorum. Quod satis prudenter videtur dictum, quandoquidem ex multo strepitu magis turbetur solemnitas festorum.

2. Si laborauit aliquid agendo quod magis immediatè referatur ad cultum diuinum, vt mundando, & ornando templum aulæis & tapetibus, Non excusantur tamen qui casulas conficerent, & calices ad celebrandum Missam, quia hæc opera remotiùs ad cultum diuinum referuntur; versantur enim circa instrumenta diuini cultus, non circa ipsum cultum, nec ita simultanea sunt cum diuino cultu.

3. Si laborauerit in opere pietatis & misericordiæ erga proximum, vt seruiendo infirmo, sepeliendo mortuum, iudicando causas miserabilium personarum, atque etiam ius dicendo rusticis in villis, quod aliis diebus non possint, siue damno conuenire. Vt autem quis excusetur à mortali, oportet vt opus sit per se opus pietatis & misericordiæ, non verò per accidens, & ex sola intentione operantis.

4. Si opus fuerit valde necessarium, quia ob necessitatem multi excusantur, & eò magis quòd necessitas bonum communius respicit, vt nuntij qui litteras deferunt, & diebus festis iter persequuntur, etiamsi nonnunquam Missæ desint. Artifices eorum quæ continuatam operam exigunt. Valdè pauperes qui ægrè vitam sustentant, si clam laborant ad vitandum scandalum, auditâ Missâ, excusantur. Sartores qui vestes lugubres conficiunt quòd tempus vrgeat, qui etiam tres aut quatuor horas impendunt ad perficiendas vestes, quas si non reddiderint die solemnior illis præfixo, offensam eorum incurrunt per quos vitam sustentant, vt qui vnde operentur illis subministrant; vndè posteà fiet vt egeant. Serui qui coguntur à dominis, non tamen in contemptum festi, & nisi laborent foras mittentur, nec nisi difficile admodùm alios dominos inuenient, & à quibus forsan similiter cogentur: Coqui similiter qui necessaria parant ad victum, ancillæ quæ opus domesticum perficiunt, milites qui struunt aggeres, aut pugnant.

5. Inquirere poterit Confessarius, an opus sit ex consuetudine generali aut speciali toleratum, nec de facto contradicant Episcopi. Quo titulo multæ nundinæ in burgis & vrbibus celebrantur sine peccato, auditâ tamen missâ, & si quis vellet ista impedire, contra torrentem niteretur, quòd ex omni memoria fieri solebant. Quamuis autem aliquæ constitutiones Episcoporum ista prohibeant, nihilominus vsu non sunt receptæ, neque etiam in istis, satis est quòd verbis contradicant Episcopi, nisi etiam de facto ista impediant, vt docet Gerson *de vita spirituali lect.* 4. *corol.* 10. quia aliàs, constitutiones huiusmodi essent in laqueum infinitarum animarum.

6. Maximè debet inquirere Confessarius quodnam sit opus in quo Pœnitens laborauerit, an sit opus verè seruile & mechanicum quodque à solis seruis præstari soleat ad vtilitatē corporis. Quædā enim sunt opera spiritualia & magis animæ propria, quā corporis; licet etiā suo modo corpus cooperetur; talia sunt oratio, lectio, compositio libri, disputatio, prædicatio, & similia vt quæ sint ab anima & ad animam ipsam referantur. Alia sunt merè corporalia, vt fodere, terram, colere vineam, & inter ea quædam magis propria seruorum, quàm dominorum, quæ omninò prohibita sunt, nisi ex aliqua ex præcedentibus rationibus excusentur: alia verò communia sunt seruis & dominis, vt iter agere venari & similia, quæ audito sacro tolerari possunt. Hæc omnia asseruntur à pluribus authoribus, inter quos Hieronymus Hangestus in *Moral. cap.* 8. ita ait.

Sanc-

Sanctificationis Dominicæ præceptum præcepto ſubuentionis ſibi vel proximo non præualet in his,quæ moram commodè non patiuntur:quare opera ſeruilia huic ſeruientia minimè ſabbati ſanctificationem violant:patet;iſtud eſt naturale & diuinum, illud autem poſitiuum & iuris humani, &c. præualet igitur ſubuentionis ius maximè cùm moram non patitur, nec commodè differri, nec præueniri poteſt:non enim ſemper requiritur extrema neceſſitas, modo ſit irrecuperabilis vtilitas: gratiâ exempli (inſtante repentinâ pluuiâ, tempeſtate vel hoſtibus) adduci poſſunt in horreum frumentum agrorum, fœnum pratorum & alia quorum imminet perditio vel notabilis deterioratio. Poſſunt fabri equis ferra iungere, cùm id commodè differri nequeat.Nonnullis locis Dominicâ mane aguntur cauſæ & Iudicia quibus pauperes aliis diebus commodè intereſſe nequirent; & permittuntur vendi in templorum cæmeteriis minuta,prout zonæ,gladij,fructus,& alia huiuſmodi, quæ à pauperibus emuntur,non potentibus commodè alio die vacare, &c.

Ex quibus patet plura opera in feſtis Chriſtianorum licita eſſe; alia quidem ex vno capite, alia verò ex pluribus capitibus, vt eſt labor molitoris qui excuſari poteſt à peccato, tum ob leuem occupationem quæ ordinariè adhibetur, tum ad captandam opportunitatem venti & aquarum, quâ elapsâ coguntur ſæpe molitores per multos dies otioſi eſſe cum damno proprio & etiam publico,vt accidit nonnunquam in pagis Lutetiæ circumiacentibus.

Quæ omnia fuſiùs forſitan proſequuti ſumus, quàm ferat inſtitutum præſentis tractatus. Non quòd laxare conſcientias,peccatiſve fauere vllo modo velimus,abſit.Sed quia nouimus ſæpe ſæpius Confeſſarios minùs inſtructos in iſtis, multùm temporis & operæ deperdere, dum fruſtrà conantur diſſuadere aliqua opera,quæ iudicio plurium grauiſſimorum doctorum, tolerari poſſunt: & dum in iſtis non neceſſariis occupantur,replent ſcrupulis Pœnitentes, eorum conſcientias non exonerant,ſed reddunt erroneas, & dum tempus in iſtis elabitur,non monent, nec adhortantur & inſtruunt in aliis valde neceſſariis, vt nullus ſit fructus plurium Confeſſionum, quod Confeſſarij quidam plus zelo feruenti abundent, quam ſcientiâ æquitatis & Epicheiæ. Vndè incutiunt metum peccati mortalis, vbi vix reperitur veniale: ſi enim accedat molitor quem velis deterrere à molendino circumagendo diebus feſtis & Dominicis poſt auditum ſacrum, qui pluribus grauiſſimis aliis criminibus ſit oneratus, quantò molimine ages, vt promiſſum

missum ab eo extorqueas ea de re, an vacabit tibi cum de veris & indubitatis peccatis arguere? & tamen propositum vix per tres dies seruaturus est. Sapienter scripsit Gerson *in tract. præcit. lect. eadem, corollario* 11. Quid prodest, imò quid non obest coarctare plus iusto mandatum Dei, quod est latum nimis? Quid insuper expedit amarius grauiusque nimis reddere iugum CHRISTI, quod suaue est,& onus eius leue? Nam etsi contemptus ex hac laxatione & dulcedine apud quosdam improbos maior oriatur, habentes velamen malitiæ libertatem; Est apud alios bene institutos aliter, qui gratiarum resonabunt actiones, præstabitur etiam sedulius obsequium Domino & patri tantæ mansuetudinis, cuius mandata grauia non sunt, & qui vult nos non tentari & grauari supra id quod possumus.

Quæritur vigesimò, quidnam discutiet Confessarius de amore erga proximum.

Etsi teneamur diligere proximum sicut nos ipsos, quia præceptum Domini est. Matth. 22. *Diliges proximum tuum sicut teipsum:* Censet tamen Suarez disp. 5. de præcepto charitatis, exercitium interiorum actuum amoris erga proximum per se non obligare, sicut obligat erga DEVM: ita vt teneamur amare proximum interno actu in illo sistendo. Ratio est, quia amor internus non patet proximo, sicut patet DEO. Item amor DEI per se est quidam cultus Deo debitus, non verò sic est amor proximi. Hinc fit, hunc amorem internum solum cadere sub præcepto, vel quando necessarius est ad opus externum, & beneficium proximo præstandum, vel ad vitandum odium & offensionem proximi, vt si occurrat necessitas misericordiæ, vel necessitas vitandi odium. Ex quibus inferre liceret, non esse interrogandum Pœnitentem, an actus amoris erga proximum elicuerit, sicut diximus suprà, necessarium esse interrogare de actu interno amoris erga DEVM.

Sed rationes Suaris non sunt validæ: non prima, quia non est necessarium, vt videat proximus actum quo amari debet, & in necessitate adiuuari, satis est quod videt pater cœlestis *in abscondito*. Non secunda, quia non requiritur, aliquid esse cultum Deo debitum, vt sit præceptum. Quare cùm istæ rationes nihil probent, & non minus expressè Scriptura sacra amorem proximi iubeat ac amorem Dei, & secundum præceptum de amore proximi simile sit primo de amore Dei, probabilius est actum interioris amoris proximi aliquando obligare etiam seclusâ necessitate operum misericordiæ, & vitandi odij & offensæ proximi, ita vt teneatur homo aliquando in vita amare *Actus amoris proximi.*

proximos

proximos actu interno & affectuoso, desiderando eis salutem & vitam beatam. Estque hæc sententia Doctoris Irrefragabilibus Alensis *in summâ de virtutibus collat. 65. art. 2.* vbi contendit in duobus præceptis Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. & proximum tuum sicut teipsum*, non præcipi nisi charitatem affectualem, quia numquam aliàs ista charitas præciperetur. Tum quia omnis actus necessarius ad salutem est in præcepto, at charitas affectualis est actus necessarius ad salutem. Tum quia ordo charitatis affectualis est in præcepto: Ergo est etiam ipsa charitas affectuosa. Cuius enim ordo est in præcepto, ipsum est in præcepto. Conatúrque explicare verba D. Bernardi. *Serm. 50. in Cantica*, vbi videtur asserere sola opera externa charitatis tam DEI quàm proximi esse in præcepto. Non tamen id constanter omninò asserit D. Bernardus, statim enim subiungit, aut si placet tibi magis de affectuali datum fuisse mandatum, non inde contendo, dummodò acquiescas & tu mihi, quod minimè in vita ista possit ab aliqno hominum, vel poterit adimpleri. Scilicet si consideretur in summo gradu, vt explicat idem Alensis.

Vt igitur ad quæstionem propositam redeamus, videtur esse ex Officio Confessarij, non penitùs negligere in Pænitentibus obligationem quâ tenentur, ad dilectionem affectuosam proximi. Quia verò tempus istius dilectionis & illius obligationis vix alicui notum, nec dum à Theologis apertum, nollem vt ex hoc capite perturbaret conscientias pro præterito tempore, sed moneret aliquando de ista obligatione, iniungerétque pro satisfactione, aliquos huiusmodi actus internos, præcipiendo illis vt decies interiùs hunc actum efformarent. O DEVS *optimè, vtinam omnes ad agnitionem veritatis, & ad vitam beatam peruenirent!*

Dubitatur verò an quid inquirendum sit ab eo qui aliàs odium & inimicitias gessit cum aliquo quem non vult videre nec resalutare, etiamsi alius alloqui eum vellet & resalutare. Respondetur inquirendum esse; An omne odium interius dimiserit ac signa amicitiæ communia exhibere paratus sit: sic enim poterit absolui, etiamsi nollet signa amicitiæ particularia illi demonstrare, ad quæ in rigore non tenetur. Vnde D. Augustinus in 1. Epist. Ioan. tract. loquens de dilectione inimicorum ait, *opta illi vt habeat vitam æternam, neque enim carnalis nostra dilectio esse debet.* Eodem modo absoluendi sunt parentes qui filios immorigeros priuant conspectu suo; Tantúmque monendi sunt, vt id fiat ad aliquod

pus: donec ipsi filij culpam agnoscant ac resipiscant.

Porrò est difficultas specialis de litigantibus quibus omnidè sufficiens satisfactio offertur à parte, num teneantur illa acceptare ac desistere à lite; in quâ videtur standum pro parte affirmatiuâ vt *infrà* patebit 3.*parte*. Ad idem praeceptum ... cenda est quorundam difficultas orta ex verbis Euangelii Matth. 5. *Si ergo offers munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris quod frater habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Quasi verba ista obligarent ad pacandum cum omni humilitate animum proximi aduersum nos irati, antequam ad Ecclesiam accederemus aut ad orationem, dissoluit autem has difficultates D. August. lib. 1. *de sermone Domini in monte cap.* 7. non ad litteram haec accipienda, sed prorsus ad spiritualia reducenda esse docens. Si in mentem venerit, inquit, quod aliquid habeat aduersum nos frater, id est, *si nos in aliquo eum læsimus*: Tunc enim habet aliquid aduersum nos: nam nos aduersus illum habemus, si ipse non læserit. Vbi non est opus pergere ad raconciliationem, &c. Vbi concludit, si proximus nos offenderit non nos ipsum, sufficere vt ex animo ei remittatur. Si vero eum offendimus, pergendum esse ad reconciliationem non pedibus corporis, sed motibus, animi, *vt te*, inquit, *humili affectu prosternas ad quem charâ cogitatione concurreris in conspectu eius cui munus oblaturus es.* **Litigantes.**

Quibusdam tamen laxior videtur haec D. Augustini resolutio, tantumque locum habere putant in absentia fratris aut proximi quem offendimus. Nam satisfactionem proportionatam offensæ contra proximum, si suppetat locus, occasio & facultas, differre non licet. Nec debet Christianus de humiliatione sua erubescere, quia non sumus in hac vita vt alter alrero se ostendat aut ostentet innocentiorem vel sanctiorem, quia in via delictorum sumus. Nihil idcircò aliud nobis arrogemus, quam delicta nostra : quæ non frontosè aut temere excusemus, sed humiliter ac verecundè agnoscamus. Verum exequutioni huius doctrinæ obstaculum est non leue, quod cum duo mutuis disceptationibus concertauerint, discedunt ita alter ab altero, vt neuter se reum iudicet & ansam contentionis dedisse, nec se reconciliandum proximo, sed proximum sibi, vterque enim sibi innocens videtur, & licet perfectionis sit se imperfectiorem agnoscere ac fratrem offendisse priorem, vbi res dubia est: at non quærunt homines quod est perfectionis ; sed quod est **Offensa mutua.**

obligationis in rigore sub pœna peccati mortalis & damnationis: nam nec de venialibus magna est cura. Vndè sæpe fit vt odia in animo permaneant quasi ignis sub cinere latens, qui suo tempore magnum incendium excitat. Ideò non oscitanter confessario inuigilandum est ad discernendam pœnitentis obligationem, ad satisfaciendum proximo quem læserit prior, vt si verbo læserit, verbo humili placet, si iniuria grauauerit, beneficio ac restitutione consoletur: si contempserit, honore afficiat, & pro ratione vulneris illati remedium apponat. Nisi forte locus sit aliquando mutuæ compensationi ex mutua & coæquali læsione ac iniuria.

Quæritur vigesimo-primò, quid de operibus misericordiæ inquiret Confessarius.

Hic se prolixæ dissertationis campus aperit, & quo magis progredimur, plura sese ostendunt scitu dignissima à Confessariis, qui propterea non inutiliter legent addiscentque ea quæ ab eruditis Theologis traduntur in tractatu de charitate. Nunc interim miramur quod aliàs in opusculis Lessij viri piissimi & doctissimi legimus, clarâ voce Christum in die iudicij non iudicaturum ex operibus misericordiæ, contra tam manifesta Euangelij verba Matth. 25. *Esuriui & non dedistis mihi manducare, &c.* qua de re vide à nobis dicta *in Supplemento 2. Theol. affect.* sub finem.

Notandum est igitur opera misericordiæ obligare primùm quidem sub peccato mortali, in extrema necessitate, quæ intelligitur tunc adesse, cùm est euidens periculum mortis mutilationis membri, amentiæ, infamiæ, peccati mortalis ex infirmitate aut ignorantia, non ex purâ malitiâ; in variis enim bonis consistit illa extrema necessitas. Túncque obligat præceptum misericordiæ ad subueniendum, si necessitas nota sit, nec perspectum sit euidenter alium priùs subuenturum, suppetántque media sufficientia sine grauissimo suo incommodo. Vndè quisque debet esse dispositus ad succurrendum proximo in tali necessitate, toties quoties sese obtulerit, positis conditionibus anteà allatis, & de hac re potest interrogari.

In communi autem necessitate, qualis est illa pauperum communium, & graui, cùm quis multa grauia patitur, extra tamẽ euidens illud periculum mortis & aliarum rerũ, quidam putant non esse præceptum. Quæ sententia mihi non probatur absolutè. Tenetur enim quisque saltem aliquando & aliquibus eorum qui in communi vel in graui degunt necessitate, pro ratione facultatis suæ auxilium aliquod ferre. Ita vt dices peccet qui per multùm temporis nullum opus misericordiæ

diæ exercuit, existentibus tot pauperibus & miseris: si enim omnes ita agerent, necessitate perirent, cùm aliunde si omnes aliquando proximos adiuuent, sufficienter illis subuenitur vt ponantur extrà extremam necessitatem. Ita etiam peccat ille qui nullam fraternam correctionem adhibet peccatoribus qui tot passim inueniuntur, annosque transigit integros sine exercitio istius operis misericordiæ. Limitare autem tempus & momenta istius obligationis sub pœnâ peccati, non est in nostrâ potestate & scientiâ, vt meritò plures dicere debeant: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.*

Diximus autem, si necessitas nota sit, scilicet vel per ipsos pauperes, ad quos spectat necessitates suas palam facere & rogare auxilium, vel per alios fide dignos. Quia non videtur præceptum sub mortali, vt priuatæ personæ teneantur inquirere quinam sint indigentes. Quam difficultatem his verbis explicat D. Thomas *quodlibeto* 8. *art.* 12. supposito quòd aliquis habeat de superfluo & respectu indiuidui & respectu personæ, quod tenetur pauperibus erogare: Aut videt in paupere petente euidentia signa extremæ necessitatis, aut non. Si videt, certum est quod tenetur dare & peccat non dando; in hoc enim casu loquitur Ambrosius, *pasce fame morientem*; *si non pauisti, occidisti.* Si verò non appareant, tunc non tenetur dare pauperi petenti: quia quamuis teneatur dare superfluum pauperibus, non tamen tenetur omnibus dare, nec huic dare: sed tenetur distribuere secundùm quod sibi visum fuerit opportunum. Nec tenetur inquirere quia hoc esset nimis graue, quod de omnibus pauperibus inquireret, & præcipuè cùm ad eum qui necessitatem patitur, pertineat vt necessitatem suam exponat. Hæc D. Thomas, ex quibus multa colligi possunt de obligatione operum spiritualium misericordiæ, quæ imitantur opera corporalia eiusdem virtutis misericordiæ.

Quæritur vigesimo-secundò. Quid examinabit Confessarius in pœnitente qui se cogi dicit ad hæresin, ad turpia, aut ad aliquod aliud peccatum mortale, propter indigentiam qua premitur.

Crux est non leuis Confessariorum discernere quinam aut quænam sincere, & verè ista dicant, vel fictè, & simulatè ad expiscandum nonnihil ex bursâ Confessarij, si sit tantillùm opulentus, & erga indigentes bene affectus. Multos multásque comperi ad sacrum tribunal sub prætextu Pœnitentiæ accedentes cum sola intentione pecuniam aliquam extorquendi, non ipsam absolutionem peccatorum. Vnus dicit se iam aliquos ex filiis occidisse propter indigentiam, testaturque se

Ficti Pœnitentes. animum dispositum habere ad alios occidendos, si non liberetur aliquâ pecuniarum quantitate, à manu regiâ quæ in instrumenta artis suæ quâ vitam lucratur, iniecta est. Alius dicit sibi multa commoda offerri ab hæreticis, si ad eorum castra transire velit, nihilque esse misericordiæ in Catholicis. Illa castitatem suam non vili pretio postulari, seque pane indigentem animo fluctuare. Alia verò se etiam lacte carere mentitur quo tenellum puellum alat, seque tentari ad eum contra parietem allidendum.

Nollem ego Confessarium esse penitùs immisericordem, & obturantem aures suas ad omnes pauperum gemitus; sed nollem etiam esse ita simplicem & parùm perspicacem, vt aliquando non discernat inter fictos & veros pœnitentes; tenetur enim credere pœnitenti, sed puto in iis tantùm quæ spectant ad absolutionem Sacramentalem legitimè impendendam non in cæteris omnibus. Idcircò vbi suspicabitur ex probabilibus coniecturis, pœnitentem fictum esse, nec quærere ex animo salutem animæ, ne properet in danda absolutione, sed neque etiam obiurget, accusetve Pœnitentem de fictione, vbi certus non est. Remittat ad aliquot dies, insinuetque sacrum tribunal à Christo institutum ad animæ miserias subleuandas, per absolutionem, quam paratus sit impendere, si sincerè petatur.

Verùm vt tota terra calamitatibus plena est, sæpius sincerè accedunt qui similia patiuntur, veréque absolutionem exposcunt, qui aut quæ inter confitendum huiusmodi miserias Confessario exponunt, qui exinde anxius est quidnam facto opus sit: timet enim ex vna parte, ne reus sit coram Deo, si non subueniat indigentiæ corporali, ex qua anima Sanguine Christi redempta, & omnibus mundi possessionibus præferenda, in peccatum, & interitum lapsura est: ex alia parte periculo non vacat, & maximè onerosum est Confessariis priuare se suis facultatibus, cùm ipsi non gaudeant fructibus pinguiorum beneficiorum, quæ tenentur ab Episcopis, aliisque qui tædio affecti laborum Confessionis, dispensationem thesauri spiritualis committunt mediocris fortunæ Sacerdotibus, thesauri alterius dispensatione sibi reseruata.

Primò Confessarius tales consolabitur in spe beatitudinis Christianorum quæ pro futurâ non pro præsenti vitâ est. Proponet exempla Martyrum qui magis arduis difficultatibus pressi restiterunt vsque ad sanguinem, malueruntque mille tormentis mori, quàm peccato consentire, & fidem verbulo vnico abnegare. Adiunget religionem non esse in causa calamitatum

tum huius vitæ quæ iis obnoxia est ab omni æuo, meritumque accrescere ex constanti durorum, & paupertatis perpessione. Nonnunquam etiam peracta Confessione aliquid erogabit valde indigentibus, & qui mendicare erubescunt, si videat eos non eâ intentione accessisse vt aliquid acciperent, ne det illis ansam ad reiterandas Confessiones easdem coram aliis, non sine Sacrilegio.

Poterit denique Confessarius sibi proponere quod post Hurtadum de Mendoza 2.2.*disp*.144.*sect*.3. docet Diana 5. *p.tract.* 13.*resolut*.24. quod nempè. Ea necessitas censenda est extrema, in qua quis teneatur cum vitæ periculo opem ferre alienæ saluti, cùm physicè est impossibilis alicui salus, nisi me illi opitulante: si verò ille suis viribus adiutus gratiâ Dei, possit salutem adipisci, quamuis difficillimè & ægrè, ille non est in extremâ necessitate opis alienæ & si pereat vitium est illius, sufficit illi gratia Dei quæ dat illi satis virium vt se eripiat ab interitu æterno, puta vt non sit hæreticus, non sit impudicus, non sit fur, aut homicida, aut sine Sacramentis viuat: quod intellige per se, & ex vi præcepti charitatis. Secùs autem dicendum cùm quis ex voto aut ex officio tenetur ad subueniendum aliis, vt sunt Episcopi, Curati, & beneficiati, qui omnes tenentur in qualibet graui necessitate populi, & suorum subditorum, illis subuenire etiam cum vitæ periculo, in spiritualibus. *Extrema necessitas.*

Addendum est istis quæ habet Corradus 1. *parte quæsito* 77. nos teneri impedire damnum spirituale proximi, quando ille ex malitiâ non peccat; sed ex ignorantiâ etiam crassâ & affectatâ, vel ex imbecillitate, & ex aliquâ magnâ alliciente occasione. Etsi opitulemur non ruit. Tria tamen obseruanda, 1. vt sciamus illud esse mortale, 2. impedire posse credamus, 3. seruetur loci, temporis & personæ congruitas. Si autem homo ex merâ malitiâ vult peccare sciens & volens: non est in extrema necessitate opis alienæ. Vt si quis dicat se furcâ suspensurum, nisi datem ducentos ducatos, non teneor dare. Et iniustum aggressorem potest quis occidere, etiamsi mori debeat in peccato.

Quæritur vigesimo tertiò. De quibus interrogandi sunt Pœnitentes circa quartum decalogi præceptum; Honora patrem, &c.

Respondetur interrogari posse an honorauerint quatuor genera personarum, 1. eos à quibus vitam ducunt seu mediatè, seu immediatè, 2. eos qui curam eorum salutis gerunt, quales sunt Episcopi, Curati, 3. eos qui temporale regimen

vt ſunt Reges, Principes, Magiſtratus; 4. eos qui erudiunt; vt ſunt præceptores & magiſtri.

Non eſt autem neceſsè ſemper requirere an actu poſitiuo eos honorauerint, ſed magis neceſſarium eſt inquirere, an aliquid commiſſum fuerit contra honorem eis debitum, ſeu deficiendo in reuerentia interiori, & exteriori pro loco & tempore. Seu ipſos odiendo vt imprecando illis graue aliquod malum. Seu verba grauia, & contumelioſa in ipſos iactando. Seu verberando: peccat enim mortaliter filius qui parentes verberat, quamuis leuis ſit percuſſio, aut etiam manum ſolam attollit cum minaci vultu: grauis enim eis infertur iniuria. Seu non ſubueniendo ipſis cùm in graui neceſſitate conſtituti ſunt. Denique reſiſtendo eorum mandatis in iis in quibus ipſis ſubditi ſunt. Quo titulo peccant filij ſi non vitant prauorum conſortia à quibus abſtinere iubet pater, item etiam ludos: ſubditus eſt enim patri filius in iis quæ ſpectant ad bonos mores quibus imbuere filium pater tenetur: ſubditus eſt etiam in iis quæ ſpectant ad rerum domeſticarum gubernationem, vt ſi nolit filius adiuuare patrem in officio, aut in arte quâ vitam toti familiæ lucratur, eſtque inobedientia in huiuſmodi peccatum mortale, ſi materia ſit grauis.

Quæritur vigeſimo-quartò. De quibus interrogandus ſit filius qui inuitis Patre & Matre vult nubere.

Conueniunt Theologi aliqua eſſe in quibus filius non tenetur obedire patri, qualia ſunt ea quæ ſpectant ad vitæ ſtatum in materia religionis, aut matrimonij. Si enim pater iubeat ſtatum religionis, poteſt filius velle nuptias; & ſi pater has iubeat, poteſt eligere ſtatum religionis.

Sed difficultas ſæpè occurrit, quia vult filius illam habere ſponſam quæ patri non placet, nec pater impedit abſolutè Matrimonium, ſed tantùm cum hac aut illa. Quæritur quid exquiret Confeſſor in eo, qui paratus eſt ita contrahere Matrimonium, inuito patre. Reſpondetur autem primò interrogandum eſſe filium, an pater aliquâ rationabili causâ moueatur. Secundò, an ipſe filius habeat etiam rationabilem aliquam cauſam cur in hanc potiùs quàm in illam propendet. Tertiò, an illa, quam vult ducere, digna ſit, vel indigna, habita ratione familiæ. Si enim Pater velit, propter aliquam cauſam neceſſariam vt filius hanc ducat, puta vt ex tali Matrimonio lites, & inimicitiæ ſopiantur, quia multum intereſt vt bona eius conſeruentur, tenetur obedire Patri Filius, niſi ipſe aliundè iuſtas cauſas haberet. Quòd ſi pater non habeat neceſſarias cauſas, habeat autem filius, vt putà quia promiſit ſub iuramento,

to, quia forsan rem habuit cum illâ, aut ita familiariter est conuersatus, vt exindè scandalum mulieri crearetur, si cum ea non nubat, aut quia maximo aliquo beneficio ab ea deuinctus est, aut quia auersionem maximam patitur à quacumque aliâ, vt maximè diffidat se posse pacificè vitam cum vllâ aliâ transigere, in his & similibus casibus si non sit indigna mulier, sed æquè digna ac alia, potest Filius in foro interiore eam ducere, inuito Patre, & non acquiescente Filij precibus vt velit consentire. Quod etiam dici potest de muliere etiam ante expletum vigesimum quintum ætatis annum.

Nec tunc poterit pater in foro interiori exhæredare Filium aut Filiam: vt enim optimè dicit Valerus, verbo *Matrimonium* differentia 1: est enim durum & graue nimis vt filiæ per totum vitæ decursum fame excrucientur, eo quod sine Patris consensu maritos accipiant, etiam sibi aptos, & suis conditionibus conuenientes. Satius quippe videtur & congruentius: vt ipsæ Filiæ eos eligant, quos per totam vitam indissolubiliter socios habere debent, quàm parentes earum, cùm propter dictos coniuges Patrem & Matrem relinquere iubeantur. *Genes.* 2. & sæpe Patres magis mouentur passione quàm ratione in talibus exhæredationibus: estque valde durum obligare generos ad lites suscipiendas cum heredibus parentum. Addit. Parcendum est fragilitati earum: & potius permitti & tolerari debet iniuria, quæ parentibus fit, quàm vt libertas Matrimonij impediatur. Ex quibus coniicias posse Confessarium huiusmodi filios & filias ponderatis rationibus absoluere; inducere tamen debet, vt conentur cum omni humilitate & reuerentiâ parentum consensum obtinere, atque etiam vt aliquamdiu differant, quò possint maturiùs rem tanti momenti perpendere, ne quandoquè doleant de præcipiti consilio. Vt etiam sibi prouideant contra forum exterius, quo impediri posset optatus nuptiarum exitus, non enim semper conueniunt forum ciuile, & spirituale.

Porrò dubitatum est, an cum pater prohibuit certas quasdam nuptias filio sub interminatione maledictionis, an liceat filio, postquam pater mortuus est, tales nuptias contrahere. Visúmque est viris doctis, filium liberum esse ab obedientiâ patris mortui, posséque illas contrahere, si commodæ appareant. Sic mulier soluta est à lege viri, si mortuus fuerit vir eius.

Quaritur vigesimo-quinto, an filius interrogandus sit, num pro patre defuncto orauerit, missas celebrari fecerit, aliáque subsidia spiritualia ei procurauerit, vt citiùs anima eius à pœnis purgatorij liberaretur.

In hac quæstione supponendum est patrem ex hac vitâ decessisse sine testamento; nam si in testamento mandasset pro se orari, & missas celebrari, aut alia pietatis opera exerceri, teneretur filius heres bonorum illius, vltimam voluntatem executioni demandare. Nec hoc reuocari potest in dubium: difficultas ergo tantum est cùm filius succedit bonis patris sui, qui nihil mandauit pro salute animæ suæ. Est autem resolutio Caroli de Baucio Pœnit. Neapolitani in *Miscellaneis q.*14. ad id non teneri filium; quandoquidem non tenetur ipse magis consulere animæ patris, quàm ipsemet pater. Refertque ibidem duas opiniones, vnam Azorij tom.2. l.2. c. 3. Iure pietatis teneri filium ad suffragia impendenda animæ patris, cùm primùm commodè potest, sed non cum notabili detrimento suorum bonorum: Alteram Ioannis Sanchez *in selectis disp.* 4. *num.* 6. docentis id esse de consilio, & non de præcepto. Ratio est, quia pater iustè detinetur in purgatorio: vndè sicut non tenetur quis iustè damnatum ad mortem pecuniâ redimere, vt docet Sà verbo *Charitas*, ita dicendum est de eo qui iustè detinetur in purgatorio.

Verum contra hanc resolutionem obiici potest, ingratitudinem esse peccatum graue, hìc autem inueniri notabilem in filio ingratitudinem erga patrem, à quo cùm vitam & omnia bona sua hauserit, nihil tamen de eo solicitus est, dùm forsan grauissimè torquetur. Accedit quòd legibus humanis vna ex legitimis rationibus exheredandi filium est, si patrem in carcere detentum neglexerit, eúmque indè eripere pro facultatibus suis non tentauerit. Certè D. Thomas 2. 2. *q.* 107. *Art.* 1. asserit ingratitudinem peccatum esse, quia repugnat cuidam debito honestatis, quam virtus requirit. Et artic.2. asserit esse speciale peccatum, sicut gratitudo est specialis virtus quæ habet diuersos gradus: 1. est quod homo acceptum beneficium recognoscat: 2. est quòd laudet & gratias agat: 3. est quòd retribuat pro loco & tempore secundum suam facultatem: sed quia quod est vltimum in generatione, est primum in resolutione: ideò primus ingratitudinis gradus est, vt homo beneficium non retribuat. Secundus est, vt dissimulet, quasi non demonstrans se beneficium accepisse. Tertius & grauissimus est, quòd non recognoscat, siue per obliuionem, siue quocunque alio modo. Art. autem 3. ait ingratitudinem per solam

Ingratitudo.

omissio

omissionem alicuius ex tribus gradibus gratitudinis esse peccatum veniale, quia hoc prouenit ex negligentiâ quadam, aut ex aliquâ indispositione hominis ad veritatem. Potest autem contingere, quod etiam talis ingratitudo sit peccatum mortale: vel propter interiorem contemptum, vel etiam propter conditionem eius quod subtrahitur, quod ex necessitate debetur benefactori, siue simpliciter, siue in aliquo necessitatis casu. Alio etiam modo asserit dici aliquem ingratum, qui contrarium agit gratitudinis debito, quod appellari potest ingratitudo per commissionem, quæ est peccatum mortale vel veniale, secundùm conditionem eius quod agitur. Ex quâ Doctrinâ D. Thomæ satis manifestè colligi potest filium præfatum ingratum esse per omissionem, & non retribuere patri benefico in maximæ necessitatis casu quæ illi debentur suffragia, scilicet spiritualia. Vnde & concludi posse videtur peccatum eius esse mortale.

Verumtamen doctrinam hanc D. Thomæ euertit Hieronymus ab Hangesto *in moralibus* capitulo octauo. Ista duo, inquit, non cohærent, scilicet moralis honestatis debitum & esse sub peccato obligationem, nam præcisè debitum moralis honestatis est debitum consilij atque congruentiæ, & constat ad solius consilij opus non esse obligationem sub peccato. Inualida est etiam eius ratio dicentis, omnem ingratitudinem peccatum esse, quia repugnat virtuti: constat enim consilij omissionem repugnare obseruentiæ consilij, quæ tamen non est peccatum: sic pariter quòd beneficij suscepti retributio sit virtus, non sequitur omissionem eius esse peccatum. Non tenetur enim quisquam meliori modo operari quo potest. Præterea nemo deberet ab alio beneficium accipere. Patet. Non prodesset, sed potiùs obesset; nam æquiualens aut maius retribuere obligaretur, & peccato se exponeret, quod deterius est quàm bonum sit beneficium. Ampliùs deterius atque magis onerosum esset alicui suscipere rem dono, quàm contractu obligatorio, prout mutuo vel huiusmodi; nam in mutuo sufficit æquiualens reddere, & in dono secundùm Thomam oportet maius retribuere. Insuper *ad Roman. vndecimo. Iam gratia, non est gratia*, scilicet tribuendo cum debito reddendi æquiualens, non enim mereretur doni nomen, sed potiùs mutui. Ex quibus omnibus concludit meram ingratitudinem omissiuam non esse peccatum. Et quamuis offensa in benefactorem commissâ ingratitudine aggrauetur; non tamen omne quod culpam aggrauat, est peccatum; prout patet in scientiâ, eminentiâ status & aliis. Etsi omnis offensa in benefactorem appel-

letur ingratitudinis peccatum, est, quia per ingratitudinem aggrauatur.

Ex quibus colligere peruium est, omissionem illam in filio qui nullis spiritualibus suffragiis patrem defunctum adiuuat, cùm sit ingratitudo purè omissiua non commissiua, non esse peccatum. Quòd confirmatur ex dictis Couarruuiæ l. 2. *var. resolut. c.* 16. adiuuandus, inquit, constitutus in paupertate, etiamsi luxuriâ prauisque moribus in paupertatem inciderit. Non tamen possum mihi persuadere res Ecclesiæ alienare ad soluendam pœnam ipsorum delinquentium, vt à carceribus quibus iustè opprimuntur, liberentur & redimantur. Hæc etenim punitio iusta est, & reipublicæ conueniens. Nec contrarium alicubi in iure, ni fallor, vrgenter, & verè probabitur. Confirmatur etiam ex ratione quam affert Emanuel Sà, verbo *charitas*, cur peccatum non sit aliquem ad mortem iuste damnatum pecuniâ redimere. Ratio est enim, vt ait, quia nec ipse damnatus tenetur seipsum redimere pecuniâ: at defunctus ille non tenebatur sub peccato mortali, ita viuere, & tot opera satisfactoria producere, vt eximeret se à pœnis Purgatorij; cur igitur filius maiori obligatione teneretur ad redimendum patrem à Purgatorio, quàm ipsemet tenebatur dum viueret ab eodem se præseruare.

Exemplum. Hoc bellè præsentiebat minor ex tribus filiis, quorum duo priores, vt refert Erolstius dictus vulgò Discipulus, *in Promptuario exemplorum*, patri in extremis agenti, & ab eis petenti, quid post mortem darent pro anima eius, cùm ipse multas eis possessiones relinqueret, metueréque ne Purgatorij grauissimas pœnas subiret, quòd multa pauperibus non erogasset; duo, inquam, priores multas missas pro eo celebrandas largasque eleemosynas pro eo distribuendas pollicebantur, Sed tertius minor subrisit: pater, inquit, ne denarium vnum me pro te daturum promitto. Quare maledictis à Patre impetitus est. Cui ille respondit. Dum viuis, Pater, bona tua pro salute tua distribue. Nec committas mihi, nec aliis fratribus meis; possessores enim rerum tuarum facti, quomodo te iuuabimus, cùm tu amore nostri te iuuare nolis? vtilitatem enim suam vnusquisque nostrûm plus quàm te diliget, & de te amplius parùm curabit, nec sollicitus erit. Filium sic loquentem pater osculatus est, & auditâ veritate, mutatóque consilio, cœpit ipsemet pro salute propriâ diuitias pauperibus erogare. Denique nulla hîc lex aut præceptum occurrit, cuius transgressio peccatum mortale efficiat. Etsi enim dicat Scriptura *l. 2. Machab.* Sanctam & salutarem esse cogitationem pro mortuis

mortuis exorare vt à peccatis soluantur, eâ tamen de re præceptum non facit ad mortale obligans. Quare præualet illa sententia, quæ in præsuppositâ hypothesi eximit filium à peccato mortali, & consequenter Confessarium à non necessariâ discussione huius puncti. Fatendum tamen est, talem filium habere animam valdè stupidam,& nonnisi de rebus fidei mediocriter sentientem.

Iuuat autem quoniam post hæc scripta selectæ disputationes prædicti Ioannis Sanchez Doctoris Theologi Hispani satis diu à nobis quæsitæ in manus nostras inciderunt, aliqua eius verba hìc attexere. Dicetur aliquis, inquit, quamuis diuitem teneri me elargiri centum aut minus ducatorum eleemosynarum ob liberandum damnatum ad suspendium ob eius mala facinora, aut triremes? quem respublica non tenetur liberare, imò punire; Tenebor ego? absit, iustè patitur; iustam verò mortem proximi impedire nullatenùs teneor, quod expresse docet Malder. *de virt. tract.3. c.1. dub.15.* Nauarrus in c. *Non inferenda* 23. q.3. num. 24. Sà, verbo *charitas* num.6. Sic licet Pater meus in Purgatorio detineatur, & possim illum meis precibus, aut eleemosynis iuuare, ad id nequaquam ex præcepto tenebor, cùm iustè ibi patiatur. Æquum tamen & sanctissimum, & maximè pium erit, omnibúsque filiis consulendum, pro parentibus defunctis orare: erudiantur nihilominùs Pœnitentes à Pœnitentiariis, quòd, si id omiserint, labe non inquinabuntur, ne ex conscientiâ erroneâ ibi incidant & labantur, vbi fouea non est.

Eadem est mens Thomæ Sanchez *consiliorum* l. 4. cap. 1. dub. 27. idque extendit ad omnes heredes venientes ab intestato,quia eorum sunt omnia bona defuncti. Tenentur tamen tantum pro animâ defuncti expendere, quantum decet,attentâ qualitate personæ & bonorum, iuxta morem consuetum regionis.

Quæritur vigesimo-sextò, quid examinabit Confessarius super quinto præcepto. Non occides.

Debet Confessarius examinare pœnitentem de actu interno odij quo optauerit mortem, aut vulnera proximo. Si inimicitias habuerit, & quàm diuturnas,& quod indè scandalum ortum sit;si habuerit cogitationes morosas de vindictâ exercendâ, & si de facto aliquem læserit aut occiderit, túncque diligenter debet inquirere modum, & causam huiusce percussionis,mutilationis aut occisionis, vt videat quodnam peccatum commissum tunc fuerit. Qui enim aliquem sui aggressorem mutilat aut occidit, ob moderamen inculpatæ tutel-

id eſt, cùm non ſuppeteret illi alia via ad ſui conſeruationem, quàm occidendo aut mutilando, non peccat; quia vim vi repellere licet, ſiue ad defenſionem vitæ, ſiue ad defenſionem facultatum, ſine quibus vita nonniſi difficillimè conſeruatur; ſiue etiam id fiat ad defenſionem vitæ, & facultatum proximi innocentis, quia licet cooperati bono, & ſuſcipere partem innocentis.

Dices, anima inuaſoris perire debet: ordine autem charitatis vita ſpiritualis proximi eſt præferenda noſtræ vitæ corporali. Reſpondetur, ita eſſe cùm vita noſtra corporalis neceſſaria eſt ad ſeruandam vitam ſpiritualem proximi: at hîc non eſt neceſſaria; culpâ enim ſuâ inuadit.

Aliquæ autem conditiones requiruntur, vt illa occiſio licita ſit. Prima, vt aggreſſor iniuſtè aggrediatur. Secunda, vt fiat in ipſo actu aggreſſionis, non ante præueniendo aggreſſorem, qui nondum actu ad inuadendum ſe accingit, nec pòſt ſi aggreſſor fugam arripit, quia eſſet vltio. Tertia eſt, vt inuaſus credat ſe grauiter lædendum, vel occidendum, vel graue aliquod damnum paſſurum, niſi aggreſſorem occidat: ſi enim tantum leue aliquod damnum illi euenturum eſt, debet potiùs pati quàm interficere, vel mutilare. Quod ſi deſit aliqua ex his conditionibus, reus eſt qui occidit, aut mutilauit, tenetúrque de damno quod intulit mutilato, vel proximis in primo gradu parentibus occiſi: quare Confeſſarius debet interrogare de ſtatu, & conditione occiſi, & an labore ſuo vel induſtriâ proximis propinquis aliquid emolumenti conferebat, vt obliget ad ſatisfactionem intereſſe ciuilis, vt vocant: quod ſi nihil emolumenti afferebat, non tenetur occiſor in foro interiori ad vllam ſatisfactionem.

Quæritur vigeſimo-ſeptimò, à pugnante in duello, quid reſciet Confeſſarius.

Supponendum eſt, duellum eſſe pugnam inter duos vel inter paucos ex vtraque parte cum aſſignatione certi loci & temporis. Tantúmque huiuſmodi pugna ſubiicitur pœnis canonicis, ac reſeruata eſt ad Epiſcopos pro abſolutione conſequendâ; & ſi aliunde forſan non eſſet immunis ab omni peccato, nec à ſeueritate legum ciuilium. Talis fuit Scandebergi Epirotæ qui vix natus annos XVIII. nudus cum nudo Scytha in Aſia duellum habuit & vicit, deinde cum duobus ex Perſide ſimul iunctis, verè Hercules contra duos, quamuis autem ſit illicitum duellum & iure diuino, & iure Eccleſiaſtico, grauiùs tamen in illo peccatur à quibuſdam quàm ab aliis. Nam grauiùs peccat aggreſſor propter ſcandalum quod infert proximo, cuî

cui præbet occasionem ruinæ, & corporis & animæ. Grauiùs etiam peccat, qui plures patrinos, vt vocant, seu secundos ad pugnam illam cruentam, & ferocem ducit, propter eandem rationem. Grauiùs quoque peccat qui ob leuissimam causam alium prouocat, & qui oblatâ sibi vel mediocri satisfactione, & vtcumque honestâ, licet non esset ad summos iuris apices, noluit acquiescere: ista enim produnt animum magis ferocem, & vindictæ sitientissimum.

Hæc igitur disquiret Confessarius, & si alter pugnantium occisus sit, non debet obligare occisorem ad satisfactionem interesse ciuilis, quia pugnantes in duello cum assignatione loci præfixi & temporis, censentur sibi inuicem & mortem propriam condonare, & liberare se mutuò ab omni obligatione satisfactionis, quæ propter mortem deberetur.

Debet etiam interrogare Confessarius prouocatum, cùm mors sequuta non est, de iniuria quam prouocanti intulerat, quia ordinariè non prouocatur aliquis, quin præsupponatur aliqua iniuria, vel offensa ex eius parte, & quonam modo prouocatus est, si videlicet cùm iter ageret, aut alicubi degeret, ita ab aduersario ad duellum prouocante præoccupatus est, vt mortem euadere non posset, quin duellum acceptaret: in illo enim casu potuit pugnare ob defensionem vitæ, atque etiam arma expetere, si inermis esset, vt existimat Nauarrus in *Manuali* cap. 15. & Bonacina *de restitutione in particulari* qu. vlt. punct. 9.

Proderit etiam interrogare, an duellum opere consummatum fuerit, ita vt prouocans & prouocatus in loco certaminis districtis gladiis sese inuicem ferire nisi fuerint. Quod si ab amicis impediti fuerint, vel inspirante Deo statim ad inuicem reconcilari fuerint; etiamsi iam enses distrinxissent aut nudassent pectora; non incurrunt excommunicationem, nec peccatum eorum licet grauissimum reseruatum est: quia non est opus ad Pœnitentiarum, aut Episcopum remittere.

Quid si vir nobilis ad vitandum nomen timidi & ne sit inglorius prouocatus ad duellum ad campum pergit sine intentione pugnandi, nisi eum prouocans aggrediatur prior, tunc enim pugnare intendit titulo defensionis inculpatæ contra iniustum aggressorem. Hoc licitum esse multis defendit Hurtadus de Mendoza 2. 2. *disp*. 170. *sect*. 13. §. 106. tanquam speculatiuè probabile, in praxi tamen difficile, apud Dianam *part*. 5. *tract*. 14 *resolut*. 99. non videtur tamen id posse excusari, quia moraliter rem ipsam considerando prouocatus coniiciet seipsum in gladium prouocantis. Magis tolerari posset, si prouocatus

uocatus ſine animo pugnandi præſentem ſe exhiberet in loco ad duellum aſſignato, certior factus antea pugnam per amicos impediendam omninò fore, quamuis nec iſta ſimulatio omni culpâ vacet ac ſcandalo.

Demùm prudenter & ſobriè debet interrogare duelliſtas de propoſito in futurum non pugnandi, ſine quo fruſtrà abſoluerentur; ſacerdote enim verba abſolutionis proferente, Deus condemnaret, ſi deeſſet huiuſmodi propoſitum. Sed periculum eſt nobiles Gallos, eoſque iuniores, qui præ animi inſania maximè pugnaces ſunt, & in duellum procliuiores, nimis in particulari de tali propoſito diuexare. Ad mentem eorum loquor; tale enim examen illis tormentum eſt. Iudicio ergo prudentum, ſufficit magis in genere exquirere ab eis, cùm increpati fuerint de hoc peccato, & de periculo cui ſeſe expoſuerunt perdendi corpus, & animum in gehennam, an in poſterum proponant, vel animam habeant abſtinendi ab huiuſmodi furore & inſaniâ non deſcendendo nimis ad particulares caſus, v. g. Dicendo illis ſi iterum talis occaſio ſe offerret & iſte Marchio, vel Comes te ad duellum tali modo prouocaret, an proponis te recuſaturum, iſte enim modus interrogationis non eſt neceſſarius, & tentat animos infirmos qui forſan in iſta tentatione non acquieſcerent. Itaque quemadmodum in materia venereâ qui proponit emendationem, non debet ſibi ob oculos ponere occaſiones omnes particulares, quibus peccare poſſit, vt eis obnitatur ex animo, quia periculoſæ ſunt iſtæ repræſentationes, ſufficit, quòd in genere intendat fugere quidquid in iſtâ materiâ ſciet diſplicere Deo. Idem dicendum videtur de duello in materia præſenti. Non enim minùs difficile eſt homini reſiſtere malæ amicitiæ, quæ eſt ad carnem, quã malæ inimicitiæ quæ eſt contra inimicos, vt de prima dicebat D. Paulus, *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Sic de ſecundâ idem ferè dicere poteſt nobilis cui eſt iniuria illata, vel qui prouocatur ad duellum, ſentio aliam legem in mundo repugnantem legi mentis meæ. Hæc eſt lex vindictæ, quæ multos violentiſſimè detinet, & ad inferos detrudit, cum nihil magis legi repugnet Chriſtianæ. Contra quam etiam rei ſunt in hac parte, qui pugnantes in duello laudant tanquam magnanimos, eorúmque pugnis tanquam fauentes aſſiſtunt.

Hoc autem debet obſeruare Sacerdos, vt ſi pugnans in duello in ipſo loco certaminis expirauerit, etſi pœnitens ac abſolutus, tamen ſepultura Eccleſiaſtica priuandus eſt: aliter verò ſi elatus extra locum illum pœnitentiam egerit, tunc enim poterit in loco ſacro ſepeliri.

Cæterum si ægrè proponat emendationem pœnitens ob metum dedecoris apud curiales. Opponat Confessarius quæ tam loquenter disserit Ludouicus Cresolius *Antologia.* tom. 2. sect. 13. In hoc fœdo & detestabili negotio nullam esse honestatem, quæ ad fortitudinis laudem requiritur. Cùm honesti luce decorari nihil possit, quod sit iustitiæ, prudentiæ, charitati aduersum, & ab omni virtute alienum. Vt vix esse videatur vllus, si modò sanum & rectum iudicium sequitur, qui non potiùs damnet, atque vt rem nefariam, & communi rei pestilentem, exquisitis & meritis pœnis castigandam opinetur.

Fingamus enim adesse Concilium vniuersitatis, & supra quidem argentea in nube considera Deum, cum felicium Angelorum choro; & præcipuis beatorum quos iam vita immortalis excepit. Adesse deindè velut in campo veritatis, hinc quidem Pontificum ordinem, oraculorum cœlestium custodem, cum Theologis, iudicio & cognitione longe clarissimis: Inde verò potentissimos Imperatores, Reges, Principes, & delectos nobilium greges, quibus cara sit virtus, & Magistratus, legum & politicæ tutores, cum Iurisperitorum cohorte: circunfusam deinde multitudinem omnium hominum, qui perturbatione liberi, & sequentes ductum rationis, iudicium ferre possint, rogemus ordines omnes, quid sentiant. Pronuntiabit principes Deus, nihil magis esse naturæ diuinæ odiosum, quam odium proximi, quam feritatem, immanitatémque audacium homuncionum, cùm Deus charitas sit, bonitásque immensa & proindè trucem eorum hominum insaniam, qui nulla causâ obtruncare se cupiunt, sibi vehementer displicere quam sit in omnem æternitatem puniturus. Quod Angeli diuinæ iustitiæ ministri, & beati omnes communi voce comprobabunt. Interrogentur Pontifices, qui diuiniùs scientiæ claues obtinent, & arcana sapientiæ, vt promi-condi gratiosi mundo suppeditant. Respondebunt, illud scelus humanitatem christianam maximè dedecere, & proinde Pontificum sapientissimorum bullis fuisse prouisum, vt omni ratione vitaretur, cum fulminent ea causa & duellum è moribus exterminatum cupiant. Quod eorum iudicium Theologi omnes admittunt. Adeantur reges orbis terræ, potentissique Dynastæ. Seuerissimas dicent à se leges, & edicta fuisse proposita, quibus vecordiam illam furentium comprimerent, vt Reipublicæ & bonis moribus perniciosam. Atque in eo ipso consultissimi iuris, & scriptores Annalium consentiunt. Si deindè prudentes viri atque honorati, quorum est acerrimum iudicium, & longa

Concilium vniuersi contra duellum,

longa experientia , interrogentur , omnes ſine exceptione reſpondebunt , indignum eſſe facinus , & abolendum , nec permitti vlla ratione oportere.

Quinam igitur erunt in cœlo aut in terra, atque in mortalium genere, qui duelli æſtro percitos , vt fortes & generoſos laude celebrabunt, & honeſtam eſſe dicent eorum inſaniam? quidam forte leuiculi iuuenes, inconſiderati, atque improbi reperientur, qui eodem ore atque impudentia , quâ res ſanctiſſimas irrident,& libidinibus applaudunt,& quorum impiæ voluntates à Satana veneno inficiuntur , & mentes inobſcurantur,nocenti conſilio & improbiſſima temeritate,ad mutuam cædem excitabunt , & id indignum eſſe viro dicent,pati iniuriam : Ignominia plenos futuros, atque à numero excellentium virorum cum infamia deiiciendos, ſi prouocati certamen defugerint. Eiuſmodi linguis abutitur malus Dæmon, vt peropportuno inſtrumento ad furorem incendendum , vt Dei metum obliterent, opprimant conſcientiam, ſcelus atrox & importunum augeant in æternum malum viui & videntes ſe præcipitent. Horum igitur malitioſa leuitas , errorque ſceleratus , plus habebit ponderis ad animos permouendos, quàm Dei iuſſa , quàm Eccleſiæ decreta , quam edicta atque leges Imperatorum , & potentium dominorum , quàm Theologorum & omnium ſapientum voces , quàm commune terræ cælique iudicium,qui duellum vt maximum maleficium damnant, & ſempiternas illi pœnas irrogandas aiunt: inſolentium illorum cauſa , qui nihil penſi habent benè an malè moriaris,te perditum ibis , conſcientiam macularis tuam , ſalutem abiicies , Deo & cœlo abrenuntiabis , ſtolido conſilio te in æternos ignes coniicies ? quæ maior hominum inſania dici aut cogitari poteſt ? non eſt igitur contentio illa pugnantium fortitudo , ſed furor , non laudata virtus , ſed apex improbitatis.

Quæritur vigeſimo-octauò,quid expendere debeat Confeſſarius,cùm mulier prægnans in morbo pharmacum fœtui periculoſum ſumptura eſt.

Nec leuis eſt iſta difficultas, cùm in hoc caſu mulier timens Deum dubitat pharmacum ſumere , inconſulto , & non conſentiente Confeſſario.

Tria tunc expender Confeſſarius.1.an fœtus ſit animatus vel inanimatus ; regulariter autem cenſeri poteſt animatus poſt quadrageſimum , diem à conceptione , quia quamuis fœtus ex quo fœminæ progignuntur, non ſit animatus, niſi poſt dies octoginta ? propter incertitudinem tamen ſexus naſcituri

poſt

post quadragesimum haberi potest pro animato. Expendet secundò, an pharmacum sit directè sanatiuum ægritudinis quam patitur mulier licet ex accidenti fœtum debeat expellere, an expulsiuum fœtus. Tertiò expendet si spes aliqua affulgeat quòd partus edendus sit viuus, si adhibeatur remedium istud sanatiuum matris, an nulla spes sit, quòd viuus edendus sit partus. Quibus ponderatis, si nondum fœtus sit animatus, permittet mulieri pharmacum sumere, quia vtitur iure suo mulier, vtens medicamento sanatiuo, & ordinario, licet per accidens indè sequatur expulsio fœtus. Sed si fœtus sit animatus, non poterit mulieri permittere, vt vtatur tali pharmaco, quia partus est in extremâ salutis necessitate, quam mulier præferre debet incolumitati proprij corporis, potiúsque tenetur mortem subire, quàm pati vt infans corpore, & animâ moriatur.

Sunt tamen auctores, qui putant mulierem, etiam si fœtus sit animatus, posse vti remedio illo sanatiuo, quod directè non est expulsiuum fœtus; sicut etiam quando nulla est spes quòd viuus edendus sit partus, poterit mulier ægra pharmacum sumere, quo possit ex morbo conualescere, quamuis inde perimendus sit partus ex accidenti, qui nihilominùs periret. Attamen valdè difficile est iudicare an certò moriturus sit infans in vtero matris. Ideoque hìc sunt vndiquè angustiæ pro Sacerdote, pro muliere, pro infante.

Non tanta est difficultas cùm petit puella prægnans, vel mulier quæ absente viro concepit ex adulterio, num ad saluandum honorem possit procurare aborsum fœtus informis & nondum animati. Constantissimè enim respondendum est non licere. Iuxta verba Tertulliani in Apologetico cap. 9. *Nobis verò*, inquit, *homicidio semel interdicto, etiam conceptum vtero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissoluere non licet. Homicidij festinatio est prohibere nasci. Nec refert natam quis eripiat animam, an nascituram disturpet: homo est & qui est futurus & fructus hominis iam in semine est.* Adde quod cùm tale pharmacum sit per se expulsiuum fœtus, peccatum est illud adhibere: *non sunt* autem *facienda mala*, inquit, ad Rom. 1. Apostolus, *vt eueniant bona*, & fama conseruetur, præsertim, cùm illam amittere mereatur talis puella, aut mulier; vndè nec æquum est, vt propter illam seruandum damnum tam notabile inferat proli quæ est in fieri, & nascitura esset.

Quod si dicatur tanti pendendam esse famam honestæ mulieris, quanti vitam, ob cuius conseruationem, licet remedio

ſanatiuo expellere fœtum informem, & poſſit fieri vt etiam mulier ægra vitâ ſit indigna ob iniquitates ſuas, ſicut alia famâ dicitur indigna ob fornicationem aut adulterium. Reſpondendum eſt, adhuc eſſe diſcrimen, quòd vita ſemel amiſſa recuperari non poteſt; at poteſt fama reparari vel multitudine bonorum operum, vel obliuione; vt multi exiſtiment multò deteriorem eſſe vitæ amiſſionem quàm famæ, quâ nihil eſt leuius. Quid quòd mulier talis domina eſt ſuæ famæ, vt putant multi; non eſt autem domina vitæ alterius, magiſque Deo placet amiſſio famæ illius, quam vitæ fœtus extinctio: multò igitur æquius, vt in peccati pœnam amittat famam quæ ſua eſt, quam vt illam conſeruet cum diſpendio vitæ innocentis, cuius occiſio plus Deo diſplicet, quàm quælibet peccatricis fama leuiſſima.

Quæritur vigeſimo-nonò, quid inquiret Confeſſarius ab iis quos ſuſpicatur ſcandalum proximo dediſſe.

Contra quintum præceptum non occidendi; rei ſunt ij qui mortem proximo inferunt corporali longè grauiorem, ſcilicet mortem animæ, inducendo ad peccatum mortale directè, vel indirectè eum qui paratus non erat. Vocatúrque iſtud peccatum, ſcandalum, quod eſt dictum vel factum præbens alteri occaſionem ruinæ.

Poterit ergo diſcutere Confeſſarius, an Pœnitens alicui dederit conſilium peccandi, eſtque neceſſe tunc diſcutere ſpeciem peccati ad quod conſilio ſuo aliquem induxit, vel aliquos, ſi plures fuerint; quia peccatum malè conſulentis ſpecificatur ab obiecto, ſeu à peccato quod conſulitur, eſtque modò grauius, modò leuius, ratione mali ad quod inducit.

Continet autem malum conſilium duplicem malitiam, vnam contra charitatem proximi, quem ad peccatum prouocat, alterum contra virtutem, cui ſpecialiter opponitur peccatum quod conſulitur; vndè fit, vt conſulens ſæpè magis peccet quàm is qui exequitur conſilium, hic enim vnâ ſpecie peccati peccat, ille duplex peccatum admittit, tenetúrque de damno quod proximo illatum eſt, virtute mali conſilij.

Poterit etiam inquirere Confeſſarius an Pœnitens aliqua dixerit aut fecerit directè, vt pertraheret proximum ad peccatum, ſeu intenderit ruinam eius ſpiritualem (quod rarò accidit) ob aliquam vtilitatem, quam proximi lapſu ſperabat. Quod ſi nihil huiuſmodi admiſſum ſit, an ſaltem aliquid dixerit vel fecerit quo indirectè impelleretur proximus ad peccatum: ſic qui loquitur de rebus turpibus coràm multis, qui inde mouentur ad deſideria illicita, aut ad cogitationes moroſas,

&

& si expresè id non intendat qui ita loquitur, interrogandus est de numero personarum quæ audierunt & de eorum statu & conditione, vt putant nonnulli; qui grauiter inuehuntur in Confessarios qui de his non interrogant. Magis tamen arridet sententia Cardinalis de Lugo *de Pœnit. disp.* 16. *sect.* 4. §. 3. qui sublatâ directâ intentione inducendi proximum in peccatum, probabiliter censet sufficere confiteri circumstantiam scandali, non verò speciem peccati ad quod inducitur nostro dicto vel facto, quia scilicet ex solâ charitate obligamur ad impediendum ne dicta nostra, vel facta sint aliis occasio ruinæ: quare Apostolus eos qui manducando idolis oblata, alios ad idololatriam prouocabant, non reprehendit, vt idololatras, sed tantùm quod contra charitatem proximo debitam peccarent, ad Rom. 14. *Si enim propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundùm charitatem ambulas*, & 1. Cor. 18. *Vide autem ne fortè hæc licentia vestra scandalum fit infirmis, &c.*

De numero autem & qualitate personarum interrogare videtur res difficillima: non enim omnes inducuntur propter aliqua verba turpia ad peccatum, nec careret peccato iudicij temerarij quid id crederet: ij etiam qui talia verba proferunt, sæpiùs tam praui sunt vt eorum exemplum parùm mouere soleat, & auditores aliquandò tam faciles ad peccatum ex propriâ malitiâ, vt ex hoc inducti non debeant censeri. Quare probabile est debere Confessario sufficere, quod coràm multis, quibus scandalum procurare potuerit, verba impudica protulisse sese accuset Pœnitens, & de vicibus quibus id illi euenerit, nec debet esse anxius de numero auditorum, & an fuerint inter illos tot Sacerdotes, tot Maritatæ, tot Virgines, & alia huiusmodi.

Quæritur trigesimò, quid discutiet Confessarius in puellâ aut muliere quæ ornatu suo comp·iori veretur, ne proximo dederit occasionem ruinæ spiritualis, seu peccati mortalis.

Verè dictum est à D. Cypriano in l. de spectaculis; *Nam cum mens hominis ad vitia ipsa ducatur, sibi quid faciet, si habuerit exempla naturæ corporis lubrica? Quæ sponte corruit, quid faciet si fuerit impulsa?* Hinc scilicet frequentes lapsus proueniunt, quòd puellæ & mulieres in laqueum, & in muscipulam sint pedibus insipientium, à quibus facilè nimis concupiscuntur ad opus prohibitum.

Primò verò poterit exquirere Confessarius an præter consuetudinem se mulier ornauerit, & si ad amorem sui hominem pellicere conata sit: nam si ista non inueniantur, non erit præ-

cipiti animo vt rea peccari & spiritualis proximi habenda; qui eam malè deperierit. Fauer D. Ambrosius Epistolâ ad Constantium fratrem lib. 3. Epist. *Nihil enim ad nos sit petulantibus oculis, aut ætas expetitur, aut pulchritudo: ars desit, nullum est crimen decoris: illecebra facessat, inoffensa est species & forma & gratia.* Quare talis mulier poterit domo exire ad audiendum Sacrum: etiamsi sciat se fore alicui etiam huic & illi occasionem peccati, poterit etiam exire ad negotia peragenda; seu etiam honestæ recreationis gratiâ, modò non intendat aliquem in sui concupiscentiam allicere, nihilque mali præ se ferat in habitu, in nutibus, in incessu, in aspectu.

Nec iuuat quicquam obiicere mulierem teneri ad non exeundum, si ex eius egressu mors alicui immineret, quia in casu mortis corporalis proximus est innocens, patiturque inuitus, ideò æquum est vt mulier illi succurrat non exeundo: in casu verò mortis spiritualis, perit sciens ac volens, ideóque mulier non tenetur domi manere & iure exeundi se priuare. Aliqui tamen probabiliter illud limitant ad casum in quo proximus ex malitiâ, illam adamaret turpiter: nam si ex ignorantiâ vel infirmitate adamaret, teneretur se domi continere, nisi vrgeretur præcepto exeundi, vt audiret sacrum in die festo. Estque Becani sententia tract. *de fide, spe & charitate* cap. 27. q. vlt. Sed hæc opinio rem satis non determinat; vndè enim sciet mulier, quòd hic aut ille exardescet in eius concupiscentiam ex ignorantiâ, aut infirmitate potiùs quàm ex malitiâ, Vndè quid agere debeat ignorabit. Idcircò videtur probabilior Diui Ambrosij sententia, cuius vnius auctoritas pluris facienda est, quàm multorum ex recentioribus casuum definitoribus.

Quod si Confessarius deprehendat mulierem, superflue se ornantem & præter solitum vanitatis causâ, non debet illam insontem habere; sed arguet, conabitúrque ad mediocritatem honestam reducere. Quod si exindè aliquis sumat occasionem peccandi, dubium est apud casuitas an mortaliter peccet, vel venialiter, his aienribus, his negantibus. Tutum est Confessario, vt semper ornatum superfluum condemnet, & si ipse in propriâ sententiâ non opinetur esse peccatum mortale: poteritque obseruare pro praxi hos Emanuelis Sà Aphorismos, verbo *ornatus*.

Fœminam nudum pectus gestare sine mala intentione quidam negant esse mortale, ego difficilè talem absoluerem. Item mulier diaphana veste vtens, ita vt tota videatur, lethali

sc elce

ſcelere ſe obſtringit. Item vxor licitè ſe ornat, vt viro placeat ſi exceſſum vitet, & opera ob id præcepta non omittat. Adde quod ſcribit ſanctus Franciſcus Saleſius in Introductione ad vitam deuotam, *part.* 3. licere nubilibus puellis compriùs ſe tantiſper ornare, vt multis iuuenibus placeant, eâ intentione, vt ex eis aliquem ſibi in virum legitimè acquirant.

Cardinalis Caietan. in ſummula verbo *ornatus*, ex multiplici capite excuſat à mortali, nec veniale ſupergredi aſſerit mulierum ornatum, 1. ex parte finis; vt ſi mulier ſe ornet vt appareat pulchra, aut Superior, vanitas eſt, ac per hoc veniale peccatum, 2. ex nimia ſollicitudine, non tamen tanta vt omittat neceſſaria ad ſalutem, 3. ex qualitate, vt ſi ornatus indecens eſt, ac minùs caſtus, vt ornatus mulierum monſtrantium media vbera. Verumtamen vbi conſuetus iam eſt, ſine peccato videtur, & in remedium, ne peiora fiant, forte introductus, 4. ex fuco, ordinariè eſt peccatum veniale, 5. ex pretioſitate: ſi enim ornatus relatus ad perſonam eſt exceſſiuus in pretio, ſine peccato non eſt. Communiter tamen videtur venialis huiuſmodi exceſſus ſuperbus, ſtultus, & vanus. Non enim propterea æquantur maioribus, quia ornantur prætiosè, ſicut maiores, 6. ex ſcandalo. Sed ſi ex parte mulieris non eſt intentio prouocandi, nec ſibi placet quod prouocetur aliquis ad ſui libidinoſum amorem, licet placeat ei quod laudetur vt pulchra, & vanâ ſuperfluitate, & fuco ſe ornet, non propterea peccat mortaliter quia alij peccant mortaliter eam adamando; eſt enim occaſio accepta, non data.

Hæc Caietauns cuius Theologia in hac parte mulieribus non erit ingrata. Sed hanc ingerere caueat Confeſſarius, niſi cum magnâ diſcretione & futurorum præuiſione, coneturque potiùs illas edocere verba Tertulliani in libro de habitu muliebri. *Tu es Diaboli ianua, tu es diuina legis prima deſertrix, tu es qua eum ſuaſiſti, quem Diabolus aggredi non valuit, tu imaginem Dei hominem tam facilè eliſiſti. Propter tuum meritum*, idest, *mortem, etiam Dei Filius mori habuit: & adornare tibi in mente eſt, ſuper pelliceas tuas tunicas? omnia iſta damnata & mortua mulieris impedimenta ſunt, quaſi ad pompam funeris conſtituta.* Et poſt pauca. *Habitus fœminæ duplicem ſpeciem circumfert, cultum & ornatum: cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant, ornatum, quem immundum muliebrem conuenit dici: illc in auro & argento, & gemmis, & veſtibus deputatur: iſte in cura capilli & cutis, & earum partium corporis qua oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri proſtitutionis.* Aut illa verba D. Hieronymi. Epiſt.

ad Asellam. *Nulla fuit alia Roma matronarum, quæ meam posset edomare mentē, nisi lugens atque ieiunans, squallens sordibus fletibus penè cæcata.* Et in Epist. ad Furiam. *Quid facit in facie Christiana purpurissus & cerusa? Quorum alterum ruborem genarum labiorumque mentitur; alterum candorem oris & colli, ignis iuuenum, fomenta libidinis, impudica mentis indicia, &c. ornatus iste non domini est, velamen istud Antichristi est.*

Quæritur trigesimoprimò, super sexto præcepto, Non mœchaberis, *quomodò interrogabit Confessarius.*

De examine sexti præcepti. Hic maximè opus est discretione & scientiâ in Confessario: ac primo ordinatè incipiet examen à cogitationibus rerum turpium, de quibus infrà amplius dicetur, indè progredietur ad examen de tactibus & operibus, quorum inquireret speciem vltimam, & circumstantias necessarias.

Ac si Pœnitens fateatur se rem habuisse cum fœminis, nihil amplius exponendo, multa debet inquirere Confessarius. Ac primò examinato Pœnitente an sit coniugatus, voto obstrictus, vel liber, debet inquirere an fœminæ fuerint coniugatæ, vel liberæ an voto castitatis obstrictæ, an consanguineæ vel affines, an domesticæ & in eodem tecto manentes, vel an eas rebus ad vitam necessariis foueat, eo vt illis pro voluntate abutatur: deindè quoties cum coniugatis, quoties cum liberis, quoties cum voto obstrictis, quoties cum consanguineis, quoties cum domesticis & iis quas propriis facultatibus sustentat. Nec opus est inquirere numerum fœminarum quando sunt eiusdem conditionis, sed numerum fornicationum, vel adulteriorum, vel incestuum, vel sacrilegiorum.

Neque etiam opus est interrogare an fœmina fuerit Virgo vel corrupta, quia fornicatio cum Virgine est eiusdem speciei ac cum corruptâ, quandò vtraque consentit; sicut est fornicatio ex parte mulieris cum viro, siue Virgo sit, siue corruptus. Dicitur autem quando vtraque consentit, quia si vis fieret ipsis, distinctæ essent species exprimendæ in Confessione: in Virginis enim violenta defloratione præter luxuriam interuenit violentia, & rapina, in quantum signaculum Virginitatis ipsi reluctanti aufertur quod est quid pretio æstimabile: intactam enim à viro esse mulierem multi æstimatur, estque specialis iniuria per vim priuare mulierem isto iure quod habet vt maneat intacta.

Ex hoc inferendum est puellas in religione, aut alibi existentes, si fateantur se actui fornicationis consensisse, non esse interrogandas an sint virgines, necne, quod aliquandò durissimum

rissimum esset illis confiteri. Tenet Corradus 1.*p.quæstio* 40.

Inquirendum est etiam de tactibus impudicis quando seorsim facti sunt, & sine copula , quia sunt peccata distincta , & quoties , & cum quibus sicut de actibus ipsis consummatis; tactus autem qui concomitantur ipsos actus consummatos, vel qui fiunt paulò antè aut paulò post, non sunt examinandi, quia censentur vnum peccatum cum ipso actu, & manifestato actu,sufficienter manifestati habentur.

Inquirendum est etiam num generationem impedire conatus fuerit, vt fundendo semen extra personam ; nam pollutio est. Nonnumquam ab aliquibus rusticis qui inter bestias degunt ; inquirendum erit num ipsas bestias affectauerint cum aliquo motu libidiniso , etsi ita sit , num ad nefandum peccatum cum ipsis progressi fuerint ; & si ita sit,quoties id acciderit. Nec opus erit rescire speciem animalis , si fuerit equus aut asinus, porcus aut canis, capra vel ouis, vel gallina Indica aut alia, quia commixtio cum diuersis specie animalibus est semper eiusdem speciei, quoad mores.

Quæritur trigesimosecundo, quomodò adolescentes interrogandi sunt de peccato luxuriæ.

Sufficiet hîc aliqua annotare ex Gersone qui pro zelo salutis puerorum,quo feruebat,multa scripsit de eorumdem Confessionibus excipiendis in primo opusculo *de arte audiendi Confessiones* tom. 2. operum eiusdem *consideratione* 15. Sciat, inquit , Confessor generalitates istas esse , & similes.Fuisti vnquam à tempore quo cognouisti te in societatibus famulorum aut sociorum, aut specialiter in lecto ? Si sic. Audisti vnquam malum(vt sæpe fit)loqui sibi de impudicitiâ & mulieribus ? Si sic. Loquebaris & tu similiter ,& si mala desiderabas ? Si sic. Vtrùm voluerit vnquam alter , quòd tangeres eum inhonestè vel ipse te ? Si sic. Fiat processus vlterior sub velamine tali quod intelligat an commissa fuerit ibidem mollities siue pollutio. Et hoc peccatum benè committitur etiam ante pubertatis annos. Imò & semper imputatur in vigiliâ dum completa transit delectatio,etiam pollutione non existente.

Idem consil.18. *pergat Confessor* , vt diximus, à generalioribus ad specialiora , à minus turpibus ad turpiora, & hoc quasi à causis generalioribus ad effectus earum speciales , vt , habito quod aliquis conatus fuerit se aut alium socium luxuriosè attrectare , quæratur quamdiu & quam sæpe , & cum quot accidit & quanto tempore in totâ vitâ. Etsi aliqui erant ex suo genere , & finaliter in qua parte corporis completa est libido sua vel alterius. Demum ad alteram huiusmodi

peccati speciem peiorem successiuè poterit inquisitio pertransire.

Consid.19.Congruit provt expertus sum, quòd paruuli, & adolescentes masculi priùs interrogentur modo dicto de cohabitatione sociorum, & famulorum, tanquam de his quæ prima facie minùs horrent,quia minùs insolita sunt. Postmodum quæratur de cohabitatione mulierum. Et vltimò si vnquam in ætate quinque vel sex annorum, vel eos circà, iacuerunt cum ancillis, sicur mos est puerorum: & sic conformiter inquiratur ad prædicta, & certè reperientur horrenda, &c.

Idem consid.20. Reprehendet forte aliquis audaciam hanc Confessoris, quia talia præsumit aperire, quæ vix credibilia sunt, & ferè incogitabilia, nisi ab expertis aut aliundè doctis. Sentiat alius quod voluerit, ego coràm Deo testor me plures talibus remediis induxisse ad Confessionem, qui fatebantur nunquam etiam in articulo mortis fuisse talia dicturos cuicumque. Laudabant tamen Deum totis visceribus gratias agentes,quòd ita se aperuerant.

Quod dicit hîc Gerson, multi qui eius industriâ vsi sunt, possent confirmare & ego inter cæteros.

Cætera hîc omittimus quæ apud authorem in alio tractatu de Confessione mollitiei, legi poterunt non inutiliter à Confessariis, qui nisi sint solertes, & circumspecti circà inquisitionem huiusmodi peccatorum, vix aut rarò poterunt extrahere ab ore infectorum talibus vitiis vt illa sponte confiteantur. Idem tamen sapienter monet *considerat.* 12. tract. de arte audiendi Confessiones. Iubeat Confessor ne Confessi crimina detegant aliorum, nominando eos, vel signis certis notificando, nisi forte peccata talia sint,quæ nullo modo aliter possunt aperiri, vt si sororem vnicam frater malè cognouerit, aut vir vxorem. Non sit prætereà curiosus in inquirendo particulares circumstantias peccatorum, quæ non multùm augent vel variant grauitatem in eis,quoniam nasceretur indè aliquandò vel tentatio periculosa, vel turpitudo nimia,aut suspicio retardatiua confitendi.Nihilominùs vtile iudicamus pro serenatione conscientiæ illorum qui confitentur (quia forte postmodum grauioribus vrgerentur conscientiæ stimulis, quasi non benè & integrè peccata sua confessi fuissent) vt pleniùs explicent omnia; quantum & quousque Confessor iudicauerit expedire.

Cæterùm nihil hîc dicit de puellis, forsan quod ita non sint Salaces vt masculi. Attamen & laborandum est Confessario

rio vt ipſæ confiteantur quæ nonnunquam impudicè committunt, & eo magis laborandum, quò ipſæ ſunt verecundiores: quare obſtetrices ſint Confeſſarij vt colubrum tortuoſum educant. Interrogent de cogitationibus, & tactibus tum propriâ manu, tum alienâ. Tum de modo quo ſe ad libidinem prouocauerint, vel ſeipſas comprimendo, vel aliquid in vas immitendo. Etſi dicant ſe neſcire quid ſit mollities aut pollutio, interrogari poterunt, num alicuius humoris veluti liquefactionem cum pruritu, & delectatione expertæ ſint, etſi dicant adhuc ſe neſcire quid ſint iſta. Num aliquando inter dormiendum iſta illis acciderint, vt ſciant ea eſſe peccata mortalia, quando inter vigilandum ſentiuntur; ne ſit tamen præceps Confeſſarius, nec omnes indifferentes ita vrgeat, ne forſan dedocendo peccatum, illud doceat: multæ enim inter adoleſcentulas præeminent maſculis in caſtitate.

Quæritur trigeſimo-tertiò. Quid examinare debet Confeſſarius in Pœnitentibus qui de oſculis, & tactibus ſe accuſant.

Duo ſunt ferè extrà controuerſiam in hac difficultate. Vnum eſt tactus & oſcula qui fiunt inter virum & mulierem, ſeu inter perſonas eiuſdem ſexus cum deſiderio pollutionis aut actus vltimi impudici, ſiue cum intentione excitandi ſe, aut alterum ad illa, eſſe peccata mortalia, ideóque debet Confeſſarius ab iis qui examine videntur indigere, inquirere, an oſcula & tactus fuerint cum eiuſmodi deſiderio, aut intentione. Alterum quod etiam fere eſt extra controuerſiam, eſt tactus qui fiunt in partibus generationi inſeruientibus abſque iuſta neceſſitate, etiamſi ioco fiant, ſine deſiderio excitandi ſe, vel excitandi alium ad pollutionem, aut actum venereum, eſſe etiam magis ordinariè peccata mortalia, ideóque debere inquiri à Confeſſario, an in iſtis partibus tactus illi facti fuerint.

Vnum autem eſt maximè controuerſum, an cùm fiunt oſcula, & tactus extra partes prædictas ſine deſiderio illo, & intentione prædictis attamen cum voluntate percipiendi quamdam ſuauitatem quæ oritur ex attactu carnis mollis & teneræ, ſit peccatum mortale. Vna opinio affirmat quam mordicùs tuetur Caietanus in 2. *ſecunda quæſt.* 154. *artic.* 4. & alibi, tum quòd ſtimulis torqueantur conſcientiæ qui tales tactus admiſerunt commiſeruntve; Tum quòd vix fiant, niſi in occulto, & ſemotis arbitris omnibus; & Leſſius *in* 2. *ſecunda l.* 4. *c.* 3. *dubitatione* 8. & alij plurimi, quia hæc oſcula & tactus cum illa voluptate, etſi ex intentione operantis non referantur ad pollutionem, aut concubitum, ſuapte tamen naturâ, & veluti ex opere operato eò tendunt. Tutius eſt, inquit

Lessius, vt omnia ista quàm maximè vitentur, quia sæpe est periculum vlterioris consensus, vel morosæ delectationis, vel etiam pollutionis ratione temperamenti, aut particularis dispositionis corporis: quam ob causam expedit in huiusmodi non esse laxum. Itaquè sententiam illam practicè probabilem non dixerim, &c. Itaquè in eo contineri videtur tacitus quidam consensus in copulam, & materia non debet censeri omninò remota, quæ tantam vim ad libidinis ignem excitandum & ciendum spermatismum habet; alia tamen est ratio aspectus, quia naturâ suâ eo non intendit, neque corpus ita commouet. Hæc Lessius,

Altera est opinio negans talia oscula & tactus esse peccata mortalia, licet venialia esse concedat, hancque tuetur *Martinus de Magistris Doctor Parisiensis*, & qui fuit à Confessionibus Ludouico vndecimo Galliarum Regi, ac Collegij Sanctæ Barbaræ Primarius in lib. de *Temperantiâ*. Quæritur tertiò vtrùm in tactibus & osculis consistat peccatum mortale *fol. 54. verso.* Quia autem raro liber iste inuenitur, & alij non integrè verba eius recensent, non sine aliquo authoris detrimento, quia res est magni momenti, verba eius hic attexam.

Pro conclusionibus aliis, inquit, est notandum quòd aliquod osculum dicitur esse libidinosum dupliciter. Vno modo quia fit, vt inducamus alterum in consensum libidinosi, siue venerei actus, in quantum per hæc oscula tactus & amplexus excitatur in libidinem & excitatâ, faciliùs nobis consentit. Secundo modo aliquod osculum dicitur libidinosum, quia fit causa delectationis tactus, quam in ipso experimur. Ista autem sunt ab inuicem separabilia. Aliquis enim delectatur in osculis & amplexibus sororis, qui tamen pro tunc firmum propositum habet nunquam exercendi venereum actum cum eâ, imò nunquam pateretur eam induci in opus venereum, nec cum eo, nec cum alio, tunc fit.

Secunda conclusio. Oscula, tactus & amplexus secundo modo libidinosa sunt periculosa. Probatur; omnis opportunitas & illectiuum ad peccatum mortale est periculosum & vitandum: sed huiusmodi oscula libidinosa sunt opportunitates, & illectiua ad peccata mortalia. Aliquandò scilicet ad simplicem fornicationem, aliquandò ad adulterium, aliquandò ad incestum, & sic de aliis: ergo sunt periculosa & vitanda: licet enim tunc homo firmiter proponat nunquam consentire in opus venereum; quia tamen voluntas eius est multùm & faciliter mutabilis in deterius, ideò timendum est sibi, ne per hoc ad ipsum concubitum transeat. Secundò ad consummationem

tionem vniuscuiusque peccati certis conscenditur gradibus, vt ad peccatum luxuriæ de verbis ad oscula proceditur, de osculis ad tactus & amplexus, de tactibus ad consummationem peccati: ergo cum per huiusmodi gradus fiat approximatio ad consummationem peccati, necesse est, vt qui tutè vult fugere peccatum, fugiat gradus quibus ad ipsum conscenditur: ergo fugere debet oscula, tactus & amplexus, & perconsequens ista sunt periculosa. Sunt autem periculosiores cum personis illis à quibus in consensum venerei concubitus inducimur, vt cum aliena, quàm cum consanguinea.

Tertia conclusio. Prædicta non sunt peccata mortalia: probatur, nam aut hoc esset sistendo in delectatione quæ in eis exercendis suscipitur, & hoc non, quia nec delectatio ipsa, nec exercitium huiusmodi actuum alicubi reperiuntur prohibita sub pœnâ peccati mortalis. Tum secundò quia secundùm beatum Thomam super Epist. ad Ephes. Apostolus turpitudinem, per quam intelligit oscula, & tactus, non resumit cum fornicatione & immunditiâ, *&c.* Nec sunt peccata mortalia, quia sunt illectiua ad peccatum mortale, quia tunc omnis communicatio mulieribus, & omnis conuictus, & conuersatio esset peccatum mortale. Tum secundo quia tunc omnis tentatio in peccatum mortale esset peccatum mortale, cùm omnis talis sit inductiuum in peccatum mortale.

Quarta conclusio. Oscula, tactus & amplexus eorum qui in libidinem perfectè consentiunt non facta, vt foueatur huiusmodi consensus, aut excitetur libido, non sunt peccata mortalia. Patet, quia talia sistunt in delectatione sibi propriâ, & non habent actum venereum pro circumstantiâ finis, *&c.*

Quinta conclusio. Oscula, tactus & amplexus facta, vt alium inducamus in consensum concubitus illiciti, sunt peccata mortalia. Probatur: omne peccatum habens circumstantiam malam mortaliter, est peccatum mortale, *&c.* Secundò qui dat eleemosynam; vt inducat alterum in hæresim, peccat mortaliter: ergo qui osculatur, tangit, *&c.*

Sexta conclusio. Etsi oscula facta causâ fornicationis; similiter tactus & amplexus sint alia peccata mortalia ab actu fornicatorio; non tamen habent aliam culpabilitatem vel malitiam mortalem à culpabilitate vel malitiâ actus fornicatorij, *&c.* Vult dicere eum qui hæc omnia simul facit vno tantùm peccato peccare mortali, quod est volitio fornicandi à quâ solâ denominantur mali, & ipsi tactus exteriores, & ipsa fornicatio exterior, quia actus interioris malitia denominat ipsum intrinsecè malum, & extrinsecè actum exteriorem.

Septima

Septima conclusio. Qui osculatur, tangit & amplectitur, vt fornicetur & postea fornicatur, non per sese obligat ad quadruplicem pœnam æternam, *&c.* Infert hanc conclusionem ex præcedenti additque: Esset infœlicissimè actum cum miseris fornicatoribus, si quotiens oscularentur, amplecterentur vel tangerent, toties obligationem ad nouam pœnam æternam incurrerent. Dixi per sese, propter opinionem quæ dicit quòd veniale in damnato punietur pœnâ æternâ.

Octaua conclusio. Non quilibet homo & quælibet mulier nudus cum nuda possunt sine peccato in vno eodem lecto iacere & licitè se tangere in omni parte sui cum motus carnis stimulat, vt cesset tentatio carnis. Hæc conclusio posita est contra errorem Pseu-Apostolorum. Probatur, quia quicumque se exponit vehementissimo periculo, peccat mortaliter; & quod secundum opinionem suam non potest vitari, nisi per miraculum, ille peccat: sed tales, *&c.*

Hactenus ex Martino, cuius sententiam, quoad tertiam conclusionem, de qua est principalis controuersia, videri posse alicui probabilem & speculatiuè veram, asserit Lessius loco citato, quamuis ipse aliam tueatur vt tutiorem. Nec probetur ab omnibus in illa distinctione veri speculatiuè & practicè: quia speculationis obiectum est opus & praxis debet esse conformis speculationi, ideò si quid est speculatiuè verum debet esse & practicè.

Certè D. Thomas si benè intelligatur non videtur ab hac sententia alienus, 2.2. *quæst.* 54. *art.* 4. vbi enim determinauit tactus & oscula secundum suam speciem non esse mortalia, concludit quod si fiant propter delectationem fornicationis, consequens esse, quod sicut mortalia, & sic solum inquit dicuntur libidinosa. Vndè huiusmodi secundum quod sunt libidinosa (puta prædicta specie libidinis) sunt peccata mortalia. Atque eodem modo libidinosum intelligi debere, cum simpliciter libido nominatur; fusius explicat. D. Augustinus l.14.cap.16. *de ciuit. Dei.*

Nauarrus autem commentariis in caput, *si cui*, de Pœnitentia *dist.*1. testatur aliquos in Hispaniâ sequutos fuisse eandem sententiam, nec ipse ab eâ longè discedit, asserens prædictos tactus & oscula non esse peccata mortalia, si fierent tanquam delectabilia mouentia ad delectationem honestam: putà ad augendam amicitiam, beneuolentiam & amorem naturalem, paternum, filialem, ciuilem, scholasticum & alium honestum, licet sensualitate ac fomite peccati originalis, vel etiam Diabolo suggerente, insurgeret delectatio venerea in

sensua

sensualitate: quia tunc non sunt peccata mortifera; imò neque venialia, si nullatenus consentiatur eis consensu voluntario partis superioris, *&c.* quod ipsum videtur dicendum (quoad peccatum mortale) de omnibus aliis huiusmodi tactibus, qui fiunt principaliter quidem ex causâ honesta hospitalitatis, cõuiuij, affabilitatis & comitatûs honesti ; etiamsi tangentes prævideant ante illos tactus, sibi motum iri præfatam in sua sensualitate delectationem veneream : modò non se tangant ob eam principaliter ; nec minùs principaliter, sed consequeretur præter voluntatem eorum, repugnante parte animæ superiore.

Non obscurè autem Iauellus *secundâ parte Philosophiæ Christianæ* tract. 7. tit. *de pudicitiâ* Martini opinionem amplectitur: loquens enim de taliter tangentibus sine corruptâ intentione prædicta. Hos autem damnare de peccato mortali durum est, & totam adolescentiam maximè in sexu mulibri illaqueare. Declino igitur ad hanc viam: & ratio opinionis oppositæ non concludit : concesso enim quòd operans hæc consentiat in delectationem tactûs, nego quòd regulariter consensus in tali delectatione sit consensus in delectationem fornicationis. Nam delectatio tactûs secundùm partes honestas, potest esse duobus modis. Primò quòd hæc delectatio non quæratur principaliter propter seipsam , sed &c. Secundò quòd quæratur propter seipsam præcisè stando in tactu partium honestarum , ita quòd si imaginatiua offerat delectionem fornicationis, voluntas & ratio statim renuat ; & tunc nego quòd consensus in delectionem tactûs honesti sit consensus in delectationem fornicationis : quoniam istæ duæ delectationes licet videantur assimilari, non tamen sunt eiusdem rationis. Nam altera est sicut via ad terminum malum: altera autem sistit in se: & vt in se sistit, non habet vndè possit de mortali damnari. Dixi oscula & amplexus & tactus partium honestarum : quoniam si huiusmodi fiant in partibus pudibundis, & cum non suâ : nescio videre quin interpretatiuè & virtualiter ordinentur ad actum turpem illicitæ veneris : licet quàm plures seipsos excusent, non sic intendere.

Eandem sententiam sequitur Syluius 2. 2. *q.* 154. *art.* 4. *conclus.* 4. ac nouissimè Loth in *difficultat. Theolog. tract.* 16. *art.* 7. quia inter sponsum & sponsam de futuro tales tactus non sunt mortalia peccata; etiamsi remotè disponant ad pollutionem: non est autem potior ratio cur sint mortalia peccata inter alios, quibus non minus illicita est pollutio , ac sponsis prædictis. Idem censent Salmanticenses tract. 13. *de peccatis disp.* 10.

Thomas

Thomas Sanchez l. 9. *de Matrimonio disput.* 46. *numero* 15. *&* 16. excusat à mortali leues tactus, vt manum fœminæ, pedem vel brachium premere, vellicare, &c. etiamsi fiant ad captandam voluptatem, quæ ex ipsis hauritur. Quamuis enim, inquit, id affirmarim de tactibus illis grauioribus, eo quòd vehementiùs ad coitum incitet delectatio ex illis captata; imò sit quædam coitus inchoatio: at ilij tactus sunt tam leuiter turpes, vt excusent à mortali propter materiæ prauitatem, etiamsi intendatur delectatio ex illis resultans, &c.

Ex his apparet, non facilem esse huius quæstionis solutionem in qua pauci authores scholastici in omnibus conueniant. Poterit tamen ex his elicere Confessarius opinionem esse probabilem, vt scilicet tales tactus & oscula sint peccata mortalia, si fiant à personis proiectæ libidinis, & ita ad eam inclinatis, vt vix aut rarò tangant fœminas, quin citò easdem corrupto amore appetant: pro talibus enim personis huiusmodi tactus tenent locum periculi obruentis, cui se exponere sine necessitate mortale est. *Periculum obruens.* Minimè verò mortalia sunt, si fiant ab iis qui rarò admodum ex ista occasione ad aliam delectationem, aut ad consensum in eam prouocentur. Cùm enim secundùm speciem suam non sint mortalia, vt expressè defendit D. Thomas 2.2. *quæstione* 154. *art.* 4. ex duplici capite dumtaxat videntur fieri mortalia, vel ex intentione operantis ad malum finem externum, vel ex periculo proximo incidendi in mortale. Supponimus autem nec hîc intentionem operantis corruptam esse, nec periculum esse proximum, sed remotum tantùm, ponderatis personis & earum conditionibus. Deinde sicut homines boni vix vnquam perueniunt ad vltimum gradum bonitatis: sic mali vix sunt extremè mali & in omnibus: vndè sæpè accidit vt quis deficiat ab aliquo gradu castitatis, qui nollet tamen vltra id quicquam aggredi, & multos supplantat malorum suspicio. Idcircò Confessarius non debet indifferenter omnes habere reos peccati mortalis qui manum aut brachium fœminæ, aut pectus leuiter attigerint, nec indifferenter de istis examinare, sed cum prudentia & circumspectione, poteritque iuuari legendo D.Thom. q.cit.& in Commentariis Epistolæ *ad Ephesios ad c.5.lect.2.* vbi mentem suam videtur manifestiùs aperire. Sed & rem illam adhuc exactius tractans, ait in q. disp. de peccatis q. 15. *de luxuriâ* art.2.*in corpore.* *Pollutio peccatū mortale.* Philosophus dicit in sua Politicâ in semine hominis esse quoddam diuinum in quantum scilicet est homo in potentia, & ideo inordinatio circa emissionem seminis est circa vitam hominis in potentia propinquâ. Vnde manifestum

est

est quod omnis talis actus luxuriæ est peccatum mortale ex suo genere.

Ad 18. dicendum quod tactus, amplexus & oscula in quantum ordinantur ad actum fornicationis, consequuntur consensum. In quantum autem ordinantur ad solam delectationem, consequuntur consensum in delectatione quæ est peccatum mortale, & iam vtroque modo sunt peccata carnalia. Quia cum huiusmodi secundum speciem suam non sunt peccata mortalia sicut fornicatio & adulterium, sed solum secundum quod ordinantur ad aliud. i. ad consensus prædictos ideo Apostolus non reiterauit de turpitudine & scurrilitate & stultiloquio, sed solùm de illis quæ sunt secundum se peccata mortalia. Hæc Doctor Angelicus, non satis intellectus à Caietano.

Cuius etiam rationes non concludunt, quia etsi multi vereantur se esse in statu peccati mortalis propter tactus & oscula, plures tamen de istis non curant, vixque veniale agnoscunt, cùm aliunde scrupuli non desint, maximè vbi est opinionum varietas. Quòd verò in publico non fiant, non arguit magis ibi esse peccatum mortale, quàm in actu coniugali, de quo D. Augustinus l. 14. *de Ciuit. Dei* cap. 18. nonne ipse concubitus coniugalis, quamquam sit licitus & honestus, remotum ab arbitris cubile conquirit? *Hoc rectè factum sic appetit fieri, vt tamen erubescat videri:* Deinde etiam aliqua vitantur fieri publicè, etiamsi licita, propter scandalum pusillorum. Quòd autem ista opinio sit tutior, fatendum est, & vtinam omnes castitatem amarent; sed hîc sola veritas inquiritur, cùm non careat culpâ nimis arctare conscientias, & laxare, si fiat præter veritatem.

Vnum tamen est quod à Confessariis obseruari debet, cùm interrogantur aliquando à Pœnitentibus; num in huiusmodi tactibus & osculis, absque peruersa voluntate vlterioris delectationis mortiferum sit peccatum, vt scilicet etiamsi in ea sint opinione, quæ excusat ista à peccato mortali, si non tamen simpliciter respondeant non esse in istis peccatum mortale, cum ex iis qui istis tactibus sæpiùs vacant, multi in fœdissimam pollutionem, fornicationemve, aut adulterium, aut aliud peius peccatum incidant, possent suo responso non mediocriter alterius peccato fauere, illudque fouere, quod metuendum est, omnibus qui saluti aliorum incumbunt. Debet igitur Confessarius, si fieri possit considerare conditiones personarum, & si sapienter præuideat breui peccatum mortale ex his tactibus sequuturum, poterit ita respondere: & si id

quo

tur quia oritur ex actu culpabili quidem in tempore præterito, sed non pro tunc, cum accidit pollutio. Ideò qui dedit ansam pollutioni nocturnæ per aliquam actionem malam, putà ebrietatem, colloquia praua, tactus impudicos, de quibus serò pœnituit, antequam dormiret, non peccat in pollutione quæ in somnis aduenit. Vndè colligi potest quantus sit fructus examinis quotidiani serotini.

2. Conclusio: Pollutio nocturna quæ ex culpâ contingit non emendatâ, quæ tamen non est volitio vel desiderium huiusmodi pollutionis, nec eam sequitur complacentia culpabilis, non est peccatum mortale. Ita cum Martino Maior *in* 4. *sent. dist.* 9. *qu.* 1 Probatur quia pollutio illa non est volita, estque merè naturalis, nec propterea est culpabilis quòd ex actu culpabili oriatur, quia tunc obligatio ad pœnam, & omnes effectus ex peccato prouenientes essent peccata mortalia, quod absurdum est. Deindè pollutio nocturna orta ex cogitatione honestâ, & laudabili Luxuriæ, putà ex cogitatione pœnitentiali detestatiuâ peccati, vel ex auditione peccatorum in Confessione; talis, inquam, pollutio non est bona nec meritoria, ergo nec ipsa erit demeritoria sequens ex actu aut cogitatione culpabili. Aliàs plures rationes affert Doctor Martinus pro hac conclusione, additque: Duodecimò probatur expressâ authoritate Gregorij *in pastorali.* Non est peccatum quod nolentes imaginibus nocturnis illudimur, sed tunc est peccatum cùm antequam illudamur cogitationis affectibus præuenimur, quâ nihil potest esse expressius.

3. Conclusio, quæ est Maioris ibid. loc. cit. contra de Magistris. Non omnis pollutio nocturna orta ex actu culpabili, qui est volitio vel desiderium illius non emendato per displicentiam condignam, est culpabilis, intellige quòd talis pollutio non sit aliud peccatum, & distinctum ab actu culpabili diurno. Probatur, Socrates & Plato habeant ambo duas volitiones cogitandi de libidine, vt de nocte polluantur. Polluatur Socrates, & non Plato; tunc isti duo æqualibus peccatis peccant: At Plato peccat solùm vnico peccato; ergo similiter Socrates. Probatur maior, quia æquales volitiones habent, & actus exterior nihil bonitatis actui interiori superaddit.

4. Conclusio; Pollutio nocturna non redditur culpabilis ex consequente complacentiâ culpabili: est adhuc Doctoris de Magistris locò citato. Probatur, quia displicentia sequens non reddit eam bonam, ergo nec complacentia sequens malam. Secundò actus non redduntur boni vel mali ex volitione, & complacentiâ sequenti: nam aliàs esset in potestate

hominis virtuosi qui habet mille opera bona, reddere illa mala, & iterùm bona, & rursùm mala; si modò malè complaceant, modò, benè, quod est absurdum.

Ex quâ regulâ sicut ex præcedente eliciet Confessarius modum discernendi peccatum à non peccato, & ibi illud agnoscere vbi verè est, vt scilicet iudicet tantùm peccatum esse in illâ complacentiâ pollutionis nocturnæ, si fiat ob delectationem, non verò si sit illa complacentia propter sanitatem vel propter liberationem à tentationibus. Vtrùm verò talis complacentia ob delectationem illam quæ fuit sine peccato, sit peccatum mortale, non discutimus.

5. Conclusio. Pollutio nocturna prouenlens ex causâ non culpabili, etiamsi sit præuisa, sed non intenta, non est peccatum mortale; vnde qui accubat in lecto hoc & illo modo, ex quo citiùs accidit in nocte pollutio, sed non id intendit, nec ob eam causam sic accubat, sed propter suam commoditatem, & quia melius hoc modo quiescit, non peccat mortaliter, neque etiam forsan venialiter. Probatur ex præcedentibus conclusionibus, quia quando actus esset culpabilis, non peccaret mortaliter, ergo multò minus, si actus qui est huius pollutionis causa, sit inculpabilis. Neque verò propter huiusmodi pollutionem nocturnam, talis accubitus peccaminosus est; quia nec ipsa pollutio peccatum est. Quare qui resupinus dormit, vndè loca seminaria, & renes calefiunt, & faciliùs fit resolutio seminis, non peccat. Nec qui matutino tempore dormit, cùm adhuc faciliùs fit pollutio, eo quòd digestione completa per potentiam nutritiuam, potentia generans ordine suo, in actum proprium prorumpit: vt enim rectè declarat Titelmanus libro 10. *consider. Physica cap.* 22. perfectâ sufficienter nutritione circà somni finem, videtur potentia generatiua secundùm ordinem suo Officio succedere; quia enim secundùm ordinem temporis prior esse debet nutritio, & augmentatio generatione (propter quod in pueris non priùs generatiuæ potentiæ operationem experimur quàm nutritiua, & augmentatiua ad iustam perfectionem eos perduxerint) ideò priùs nutritioni insistitur; postmodùm verò generationi: Quod etiam inde est, quia semen est ex superfluo alimenti, atque ob hoc nutritione perfectâ in illud quod superfuerit alimenti se conuertens vegetatrix potentia agit in ipsum, & in seminis naturam conuertit, efficitúrque homo ad generationem paratior, proniorque, nutritione perfectâ. Atque hinc illusiones fœdæ, potentia generatiua actum suum quæritante, & coinquinationes inordinatæ, quas euadunt virtutis zelatores, somnum

Pollutio matutina vnde.

somnum matutinum fugientes, tanquam deceptorem fraudulentissimum puritatis & æmulum atque contrarium castitatis.

Ergo, inquies pollutio nocturna nunqam esset peccatum, negatur quia est peccatum, quando est volita & intenta in vigiliâ, sitque aliquid expressè, eo fine vt accidat in somnis, sed non est peccatum distinctum ab ipsamet intentione, quâ volita est aut procurata; vndè mirandum est, ait ibidem Doctor de Magistris, quomodò aliqui Theologi sunt ita prompti & parati ad multiplicanda hominum pèccata sine iustâ ratione.

Theolog. peccata multiplicant.

Obiicies, pollutiones nocturnæ proueniunt sæpe ex malo habitu, & dispositione hominis, cuius principium fuit in eius potestate: ergo pollutiones indè prouenientes erunt culpabiles, sicut ea quæ proueniunt ex ignorantiâ, & ebrietate culpabili ad culpam imputantur. Negatur consequentia: illud tantùm ex tali principio voluntario proueniens imputatur ad culpam, quod sequitur in eo tempore, in quo homo potest illud impedire ne sequatur, aut impotentia impediendi ex culpa illius propria contracta est; at in somno homo non potest impedire pollutionem, & impatientia impediendi, quæ est ipse somnus, non est culpa nec culpæ adscribendus, nec inter culpas numerandus: ergo non est ad culpam imputabilis talis pollutio. Quæ autem ex ebrietate vel ignorantiâ sequuntur ad culpam imputantur, quia impotentia talia impediendi, quæ est ipsa ebrietas vel ignorantia, culpa est.

Obiicies iterùm; Sancti Patres statuerunt pollutionem impedimentum esse communionis, ergo culpa est. Negatur etiam consequentia, quia id factum est propter maiorem distractionem quam solet afferre pollutio nocturna, ex qua anima diuertitur à rebus diuinis, & magis condelectatur appetitu sensitiuo, propter coniunctionem eius cum carne. Vnde, inquit Maior loco citato, si homo post pollutionem nocturnam, siue fuerit ex culpâ, siue sine culpa se reperiat deuotum, præmissâ Confessione, si fuerit ex culpâ, potest celebrare nec debet abstinere; si mens inquietetur abstineat. Si dicas *de consecratione*, dist. 2. c. *Omnis homo qui debet communicare tribus vel quatuor diebus debet abstinere*. Hoc est de consilio non de præcepto, quicquid dicant homines. Hæc Maior. Eadem quoque est mens Gersonis, tam de coniugatis quàm de aliis qui nocte in somno polluuntur, quos cõmunicare aut celebrare posse asserit in tractatu de *præparatione ad Missam*, seu *de pollutione nocturna*. Quibus libet addere quæ habet Hallus de *quinquepartitâ conscientia* lib. 3. cap. 37. Sicut enim solis radij per

loca quæuis obscœna transeunt & non inficiuntur, sic & Corpus Christi in corpus pollutum sine vllâ sui contaminatione descendit. Hoc D. Petro Cœlestino in somno vocato ad aulam cœlestem significatum fuit; qui cùm super asinum veheretur, quem fortè contigit super tapetes quosdam splendidos, quibus is locus stratus erat, tributum ventris sui soluere, vehementer erubuit Petrus & veritus est progredi; sed tandem audiit diuinum responsum, nihil ad sui vel curiæ cœlestis contaminationem pertinere, id quod se non conscio ex necessitate naturæ asellus corpulentum & irrationale animal expulerat. Quin potiùs censeo, ait idem Hallus, istas deordinationes sensualitatis, quas inuiti patimur, efficere vt succrescat meritum nostrum magnam serenitatem contra superbiæ ventum omnia euertentem, inducere. Humiliter ergo se gerat homo seque deprimendo quærat vt exaltetur Deus.

Somniũ S. Petri Cœlest.

Ex his ita disputatis concluditur, Confessarium non debere nimis vexare pœnitentes, multitudine interrogationum super pollutione nocturnâ, vbi illi constiterit non fuisse in vigiliâ volitam, aut intentam, irémque prudenter facturum si multis qui se plus quam necesse est de pollutione nocturnâ accusant, dicat id non esse necessarium, vt ex hac parte onus graue Confessionis subleuetur.

Quæritur trigessimo-sextò, quid indagare debeat Confessarius in pœnitente qui se accusat de pollutione diurnâ quæ in se quidem fuit inuoluntaria, cui tamen causam aliquam voluntariè præbuit.

Non rarò accidit vt pœnitentes aliquam causam præuiam dederint pollutioni, licet ipsi pollutionem ægrè sustinuerint ac renitente consensu: inde oritur dubium; an talis pollutio debeat censeri peccatum mortale, quia est quodammodo volita, scilicet interpretatiuè, in sua causa quæ fuit voluntaria: nam si fuisset expressè procurata aut in se volita, non est difficultas quin esset peccatum mortale, iuxtà Apostoli Decretum 1. Cor. 6. *Neque molles Regnum Dei consequentur.* Quod etiam locum putamus habere contra quosdam, et si semen esset corruptum quod per pollutionem expleretur, ne alioqui liceret leprosis se polluere: & aliis pluribus, qui facile imaginarentur se corruptum semen habere.

Item pollutio peccatum materiale est in mulieribus, seu actiuè, seu passiuè tantùm concurrant ad generationem, quia quicquid sit de illa controuersia, de quâ diximus in 2. suppl. Theol. Affect. diff. 93. tamen earum semen requisitum est ad fœtus formationem & sic eius profusio extra concubitum bo-

no

nō opponitur. Caietan.2.2.q.154.*ar.* 12. Thomas Hurrado *in præcurſore Theologico diſput.5.membro* 4.§.11.

Porrò hanc materiam diſcutiens Gerſon in tractatu de *pollutione diurnâ*, monet in ſecundo notabili; cauendum eſſe ne nimiùm ſeruatur loquendi pudicitia, ſequatur operum maior inordinatio, & Confeſſio de talibus nulla fiat. Et in propoſitione prima, aſſerit pollutionem nullam plus habere de peccato, quàm fuerit de conſenſu circa illam in libero arbitrio, ſiue conſenſus fuerit certus, vel interpretatiuus. Tandem verò non ſatis manifeſtam ſolutionem noſtræ affert difficultati, vt illi adaptari poſſit illud Tragici, qui dubiam ſalutem dat afflictis, negat.

Vnum tamen eſt, quod ipſe prudenter aduertit, ſcilicet eſſe quemdam humorem medium inter ſemen & vrinam, qui humor diſtingui poteſt à ſemine, quod non ſit ita mordax in carne titillandâ, fluátque cum minori corporis commotione, & minori quantitate; potéſtque humor ille appellari ſaliualis vel ſputalis, nec ita perſtringit aut obnubilat iudicium rationis, maiori etiam facilitate ac ex leuioribus cauſis mouetur ad exitum, præſertim in mulieribus, adeò quòd ex leuiſſimo motu corporis de loco ad locum vel inclinatione, abſque ſenſu proueniat. Ex effectu vero percipitur per ſordidationem quamdam viſcoſam in carne vel in pannis. Euenit autem facilius, & non ſine aliquo ſenſu concomitante, vel præuio, dum perſonam dilectam ſiue pulchram, ſiue turpem, &c. aſpiciunt aut tangunt, aut ei arrident, aut confabulantur, aut iocantur, etiam vbi nihil de opere carnali volunt aut putant, nedum dicam peragere, ſed nec cogitare. *Diſtillatio.*

Intereſt autem vt Confeſſarij poſſint diſtinguere iſtum humorem à ſemine, quia multi accuſant ſe de peccato pollutionis, cùm aliquid humidum circà ſe ſēſerint, potiſſimum aliquæ mulieres, aut puellæ quæ propterea vix vnquam vllâ conſcientiæ pace fruuntur, quaſi degerent in perpetuo peccato mortali, cùm fluxus iſtius humoris medij longè diſtet à ſeminis fluxu, ſeu pollutione, & non ſit peccatū mortale, vt omnes Authores conſentiunt. Inter quos Alenſis *in ſummâ de virtutibus coll.99. art.5. quaſt.1.* Ita ait, Nulla pollutio nocturna eſt voluntaria per ſe & propriè loquendo; ſi tamen cauſetur ex voluntate vigilātis, eſt periculoſa ſiue damnoſa, vt credo, ſed non aſſero. De illis autem quæ patiuntur fluxum ſeminis voluntariè, non eſt timendum. Quædam enim ad ſimplicem viri aſpectum per alloquutionem vel Confeſſionem etiam cùm ſint in Sancto propoſito, diſtillationem ſentiunt humoris: nec ta-

men corrumpuntur, eo quod non sit ex proposito, nec cum voluntate completa. Suadendum tamen est talibus, quod temperent se ab aspectu virorum & confabulatione.

Et D. Thomas opuscul. 64 quod est *de modo confitendi & puritate conscientiæ*. Quibusdam, inquit, hoc prouenire agnoui propter solam præsentiam, & alloquutionem alicuius personæ, in cuius conspectu habuit complacentiam sensualem & vanam, seu ad quam inordinato amore afficitur, aut per tactum impudicum leuem, aut imaginando aliquos impudicos fortiter & morosè, &c. Licet non credam ipsum per dictam effusionem peccare mortaliter, nisi fortè aliter concupisceret, aut tangeret impudicè personam quæ est causa istius effectûs, tamen credo eum grauiter peccare, & esse in magno peccati mortalis periculo, &c. Si verò contingit ex causâ, quæ vitari non potest, sicut quando audiuntur verba impudica ex casu, vel loquitur cum personâ, vel sedet iuxta eam de cuius præsentiâ habet complacentiam vanam, & ab ea separari non valet, &c. quia tamen dubitare de talibus quæ spectant ad conscientiæ puritatem, est quandoquè valdè proficuum, poterit hoc confiteri propter quietudinem mentis & pacem, quamuis expedire non credam.

Cùm igitur Confessarius agnouerit pœnitentem accusare se de verâ pollutione, cui consensum non præbuit, sed tamen occasionem voluntariam dedit, & voluntariè causam præbuit à qua potuisset abstinere; tunc debet rescire Confessarius, an causa illa fuerit necessaria, vel vtilis corpori aut animæ, vel proximo, vt est cibus, instructio, alloquutio fœminæ, equitatio: tunc enim, etsi præuiderit pœnitens ex hac occasione euenturam pollutionem non intendendo illam, non peccauit mortaliter, nec tenebatur abstinere ab his actionibus licitis, & ad quas ius habebat. Intellige tamen cum hac moderatione, si abfuerit periculum probabile in delectationem pollutionis consentiendi, vt quia talis pœnitens non est deditus pollutionis peccato, illudque valdè abhorrere solet.

At verò si causa illa ex quâ præuidetur pollutio subsequutura, non sit vtilis in se, nec necessaria, non tamen mala, tunc difficultas est maxima, an pollutio subsequens sine periculo consensûs obliget sub peccato mortali ad amouendam huiusmodi causam inutilem, non tamen ex se peccaminosam: videtur enim talis pollutio voluntaria, quia qui vult antecedens, vult consequens; qui vult causam, vult effectum; qui vult destruere fundamentum ex quo videt casuram domum, vult ruinam domûs, qui vult abscindere caput hominis, vult mortem hominis,

hominis, quæ infallibiliter ex capitis abſciſſione conſequitur. Sed aliundè iſte ex hypotheſi, conſenſu directo, & expreſſo improbat pollutionem,cùm incipiat aut inceptura eſt,& conſenſus expreſſus contrarius interpretatiuo videtur hunc pœnitens deſtruere. Vt patet in eo qui cognoſcit vxorem vnde ſequitur generatio,cui tamen poteſt habere intentionem omninò contrariam.

In hac fluctuatione expendendâ eſt illa cauſa, an per ſe influat in pollutionem, quia verbi gratiâ pertinet ad carnalia, & libidinoſa, vt eſt contactus impudicus, vel tantùm per accidens, vt eſt comeſtio cibi calidi abſque neceſſitate. In primo caſu talis cauſa ex qua præuidetur ſubſequutura pollutio, quamuis ſine periculo probabili conſenſûs,peccatum eſt mortale;in ſecundo caſu non eſt;ita Thomas Sanch.l.9. *de Matrimonio* diſp. 45.n.16. Addit,autem eadem diſputatione numero 18.nec eſſe mortalem pollutionem quæ ſequitur ex rebus venialibus in genere luxuriæ,ſiue illæ ſint veniales defectu plenæ aduertentiæ,ſiue ex leuitate materiæ,& tales res non efficiuntur mortales propter pollutionem præuiſam,licet nulla neceſſitas vel vtilitas ad has inuitet,ſed ſola curioſitas & animi leuitas. Quia non eſt obligatio grauis vitandi leuem cauſam, & ſuaptè leuiter concurrentem ad pollutionem, cui non dabitur conſenſus; & cùm cauſa illa leuiter influat, eſt tantùm ſecundùm quid cauſa,quæ magis à naturali causâ procedit. Aliqui temperant hoc,niſi perſeueretur in prædictis rebus venialiter turpibus, ſentiaturque vehemens commotio appetitûs, & periculum pollutionis proximum, etiam abſque conſensûs periculo:tunc enim dicunt eſſe mortale. At inquit Sanchez,diſplicet limitatio,quia res ſunt tantùm leuiter turpes,nec notabiliter influunt. Sed non poteſt probari iſtud vltimum, quia res leuiter turpes ex morâ & duratione,vt ſi quis fœminæ manum tamdiu oſcularetur, quamdiu in pollutionem præuiſam caderet,etſi non conſentiret, non videretur excuſari poſſe à mortali, quia cauſa æquiualeret alteri cauſæ grauiter,& notabiliter libidinoſæ,propter durationem. Probanda itaque videtur iſta limitatio,& in Confeſſione ponderanda,cùm caſus abditur.

Similiter & ponderandum erit quod ait Cardinalis Toletus lib.5.*instruct.Sacerd.* cap. 13.poſſe eſſe peccatum in non remouendo cauſam futuræ pollutionis; vt tamen in hoc ſit peccatum, neceſſarium eſſe hominem probabiliter cognoſcere cauſam futuræ pollutionis,ipſámque aduertere,aut debere aduertere.Quia,inquit,ſi dubitat de futura pollutione, & non habet moralem certitudinem,non eſt mortale,ſed veniale, vt

habet Syluester *verbo* pollutio : vt qui vescitur cibo, quem dubitat pollutionem inducturum.

Magis autem dilucidè resoluit hanc obscuram quæstionem Loth Ord. Præd. Doctor Duacensis *in resolut. Theolog. tract.* 16.*art.*4. vbi relatis duabus opinionibus super eâ controuersiâ addit. Tertia deniquè sententia docet pollutionem esse mortalem quoties causa in qua præuidetur est mortalis, ac proinde tunc adesse illi actui specialem malitiam ratione pollutionis præuisæ, quia cum illa pollutio non sit in se volita, sed in causa in qua præuidetur, in tantum mala erit, in quantum est mala causa, in tantum enim culpa est in quantum est voluntaria, si ergo causa est mortaliter mala, talis erat pollutio. Ita S. Thomas 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 5. vbi culpam pollutionis iuxta culpam causæ metitur. Caietanus 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 8. Satyrus *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 9. Angelus *verbo pollutio*. Lopes 1. *part. instruct. cap.* 73. & alij multi, & hæc sententia, ait, est communior & probabilior.

Porrò dogma suum D. Thomas hausit ex fontibus D. Augustini l. contra mendacium ad Consentium cap. 7. *ea quippè opera hominum sicut causas habuerint bonas seu malas, nunc sunt bona, nunc mala quæ non sunt per se peccata.* Confirmari autem potest ex dictis Martini de Magistris in superiori quæsito, vbi aiebat, pollutionem nocturnam non esse peccatum nisi quando est volita & intenta in vigilia fitque aliquid expressè eo fine, vt accidat in somnis, túncque non esse peccatum distinctum ab ipsâ intentione quâ volita est, aut procurata : seque mirari quomodò aliqui Theologi ita prompti sunt ad multiplicanda hominum peccata : at pollutio inuoluntaria adueniens in vigiliâ æquiparanda videtur nocturnæ, cùm vtraque sit inuoluntaria. Imò dicit D. Augustinus lib. 1. *de Ciuit.* cap. 25. *si motus concupiscentiæ sine peccato est in corpore dormientis quanto, magis in corpore non consentientis?* Quippe maior est virtuti locus in vigiliâ dum eius sensus improbatur & displicet voluntati : Vbi ergo erit locus peccato mortali si causa ex se non est mortalis, nec enim contrahet malitiam mortalem ex illo effectu qui est sine peccato mortali, vt supponitur.

Atque idem iudicium ferendum est de illa pollutione quæ accideret personis spirituali vitæ deditissimis, ipsis omninò contra reluctantibus, ex operatione dæmonis, cui aliquandò hoc permittitur ad probationem quorumdam, qui cum hoc toto animo abhorreant nec ad hoc cooperentur, in illis violentum est à principio extrinseco proueniens. Quod cum benè

ne perſpectum eſſet confeſſario, non expediret vt tales nimium increparet, aut ad grauiores pœnas adigeret, ne ſuprà modum triſtitiâ abſorberentur, ſed potiùs in ſpem erigeret, non tantum culpæ quantum pœnæ in illo ſtatu derelictionis ſpiritualis aſſerens.

In cuius rei confirmationem iuuat annotare quod refert P. Philippi à ſãcta Trinitate ex Carmelitis diſcalceatis in *Theologia myſtica p. tráct.* 3. *diſc.* 2. *art.*1. Solere ſæpè animos incipientes purgari per quaſdam carnis tentationes, per quas miris modis turbantur præcordia conſcientię eorum tum ſcrupulis de conſenſu ne forte illis conſenſerint, tum fœditate materiæ quam execrantur, tum metu ruinæ poſſibilis infirmitati humanæ, exemplo plurium, tum etiam ne ſint coram Deo exoſi & abominabiles. Sed nec ſolum incipientes verum etiam in ſanctitate prouecti quales D. Paulus D. Hieronymus & alij. Rari enim ſunt qui carnis ſtimulos non patiantur propter corruptionem naturæ per peccatum originale. Priuilegium D. Thomæ paucis conceſſum eſt ſicut & ſanctæ Tereſiæ inter virgines. Porrò exemplum huius tentationis valdè illuſtre ſubiungit quod eſt in vita. B. Angelæ Fulginatis. Quam ipſamet in exercitium caſtitatis tentata per fœdam pollutionem à dæmone immiſſam ſic deſcribit. In locis verecundis tantus eſt ignis quod conſueui apponere ignem materialem ad extinguendum alium ignem concupiſcentiæ donec Confeſſor mihi prohibuit: tunc cum ſum in illa tenebrâ credo quod mallem tunc aſſari, quam prædicta tunc pati; imò tunc clamo & aduoco mortem, vt per quemcumque modum mihi Deus concederet eam euenire: & tunc dico Deo, Domine ſi me debes mittere in infernum, ne differas, ſed ſubitò facias, & ex quo me dereliquiſti comple & ſubmerge me in profundum, & intelligo tunc, quod id eſt opus dæmonum & quod illa vitia non viuunt in anima, quia anima numquam conſentit eis, ſed corpus patitur violentiam & eſt tantus dolor & tædium, quod ſi duraret, corpus pati non poſſet.

B. Angela Fulginas.

Quod confirmat D. Auguſtinus *l.* 1. *de Ciuit. Dei* cap. 15. ſit in primis poſitum atque firmatum virturem quâ rectè viuitur ab animi ſede membris corporis imperare, ſanctúmque corpus vſu fieri bonæ voluntatis, *quâ inconcuſsâ ac ſtabili manente quicquid alius de corpore vel in corpore fecerit, quod ſine peccato proprio non valeat euitari, præter culpam eſſe patientis.*

Neque verò quiſpiam obiicere poteſt tunc aliquem ſine peccato mortali magnâ voluntate frui poſſe: non enim verè delectat quod diſplicet ſincerè voluntati, vt ex præfato

exemplo B. Angelæ innotescit. Nec virgines quæ aliquandò vim passæ sunt etsi cum sensu voluptatis sensitiuæ, minus miseras se existimauerunt. Nec metuendum est vt qui verè osor est voluptatis carnalis, causas illas exquirat, ex quibus illam, ne accidat, metuit, nisi necessitas aut alia quædam vtilitas postulet, siquidem ob eam causam quidam nunquam volunt equitare, alij oleo nunquam vtuntur refutant, alij lubricum deceptoriumque magisterium, vt loquitur Guibertus Abbas de *Virginitate* cap. 14. Quamuis aliàs vtilissimum, alij à pluribus licitis abstinent. Vndè si quis aliter causas illas amplectatur, cauere debet ne illudatur à dæmone aut sibi falsò imaginetur se mollitiem detestari, cum potius illam exoptet: sicque in Iudicio Dei sordidus appareat audiátque aliquandò eiectus à loco sanctitatis ac puritatis illud Apoc. 21. *foris canes & impudici.*

Neque hîc omittendum arbitror id quod aduertit Ioannes Sanchius in *Selectis* disput. 21. vbi n. 29. incipit tractare, an liceat aliquibus, qui quodam pruritu salaci diuexantur ex naturali calore, idque circà partes naturales, liceat illis eas confricare ad sedandum illum pruritum, vbi est periculum pollutionis, non tamen consensus in eâ: cuius sententiam non improbabilem defendit Loth cum pluribus aliis quos laudat *in difficultat. Theolog. tract. 16. art. 5.* Nec quæstio ista inutilis est Confessario, cui plura scire conuenit ad agnoscendum peccatum vbi verè est. Plures enim audiui qui magnis premebantur angustiis propter istum pruritum qui quorumdam, & quarumdam morbus est sæpiùs renascens, dubitabántque, an liceret tantisper vngues admouere ad illum sedandum, cum sæpè ex illâ admotione sequeretur pollutio, cui animus reluctaretur. Asserit autem istud licitum tum multorum quos enumerat authoritate tum quia iure naturæ cuilibet concessum est medicinas applicare ad sui curationem. Quòd autem præter intentionem sequatur, vel non sequatur pollutio, curandum non est: quia tunc non est voluntaria, sed permissa; & potiùs agens illam patitur quàm actiuè se habeat. Quamuis autem aliqui qui abuti possint istius rei explicatione, licet tamen rei licitæ veritatem aperire, etsi indè abusus, quorumdam malitiâ, oriri possint. Exempla sunt in refectiunculâ in die ieiunij. In surreptione rei alienæ propter extremam necessitatem. In occisione inuasoris ad sui ipsius tutelam. Quod ista defendantur licita, pluribus est occasio peccatis, sic ægris oculis lux est odiosa, & læsiua organi. Si quis autem imaginetur se posse aliâ viâ mederi huic malo, admouendo frigidam ad calorem illum temperandum, vel penitùs

prohibendo manûs admotionem, experietur ista nihil proficere, cum ex frigidâ inflammetur iste calor veluti calx, & asserant pœnitentes sibi impossibile esse diutiùs pruriginem istam pati, quæ semper magis magisque adaugetur. Quare si minus instructos Confessarios nanciscantur, qui continuò illis significent lethaliter in istis peccari, etsi pollutio ipsa velut mors amara displiceat, verè illis angustiæ sunt vndiquè, nec longè à desperatione salutis abscedunt. Phlebotomiam autem illis consulere non est opus Confessarij propter pericula aliorum incommodorum, nec sanguinis à vena extractio constans est remedium istius mali.

Et hæc sunt quæ liberare debet circumspectus Confessarius in hac verè difficili quæstione, ex quibus poterit discernere mortale peccatum à veniali, pollutione peruigilis, & solari nonnunquam pœnitentes qui maiore Dei timore ducuntur, si aliquandò illis accidat pollutio, quam in seipsa detestantur, cùm tamen omnes eius causas leuiter lasciuas non vitauerint. Nam eis qui absque Dei timore viuunt, non accidit pollutio, quin vehementer complaceat, & quin etiam grauissimè peccent. Quod cùm sit satis manifestum, non discutimus hîc, vbi agere de difficilioribus, scopus est primarius.

Aduertendum autem pollutionem voluntariam esse eiusdem speciei, siue fiat per solam intensam cogitationem siue per externam procurationem ac proprium sui ipsius contactum. Si autem alterius opera contingit, est grauius peccatum propter participationem in alterius peccato. Itémque si illi adiungatur desiderium alterius personæ, putà coniugatæ vel virginis. Ex hoc enim mutantur species pollutionis: vndè hæ duæ vltimæ circumstantiæ in confessione debent aperiri. Atque hîc memoriæ occurrit quod mihi narrauit ante plurimos annos vir quidam quem iam in animâ æuo beato perfrui non dubito. Hic conualescebat ex grauissimo morbo, in quo cum putaretur iamiam animam exhalare, sensit se omni ex parte circumdatum esse dæmonibus pluribus sub figurâ capitum humanorum quorum vultus erant tetri, horribles ac minacissimi contra ipsum, hancque vocem ex eorum ore prodeuntem audiebat. *Ie te tiens maintenant ie te tiens*, te nunc teneo te nunc teneo, menti eius inculcantes plura pollutionis peccata quibus per multos annos maculatus fuerat sine vllâ eorum confessione. Putabat miser de salute suâ actum, cum illi apparuit mater misericordiarum Virgo Deipara, à cuius conspectu omnis illa teterrimorum dæmonum caterua aufugit, cui ille pollicetur se integrâ confessione omnia illa peccata emenda

emendaturum, quod promissum paucos post dies melius habens cum animo pœnitenti exsoluit coram me. Vt non alium testem requiras.

Iudicium Theologorum Salmanticensium.

Theologi Carmelitæ Salmantienses tom. 4. ad. quæst. 74. D.Thomæ tract. 13. *de peccatis* rem hanc accuratiùs prosecuti sunt,& si libenter vt consuleient breuitati, negotium istud aliis remisissent :præsertim cum in hac materia habens laxare periculum sit & habenas restringere fortè minùs acceptum. Ne verò inquiunt, rem grauem communissimè obuiam à pluribus tactam,à paucis comprehensam & à nemine forsan sufficienter distinctam, eodem in statu relinquamus, placuit pro eius elucidatione nonnihil ampliùs laborare vt veritatem inquiramus.Ex multis autem ipsorum dictis hæc pauca accipe, quæ magis ad rem spectare visa sunt.

Ac prædicto tract. *disp.* 10. *dubio 6.* Dubium satis graue & implicitum examinandum occurrit, videlicet quandò voluntas censeatur consentire in prædictos motus vel effectus subíque imputentur propter liberam applicationem causæ:quæve necessitas aut vtilitas excuset liberam applicationem, vndè motus & effectus illi sequuntur.Neque est sermo (saltem per se primo) de illis causis quæ secundum se & intrinsecè sunt deformes : harum enim libera applicatio sine dubio nequit ab ea saltem malitia quam secundum se dicunt excusari : sed de iis quæ secundum se malitiam non exprimant, vitiari tamen solent ratione effectuum.

Causæ illorum motuum vel sunt causæ per se quando natura sua & directè tendunt ad illos effectus vt omnes actiones luxuriosæ & tactus turpes quæ tendunt ad causandam delectationem veneream & pollutionem sicut inflictio vulneris tendit natura sua ad homicidium : vel sunt causæ per accidens quæ non directè ad hos effectus tendunt, licet per accidens ex iis sequantur absque intentione agentis,seu quia excitant,aut adiuuant causas per se, vel alio modo quia remouent prohibens illos.

Causæ autem per se aliæ leues sunt quæ non influunt notabiliter in effectum per se v. g. pollutionem, vt leuis tactus digiti vel aspectus faciei fœminæ. Aliæ graues quæ præbent sufficientem influxum ad prædictos effectus, vt aspectus valdè turpis.

Causæ etiam huiusmodi per se aliquæ ita sunt determina-

[..]æ ad effectum illicitum, vt in nullum alium possint influere, vel non nisi mediantè tali effectu, qui idcircò sit primarius in causando & non nisi mediante illo, effectus non illicitus sequatur, aliæ verò possunt immediatè influere in aliquid [li]citum, quamuis simul aut consequenter in illicitum influant, [v]t tactus quo chirurgus medetur fœminæ concurrit ad eius curationem licitus & si simul in pollutionem influat chirurgi qui est effectus illicitus.

Dicendum ergo. Quoties causa aliqua ita est determinata ad motum vel effectum illicitum, vt vel nullum alium effectum habeat, vel non nisi mediantè ipso effectu illicito in alium influat, neque causa, neque prædictus effectus vel motus possunt ob quemcumque finem excusari à peccato mortali, vel veniali iuxta grauitatem materiæ. Sumitur ex D. Thoma [..].2.*q*.88.*art*.11. *ad* 3. Docéntque plures. Quia qui ponit liberè talem causam eo ipso vult effectum illicitum, cum enim tantum illum effectum habeat applicatur propter illum. Et cum id sit malum in se propter nullum finem honestari poterit. Est enim pollutio malum in se. Quod etiam agnouerunt ipsi Ethnici vt Martialis *l*.9. *Epigrammatum* 42. in Ponticum polluentem se. *Malitia pollutiones.*

Hoc nihil esse putas? scelus est mihi crede, sed ingens,
Quantum vix animo concipis esse tuo, &c.
Ipsam crede tibi naturam dicere rerum,
Istud quod digitis, Pontice, perdis homo est.

Dolendum igitur, celasse naturam Christianum Doctorem quod Philosopho gentili & aliàs in moralibus satis deprauato non occultauit. Quod est contra Ioannem Caramuel l.4. *Theol. moralis*.n.16. cap.3. Vbi nullo iure naturali, sed tantum positiuo diuino pollutionem esse interdictam ait: neque aliter de effusione seminis discurrit quam de esu pomi & de minoratione sanguinis aliisque similibus secundum se bonis, vel indifferentibus si ea Deus interdixisset.

Adde multos commendari qui maluerunt vitam discrimini exponere. Sic B. Casimirus Regis Poloniæ filius & Hungarorum Rex, vt eius narrat Historia graui oppressus infirmitate mori potiùs quàm castitatis iacturam ex Medicorum consilio subire constanter decreuit. Idem de Iacobo Cardinali Vlyssiponensi Regis Portugaliæ filio refert Hieronymus Gorimabertus l. 3. *de vitis Pontificum.* Similia traduntur de Isaacio Commeno Imperatore. De Thoma secundo Episcopo Eboracensi: De Michaële Verino primo inter Gallos recentiores Poëtas cuius illud exstat posteritati consecratum. *Exempla castitatis.*

Sola

Sola Venus poterat lento succurrere morbo,
Ne se pollueret, maluit ipse mori.

Ratio est, quia humanum semen eiúsque administratio determinatè ordinata sunt à natura propter conseruationem speciei media generatione in vsu Matrimonij; non autem propter salutem indiuidui, propter quam cætera membra possent amputari. Quod tamen impugnat Thomas Sanchez l. 9. de Matrimonio. *disp.*17. *num.*51. cuius etsi authoritas in rebus moralibus iis præcipuè quæ ad sexum præceptum & ad Matrimonium spectant magni semper est facienda, eius tamen obiectiones contra prædictam rationem non valdè vrgent, ac ideò soluuntur.

Dicendum 2. Quoties causa influens per se etiam notabiliter in aliquem effectum malum, æque immediatè vel per prius habet alium effectum bonum isque sufficienter necessarius censetur iuxta materiæ grauitatem & qualitatem, potest talis causa licitè applicari ad hunc effectum posteriorem, etiamsi prauus ille succedat: dummodò licet præuisus, non tamen sit intentus, neque expressè volitus neque medium per se ad finem intentum. Seclusa verò necessitate tenebitur voluntas à prædicta causa abstinere: eritque obligatio hæc sub mortali si materia grauis sit; secus sub veniali. Illustratur hoc exemplo. Si vrgeret necessitas ad expugnandam ciuitatem in qua essent nocentes & innocentes, liceret comburere ciuitatem, vt perirent nocentes licet præter intentionem perituri sunt innocentes. Liceret grauidæ mulieri etiam post animationem fœtûs dare medicinam expulsiuam per se humoris mali cum periculo abortûs, quod tamen iniquum esset, si alia via periculoso morbo occurri posset. Neque est ibi voluntarium indirectè quod fit cum voluntas non vitat quod tenetur vitare: cum sit in hoc casu necessitas propter quam non tenetur vitare. Nec obiici potest quod qui vult causam vult effectum & qui vult antecedens vult consequens, quia hoc intelligitur de volente causam, vt est causa effectus sicut de antecedente vt est causa consequentis quod hic locum non habet. Nec obstat præuisio effectûs per se (quia de effectibus per accidens nulla est difficultas) quia vt censeatur directè volitus in volitione causæ debet esse vel præintentus itaut ex hac intentione applicetur causa, vel cum ipsa expressè volitus, vel debet esse medium per se conducens ad alium finem principalem intentum ex qua intentione præcesserit volitio, & applicatio causæ.

Voluntarium indirectè quid.

De vitandis causis per accidens delectationis venereæ & pollutionis

pollutionis sine consensûs periculo sunt quatuor sententiæ 1. Damnat prædictas causas peccati mortalis, etiam secundum se licitas vt est moderatus potus, audire Confessiones fœminarum, studium de prædictis rebus & similia, nisi iusta aliqua necessitas, vel vtilitas earum malitiam excuset. 2. Damnat si in prædictis causis sit aliquid illicitum vel veniale. 3. Damnat tantum si sit mortale quidpiam in iis vt in ebrietate. 4. Docet nullam aliam causam vitandam esse sub mortali ratione delectationis venereæ, aut pollutionis præuisæ ac non intentæ siue prædicto consensûs periculo, nisi quæ secundum se sunt actiones grauiter turpes & secundum se peccata mortalia intra ipsum genus luxuriæ: vt ad spectus & tactus grauiter impudici, oscula & amplexus habita ad captandam delectationem, & alia huiusmodi quæ eo ipso non vt causæ per accidens, sed vt causæ per se influunt notabiliter in prædictos effectus. Cæteræ causæ, ratione huiusmodi pollutionis, aut delectationis præuisæ non intentæ, non inferunt maiorem obligationem quam sub veniali vt vitentur. Ab obligatione verò vitandi sub veniali prædictas causas ratione dicta excusabit quælibet earum necessitas vel pia vtilitas per quam ab otiositate liberentur, & secundum obiectum vel finem honestæ reddantur, & hæc sententia quam eligit dictus Thomas Sanchez sequutus D. Antoninum, Caietanum, Philiarcum, Niebam, Nauarrum, Suarem, Vasquem, & alios nobis probabilior videtur atque statuenda pro conclusione: cui etiam subscribunt in præsenti Aluarez *disp.*146.&c.

Obiicies, inter causas per accidens non rectè collocari studium & audientiam confessionum de rebus turpibus, quia nihil fieri potest de istis sine cogitatione quæ est inter causas notabiliter per se influentes: non enim excitatur à cæteris causis nisi per cogitationem. Resp. Cogitationes esse in duplici differentia, aliæ practicæ & sensuales per quas figitur sensus in delectabilitate rerum turpium: ac tales sunt causæ per se. Aliæ sunt immaterialiores & dici possunt speculatiuæ & studiosæ quibus vtimur ad hoc præcisè vt intellectus per discursum notitiam de rebus cogitatis acquirat, vndè immaterialiter quodammodò versantur circa res turpes, vnde sunt inter causas per accidens. His Theologis suffragatur Adrianus *in* 4. *sent.* Vbi de Sacram. Eucharistiæ. Dicitur turpis cogitatio, non quia de fœda materia putà coitu & immunditia: cum de illis apud sermocinantes & studentes habeantur cogitationes honestissimæ & magni meriti: sed quia turpiter illis mens oblectatur & vult immorari.

Quod

que est incautos prolabi in peccata grauiora, etiam cum periculum abesse creditur.

Tenebitur autem voluntas sub mortali, quando post applicatam causam prædictam delectationem aut pollutionem earumue periculum animaduerterit, talem causam amplius non continuare; sicut teneretur à principio excludere si ex tunc animaduertisset.

Ac licet in casu prædictæ suppositionis non sit culpa mortalis de genere luxuriæ & aliquandò venialis sit in applicatione prædictarum causarum. Poterit tamen esse mortalis ratione scandali, ratione magnæ indecentiæ, vt si Episcopus tales applicaret. &c.

Certior autem regula nequit pro illis assignari quam vt vnusquisque deposita passione conscientiam suam consulat & ex propriâ complexione vel inclinatione aut etiam experientia præsagiat & coniiciat, an ex tali causa imminent sibi periculum pollutionis aut delectationis venereæ, eoque vel eminus præuiso omninò ab illa abstineat, vel si applicata iam erat, quam citò eam amoueat. In grauioribus autem causis quasi stat possessio pro periculo & ita eo ipso quod de securitate non constat debet illud timeri & causa sub mortali vitari. In his autem mediis ac leuibus videtur potiùs possessio stare pro voluntate, nisi conditio personæ aliquandò aliud suadeat.

Quæritur trigesimosextò, quid perpendere debeat Confessarius in peccatis luxuriæ, vt videat si sint reseruata.

Ordinariè reseruantur Episcopis & eorum Pœnitentiariis incestus vsque ad secundum gradum inclusiuè, sodomia, bestialitas, & actus carnalis viri cum muliere consummatus in Ecclesiâ, stuprum & raptus Virginum ac mulierem honestè viuentium, fornicatio cum eâ, quam quis de sacro fonte susceperit, & cum eâ cuius Confessionem Sacramentalem exceperis, si sis Sacerdos. Item alicubi adulterium notorium, alicubi etiam peccatum mollitiei. Videant Confessarij catalogum casuum reseruatorum in suâ Diœcesi, eúmque, si fieri possis, memoriâ teneant.

In his obseruandum est peccatum debere esse consummatum vt reseruetur; nam quantumuis aliquis magnum adhibuerit conatum ad illud perpetrandum, si omninò non compleuerit, non censetur reseruatum, quia casus reseruati debent cum rigore verborum explicari, cum sit materia odiosa, nec plùs extendi quàm verba significent in rigore sumpta.

In particulari autem quoad incestum specificandus est gradus primus vel secundus, quia diuersi gradus consangui-

nitatis & affirmitatis distinguunt species specialissimas incestus vt tenet Nauarr. in *manuali* c.16. debétque explicare pœnitens an rem habuerit cum matre, cum sorore, cum amitâ, cum nepte, cum consobrinâ germanâ & huiusmodi, explicatis cæteris circumstantiis explicatis necessariis in peccato carnis de quibus iam dictum est. Extenditúrque hic casus ad consanguineas & affines tam per legitimum quàm illegitimum concubitum, vt si quis cum duabus sororibus rem habuerit, cum matre & filiâ: cum duabus cognatis consobrinis. In quibus peccatis inquirendum est quoties cum secundâ rem habuerit, & deindè quoties ad primam redierit, post quam semel cum secundâ peccauit: quia ex his interrogationibus habetur numerus incestuum. Sed & sæpè inquirendum num ante vltimam Confessionem, cum iisdem affinibus & consanguineis peccauerit, quia ex hinc adhuc magis patet numerus incestuum.

Putant autem quidam non distingui specie incestus siue in primo, siue in secundo gradu fuerint. Quâ opinione positâ, sufficeret quòd pœnitens se accusaret de commixtione carnali habitâ cum affine aut consanguineâ non explicato gradu primo aut secundo. Quod in multis casibus inseruiret, vt pœnitens complicem peccati non reuelaret Confessario, qui ex notitiâ familiæ sæpè conficit quis ille aut quæ illa sit. Hanc opinionem, quæ non est improbabilis, si exciperetur primus gradus in lineâ rectâ sine vlla limitatione, tenet Corradus 1. part. quæsito 49. *in additione*. Quamuis in genere moris grauius dicat miscuisse se cum sorore quàm cum consobrina, & bonum esse id explicare. Deberet tamen pœnitens potiùs illam circumstantiam tacere quàm proximum diffamare apud Confessarium, qui ex confessione incestus in primo gradu statim personam agnosceret: quia lex de non infamando proximum est de iure diuino naturali; lex autem de integritate confessionis est de iure diuino positiuo, & ita huic debet illa cedere. Aliis tamen videtur non infamari personam cuius peccatum in sola Confessione Sacramentali detegitur, cum peccando sese huic malo exponat. Quod non placet.

Per Sodomiam intelligitur copula viri cum viro, aut secundùm quosdam, cum mulier in vase præpostero cum emissione seminis in ipso vase; non conuenit tamen inter omnes an copula viri cum muliere modo dicto sit casus reseruatus. Referunt Cardinalem Borrhomæum ea de re consultum respondisse esse reseruatum, teste Bonacina de *Matrim*. q. 4. p. 11. Attamen cùm reseruatio sit strictè interpretanda, & peccatum

catum viri cum muliere præfato modo, non fit propriè Sodomia propter diuersitatem sexus ;. plures censent non esse reseruatum ; ita Bonacina *ibid.* Ioannes Chapeavilla in *vndecimo casu reseruato*, & alij contra Couarruuiam *de sponsalibus* part. 2. c. 8.§.5. est que illorum opinio tuta in praxi. Quod si non fiat intromissio cum emissione, peccatum non reseruatur, quantumcumque aliqui se contractauerint in diuersis partibus. Intelligitur etiam concubitus fœminæ cum fœmina, cùm vna ita alteram subigit, vt semen mulieris incubæ descendat in vas alterius succubæ. Alias non reseruatur, quantumcumque, enormiter peccent in nefandis suis amoribus, quos redarguit Apostolus ad Rom. 1. *Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum, in eum vsum, qui est contra naturam.* Quod peccatum magis familiare est Asiaticis fœminis, quamuis Europeæ omninò eius non sint expertes.

Porrò in ista peccati specie, videtur esse inquirendum à sodomita, quoties peccauit agendo, quoties patiendo. Nisi mali sequi sentētiam Alphonsi de Leone in tract. *de officio & potest. confessarij* apud Dianam 3. *p. resolut.* 159. *tract.* 4. vbi docet peccatum esse eiusdem speciei seu in agendo, seu in patiendo, licet agens grauiùs peccet & puniatur. Sed magis & minùs non mutant speciem. Vndè necessarium non est id confiteri, sicut nec gradum cognationis carnalis, quia in tali copula non miscetur caro nec contrahitur affinitas. Necesse autem erit inquirere, si vir fuerit coniugatus propter iniuriam quæ fit vxori, quæ propter hoc peccatum ius habet diuortij & separandi se à proprio viro, qui hac sorde fœdatus est. Inquirendum etiam an fuerit vir Deo consecratus per votum castitatis : nam Sacerdos, qui notoriè hoc peccato infestus esset, irregularitatem sacrilegus incurreret, propter enormitatem criminis, prout iura statuerunt,

Per bestialitatem intelligitur copula viri, aut mulieris cum bruto, quæ fit completa per intromissionem membri pudendi ex vna parte cum emissione, aut dissolutione seminis intra vas. Quod si vir contra ventrem bruti se polluerit, non est casus reseruatus, nec si ex bruto se retraxit antequam seminaret etsi mulier polluta sit ex tactu alicuius partis animalis, sed non partis pudendæ intromissæ, non erit etiam casus reseruatus. Etsi autem bestialitas sit infimæ speciei, nec sit necesse ad cognoscendam speciem peccati interrogare de specie bruti, id tamen aliquandò expedit ad amouendam occasionem, si sit animal domesticum, nec enim minùs obligantur Pœnitentes ad eiiciendum brutum à domo sua, quàm mulierem

vocariam aut ancillam domesticam cum quâ peccarent.

Per actum carnalem consummatum in Ecclesiâ, intelligitur actus fornicationis, aut adulterij in Ecclesiâ ipsâ, vel in aliquâ capellâ Ecclesiæ; non verò in porticu Ecclesiæ, nec in campanili, nec in vestiario, nec in cœmeterio, nec in oratorio priuato domûs in quo est altare.

Per stuprum intelligitur copula habita cum virgine, quæ allecta fuerit precibus importunis promissis magnis dolis atque aliis exquisitis modis; nam si leuiter rogata consensit, non reseruatur hoc nomine.

Per raptum autem intelligitur habita copula cum virgine aut muliere honesta, quæ violenter oppressa est, aut inuita ex domo propria extracta ad hoc facinus perpetrandum, inuitis parentibus aut marito; quod si volens & consentiens è domo propria educta est, non reseruatur.

Per concubitum cum filiâ baptismi aut Confessionis, & vicissim si sit mulier cum filio baptismi, aut cum patre spirituali, intelligitur quidam incestus spiritualis, præ supposito decreto Ecclesiæ introducto, ad deterrendum homines ne occasione Sacramentorum quibus magis debent mundari, magis deprauentur & inficiantur. Extenditurque in Baptismo ad patrem, matrémque baptizati. Casus autem reseruatus est pro Confessione, tam respectu Sacerdotis, saltem in Diœcesi Parisiensi, quàm respectu mulieris: quæ etiam validè absolui potest ab ipso Sacerdote cum quo peccauit, licet sæpius id non expediat; & nihilominus in Diœcesi Mediolanensi, & forsan aliquibus aliis, non potest validè sacerdos absoluere filiam Confessionis, quia id prohibitum est per Concilia Prouincialia, quod pro illo loco singulare est.

Huc etiam reducitur concubitus cum moniali, siue intra, siue extra Monasterium; est enim casus reseruatus; intelligitur autem de moniali professâ non de nouitiâ.

Per adulterium notorium intelligitur notorium facti vel iuris, illud quod famosum est ex diffamato vulgi rumore cui passim creditur: hoc quod in iudicio probatum est. Expediret autem illud adulterium non reseruari propter nimias difficultates quas patiuntur Pœnitentes, & Confessarij ad discernendum, num adulterium sit verè notorium. Quod idem videtur de peccato mollitiei, quod ita, suadente Diabolo, commune est in iuuenibus, vt maxima eorum pars remittenda esset ad Episcopos.

Porrò si quis pauca hæc quæ scribimus, indigna iudicet, quæ scriptis mandentur, sciat eidem criminationi patet,

Scripturam

Scripturam sacram, quod notauit Radulphus Flauiacensis, excusans plerasque spurcitias libri leuitici. Nos, inquit, inter alia, temeraria præsumptione arguimus lumen quod nos ipsos nobis ostendit. Arguimus verbum Dei quod siue suo vitio nostra vitia reprehendit, quid agis humana superbia? tantæ sunt sordes tuæ: in has fæces deuoluta es; & sermo Dei qui curam tui suscepit non aliter subuenire tibi posset, nisi in stercora tua quodammodò manus mitteret, & vt sordes tibi detrahat si dici fas est, ipse contraheret: sicut tamen radius solis incontaminatus cloacas penetrat, sic stilus Spiritus sancti, &c. quod autem sordescere visus est, tibi adscribe; tui enim causa factum est. Nec silet hic D. Augustinus l. 1. contra aduersarium legis & Prophetarum cap. 14. verba Deuteronomij 28. velut impura exhorrescens impurus exagitat, &c. *Dicat planè Spiritus sanctus intaminatus & intaminabilis quod audire anima recusat immunda, & esse non recusat immunda.* Idem namque spiritus *Rom.* 1. sensus impios non est verecundatus offendere, dum pios vellet instruere; sciat, inquam ille horum cognitionem penitus esse necessariam Confessariis, qui peccant, si fœda nolint audire. Et si minus in iis instructi sint sæpè vmbram peccati reseruati sumunt pro peccato reseruato, & cùm Pœnitentes vim sibi maximam fecerint ad reuelanda fœda hæc in Confessione, remittuntur sine causâ à Confessariis ordinariis ad alios qui maiori pollent auctoritate, vndè maximas patiuntur iniustitias, dum plusquam necessarium est, coguntur peccata pluribus confiteri. Nonnunquam etiam in tantam verecundiam incidunt, vt malint mori in peccato, quàm iterum Confessario potestatem habenti, illud aperire. Quod si Confessarij satis instructi essent, sedarent conscientias Pœnitentium, non deciperentur ipsi existimantes multos casus esse reseruatos, quòd proximè accedant ad reseruatos, nec sine iustâ necessitate beneficio absolutionis priuatos à se dimitterent toties.

Quanta autem sint hæc, non continent millesimam partem turpitudinum, & abominationum quæ committuntur ab impudicis, quorum idcircò plura peccata sunt quæ vocari debent innominata, quia nondum venit in mentem hominum illis nomina imponere, vt sic omnis immunditia non nominetur in nobis. Quare videtur hic accommodanda hæc vox ad Ezechielem directa; *adhuc conuersus videbis abominationes maiores his.* Iam ferè quindecim anni elapsi sunt, cùm mihi persuadebam, nihil esse tam horrendum in genere luxuriæ, quod auribus meis non auditum fuisset, tam mul-

ta,& inaudita pluries audiueram ; & ab eo tempore vix annus elabitur,quin ipso currente, dum in Officio Propœnitentiarij vltram occultam Deo immolo, aliquod aliud insonet auribus meis in genere luxuriæ, monstrum horrendum, informe, ingens,mortalibus inauditum,vt Gomorrha iustificari posset præ multis Christianorum ciuitatibus. O Christiani gloriæ æternæ candidati!an nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti?cur ergo tollentes membra Christi facitis membra meretricis? annon aspicitis ad illam ciuitatem mundissimam in qua Virgines sequuntur agnum quocumque ierit, in quam nihil intrabit immundum, & coinquinatum, & in cuius superliminaribus scritum est ; *foris canes & impudici?* annon Deus sanctitas ipsa est & puritas! quomodò ergo speratis animas vestras omni spurcitiâ immundas ita fore illi necessarias, vt postquàm è fœdissimo corpore egressæ fuerint,illas velit admittere in loco puritatis,& munditiei? Mutate consilium,mutate vias vestras & amores vestros spurcissimos. Mortificate membra vestra super terram,offerte corpora vestra in hostiam viuentem,sanctam,Deo placentem. Christus Virgo & Virginis Filius ardentissimè amat,quos singularis prærogatiuâ castitatis ampliori dilectione dignos facit. Sunt illi quasi columbæ quæ lacte sunt lotæ, & sine vllo inquinamento resident iuxtà gratiæ suæ fluenta plenissima. Deliciæ eius sunt corda casta, quæ præter eius amorem omnes respuunt, & vultus suos dulcissima pulchritudine splendentes illi consecratunt. Hæc sunt castra eius niue candidiora, & saphyro pulchriora, quorum formâ delectatur. His manifestat secreta sua, in his ponit Regium thronum. Hic est fructus plusquam suauissimus laboris & Passionis eius. Nunc ergo diligite eum & despondete illi quasi Virgines castas animas vestras si placet vobis thalamus deliciarum eius, vbi gustatur in fonte ipso infinita dulcedo amoris purissimi. Quid agitis vagantes per amores fœdissimos, qui vos diuertunt à complexu eius? eligite iam nuptias agni candissimi, & Virgineum florem qui per dolores & agones à spurcitiis carnis impolluto calle præseruat. Resonétque sæpius in ore vestro vestri propositi signum hoc, Benedicta sit vita casta, Maledicta sit impudicitia. Denique sequimini sanctimoniam sine quâ nemo videbit Deum, non enim vocauit vos Deus in immunditiam,sed in sanctificationem. Hanc excursionem, lector, æqui bonique consule, si quid tibi sordium adhæsit ex necessariâ vt putamus, rerum impudicarum explicatione, hâc digressiunculâ extergendum esse censuimus.

Ioan. Carmel. de prud. sust. p.2. cap. 3.

Quæritur

Quæritur trigesimo septimò. Quid examinabit Confessarius super septimo præcepto. Non furtum facies.

Multâ hic sese ingerunt;exquiret ergo Confessarius an apud se pœnitens bona aliqua habeat, quæ sua non sunt. Quomodo ea habeat,quia aliquando acceptio bonorum alienorum iniusta est, vt quando fit per furtum occultè, siue vi, aut per rapinam, quæ est ablatio rei alienæ per violentiam, siue violencia illa sit absoluta, qualis est illa quæ fit inuito & reluctanti, seu conditionata, qualis est, ablatio rerum suarum ab eo qui consentit tantùm per vim & metum. Aliquando acceptio non est iniusta, sed tantùm detentio, vt cum sibi commodatum non reddit. *De examine septimi præcepti.*

Inquiret confessarius de debitis, si soluta ordine debito antiquioribus debitoribus primum. De solutione decimarum. De exequutione testamenti parentum. De damnorum reparatione, si quæ proximo intulit facto, vel consilio. De fraude in emendo & vendendo, si quæ fuerit admissa. De ludo si vsus fuerit falsis chartis, vel eas à colludente suffuratus fuerit, si cum taxillis inæqualibus luserit. De restitutionibus iniunctis à Confessario, si eas adimpleuerit. Si pecuniam suam non dederit ad vsuram. Si sit mercenarius, an fideliter operam impenderit. Si lites habeat, an iustæ sint, & ex bonâ fide & conscientia, & si præhabito consilio in rebus difficilibus credat sibi fieri iniustitiam ab aduersario; si veris instrumentis in prosequendâ lite vtatur, an falsis, & suppositis. Expendat autem Confessarius maximè quantitatem damni illati, quia furtum in minima quantitate mortale non est, sed veniale. Audiet etiam rationes pœnitentis, si quas pro se habeat, retinendi aut accipiendi aliorum res conabitúrque omnibus perpensis iustum ferre iudicium in iniungenda restitutione, ita vt si debitum restituendi dubium videatur, consulat priùs aut libros, aut Theologos peritiores, ne sit damno pœnitenti suo, cuius vtilitatem,saluâ iustitiâ, procurare debet. Si autem constat sufficienter de debito restitutionis, illud constanter & sine metu iniungat.

Quidam excusant omnes à restitutione. Primò, quia bona omnia iure naturæ communia sunt. Secundò, quia si quis noluerit restituere alienum, tenetur consentire rei dominus ex charitate, ne damnetur proximus defectu restitutionis:tenetur enim præferre salutem proximi suis temporalibus commodis; ideóque tenetur consentire, vt non restituat, ne damnetur. *Necessitas restitutionis.*

Verùm hæ rationes non impediunt quin restitutio sit

quàm plurimis ad salutem necessaria, tum quia furtum est lege naturali prohibitum, furari autem est non restituere cum possis. Tum quia principium est lumine naturali cognitum, non esse alteri faciendum quod tibi non vis fieri, at nemo vellet propria sua bona ab aliis detineri, sibique non restitui. ideò omnes leges restitutionem rei ablatæ præcipiunt.

Nec obstat quòd aliqui dicunt bona omnia esse communia iure naturali: sunt tantùm enim communia negatiuè quatenùs non sunt applicata particularibus, non positiuè: ideò iure gentium distributa sunt.

Quod verò aiunt dominum rei ablatæ debere consentire, vt non fiat restitutio, si nolit facere qui eam possidet. id falsum est. Ad confirmationem, respondetur teneri præferre salutem proximi suis temporalibus commodis, quando illa temporalia necessaria sunt omninò ad salutem proximi: nam aliàs infinita incommoda sequerentur, vt quòd omnes tenerentur bonis suis cedere, quotiescumque aliquis vellet aliàs peccare. Dominus igitur rei non tenetur cedere iuri suo, quando potest alius restituere, tantùmque ex malitiâ non restituit: nam tunc bona temporalia non sunt illi necessaria ad salutem, cùm absque illis saluari possit, si velit restituere.

Quæritur trigesimooctauò quomodò examinabit Confessarius de peccato vsuræ.

Hæc est crux Confessariorum grauissima, dum agitur de internoscenda vsura quæ tot modis palliata est, vt eorum, qui magis sunt oculati & perspicaces, oculos ferè subterfugiat. Refert Petrus Cantor Pariensis, cùm in Concilio Lateranensi quod celebratum est an. 1180. condemnata fuisset vsurarij notorij Ecclesiasticâ sepulturâ priuati, quæsitum fuisse à quibusdam præsentibus in Concilio, quinam & quales dictâ sententia percellerentur. Responsum est à quodam Episcopo, quod notorij tantum. Et cum processum esset in quæstionem, qui essent notorij dictum esse, qui publicè faterentur se esse vsurarios, vel aliquo signo noto hoc indicarent. Vt scilicet qui capistrum venale in summitate virgæ, fœnerandam pecuniam circumferant, sicque exsuflatum decretum illud. Hoc conquerendo Petrus Cantor multáque in fœneratores toto capite 50. *De verbo abbreuiato*, debacchatur, quòd facilè etiam ageremus, si alius nobis esset scopus, præterquam discernere peccatum à non peccato, & vsuram à non vsurâ.

Ad id autem, ne ex præcipitatione Iudicij error agat radices, aduertendum non facilè contractus damnari debere de-

de vsurâ, quia obscuræ sunt quæstiones de vsurâ, & multi de eâ sententiam dicunt qui nesciunt eam definire, quapropter Gerson *de contractibus p.* 3. laudat tria præclara dicta à præceptore suo Domino Cardinali Cameracensi, qui Doctor & Cancellarius Parisiensis facultatis extitit celeberrimus. Tertium eius dictum illud super contractibus humanis, qui præsupposito peccato sunt naturales atque necessarij, non debet leuiter reprobatio fieri, seu restrictio vel ad vsurariam prauitatem reductio. Tum subiungit Gerson de seipso. Quin etiam dum fieret in Concilio Constantiensi querela de tollendo simoniam similiter & vsuram, tamquam pessimas in Ecclesia pestes, motus ex hoc secundo & tertio dicto exclamare nonnunquam coactus sum: Deus æquissime quis nescit & simoniam & vsuram modis omnibus extirpandas esse? Sed primitùs declarandum sub *quibus casibus & qualibus intentionibus* propriè dicta simonia vel vsura committitur, *ne damnetur iustus cum impio.*

Vbi ponderanda sunt verba ista à consultissimo Doctore sæpiùs prolata in facie totius Ecclesiæ. *Sub quibus casibus vel intentionibus* propriè dicta vsura committitur, quia longè à vero aberrant qui omne lucrum ex occasione mutui prouenien sub quocumque titulo & intentione recipiatur vsurarium iudicant. Ponderanda quoquè verba *ne damnetur iustus cum impio*, quia aliquandò damnantur ab hominibus, vt vsurarij, qui coram Deo iusti sunt & innoxij, quòd non satis distinguantur casus & intentiones in quibus vsura reperitur.

Hinc D. Bernardinus Senensis quo nullus atrocior fuit in declamationibus ad populum contra vsuram, attamen in Quadragesimali *de euangelio æterno serm.* 42. *art.* 3. *cap.* 3. vbi postquam multos casus attulit in quibus licitum est aliquid vltra sortem recipere, concludit sic: Ex prædictis patet, quod in multis casibus prima fronte apparet, quod concurrat vsura: tamen liciti sunt contractus.

Atque hoc animaduertit Fernandus Rebellus in Eboraceansi Academia olim Theologiæ Professor ac Cancellarius 2. *parte de obligationibus iustitiæ lib.* 8. *q.* 5. vbi pugnans pro iustitia interesse lucri cessantis, contra eorum obiectionem qui exindè latum ostium aperiri vsuris conqueri solent, respondet non propterea negandam esse veritatem, quod eius prætextu possit quis malitiam suam obtegere: id enim per accidens sequitur: imò vtile esse in re proposita eam patefacere, ne ij qui eiusmodi contractus celebrant alioquin licitos, per erroneam conscientiam pereant: tum etiam, inquit, ne talia lucra restituere iniustè cogantur.

pter diſſidentes Doctorum ſententias. Res enim ferè ſemper fuit controuerſa, & quod Gerſon cùm multo clamore poſtulabat ſpecialiter determinari per vt Patres Concilij Conſtantienſi ſupra patuit, nec dum factum eſt hactenus, quia ſcilicet Concilia tantùm condemnant vſuram in genere. Qua de re omnes Catholici conueniunt, ſed non condemnant hoc & illud lucrum in particulari, quod cum mutuò coniunctum eſt, & occaſione mutui accipitur, licet alio titulo accipiatur. Hinc liberum eſt ſaluâ fidei compage, multa diſputare in vtramque partem.

Et quidem iamdudum obtinuit vſus, vt liceat mutuanti aliquod lucrum accipere à mutuatariis propter damnum emergens, & propter lucrum ceſſans, id eſt, ſi mutuans patitur aliquod damnum in rebus ſuis, eo quòd pecuniam ſuam alteri commodauerit, & deſinat negotiari vel aliquod fructiferum acquirere: quamuis D. Thomas illud vltimum non patiatur in pactum deduci, quia ab illo habendo poteſt mutuans multipliciter impediri, 2. *ſecundæ quæſt.* 78. *art.* 2. *ad* 1. Et ratio eſt, quia hoc non eſt vendere vſum pecuniæ in quo conſiſtit malitia vſuræ, ſed eſt damnum vitare, quod permiſſum eſt. Quia autem in idem ferè recidunt damnum emergens, & lucrum ceſſans, nullus Theologus contradicit, quin ex damno emergente, & lucro ceſſante poſſit exigere mutuans recompenſationem à mutuatario qui tenetur benefactorem ſuum indemnem ſeruare, ne detrimentum aliquod patiatur propter beneficium mutui illi præſtitum. Et Iuris Cæſarei quam Gallici peritior Faſchinæus *de controuerſiis iuris lib.* 3. *cap.* 101. vocat hoc vſuras compenſatiuas damni emergentis & lucri ceſſantis, quæ iure Canonico prohibitæ non ſunt. Imò omni iure hoc permiſſum eſſe ibidem aſſerit, maximè in iis locis in quibus ſi quis paratam pecuniam habeat facile inuenire poteſt cenſuum venditores vel aliam honeſtam opportunitatem pecuniæ collocandæ. Vndè vbi mutuatarius eſt in morâ, & ex hoc mutuans patitur detrimentum, putà quia non negotiatur, domus illius non reparantur, & earum valor multùm diminuitur, poterit Confeſſarius obligare mutuatarium ad recompenſationem faciendam mutuanti, cui cauſa eſt damni & detrimenti, quod ex iuſtitiâ reparare tenetur. Vndè & in foro externo condemnatur ad intereſſe, quoad vſque reddiderit.

Vſura compenſatiua.

Præter hunc titulum damni emergentis, alium adhuc admittit D. Thomas eadem quæſtione *art.* 1. *ad* 6: Et ſimiliter, inquit, poteſt eſſe aliquis ſecundarius vſus pecuniæ argenteæ,

vt putà si quis concederet pecuniam signatam ad ostentationem, vel ad ponendum loco pignoris: & talem vsum pecuniæ licitè homo vendere potest. Cui suffragatur Ægidius Roman. Doctor Parisiensis, ac Cardinalis *quodlib.* 5. *disp.* 5. *quæst.* 1. etsi enim subtalaris vsus sit calceatio, quis potest illo vti ad hauriendam aquam: ita licet pecuniæ proprius vsus sit eam alienare & expendere: potest tamen quis ea vti ad apparendum. Quod adhuc expressius asserit Scotus *in* 4. *sent. dist.* 15. *quæst.* 2. *num.* 19. aitque tunc ille esse locationem vel conductionem: atque pro isto vsu, retento dominio, recipi posse pecuniam: Porrò consensio D. Thomæ & Scoti magnum est veritatis indicium.

Præter hos titulos adhuc multi alij afferuntur à posterioribus Theologis, quorum aliqui existimant posse mutuantem aliquid accipere ratione periculi cui se exponit, laborumque quos subibit forsitan in recuperanda sorte sua. Ratione societatis per contractum trium. Ratione emptionis domus vel fundi cum conditione redimendi ex parte vendentis. Ratione pœnæ conuentionalis impositæ, si sors seu capitale non redderetur in certo termino. Ratione etiam sententiæ iudicis qui condemnauit mutuatarium ad interesse propter moram. De quibus titulis, quidam nihil censent examinandum in pœnitentibus, sed eos remittendos tanquam vsurarios, si iis vti velint; sed non omnium vna mens est & sententia, nec aliqui ita se sapientes existimare debent vt habeant cæteros quasi hebetes omni ratione destitutos.

Prudenter monet Gerson *lib. de Vita Spirituali Animæ*, *lect* 4. Doctrinam esse salubrem pro Doctoribus Theologicis, ne sint faciles, ait, asserere actiones aliquas, aut omissiones esse peccata mortalia, præsertim sub verbo vniuersali & dum prædicandum erit ad populum. A litterato quodam & experto viro didici perniciosam esse in omni arte vel doctrinâ assertionem audacem & extremam, maximè vbi obseruatio communis obnititur, obuiatque. Itaque numquam debet quilibet obliuisci quàm incerta est scientia nostra, ita vt sæpè idem homo breui momento temporis nunc in hanc, nunc in oppositam feratur sententiam. Fit propterea quandoque vt per tales assertiones publicas nimis duras generales & strictas præsertim in non certissimis, nequaquam eruuntur homines à luto peccatorum, sed in illud profundiùs, quia desperatiùs immerguntur. Variæ præterea suboriuntur & quasi infinitæ circumstantiæ, pro quarum diuersitate diuersificari debet iudicium. Hæc Gerson.

Certè

Certè aliàs disceptatio fuit insignis inter duos maximos Theologos, Henricum de Gandauo, qui illicitum aiebat emere redditus pecuniarios seu in perpetuum, seu ad vitam, & Godofredum de fontibus qui contrarium tuebatur, vt videre est apud Almainum *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. Ille vsurarias huiusmodi emptiones censebat, eóque maiori vsurâ, quo emens ponebat se in statu exercendi vsuram vsque ad finem mundi. Qua ratione multi abstinuerunt à talibus censibus & redditibus annuis acquirendis. Vicit tamen Godofredi sententia, quòd in ista acquisitione fieret emptio partialis redditnum alicuius fundi supra quod constituerentur: Interuenit etiam decretum Martini quinti, atque etiam Pij V. quo controuersia maxima ex parte sopita est, vt hodie nullus ferè supersit scrupulus apud religiosos quosque de his censibus. Sic etiam in præsenti controuersiâ, si res disceptaretur in Concilio, iuxtà votum multorum, accidere posset, vt aliqui alij tituli, præter illos damni emergentis & lucri cessantis legitimi iudicarentur, nec tot fluctibus multorum conscientiæ concuterentur.

Quæritur trigesimonono quid discutiat Confessarius in pœnitente, qui se aliquod lucrum quotannis recepisse ait à mutuatario, dubitans ne fortè peccauerit.

Respondetur, interrogandum esse primò pœnitentem, an mutuatio ipsa pecuniæ seu mutuum verè sit causa damni emergentis, vel lucri cessantis: tunc enim licitè potuit pro præterito & poterit in futurum, lucrum à mutuatario pro recompensatione accipere; dictat enim ratio naturalis, vt non tibi beneficiam mutuando, meis expensis & cum meo damno, quemadmodùm si roges artificem, vt te toto die comitetur, debes ex iustitia illi recompensare id quod laborando in arte sua lucratus fuisset, vel illud quod amittit, quia non vendet merces suas.

Secundò Examinandum est, An initio cùm mutuum datum est; deducta sit in pactum determinata summa pro recompensatione damni emergentis si accideret, vel lucri cessantis, quod probabiliter accidere deberet, etsi ex aliquo casu non acciderit; vel si nihil determinatum sit: in primo enim casu mutuans poterit accipere summam illam, quæ fuerit rationabiliter determinata; in secundo casu id tantum, quo verè & de facto propter mutuum, vel amisit vel non lucratus est, & ideò si ex mutuo nihil amisit, vel nihil de lucro deperdidit, nihil mutuans accipere poterit à mutuatario, titulo hoc damni emergentis vel lucri cessantis.

Similiter in eodem secundo casu considerandum est, an mutuans

tuans præfixerit terminum quo mutuatarius deberet reddere mutuum, & vtrù m mutuatarius fuerit elapso termino in morâ reddendi suâ cu lpâ, vel sine culpâ, quia incidit in paupertatem tantam vt non posset reddere. Etenim ante terminum solutionis, si nullum pactum intercesserit, non videtur mutuarius obligari ad damnum emergens, vel lucrum cessans resarciendum, quia mutuans ad certum terminum absque vllo apposito pacto & conditione similis est donatori liberali dat enim vsum pecuniæ suæ vsque ad præfixum terminum quare qui dedit aliquam partem bonorum suorum liberaliter, si ex ea donatione accidat vt damnum aliquod non euitet, aut non possit lucrari, non tenetur donatarius ad recompensationem vllam. Idem videtur esse de mutuatario, cui absque vllâ conditione datæ sunt mutuò aliquæ pecuniæ ad præfixum terminum, non tenetur de damno & cessatione lucri erga mutuantem: at verò si præfixo termino solutionis elapso non reddit capitale, obligabitur, quia est causa damni & lucri cessantis, si tamen sit in culpâ: si enim sit impotens solutionis absque suâ culpâ, non tenebitur, nihil enim participat de illo lucro cessante, neque iniustè accipit, aut detinet alienum.

Cæterum grauissima est difficultas ad discernendum quandonam mutuum est causâ lucri cessantis; potest enim accidere vt mutuans alias haberet pecunias, quas negotiationi licitæ exponere potuisset præter illas quas mutuò dedit; deindè etiam accidere poterat, vt non lucraretur ex negotiatione, sed forsitan plura amitteret ex aliquo casu. In his difficultatibus debet expêdere Confessarius, an mutuans, illas pecunias destinauerat negotiationi vel acquisitioni alicuius fundi frugiferi, aut census annui, aut officij lucratiui, & quid ordinariè soleat aliis prouenire ex negotiatione & acquisitionibus: si enim eas destinauerat negotiationi, paratus in animo negotiari, vel ex illis aliquid frugiferum sibi comparare, primâ datâ occasione, etiamsi alias habeat pecunias, quas ad varios casus reseruet, ius habet mutuando illas pecunias paciscendi cum mutuatario de compensatione lucri cessantis, quod illi verosimiliter accidere poterat ex negotiatione aut acquisitione alicuius rei frugiferæ. Vnde qui habet pecunias quas destinat ad acquirendum annuum censum, si dum quærit occasionem eas impendendi quæ probabiliter sese offeret intra aliquod tempus, interim sese offerat mutuatarius qui velit pacisci de recompensatione illius reditus annui quem acquireret per contractum legitimum census annui, vel per emptionem alicuius

xocariam aut ancillam domesticam cum quâ peccarent.

Per actum carnalem consummatum in Ecclesiâ, intelligitur actus fornicationis, aut adulterij in Ecclesiâ ipsâ, vel in aliquâ capellâ Ecclesiæ; non verò in porticu Ecclesiæ, nec in campanili, nec in vestiario, nec in cœmeterio, nec in oratorio priuato domûs in quo est altare.

Per stuprum intelligitur copula habita cum virgine, quæ allecta fuerit precibus importunis promissis magnis dolis atque aliis exquisitis modis; nam si leuiter rogata consensit, non reseruatur hoc nomine.

Per raptum autem intelligitur habita copula cum virgine aut muliere honesta, quæ violenter oppressa est, aut inuita ex domo propria extracta ad hoc facinus perpetrandum, inuitis parentibus aut marito; quod si volens & consentiens è domo propria educta est, non reseruatur.

Per concubitum cum filiâ baptismi aut Confessionis, & vicissim si sit mulier cum filio baptismi, aut cum patre spirituali, intelligitur quidam incestus spiritualis, præ supposito decreto Ecclesiæ introducto, ad deterrendum homines ne occasione Sacramentorum quibus magis debent mundari, magis deprauentur & inficiantur. Extenditurque in Baptismo ad patrem, matrémque baptizati. Casus autem reseruatus est pro Confessione, tam respectu Sacerdotis, saltem in Diœcesi Parisiensi, quàm respectu mulieris: quæ etiam validè absolui potest ab ipso Sacerdote cum quo peccauit, licet sæpius id non expediat; & nihilominus in Diœcesi Mediolanensi, & forsan aliquibus aliis, non potest validè sacerdos absoluere filiam Confessionis, quia id prohibitum est per Concilia Prouincialia, quod pro illo loco singulare est.

Huc etiam reducitur concubitus cum moniali, siue intra, siue extra Monasterium: est enim casus reseruatus; intelligitur autem de moniali professâ non de nouitiâ.

Per adulterium notorium intelligitur notorium facti vel iuris, illud quod famosum est ex diffamato vulgi rumore cui passim creditur: hoc quod in iudicio probatum est. Expediret autem illud adulterium non reseruari propter nimias difficultates quas patiuntur Pœnitentes, & Confessarij ad discernendum, num adulterium sit verè notorium. Quod idem videtur de peccato mollitiei, quod ita, suadente Diabolo, commune est in iuuenibus, vt maxima eorum pars remittenda esset ad Episcopos.

Porrò si quis pauca hæc quæ scribimus, indigna iudicet, quæ scriptis mandentur, sciat eidem criminationi pater.

Scripturam

Scripturam sacram, quod notauit Radulphus Flauiacensis, excusans plerasque spurcitias libri leuitici. Nos, inquit, inter alia, temerariâ præsumptione arguimus lumen quod nos ipsos nobis ostendit. Arguimus verbum Dei quod siue suo vitio nostra vitia reprehendit, quid agis humana superbia ? tantæ sunt sordes tuæ: in has fæces deuoluta es; & sermo Dei qui curam tui suscepit non aliter subuenire tibi posset, nisi in stercora tua quodammodò manus mitteret, & vt sordes tibi detrahat si dici fas est, ipse contraheret: sicut tamen radius solis incontaminatus cloacas penetrat, sic stilus Spiritus sancti, &c. quod autem sordescere visus est, tibi adscribe; tui enim causa factum est. Nec silet hic D. Augustinus l. 1. contra aduersarium legis & Prophetarum cap. 24. verba Deuteronomij 28. velut impura exhorrescens impurus exagitat, &c. *Dicat planè Spiritus sanctus intaminatus & intaminabilis quod audire anima recusat immunda, & esse non recusat immunda.* Idem namque spiritus *Rom.* 1. sensus impios non est verecundatus offendere, dum pios vellet instruere; sciat, inquam ille horum cognitionem penitùs esse necessariam Confessariis, qui peccant, si fœda nolint audire. Et si minus in iis instructi sint sæpè vmbram peccati reseruati sumunt pro peccato reseruato, & cùm Pœnitentes vim sibi maximam fecerint ad reuelanda fœda hæc in Confessione, remittuntur sine causâ à Confessariis ordinariis ad alios qui maiori pollent auctoritate, vndè maximas patiuntur iniustitias, dum plusquam necessarium est, coguntur peccata pluribus confiteri. Nonnunquam etiam in tantam verecundiam incidunt, vt malint mori in peccato, quàm iterum Confessario potestatem habenti, illud aperire. Quod si Confessarij satis instructi essent, sedarent conscientias Pœnitentium, non deciperentur ipsi existimantes multos casus esse reseruatos, quòd proximè accedant ad reseruatos, nec sine iustâ necessitate beneficio absolutionis priuatos à se dimitterent toties.

Quanta autem sint hæc, non continent millesimam partem turpitudinum, & abominationum quæ committuntur ab impudicis, quorum idcircò plura peccata sunt quæ vocari debent innominata, quia nondum venit in mentem hominum illis nomina imponere, vt sic omnis immunditia non nominetur in nobis. Quare videtur hic accommodanda hæc vox ad Ezechielem directa; *adhuc conuersus videbis abominationes maiores his.* Iam ferè quindecim anni elapsi sunt, cùm mihi persuadebam, nihil esse tam horrendum in genere luxuriæ, quod auribus meis non auditum fuisset, tam mul-

ta,& inaudita pluries audiueram ; & ab eo tempore vix annus elabitur,quin ipso currente , dum in Officio Propœnitentiarij vitam occultam Deo immolo , aliquod aliud insonet auribus meis in genere luxuriæ , monstrum horrendum , informe , ingens,mortalibus inauditum,vt Gomorrha iustificari posset præ multis Christianorum ciuitatibus. O Christiani gloriæ æternæ candidati!an nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti?cur ergo tollentes membra Christi facitis membra meretricis ? annon aspicitis ad illam ciuitatem mundissimam in qua Virgines sequuntur agnum quocumque ierit , in quam nihil intrabit immundum, & coinquinatum , & in cuius superliminaribus scritum est ; *foris canes & impudici ?* annon Deus sanctitas ipsa est & puritas ! quomodò ergo speratis animas vestras omni spurcitiâ immundas ita fore illi necessarias, vt postquàm è fœdissimo corpore egressæ fuerint,illas velit admittere in loco puritatis,& munditiei ? Murate consilium,mutare vias vestras & amores vestros spurcissimos. Mortificate membra vestra super terram,offerte corpora vestra in hostiam viuentem,sanctam,Deo placentem. Christus Virgo & Virginis Filius ardentissimè amat,quos singularis prærogatiuâ castitatis ampliori dilectione dignos facit. Sunt illi quasi columbæ quæ lacte sunt lotæ, & sine vllo inquinamento resident iuxtà gratiæ suæ fluenta plenissima. Deliciæ eius sunt corda casta, quæ præter eius amorem omnes respuunt , & vultus suos dulcissima pulchritudine splendentes illi consecratunt. Hæc sunt castra eius niue candidiora , & saphyro pulchriora , quorum formâ delectatur. His manifestat secreta sua , in his ponit Regium thronum. Hic est fructus plusquam suauissimus laboris & Passionis eius. Nunc ergo diligite eum & despondete illi quasi Virgines castas animas vestras si placet vobis thalamus deliciarum eius , vbi gustatur in fonte ipso infinita dulcedo amoris purissimi. Quid agitis vagantes per amores fœdissimos, qui vos diuertunt à complexu eius ? eligite iam nuptias agni candissimi , & Virgineum florem qui per dolores & agones à spurcitiis carnis impolluto calle præseruat. Resonetque sæpius in ore vestro vestri propositi signum hoc , Benedicta sit vita casta , Maledicta sit impudicitia. Deniquè sequimini sanctimoniam sine quâ nemo videbit Deum , non enim vocauit vos Deus in immunditiam,sed in sanctificationem. Hanc excursionem , lector, æqui bonique consule , si quid tibi sordium adhæsit ex necessariâ vt putamus , rerum impudicarum explicatione , hâc digressiuncula extergendum esse censuimus.

Ioan. Carmel. de prud. just. p.2. cap. 3.

Quaritur

Quæritur trigesimo septimò. Quid examinabit Confessarius super septimo præcepto. Non furtum facies.

De examine septimi præcepti.

Multâ hîc sese ingerunt; exquiret ergo Confessarius an apud se pœnitens bona aliqua habeat, quæ sua non sunt. Quomodo ea habeat, quia aliquando acceptio bonorum alienorum iniusta est, vt quando fit per furtum occultè, siue vi, aut per rapinam, quæ est ablatio rei alienæ per violentiam, siue violencia illa sit absoluta, qualis est illa quæ fit inuito & reluctanti, seu conditionata, qualis est, ablatio rerum suarum ab eo qui consentit tantùm per vim & metum. Aliquando acceptio non est iniusta, sed tantùm detentio, vt cum sibi commodatum non reddit.

Inquiret confessarius de debitis, si soluta ordine debito antiquioribus debitoribus primum. De solutione decimarum. De exequutione testamenti parentum. De damnorum reparatione, si quæ proximo intulit facto, vel consilio. De fraude in emendo & vendendo, si quæ fuerit admissa. De ludo si vsus fuerit falsis chartis, vel eas à colludente suffuratus fuerit, si cum taxillis inæqualibus luserit. De restitutionibus iniunctis à Confessario, si eas adimpleuerit. Si pecuniam suam non dederit ad vsuram. Si sit mercenarius, an fideliter operam impenderit. Si lites habeat, an iustæ sint, & ex bonâ fide & conscientia, & si præhabito consilio in rebus difficilibus credat sibi fieri iniustitiam ab aduersario; si veris instrumentis in prosequendâ lite vtatur, an falsis, & suppositis. Expendat autem Confessarius maximè quantitatem damni illati, quia furtum in minima quantitate mortale non est, sed veniale. Audiet etiam rationes pœnitentis, si quas pro se habeat, retinendi aut accipiendi aliorum res conabitúrque omnibus perpensis iustum ferre iudicium in iniungenda restitutione, ita vt si debitum restituendi dubium videatur, consulat priùs aut libros, aut Theologos peritiores, ne sit damno pœnitenti suo, cuius vtilitatem, saluâ iustitiâ, procurare debet. Si autem constat sufficienter de debito restitutionis, illud constanter & sine metu iniungat.

Necessitas restitutionis.

Quidam excusant omnes à restitutione. Primò, quia bona omnia iure naturæ communia sunt. Secundò, quia si quis noluerit restituere alienum, tenetur consentire rei dominus ex charitate, ne damnetur proximus defectu restitutionis: tenetur enim præferre salutem proximi suis temporalibus commodis; ideóque tenetur consentire, vt non restituat, ne damnetur.

Verùm hæ rationes non impediunt quin restitutio fit

de vsurâ, quia obscuræ sunt quæstiones de vsurâ, & multi de eâ sententiam dicunt qui nesciunt eam definire, quapropter Gerson *de contractibus p. 3.* laudat tria præclara dicta à præceptore suo Domino Cardinali Cameracensi, qui Doctor & Cancellarius Parisiensis facultatis extitit celeberrimus. Tertium eius dictum illud super contractibus humanis, qui præsupposito peccato sunt naturales atque necessarij, non debet leuiter reprobatio fieri, seu restrictio vel ad vsurariam prauitatem reductio. Tum subiungit Gerson de seipso. Quin etiam dum fieret in Concilio Constantiensi querela de tollendo simoniam similiter & vsuram, tamquam pessimas in Ecclesia pestes, motus ex hoc secundo & tertio dicto exclamare nonnunquam coactus sum: Deus æquissime quis nescit & simoniam & vsuram modis omnibus extirpandas esse? Sed primitùs declarandum sub *quibus casibus & qualibus intentionibus* propriè dicta simonia vel vsura committitur, *ne damnetur iustus cum impio.*

Vbi ponderanda sunt verba ista à consultissimo Doctore sæpiùs prolata in facie totius Ecclesiæ. *Sub quibus casibus vel intentionibus* propriè dicta vsura committitur, quia longè à vero aberrant qui omne lucrum ex occasione mutui prouenienſ sub quocumque titulo & intentione recipiatur vsurarium iudicant. Ponderanda quoquè verba *ne damnetur iustus cum impio*, quia aliquandò damnantur ab hominibus, vt vsurarij, qui coram Deo iusti sunt & innoxij, quòd non satis distinguantur casus & intentiones in quibus vsura reperitur.

Hinc D. Bernardinus Senensis quo nullus atrocior fuit in declamationibus ad populum contra vsuram, attamen in Quadragesimali *de euangelio æterno serm. 42. art. 3. cap. 3.* vbi postquam multos casus attulit in quibus licitum est aliquid vltra sortem recipere, concludit sic: Ex prædictis patet, quod in multis casibus prima fronte apparet, quod concurrat vsura: tamen liciti sunt contractus.

Atque hoc animaduertit Fernandus Rebellus in Eboraceansi Academia olim Theologiæ Professor ac Cancellarius 2. *parte de obligationibus iustitiæ lib. 8. q. 5.* vbi pugnans pro iustitia interesse lucri cessantis, contra eorum obiectionem qui exindè latum ostium aperiri vsuris conqueri solent, respondet non propterea negandam esse veritatem, quod eius prætextu possit quis malitiam suam obtegere: id enim per accidens sequitur: imò vtile esse in re proposita eam patefacere, ne ij qui eiusmodi contractus celebrant alioquin licitos, per erroneam conscientiam pereant: tum etiam, inquit, ne talia lucra restituere iniustè cogantur.

Atque vt res ista primò generatim tractetur formari potest hæc ratiocinatio: Vel ex nullo titulo alicuius extrinseci adiuncti mutuo licet aliquid præter sortem accipere, vel ex aliquo licet. Si ex nullo, damnantur antiqui omnes & moderni Theologi, qui hanc materiam expendentes aliquem titulum admiserunt. Damnantur quoque Pontifices & Concilium Lateranense vltimum à quibus probati sunt montes pietatis, & eorum impugnatores hæretici declarati sunt. Si ex aliquo licet, videndum est ex quo, & an ex vno solum vel ex pluribus, & cur potiùs ex illo titulo quàm ex alio, cur potiùs titulo lucri cessantis in mutuante, quàm titulo lucri aduenientis in mutuatario, &c. atque hinc origo disputationum.

Sed quoniam æquiuoca priùs diuidenda sunt quam definienda, & nomen vsuræ valdè æquiuocè vsurpatur, ante omnia sciendum est vsuram aliam esse iuris humani, quæ est contra leges humanas ac ordinationes principum, quibus obedire tenentur subditi, cum scilicet præter præscriptum legum ex mutuo præter sortem aliquid exigitur, etsi forsan legitimus titulus non desit: alia est vsura iuris diuini ac naturalis, cum præter sortem aliquid exigitur ex mutuo solo titulo mutui, nullo alio legitimo titulo interueniente. Potest & tertia esse vsura quæ sit contra vtrumque ius humanum ac diuinum & naturale. Est autem vtilis omninò confessariis distinctio ista, quoniam vsura solius iuris humani, etsi vitanda sit ab omnibus, non obligat tamen ad restitutionem ante Iudicis sententiam: at obligat vsura iuris diuini ac naturalis, quia iniustitiam continet: est autem hæc huius vsuræ definitio communiter recepta & probata, quam tradit Couarruuias Episcopus Segobiensis summo prætorio in Hispaniâ Præfectus iuris interpres laudatissimus *lib. 3. variar. resol. c. 2. n. 2.* vsura est voluntas capiendi vltra sortem lucrum aliquod temporale *vi & causâ mutui principaliter.* Vbi potissimùm attēdendū est quid sibi velint ista vltima verba *vi & causâ mutui principaliter.* Ista enim denotāt ad peccatū vsuræ incurrendum requiri, vt qui mutuum alteri dedit, id est, qui tradidit rem aliquā vsu consumptibilem cum obligatione reddendi postea aliam eiusdem rationis, intendat recipere aut de facto recipiat lucrum aliquod temporale propter istam traditionē rei vsu consumptibilis, itavt nulla alia causa iusta subsit ob quam lucrum istud temporale velit percipere aut de facto percipiat. Nam si alia causa in mutuo interueniat, quæ sit sufficiens ad lucrum temporale percipiendum, & ob illam causam mutuans velit lucrum istud percipere, iam non principaliter ex mutuo percipit istud lucrum sed ex aliâ causa & ex alio titulo, qui simul cum mutuo coniunctus inuenitur. Ad quod Christus Do-

Definitio vsuræ.

minus Intendebat dicens Luc. 6. *Mutuum date nihil inde sperantes*, nam dicens *inde*, intelligit ex ipso mutuo: quia si ex aliquo alio titulo speretur, iam non inde, id est, ex mutuo speratur sed aliundè, sicut interpretatur Henricus à Gandauo antiquum lumen Sorbonæ *quodlibeto 6. quæst. 26*. Non dicit, Inquit, absolutè *sperantes*, sed *nihil inde sperantes*: quia non vsquequaque illicitum est sperare, sed tantum *inde*, id est, propter mutuum principaliter sperare. Atque ita Hangestus *moralium* capitulo 8. & alij communiter verba Christi interpretantur. Vt inde pateat non licere quicquam accipere ex mutuo ratione mutui, sed ratione extrinsecorum mutui, vt sunt lucrum cessans pro futuro, damnum emergens, &c. propter quæ verba hæc subiungit Couarruuias loco citato. *Hinc iustissimè creditores defenduntur qui à debitoribus vltra sortem principalem aliquid recipiunt ratione interesse vel damni emergentis, vel lucri cessantis.* Et Gregorius à Valentia Academiæ Ingolstadiensis professor Theologiæ nominatissimus 2. 2. *disputat. 5. in compendio de contractibus*: Ad perspiciendam æquitatem vel iniquitatem alicuius negotiationis, præclarè docet, si summa data & accepta sint inæquales, diligenter inspiciendum esse, verùm aliqua iusta causa, vel etiam aliquæ (nam quò plures concurrerint eo plus iustè recipi poterit) suppetant recipiendi residuam partem maioris summæ, & iuxta hoc de æquitate negotiationis iudicandum esse. Causa autem iustas recipiendi plusquam datum sit has assignat ex authoritate tum Theologorum tum etiam clarissimorum Iurisconsultorum. Prima & notissima est liberalitas aut gratitudo eius qui plus dat quàm accipit. Secunda est damnum emergens. Tertia lucrum cessans, expensæ in recuperando capitali, periculum illius amittendi, translatio rei mutuatæ aut traditæ alteri de loco ad locum, & aliæ huiusmodi, de quibus multa disputantur, quæ nos hîc omittimus vt de titulo lucri cessantis tractemus. Atque his præsuppositis.

Tituli lucratiui.

Confessarius debet videre si mutuans qui accipit aliquid præter sortem à mutuatario, habeat aliquem alium titulum legitimum vi cuius potuerit aliquid vltra sortem, id est, vltra rem mutuò datam, accipere. Si enim nullum habeat alium titulum, vsura manifestè deprehenditur, quæ in iure dicitur lucratiua ob simplicis mutui stipulationem, & illicita est, debétque obligare Pœnitentem ad restitutionem, seu ad diminuendum de sorte illud quod accepit, ita vt sortem integram numquam repetat. Si verò subsit aliquis alius titulus, illum debet examinare, legitimusne sit, an contra. Et in hoc puncto maximæ sunt angustiæ Confessarii, tum propter rei difficultatem, tum propter

pter dissidentes Doctorum sententias. Res enim ferè semper fuit controuersa, & quod Gerson cum multo clamore postulabat specialiter determinari per vt Patres Concilij Constantiensi supra patuit, nec dum factum est hactenus, quia scilicet Concilia tantùm condemnant vsuram in genere. Qua de re omnes Catholici conueniunt, sed non condemnant hoc & illud lucrum in particulari, quod cum mutuò coniunctum est, & occasione mutui accipitur, licet alio titulo accipiatur. Hinc liberum est saluâ fidei compage, multa disputare in vtramque partem.

Et quidem iamdudum obtinuit vsus, vt liceat mutuanti aliquod lucrum accipere à mutuatariis propter damnum emergens, & propter lucrum cessans, id est, si mutuans patitur aliquod damnum in rebus suis, eo quòd pecuniam suam alteri commodauerit, & desinat negotiari vel aliquod fructiferum acquirere: quamuis D. Thomas illud vltimum non patiatur in pactum deduci, quia ab illo habendo potest mutuans multipliciter impediri, 2. *secunda quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 1. Et ratio est, quia hoc non est vendere vsum pecuniæ in quo consistit malitia vsuræ, sed est damnum vitare, quod permissum est. Quia autem in idem ferè recidunt damnum emergens, & lucrum cessans, nullus Theologus contradicit, quin ex damno emergente, & lucro cessante possit exigere mutuans recompensationem à mutuatario qui tenetur benefactorem suum indemnem seruare, ne detrimentum aliquod patiatur propter beneficium mutui illi præstitum. Et Iuris Cæsarei quam Gallici peritior Faschinæus *de controuersiis iuris lib.* 3. *cap.* 101. vocat hoc vsuras compensatiuas damni emergentis & lucri cessantis, quæ iure Canonico prohibitæ non sunt. Imò omni iure hoc permissum esse ibidem asserit, maximè in iis locis in quibus si quis paratam pecuniam habeat facile inuenire potest censuum venditores vel aliam honestam opportunitatem pecuniæ collocandæ. Vndè vbi mutuatarius est in morâ, & ex hoc mutuans patitur detrimentum, putà quia non negotiatur, domus illius non reparantur, & earum valor multùm diminuitur, poterit Confessarius obligare mutuatarium ad recompensationem faciendam mutuanti, cui causa est damni & detrimenti, quod ex iustitiâ reparare tenetur. Vndè & in foro externo condemnatur ad interesse, quoad vsque reddiderit.

Vsura compensatiua.

Præter hunc titulum damni emergentis, alium adhuc admittit D. Thomas eadem quæstione *art.* 1. *ad* 6: Et similiter, inquit, potest esse aliquis secundarius vsus pecuniæ argenteæ,

vt

vt putà si quis concederet pecuniam signatam ad ostentarionem, vel ad ponendum loco pignoris : & talem vsum pecuniæ licitè homo vendere potest. Cui suffragatur Ægidius Roman. Doctor Parisiensis, ac Cardinalis *quodlib. 5. disp. 5. quæst. 1.* etsi enim subtalaris vsus sit calceatio, quis potest illo vti ad hauriendam aquam : ita licet pecuniæ proprius vsus sit eam alienare & expendere : potest tamen quis ea vti ad apparendum. Quod adhuc expressius asserit Scotus *in 4. sent. dist. 15. quæst. 2. num. 19.* aitque tunc ille esse locationem vel conductionem : atque pro isto vsu, retento dominio, recipi posse pecuniam ; Porrò consensio D. Thomæ & Scoti magnum est veritatis indicium.

Præter hos titulos adhuc multi alij afferuntur à posterioribus Theologis, quorum aliqui existimant posse mutuantem aliquid accipere ratione periculi cui se exponit, laborumque quos subibit forsitan in recuperanda sorte sua. Ratione societatis per contractum trium. Ratione emptionis domus vel fundi cum conditione redimendi ex parte vendentis. Ratione pœnæ conuentionalis impositæ, si sors seu capitale non redderetur in certo termino. Ratione etiam sententiæ iudicis qui condemnauit mutuatarium ad interesse propter moram. De quibus titulis, quidam nihil censent examinandum in pœnitentibus, sed eos remittendos tanquam vsurarios, si iis vti velint ; sed non omnium vna mens est & sententia, nec aliqui ita se sapientes existimare debent vt habeant cæteros quasi hebetes omni ratione destitutos.

Prudenter monet Gerson *lib. de Vita Spiritali Animæ, lect 4.* Doctrinam esse salubrem pro Doctoribus Theologicis, ne sint faciles, ait, asserere actiones aliquas, aut omissiones esse peccata mortalia, præsertim sub verbo vniuersali & dum prædicandum erit ad populum. A litterato quodam & experto viro didici perniciosam esse in omni arte vel doctrinâ assertionem audacem & extremam, maximè vbi obseruatio communis obnititur, obuiatque. Itaquè numquam debet quilibet obliuisci quàm incerta est scientia nostra, ita vt sæpè idem homo breui momento temporis nunc in hanc, nunc in oppositam feratur sententiam. Fit propterea quandoque vt per tales assertiones publicas nimis duras generales & strictas præsertim in non certissimis, nequaquam eruuntur homines à luto peccatorum, sed in illud profundiùs, quia desperatiùs immerguntur. Variæ prætereà suboriuntur & quasi infinitæ circumstantiæ, pro quarum diuersitate diuersificari debet iudicium. Hæc Gerson.

Certè

Certè aliàs disceptatio fuit insignis inter duos maximos Theologos, Henricum de Gandauo, qui illicitum aiebat emere redditus pecuniarios seu in perpetuum, seu ad vitam, & Godofredum de fontibus qui contrarium tuebatur, vt videre est apud Almainum *in 4. dist. 15. quæst. 2.* Ille vsurarias huiusmodi emptiones censebat, eóque maiori vsurâ, quo emens ponebat se in statu exercendi vsuram vsque ad finem mundi. Qua ratione multi abstinuerunt à talibus censibus & redditibus annuis acquirendis. Vicit tamen Godofredi sententia, quòd in ista acquisitione fieret emptio partialis redditum alicuius fundi supra quod constituerentur: Interuenit etiam decretum Martini quinti, atque etiam Pij V. quo controuersia maxima ex parte sopita est, vt hodie nullus ferè supersit scrupulus apud religiosos quosque de his censibus. Sic etiam in præsenti controuersiâ, si res disceptaretur in Concilio, iuxtà votum multorum, accidere posset, vt aliqui alij tituli, præter illos damni emergentis & lucri cessantis legitimi iudicarentur, nec tot fluctibus multorum conscientiæ concuterentur.

Quæritur trigesimonono quid discutiet Confessarius in pœnitente, qui se aliquod lucrum quotannis recepisse ait à mutuatario, dubitans ne fortè peccauerit.

Respondetur, interrogandum esse primò pœnitentem, an mutuatio ipsa pecuniæ seu mutuum verè sit causa damni emergentis, vel lucri cessantis: tunc enim licitè potuit pro præterito & poterit in futurum, lucrum à mutuatario pro recompensatione accipere; dictat enim ratio naturalis, vt non tibi benefaciam mutuando, meis expensis & cum meo damno, quemadmodùm si roges artificem, vt te toto die comitetur, debes ex iustitia illi recompensare id quod laborando in arte sua lucratus fuisset, vel illud quod amittit, quia non vendet merces suas.

Secundò Examinandum est, An initio cùm mutuum datum est; deducta sit in pactum determinata summa pro recompensatione damni emergentis si accideret, vel lucri cessantis, quod probabiliter accidere deberet, etsi ex aliquo casu non acciderit; vel si nihil determinatum sit: in primo enim casu mutuans poterit accipere summam illam, quæ fuerit rationabiliter determinata; in secundo casu id tantum, quo verè & de facto propter mutuum, vel amisit vel non lucratus est, & ideò si ex mutuo nihil amisit, vel nihil de lucro deperdidit, nihil mutuans accipere poterit à mutuatario, titulo hoc damni emergentis vel lucri cessantis.

Similiter in eodem secundo casu considerandum est, an mutuans

tuans præfixerit terminum quo mutuatarius deberet reddere mutuum, & vtrù m mutuatarius fuerit elapso termino in morâ reddendi suâ cu lpâ, vel sine culpâ, quia incidit in paupertatem tantam vt non posset reddere. Etenim ante terminum solutionis, si nullum pactum intercesserit, non videtur mutuarius obligari ad damnum emergens, vel lucrum cessans resarciendum, quia mutuans ad certum terminum absque vllo apposito pacto & conditione similis est donatori liberali dat enim vsum peccuniæ suæ vsque ad præfixum terminum quare qui dedit aliquam partem bonorum suorum liberaliter, si ex ea donatione accidat vt damnum aliquod non euitet, aut non possit lucrari, non tenetur donatarius ad recompensationem vllam. Idem videtur esse de mutuatario, cui absque vllâ conditione datæ sunt mutuò aliquæ pecuniæ ad præfixum terminum, non tenetur de damno & cessatione lucri erga mutuantem: at verò si præfixo termino solutionis elapso non reddit capitale, obligabitur, quia est causa damni & lucri cessantis, si tamen sit in culpâ: si enim sit impotens solutionis absque suâ culpâ, non tenebitur, nihil enim participat de illo lucro cessante, neque iniustè accipit, aut detinet alienum.

Cæterum grauissima est difficultas ad discernendum quandonam mutuum est causâ lucri cessantis; potest enim accidere vt mutuans alias haberet pecunias, quas negotiationi licitæ exponere potuisset præter illas quas mutuò dedit; deindè etiam accidere poterat, vt non lucraretur ex negotiatione, sed forsitan plura amitteret ex aliquo casu. In his difficultatibus debet expêdere Confessarius, an mutuans, illas pecunias destinauerat negotiationi vel acquisitioni alicuius fundi frugiferi, aut census annui, aut officij lucratiui, & quid ordinariè soleat aliis prouenire ex negotiatione & acquisitionibus: si enim eas destinauerat negotiationi, paratus in animo negotiari, vel ex illis aliquid frugiferum sibi comparare, primâ datâ occasione, etiamsi alias habeat pecunias, quas ad varios casus reseruet, ius habet mutuando illas pecunias paciscendi cum mutuatario de compensatione lucri cessantis, quod illi verosimiliter accidere poterat ex negotiatione aut acquisitione alicuius rei frugiferæ. Vnde qui habet pecunias quas destinat ad acquirendum annuum censum, si dum quærit occasionem eas impendendi quæ probabiliter sese offeret intra aliquod tempus, interim sese offerat mutuatarius qui velit pacisci de recompensatione illius reditus annui quem acquireret per contractum legitimum census annui, vel per emptionem

alicuius

alicuius fundi aut officij, poterit mutuans pacisci de lucro cessante. Nec in hoc plus est difficultatis quam si pacisceretur de damno emergente, cum sit ratione vtriusque æqualis ratio.

In taxandâ autem summâ iustâ illius lucri cessantis, variæ sunt difficultates, quas vix diiudicare poterit Confessarius: idcircò si taxetur circùm circà id quod adiudicaretur in foro externo pro interesse, putà vnum scutum pro octodecim, pro vno anno, vix apparet quid ordinariè possit in hoc improbari, maximè cùm mutuans & mutuatarius voluntariè inter se ita contrahant, perpensis omnibus, & si quis si paruus excessus aut defectus in summâ taxatâ, remitti videatur ex consensu voluntario, vt fieri solet in negotiatione, in qua res vel paulò cariùs, vel paulo viliùs venditur & emitur. Et potest præsumi hæc esse intentio eorum qui negotia alicuius momenti gerunt ex mutuo consensu & contractu; vt sibi inuicem remittant, si quis eorum paulò plùs vel paulò minùs habet, quia difficillimè res ad omnimodam æqualitatem reduci possunt.

Dubitatur autem an dicitur lucrum cessare quando mercator abstrahit pecuniam à negotiatione eo fine vt pecuniam paratam haberet, cum ab eo peteretur, sperans non defuturos qui petant, etsi nullus de facto petat cum pecuniam à negotiatione sua abstrahit.

Præmittendum autem est id non esse licitum in regno Galliæ & pluribus aliis locis, quamuis in Belgio id legitimum habeatur cum authoritate Principis. Tantum igitur res ista agitatur secundùm ius diuinum & naturale, secundum quæ iura, si non resisterent leges politicæ, quas temnere non intendimus, posse mercatorem in hoc casu recipere interesse, docuit Malderus Episcopus Antuerpiensis *de mutuo & vsurâ tract.* 5. *cap.* 13. *dubio* 13. §. *dico quinto.* quem sequitur Cardinalis de Lugo *disputat.* 25. *de iustitia & iure sect.* 6. §. 1. quia etiam in hoc casu mutuum est causa moralis cessantis lucri, est etiam causâ finalis, ideò enim desistit mercator à negotiatione vt mutuet. Hócque explicat exemplo Passionis Christi, cuius causa fuerunt omnia futura peccata hominum, etiamsi supponeremus quod ea in particulari non præuidisset, sed tantum sciuisset in communi multos peccata commissuros, pro quorum redemptione mori sibi fuisset necessarium.

Confirmatur ex eo quod si quis ex mandato Principis abstinuisset à negotiatione, aut acquisitione alicuius possessionis, vt posset dare mutuum petituris, ab iis possit lucrum cessans exigere

exigere : ergo etsi voluntariè à negotiatione abstinuisset. Perindè enim est ad exigendum lucrum cessans quod sponte vel coactè à negotiatione abstinuisti.

Deindè in montibus pietatis quos laudant summi Pontifices petuntur expensæ factæ à mutuatariis, etsi cum fieret non præuideretur quinam essent petituri, sed tantum sciretur in genere aliquos petituros: at cessatio lucri ex negotiatione est veluti expensa & sumptus factus in gratiam mutuum petituri: ergo non est plus iniustitiæ in vno quam in altero, & quo iure vnum licitum est, aliud etiam licet. Vndè nouissimè Loth *in resolutionibus illustrium difficultatum contingentium in Belgio tract. 9.* vbi authoritate principis sunt quidam mercatores qui publicè mutuant ac tam ratione lucri cessantis quàm aliorum titulorum vltra sortem recipiunt, defendit mutuatores illos publicos, non differre substantialiter à montibus pietatis & ex iisdem principiis Theologiæ vindicari à labe vsuræ ac montes ipsos, quos licitos esse ibidem iudicarunt multi Prælati Belgij, duo Archiepiscopi & sex Episcopi, qui ad hanc difficultatem examinandam cum pluribus Theologis Meclliniæ conuenerant anno 1617. & ante Leo X. in Concilio Lateranensi, secutus exempla suorum prædecessorum Pauli II. Sixti IV. Innocentij VIII. Alexandri VI. & Iulij II. declarat, sacro approbante Concilio, nec speciem mali præ se ferre. Hinc Nauarrus *consil. lib. 5. consilio 3.* qui sponte charitate fraternâ motus, mutuat proximo egenti aliquid ad leuandam indigentiam eius, cum damno suorum bonorum, quæsitorum vel cessando lucrari, opus salutare animæ exercet & gratam rem Deo facit, etiamsi eâ lege mutuet vt mutuatarius soluat ei quod ipse amore eius perdit vel cessat lucrari. Plura afferri possent in huius tituli defensionem, sed cui hæc non sufficiunt, nec plura prodessent, multis enim accidit vt de re obscurâ nullâ seruatâ moderatione piæ grauitatis opinionem aliquam sibi imprimant, etsi postea quidpiam diuersum veritas patefecerit, illud odio habeant propter amorem sui erroris. Quod arguit D. Augustin. l. 2. *de Genesi ad litteram*, quod autem homines vix velint aliis gratis mutuare, rationem reddit venerabilis. Beda in *cap.* 7. Lucæ, quia enim multi, vt scriptum est quasi inuentionem æstimauerunt fœnus, & molestiam præstiterunt his qui se adiuuerunt, multi non causâ nequitiæ, non fœnerati sunt, sed fraudati gratis timuerunt.

Non est autem dubium quin statim fiat obiectio vulgaris quod hâc viâ aperiatur ostiũ vsurariis, quia facile erit cuilibet

Ee

dicere se ratione lucri cessantis lucrum ex mutuo accipere. Sed hîc est locus communis contra quoslibet titulos aliquid vltra sortem recipiendi ex mutuo. Non est, inquit Philippus Faber. *in 4. sent. dist. 15. disp. 46. cap. 7.* propter malitiam hominum occultanda veritas. Diligenter inuestiget Confessarius intentionem pœnitentis, vt intellectâ veritate saluti suæ consulat, non enim fit in fraudem vsurarum, quandò lucrum speratur non ex ipso mutuo: sed ex alio titulo iusto & legitimo qui illi annectitur.

Fieri in fraudem vsurarum.

Quæritur quadragesimò, quid examinabit Confessarius in pœnitente qui dicit se lucrum recepisse ex mutuatario propter periculum, vel labores in sorte recuperanda.

Respondetur examinare debere, An nullus sit alius titulus iustior ad recipiendum lucrum à mutuatario: si enim nullus sit alius titulus præter illum periculi & laborum, non videtur mutuans in statu securo, & nos sæpè respondimu. istum titulum non sufficere ad dandam mutuò pecuniam suam, vel regiis ministris, vel aliis; & ex ea sic data ad percipiendum lucrum, puta vnum scutum in anno pro octodecim mutuo datis. Etenim si istud liceret nulla amplius esset vsura in mundo vniuerso, & mulieres magis meticulosæ possent maiorem vsuram accipere ex mutuo, & quidam miserabilibus personis maius interesse etiam possent percipere, quia sors est in maiori periculo. Sed quia hæc inconuenientia, quæ sunt à posteriori, non satis euidenter rem demonstrant, vt hic opus est, cùm præsertim sit hoc punctum controuersum, sintque pro vtraque parte authores non contemnendi, ideò opus est, afferre aliquam rationem iis qui sub hoc titulo, & prætextu vellent lucrum ex pecuniâ mutatâ percipere.

Igitur considerandum est quod quemadmodùm mutuans ex verâ & indubitatâ sententiâ, non potest lucrum accipere, quòd in mutando priuetur suâ pecuniâ eamque non possit repetere vsque ad certum terminum, non quidem propter eam rationem quam affert Cardinalis de Lugo, de Iustitia & Iure *disp. 25 sect. 3.* Quia quod dedit mutuans totum illi redditur ad æqualitatem, cùm post expletum terminum sors principalis illi restituitur. Etenim non illi recompensatur potestas, qua se priuauit vtendi suâ pecuniâ pro tempore intermedio inter mutuum & eius redditionem. Licet enim reddatur illi hæc potestas, cùm redditur sors principalis, redditur tamen pro tempore futuro, non autem pro præterito.

Nec iuuat afferre exemplum iustorum, quorum si vnus mille annis post alium eumdem gradum gloriæ percipiat, eadem

gloriâ

gloriâ donari censetur; quia scilicet mille anni respectu æternitatis pro nihilo computantur; vnde ille qui mille annis antè alium gloriâ fruitur, non censetur propterea beatior altero, quia eadem gloriâ frui debet in tota æternitatæ. Vt enim hæ ratiocinationes locum habeant, in possessione boni æterni & interminabilis, at non in possessione boni temporalis, qualis est possessio bonorum huius vitæ, quorum possessio per tres annos præualet possessioni per duos annos, aut vnum dumtaxat.

Placet igitur magis communis ratio, quare mutuans sub hoc titulo, & ratione carentiæ pecuniæ, & obligationis non repetendi vsque ad certum terminum, non possit lucrum percipere quia scilicet carentia illa & priuatio est intrinseca mutuo, quod non potest esse sine illâ carentiâ, & licet cum illâ carentiâ reperiatur etiam obligatio ad non repetendum capitale, nisi vsque ad certum terminum, illa ramen obligatio nihil est aliud quàm prolongatio mutui, pro qua nihil magis potest accipi, quàm pro ipso mutuo: atqui etiam periculum amittendæ sortis, & labores in illa recuperanda sunt onera ita annexa mutuo, vt ab illo vix aut nunquam separentur, ideò pro his nihil potest accipi; statuique potest hæc regula generalis vt cum pro re aliqua nihil potest accipi, nec possit pro rebus illi necessariò connexis. Probatúrque exemplo iurium spiritualium quæ non possunt vendi, aut emi, nec bona temporalia quæ iis adiuncta sunt. Sic nihil potest accipi pro missa, nec pro labore se induendi, & huiusmodi necessariò celebrationi connexis. Quòd autem periculum, & labores huiusmodi annexa sint mutuo, ipsa experientia satis comprobat quotidiè: itavt sine illis periculis & laboribus beneficium potiùs censeretur accipere mutuans, vt cuius pecuniæ seruarentur à mutuatario quas pro libito, sine difficultate posset repetere, quod multi non parum existimarent, dum non satis tutam apud se pecuniam habent. Si autem aliquandò accidat, vt nullum sit periculum, nulla difficultas, id rarò & per accidens inuenitur Certè vulgò dicitur & ferè prouerbij locum tenet, si Angelus es mutuando, & Dæmon es repetendo. *Carentia pecuniæ.*

Atque huic opinioni consonat responsio Gregorij IX. in cap. nauiganti de vsuris. Vbi ait: ***nauiganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid vltra sortem, vsurarius est censendus.*** Eandem multis fulcit Rebellus ***part. 2. de oblig. Iust. l. 9. quæst. 12.*** licet fateatur contrariam opinionem esse probabilem. Cuius hanc rationem reddit Card. de Lugo ***de Iust. & Iure***

disputat. 25. sect. 6. num. 81. Quod sicut potes exigere pretium vt aliquis sit tibi causa doloris capitis : ita pro molestiâ & argore mentis poterit pretium exigere , cum non minus sed magis aliquando cruciet , quam dolor corporis. Variasque adhibet interpretationes capiti citato , quibus omnibus verosimilior est coniectura Faschinæi de controuersiis iuris l. 2. cap. 48. deesse in textu negatiuam particulam, sine quâ loquutio non bene quadrat cum consequentibus vt totum textum legenti facile patebit, sicut & mihi patuit.

Quæritur quadragesimoprimò , quid discutiet Confessarius à Pœnitente qui accipit lucrum à mutuatario ex titulo tacitæ societatis & contractus trium qui à pluribus approbatur, vt licitus, cùm tamen quidam illicitum esse dicant, quare metuit , nesciens quid in hac re sibi agendum cùm ex illa status rerum suarum dependeat.

Vix vlla est moralis controuersia difficilior , ex cuius resolutione multi fortunas suas pendere existimant : quapropter sæpissime magnâ cum animi contentione agitata est in hoc sæculo, vt si licita esset tacita ista societas absque peccato vsuræ , sine conscientiæ stimulo , possent multi ex pecuniis suis concreditis lucrum certum quotannis accipere, saluâ sorte seu capitali. Hæc enim societas in tribus vel duobus contractibus consistit ; æquè enim per duos ac per tres contractus fieri potest. Primus contractus est societatis in qua qui præsentes habet pecunias , eas credit viro industrio qui potest ex iis adiunctâ industriâ suâ & labore, notabile aliquod lucrum producere: ex vi autem societatis tenetur qui dedit pecunias , particeps esse damni , si quod accidat, atque vult esse particeps lucri, atque ideò obnoxius est, si sors ferat, amittendo, & capitali & lucro certo quod sperabat per singulos annos ex vi societatis : cùm autem desideret assecurare sibi , & capitale & certum lucrum duos alios contractus init cum socio , vt attento lucro quod producere potest societas, putà pro parte sua centum scuta, ipsi assecuret sortem suam seu capitale , & det tantum illi octoginta scuta de lucro illo certo quod illi obtingere poterat ; & hic est secundus contractus. Deindè etiam ad tollendas suspiciones, & molestias rationum, lucrum certum minus illi assecuret pro lucro maiori annuo , quod verisimiliter obuenire poterat, & hic est tertius contractus. Duo autem illi vltimi iungi possunt in vnum, vt scilicet ex lucro annuo verosimili, & probabili quod sperare potest ex societate , assecuret illi & capitale & lucrum certum minus , diminuendo de illo lucro maiori annuo, prout meretur onus assecurationis quod

subit:

subit: rursúsque illi tres contractus in vnum coniungi possunt simulque & semel fieri, vt scilicet vir industrius qui recipit pecuniam, assecuret mutuanti certum lucrum annuum vi tacitæ illius societatis, prout sine vsura & peccato à quibusdam Theologis asseritur fieri posse. Cum autem hi tres contractus sint merè temporales, & seorsim fieri possint, dubitatur an etiam coniunctim fieri possint; & cum in illis omnibus æquitas seruetur, nec vir industrius oneretur indebitè, & sine iustâ & æquali recompensatione onerum, quæ assumit in assecurando capitali, & lucro certo minori, an calumniam vsuræ pati possit hæc tacita societas, cùm à multis grauissimis auctoribus propugnetur, vt licita, quorum antesignanus est Maior Doctor Parisiēsis celeberrimus, elucubratione secundâ in 4. *sent. dist.* 15. *q.* 49. quæ prodiit *an.* 1516. In præcedētibus enim editionibus, habebat tantū 34. quæstiones in hac distinctione decimâ quintâ.

Germanus, inquit, quidam Doctor Theologus eruditissimus quamdam quæstionem super quodam contractu ad facultatem nostram transmisit, vt ipsum vel approbaret vel reprobaret: sed quia ob varia impedimenta nostræ facultatis Doctores super hoc non fuerunt congregati, nihil est ab eadem sacrâ facultate definitum; dicam benignâ permissione seu supportatione opinionem meam particularem in hac parte, priùs tamen casum proponendo qui est iste.

Petrus consinnat centum florenos apud Paulum Mercatorem: & ei pro parte lucri sui, capitali saluo, assignat per annum quinque florenos: residuo, lucri Paulo seruato: vel casus sic clarius proponitur, Titius habens certam summam pecuniæ, negotiationis expers, in illâ se exercere non audet, ne imperitiâ suâ suum patrimoniū diminuatur, nec reperit annuos census prædiales vendibiles sibi idoneos. Ideò prouidus & circumspectus circà substantiæ suæ conseruationem, dictam quantitatem committit Gaio honesto, & probo mercatori suâ industriâ plurimùm solito lucrari, quem rogat vt ex eâ negotietur. Gaius autem ex certis causis suum animum mouentibus nolēs eum acceptare ad lucrum & ad damnum, pascicitur cum Titio, vt capitali saluo accipiat proportionem lucri sui, cuius quantitas incerta est florenos quinque pro singulis annis. Fit etiam conuentio vt vtrique contrahentium liberum sit hunc societatis contractum dissoluere, cùm placuerit, dummodò vnus ab altero certior super hoc fiat in quarta anni. Super hoc contractu contentio est, an iste contractus sit æquus & licitus: ita vt Titius ad restitutionem illorum quinque non teneatur in foro animæ.

Doctrina maioris. Super hac quæstione apponam conclusiones. Prior est: contractus iste non est vsurarius, sed licitus. Probatur pars affirmatiua antecedentis. Iste contractus æquiualet copulatiuæ ex tribus contractibus licitis sibi mutuò non aduersis conflatæ; ergo iste contractus est licitus. Consequentia est nota. Antecedens probatur: quia æquiualet tribus contractibus quorum vnus est societas: secundus est contractus assecurationis: & tertius est venditio lucri incerti pro certo lucro, quorum quilibet licitus: siue ergo dicatur societas mixta, vel contractus mixtus, *&c.* Assumptum patet, quia societas est licita, dummodò sit città monopolium. Similiter assecuratio vt in materia vsuræ diximus: Pari modo licitum est vendere lucrum incertum maius pro lucro minori incerto in ista non repugnante societate vel aliquo contractu licito quocumque nomine vocetur, *&c.* Ergò totus iste contractus quocumque nomine vocetur, quem in eo cum mercatore, est licitus & Reipublicæ vtilis. Patet: per hunc contractum pupillorum, & laborare nequeuntium bona conseruantur: & instrumenta negotiatoribus ad negotiandum conceduntur.

Fortè dicis, est vsura, quia capio lucrum certum de pecuniâ alienâ: contrà hoc arguitur. Non exui à me dominium pecuniæ meæ: ergo tollo lucrum de pecuniâ meâ propriâ, & de instrumentis meis, assecuratio enim societati non aduersatur. Hoc est, non est contrà eius substantiam, vt patet ex superioribus in locatione & in commodatione.

Nec refert siue successiuè, siue simul hos tres contractus ineamus. Verosimile tamen est quod hi tres contractus successiuè primò erant introducti: nunc præsupponuntur à communi consuetudine.

Secunda Conclusio. Prædictus contractus est vera societas & licita. Quod sit licitus contractus patet ex conclusione præcedenti. Quod si societas sic probatur. Qualitates quæ sunt contra formam substantialem aquæ, vel præter formam, vt aliis loqui placet, non tollunt eius substantiam. Quod patet de calore remisso, respectu aquæ, sed conditiones adiectæ non sunt contra substantiam societatis, plus quàm contrà substantiam locationis vel commodationis. Et istud manifestè patet de hoc contractu instit. de societ. §. *De illa* vbi imperrator sic dicit. *Nam & ita coiri posse societatem non dubitatur, vt alter pecuniam conferat: alter non conferat, & tamen lucrum inter eos commune sit, quia sæpè opera alicuius pro pecuniâ valet, & ideò contrà Quinti Mutij sententiam obtinuit, vt illud quoquè constiterit posse conuenire: vt quis lucri partem ferat: de damno non teneatur,* &c.

Secundò dico ipſum non eſſe illicitum, nec continere ſpeciem mali, ſi benè circumſtantionatur. Vna autem circumſtantia eſt, & requiſita ad hoc, vt contractus ſit licitus: videlicet quòd non capiatur vltrà latitudinem iuſti pretij in duabus conditionibus adiectis, ſiue dicantur contractus, ſiue non, *&c.* Secundò conſiderandum eſt an negotiatores pecuniam capientes paſſim fiant ditiores: quia hoc indicium eſt, quod pecuniam ponentes non notabiliter habent meliorem partem. Et licet ſecuriorem habeant, non refert. Hoc crebro eſt in mutuo, & in emptione.

Multi autem contractus non conſiderantes multos licitos reprobant, ſanè iſtum non iudico reprobandum. Non tamen ſum neſcius, quin à contractu periculoſo abſtinendum ſit. Et licet iſte ſit licitus, prout exiſtimo, vt multi alij ſunt: non tamen in ſermone ad populum mercatorum aliquid ſuper hoc dicerem. Etiam nullus contractus de quo non ſufficienter conſtat, quòd ſit illicitus, inter mercatores tamquam vtilis vſitatus, eſt reprobandus.

Ex his propoſitionibus Maioris, & aliis Sylueſtri & Caietani ſententiis, Nauarrus Vlyſſiponæ prædictam ſocietatem ex tribus contractibus conflatam Regi (ſeu Hiſpananiarum ſeu Luſitaniæ non explicat) obtuliſſe ſe narrat comment. *de vſuris* in caput *ſi fœneraueris*, eiuſque iuſtitiam aſſeruiſſe, tum ratione, tum etiam authoritate iuris Pontificij ex cap. *per veſtras* de donatione inter virum & vxorem. Verumtamen vt vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundat, aduerſatium paſſus eſt Dominicum Soto celeberrimum in Hiſpaniâ Theologum & multos deinceps alios, quorum rationes non multùm conuincunt: multas enim hactenùs audiui, cum hac de re conſilia peterentur, quarum nulla inuicta videri potuit. Quamuis tali modo mens diſpoſita ſit vt quemadmodum cera calore ſolis, ſic ratione mollita fuiſſet, ac melioribus partibus, ſi innoteſcerent, ceſiſſet ſine hæſitatione. *Diſputatio de vſura.*

Aliqui dicunt iniquam eſſe hanc ſocietatem, quia vnus tantum onus in ſe ſuſtinet, ſcilicet ille qui pecuniam accepit, qui tenentur de capitali, & de lucro certo, dum alter quieſcit & ſecurus eſt. Sed reſpondetur illum quidem totum onus ſuſtinere, ſed non gratis, & non ſine mercede, cùm illi tantùm concedatur ob hoc onus, quantum alteri concederetur, qui ſecuram redderet totam negotiationem. Sed & mutuans in hoc contractu non eſt expers periculi & damni, etiamſi forte non accidat, ſiquidem minorem partem lucri accipit à ſocio, ob hoc quod in ſe ſuſcipit periculum & damnum ſi ac-

alicuius fundi aut officij, poterit mutuans pacisci de lucro cessante. Nec in hoc plus est difficultatis quam si pacisceretur de damno emergente, cum sit ratione vtriusque æqualis ratio.

In taxandâ autem summâ iustâ illius lucri cessantis, variæ sunt difficultates, quas vix diiudicare poterit Confessarius: idcircò si taxetur circùm circà id quod adiudicaretur in foro externo pro interesse, putà vnum scutum pro octodecim, pro vno anno, vix apparet quid ordinariè possit in hoc improbari, maximè cùm mutuans & mutuatarius voluntariè inter se ita contrahant, perpensis omnibus, & si quis si paruus excessus aut defectus in summâ taxatâ, remitti videatur ex consensu voluntario, vt fieri solet in negotiatione, in qua res vel paulò cariùs, vel paulo viliùs venditur & emitur. Et potest præsumi hæc esse intentio eorum qui negotia alicuius momenti gerunt ex mutuo consensu & contractu, vt sibi inuicem remittant, si quis eorum paulò plùs vel paulò minùs habet, quia difficillimè res ad omnimodam æqualitatem reduci possunt.

Dubitatur autem an dicitur lucrum cessare quando mercator abstrahit pecuniam à negotiatione eo fine vt pecuniam paratam haberet, cum ab eo petetur, sperans non defuturos qui petant, etsi nullus de facto petat cum pecuniam à negotiatione sua abstrahit.

Præmittendum autem est id non esse licitum in regno Galliæ & pluribus aliis locis, quamuis in Belgio id legitimum habeatur cum authoritate Principis. Tantum igitur res ista agitatur secundùm ius diuinum & naturale, secundum quæ iura, si non resisterent leges politicæ, quas temnere non intendimus, posse mercatorem in hoc casu recipere interesse, docuit Malderus Episcopus Antuerpiensis *de mutuo & vsurâ tract. 5. cap. 13. dubio 13. §. dico quinto.* quem sequitur Cardinalis de Lugo *disputat. 25. de iustitia & iure sect. 6.* §. 1. quia etiam in hoc casu mutuum est causa moralis cessantis lucri, est etiam causa finalis, ideò enim desistit mercator à negotiatione vt mutuet. Hócque explicat exemplo Passionis Christi, cuius causa fuerunt omnia futura peccata hominum, etiamsi supponeremus quod ea in particulari non præuidisset, sed tantum sciuisset in communi multos peccata commissuros, pro quorum redemptione mori sibi fuisset necessarium.

Confirmatur ex eo quod si quis ex mandato Principis abstinuisset à negotiatione, aut acquisitione alicuius possessionis, vt posset dare mutuum petituris, ab iis possit lucrum cessans exigere

exigere: ergo etsi voluntariè à negotiatione abstinuisset. Perindè enim est ad exigendum lucrum cessans quod sponte vel coactè à negotiatione abstinuisti.

Deindè in montibus pietatis quos laudant summi Pontifices petuntur expensæ factæ à mutuatariis, etsi cum fieret non præuideretur quinam essent petituri, sed tantum sciretur in genere aliquos petituros: at cessatio lucri ex negotiatione est veluti expensa & sumptus factus in gratiam mutuum petituri: ergo non est plus iniustitiæ in vno quam in altero, & quo iure vnum licitum est, aliud etiam licet. Vndè nouissimè Loth *in resolutionibus illustrium difficultatum contingentium in Belgio tract. 9.* vbi authoritate principis sunt quidam mercatores qui publicè mutuant ac tam ratione lucri cessantis quàm aliorum titulorum vltra sortem recipiunt, defendit mutuatores illos publicos, non differre substantialiter à montibus pietatis & ex iisdem principiis Theologiæ vindicari à labe vsuræ ac montes ipsos, quos licitos esse ibidem iudicarunt multi Prælati Belgij, duo Archiepiscopi & sex Episcopi, qui ad hanc difficultatem examinandam cum pluribus Theologis Mecliniæ conuenerant anno 1617. & ante Leo X. in Concilio Lateranensi, secutus exempla suorum prædecessorum Pauli II. Sixti IV. Innocentij VIII. Alexandri VI. & Iulij II. declarat, sacro approbante Concilio, nec speciem mali præ se ferre. Hinc Nauarrus *consil. lib. 5. consilio 3.* qui sponte charitate fraternâ motus, mutuat proximo egenti aliquid ad leuandam indigentiam eius, cum damno suorum bonorum, quæsitorum vel cessando lucrari, opus salutare animæ exercet & gratam rem Deo facit, etiamsi eâ lege mutuet vt mutuatarius soluat ei quod ipse amore eius perdit vel cessat lucrari. Plura afferri possent in huius tituli defensionem, sed cui hæc non sufficiunt, nec plura prodessent, multis enim accidit vt de re obscurâ nullâ seruatâ moderatione piæ grauitatis opinionem aliquam sibi imprimant, etsi postea quidpiam diuersum veritas patefecerit, illud odio habeant propter amorem sui erroris. Quod arguit D. Augustin. l. 2. *de Genesi ad litteram*, quod autem homines vix velint aliis gratis mutuare, rationem reddit venerabilis. Beda in *cap.* 7. Lucæ, quia enim multi, vt scriptum est quasi inuentionem æstimauerunt fœnus, & molestiam præstiterunt his qui se adiuuerunt, multi non causâ nequitiæ, non fœnerati sunt, sed fraudati gratis timuerunt.

Non est autem dubium quin statim fiat obiectio vulgaris quod hâc viâ aperiatur ostiũ vsurariis, quia facile erit cuilibet

dicere se ratione lucri cessantis lucrum ex mutuo accipere. Sed hîc est locus communis contra quoslibet titulos aliquid ultra sortem recipiendi ex mutuo. Non est, inquit Philippus Faber. *in 4. sent. dist. 15. disp. 46. cap. 7.* propter malitiam hominum occultanda veritas. Diligenter inuestiget Confessarius intentionem pœnitentis, vt intellectâ veritate saluti suæ consulat, non enim fit in fraudem vsurarum, quandò lucrum speratur non ex ipso mutuo: sed ex alio titulo iusto & legitimo qui illi annectitur.

Fieri in fraudem vsurarum.

Quæritur quadragesimò, quid examinabit Confessarius in pœnitente qui dicit se lucrum recepisse ex mutuatario propter periculum, vel labores in sorte recuperanda.

Respondetur examinare debere, An nullus sit alius titulus iustior ad recipiendum lucrum à mutuatario; si enim nullus sit alius titulus præter illum periculi & laborum, non videtur mutuans in statu securo, & nos sæpè respondimus istum titulum non sufficere ad dandam mutuò pecuniam suam, vel regiis ministris, vel aliis; & ex ea sic data ad percipiendum lucrum, puta vnum scutum in anno pro octodecim mutuo datis. Etenim si istud liceret nulla amplius esset vsura in mundo vniuerso, & mulieres magis meticulosæ possent maiorem vsuram accipere ex mutuo, & quidam miserabilibus personis maius interesse etiam possent percipere, quia sors est in maiori periculo. Sed quia hæc inconuenientia, quæ sunt à posteriori, non satis euidenter rem demonstrant, vt hic opus est, cùm præsertim sit hoc punctum controuersum, sintque pro vtraque parte authores non contemnendi, ideò opus est, afferre aliquam rationem iis qui sub hoc titulo, & prætextu vellent lucrum ex pecuniâ mutatâ percipere.

Igitur considerandum est quod quemadmodùm mutuans ex verâ & indubitatâ sententiâ, non potest lucrum accipere, quòd in mutando priuetur suâ pecuniâ eamque non possit repetere vsque ad certum terminum, non quidem propter eam rationem quam affert Cardinalis de Lugo, de Iustitia & Iure *disp. 25 sect. 3.* Quia quod dedit mutuans totum illi redditur ad æqualitatem, cùm post expletum terminum sors principalis illi restituitur. Etenim non illi recompensatur potestas, qua se priuauit vtendi suâ pecuniâ pro tempore intermedio inter mutuum & eius redditionem. Licet enim reddatur illi hæc potestas, cùm redditur sors principalis, redditur tamen pro tempore futuro, non autem pro præterito.

Nec iuuat afferre exemplum iustorum, quorum si vnus mille annis post alium eumdem gradum gloriæ percipiat, eadem

gloriâ donari censetur; quia scilicet mille anni respectu æternitatis pro nihilo computantur; vnde ille qui mille annis antè alium gloriâ fruitur, non censetur propterea beatior altero, quia eadem gloriâ frui debet in tota æternitatæ. Vt enim hæ ratiocinationes locum habeant, in possessione boni æterni & interminabilis, at non in possessione boni temporalis, qualis est possessio bonorum huius vitæ, quorum possessio per tres annos præualet possessioni per duos annos, aut vnum dumtaxat.

Carentia pecuniæ.

Placet igitur magis communis ratio, quare mutuans sub hoc titulo, & ratione carentiæ pecuniæ, & obligationis non repetendi vsque ad certum terminum, non possit lucrum percipere quia scilicet carentia illa & priuatio est intrinseca mutuo, quod non potest esse sine illâ carentiâ, & licet cum illâ carentiâ reperiatur etiam obligatio ad non repetendum capitale, nisi vsque ad certum terminum, illa tamen obligatio nihil est aliud quàm prolongatio mutui, pro qua nihil magis potest accipi, quàm pro ipso mutuo: atqui etiam periculum amittendæ sortis, & labores in illa recuperanda sunt onera ita annexa mutuo, vt ab illo vix aut nunquam separentur, ideò pro his nihil potest accipi; statuique potest hæc regula generalis vt cum pro re aliqua nihil potest accipi, nec possit pro rebus illi necessariò connexis. Probatúrque exemplo iurium spiritualium quæ non possunt vendi, aut emi, nec bona temporalia quæ iis adiuncta sunt. Sic nihil potest accipi pro missa, nec pro labore se induendi, & huiusmodi necessariò celebrationi connexis. Quòd autem periculum, & labores huiusmodi annexa sint mutuo, ipsa experientia satis comprobat quotidiè: itavt sine illis periculis & laboribus beneficium potiùs censeretur accipere mutuans, vt cuius pecuniæ seruarentur à mutuatario quas pro libito, sine difficultate posset repetere, quod multi non parum existimarent, dum non satis tutam apud se pecuniam habent. Si autem aliquandò accidat, vt nullum sit periculum, nulla difficultas, id rarò & per accidens inuenitur Certè vulgò dicitur & ferè prouerbij locum tenet, si Angelus es mutuando, & Dæmon es repetendo.

Atque huic opinioni consonat responsio Gregorij IX. in cap. nauiganti de vsuris. Vbi ait: ***nauiganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid vltra sortem, vsurarius est censendus.*** Eandem multis fulcit Rebellus ***part.2. de oblig. Iust. l. 9. quæst.***12. licet fateatur contrariam opinionem esse probabilem. Cuius hanc rationem reddit Card. de Lugo ***de Iust. & Iure***

disputat. 25. sect. 6, num. 81. Quod sicut potes exigere prætium vt aliquis sit tibi causa doloris capitis: ita pro molestiâ & angore mentis poterit pretium exigere, cum non minus sed magis aliquando cruciet, quam dolor corporis. Variasque adhibet interpretationes capiti citato, quibus omnibus verosimilior est coniectura Faschinæi de controuersiis iuris l. 2. cap. 48. deesse in textu negatiuam particulam, sine quâ loquutio non bene quadrat cum consequentibus vt totum textum legenti facile patebit, sicut & mihi patuit.

Quæritur quadragesimoprimò, quid discutiet Confessarius à Pœnitente qui accipit lucrum à mutuatario ex titulo tacitæ societatis & contractus trium qui à pluribus approbatur, vt licitus, cùm tamen quidam illicitum esse dicant, quare metuit, nesciens quid in hac re sibi agendum cùm ex illa status rerum suarum dependeat.

Vix vlla est moralis controuersia difficilior, ex cuius resolutione multi fortunas suas pendere existimant: quapropter sæpissime magnâ cum animi contentione agitata est in hoc sæculo, vt si licita esset tacita ista societas absque peccato vsuræ, sine conscientiæ stimulo, possent multi ex pecuniis suis concreditis lucrum certum quotannis accipere, saluâ sorte seu capitali. Hæc enim societas in tribus vel duobus contractibus consistit; æquè enim per duos ac per tres contractus fieri potest. Primus contractus est societatis in qua qui præsentes habet pecunias, eas credit viro industrio qui potest ex iis adiunctâ industriâ suâ & labore, notabile aliquod lucrum producere; ex vi autem societatis tenetur qui dedit pecunias, particeps esse damni, si quod accidat, atque vult esse particeps lucri, atque ideò obnoxius est, si sors ferat, amittendo, & capitali & lucro certo quod spetabat per singulos annos ex vi societatis: cùm autem desideret assecurare sibi, & capitale & certum lucrum duos alios contractus init cum socio, vt attento lucro quod producere potest societas, putà pro parte sua centum scuta, ipsi assecuret sortem suam seu capitale, & det tantum illi octoginta scuta de lucro illo certo quod illi obtingere poterat; & hic est secundus contractus. Deindè etiam ad tollendas suspiciones, & molestias rationum, lucrum certum minus illi assecuret pro lucro maiori annuo, quod verisimiliter obuenire poterat, & hic est tertius contractus. Duo autem illi vltimi iungi possunt in vnum, vt scilicet ex lucro annuo verosimili, & probabili quod sperare potest ex societate, assecuret illi & capitale & lucrum certum minus, diminuendo de illo lucro maiori annuo, prout meretur onus assecurationis quod

subit:

ſubit: rursúsque illi tres contractus in vnum coniungi poſſunt ſimulque & ſemel fieri, vt ſcilicet vir induſtrius qui recipit pecuniam, aſſecuret mutuanti certum lucrum annuum vi tacitæ illius ſocietatis, prout ſine vſura & peccato à quibuſdam Theologis aſſeritur fieri poſſe. Cum autem hi tres contractus ſint merè temporales, & ſeorſim fieri poſſint, dubitatur an etiam coniunctim fieri poſſint; & cum in illis omnibus æquitas ſeruetur, nec vir induſtrius oneretur indebitè, & ſine iuſtâ & æquali recompenſatione onerum, quæ aſſumit in aſſecurando capitali, & lucro certo minori, an calumniam vſuræ pati poſſit hæc tacita ſocietas, cùm à multis grauiſſimis auctoribus propugnetur, vt licita, quorum anteſignanus eſt Maior Doctor Pariſiēſis celeberrimus, elucubratione ſecundâ in 4. *ſent. diſt.* 15. *q.* 49. quæ prodiit *an.* 1516. In præcedētibus enim editionibus, habebat tantū 34. quæſtiones in hac diſtinctione decimâ quintâ.

Germanus, inquit, quidam Doctor Theologus eruditiſſimus quamdam quæſtionem ſuper quodam contractu ad facultatem noſtram tranſmiſit, vt ipſum vel approbaret vel reprobaret: ſed quia ob varia impedimenta noſtræ facultatis Doctores ſuper hoc non fuerunt congregati, nihil eſt ab eadem ſacrâ facultate definitum; dicam benignâ permiſſione ſeu ſupportatione opinionem meam particularem in hac parte, priùs tamen caſum proponendo qui eſt iſte.

Petrus confinnat centum florenos apud Paulum Mercatorem: & ei pro parte lucri ſui, capitali ſaluo, aſſignat per annum quinque florenos: reſiduo, lucri Paulo ſeruato: vel caſus ſic clarius proponitur, Titius habens certam ſummam pecuniæ, negotiationis expers, in illâ ſe exercere non audet, ne imperitiâ ſuâ ſuum patrimoniū diminuatur, nec reperit annuos cenſus prædiales vendibiles ſibi idoneos. Ideò prouidus & circumſpectus circà ſubſtantiæ ſuæ conſeruationem, dictam quantitatem committit Gaio honeſto, & probo mercatori ſuâ induſtriâ plurimùm ſolito lucrari, quem rogat vt ex eâ negotietur. Gaïus autem ex certis cauſis ſuum animum mouentibus nolēs eum acceptare ad lucrum & ad damnum, paſciſcitur cum Titio, vt capitali ſaluo accipiat proportionem lucri ſui, cuius quantitas incerta eſt florenos quinque pro ſingulis annis. Fit etiam conuentio vt vtrique contrahentium liberum ſit hunc ſocietatis contractum diſſoluere, cùm placuerit, dummodò vnus ab altero certior ſuper hoc fiat in quarta anni. Super hoc contractu contentio eſt, an iſte contractus ſit æquus & licitus: ita vt Titius ad reſtitutionem illorum quinque non teneatur in foro animæ.

Doctrina maioris. Super hac quæstione apponam conclusiones. Prior est: contractus iste non est vsurarius, sed licitus. Probatur pars affirmatiua antecedentis. Iste contractus æquiualet copulatiuæ ex tribus contractibus licitis sibi mutuò non aduersis conflatæ; ergo iste contractus est licitus. Consequentia est nota. Antecedens probatur: quia æquiualet tribus contractibus quorum vnus est societas: secundus est contractus assecurationis: & tertius est venditio lucri incerti pro certo lucro, quorum quilibet licitus: siue ergo dicatur societas mixta, vel contractus mixtus, *&c.* Assumptum patet, quia societas est licita, dummodò sit citrà monopolium. Similiter assecuratio vt in materia vsuræ diximus: Pari modo licitum est vendere lucrum incertum maius pro lucro minori incerto in ista non repugnante societate vel aliquo contractu licito quocumque nomine vocetur, *&c.* Ergò totus iste contractus quocumque nomine vocetur, quem in eo cum mercatore, est licitus & Reipublicæ vtilis. Patet: per hunc contractum pupillorum, & laborare nequeuntium bona conseruantur: & instrumenta negotiatoribus ad negotiandum conceduntur.

Fortè dicis, est vsura, quia capio lucrum certum de pecuniâ alienâ: contrà hoc arguitur. Non exui à me dominium pecuniæ meæ: ergo tollo lucrum de pecuniâ meâ propriâ, & de instrumentis meis, assecuratio enim societati non aduersatur. Hoc est, non est contrà eius substantiam, vt patet ex superioribus in locatione & in commodatione.

Nec refert siue successiuè, siue simul hos tres contractus ineamus. Verosimile tamen est quod hi tres contractus successiuè primò erant introducti: nunc præsupponuntur à communi consuetudine.

Secunda Conclusio. Prædictus contractus est vera societas & licita. Quod sit licitus contractus patet ex conclusione præcedenti. Quod si societas sic probatur. Qualitates quæ sunt contra formam substantialem aquæ, vel præter formam, vt aliis loqui placet, non tollunt eius substantiam. Quod patet de calore remisso, respectu aquæ, sed conditiones adiectæ non sunt contra substantiam societatis, plus quàm contrà substantiam locationis vel commodationis. Et istud manifestè patet de hoc contractu instit. de societ. §. *De illa* vbi imperator sic dicit. *Nam & ita coiri posse societatem non dubitatur, vt alter pecuniam conferat : alter non conferat, & tamen lucrum inter eos commune sit, quia sæpè opera alicuius pro pecuniâ valet, & ideò contrà Quinti Mutij sententiam obtinuit, vt illud quoquè constiterit posse conuenire : vt quis lucri partem ferat: de damno non teneatur,* &c.

Secundò dico ipsum non esse illicitum, nec continere speciem mali, si benè circumstantionatur. Vna autem circumstantia est, & requisita ad hoc, vt contractus sit licitus: videlicet quòd non capiatur vltrà latitudinem iusti pretij in duabus conditionibus adiectis, siue dicantur contractus, siue non, *&c.* Secundò considerandum est an negotiatores pecuniam capientes passim fiant ditiores: quia hoc indicium est, quod pecuniam ponentes non notabiliter habent meliorem partem. Et licet securiorem habeant, non refert. Hoc crebro est in mutuo, & in emptione.

Multi autem contractus non considerantes multos licitos reprobant, sanè istum non iudico reprobandum. Non tamen sum nescius, quin à contractu periculoso abstinendum sit. Et licet iste sit licitus, provt existimo, vt multi alij sunt: non tamen in sermone ad populum mercatorum aliquid super hoc dicerem. Etiam nullus contractus de quo non sufficienter constat, quòd sit illicitus, inter mercatores tamquam vtilis vsitatus, est reprobandus.

Ex his propositionibus Maioris, & aliis Syluestri & Caietani sententiis, Nauarrus Vlyssiponæ prædictam societatem ex tribus contractibus conflatam Regi (seu Hispananiarum seu Lusitaniæ non explicat) obtulisse se narrat comment. *de vsuris* in caput *si fœneraueris*, eiusque iustitiam asseruisse, tum ratione, tum etiam authoritate iuris Pontificij ex cap. *per vestras* de donatione inter virum & vxorem. Verumtamen vt vnusquisque in suo sensu abundat, aduersarium passus est Dominicum Soto celeberrimum in Hispaniâ Theologum & multos deinceps alios, quorum rationes non multùm conuincunt: multas enim hactenùs audiui, cum hac de re consilia peterentur, quarum nulla inuicta videri potuit. Quamuis tali modo mens disposita sit vt quemadmodum cera calore solis, sic ratione mollita fuisset, ac melioribus partibus, si innotescerent, cessisset sine hæsitatione. *Disputatio de vsura.*

Aliqui dicunt iniquam esse hanc societatem, quia vnus tantum onus in se sustinet, scilicet ille qui pecuniam accepit, qui tenentur de capitali, & de lucro certo, dum alter quiescit & securus est. Sed respondetur illum quidem totum onus sustinere, sed non gratis, & non sine mercede, cùm illi tantùm concedatur ob hoc onus, quantum alteri concederetur, qui securam redderet totam negotiationem. Sed & mutuans in hoc contractu non est expers periculi & damni, etiamsi forte non accidat, siquidem minorem partem lucri accipit à socio, ob hoc quod in se suscipit periculum & damnum si ac-

Præoccupatio. cidit. Quod indicat Conarruuias *variarum resol. lib. 3. cap. 2. conclus.* vndè potest accidere cum prospere succedit negotiatio, quod qui pecuniam alterius habet, vtilitatem capiat ex assecuratione contra periculum & damnum, quæ non contingunt. Vndè nec est ista societas leonina, in quâ vnus totum accipit; sicut in vulgato Æsopi apologo, de societate asini, vulpis & leonis, vnusquisque enim hîc partem suam accipit, & merè per accidens est, si vnus totum amittat. Vndè & Iurisconsulti non absolutè improbant talem societatem, licet cum scrupulo asseuerent, vt Balduinus ad tit. *de societate* super *institut.* Adde quod quantumcumque conentur homines securitati suæ prouidere, numquam sunt extrà omnem aleam periculi, vt sæpè totum amittant in ista societate.

Alij dicunt iniquum esse hunc contractum, quia qui ita dat pecuniam suam, ponit socium suum in eo statu, in quo cogetur distrahere possessiones suas pro minimo pretio, si nempe repetantur ab illo pecuniæ, cùm impotens erit ad illas restituendas. Respondetur hanc rationem æquè concludere de mutuo gratis omninò dato: qui enim mutuum dat ex charitate, sine vllâ spe omninò, ponit mutuatarium in eodem statu: potest enim mutuum suum repetere pro libito, & cùm mutuatarius non poterit aliter restituere, nisi distrahendo possessiones suas sine iusto pretio. Et tamen hoc inconueniens non impedit quin mutuum dare proximo sit actus honestus & laudabilis. Dici potest itaquè hoc incommodum per accidens sequi: nec ex eo posse concludi iniustitiam istius conrractus.

Alij dicunt non esse socierarem, sed muruum cum vnus tenetur seruare alterum indemnem quicquid accidat, lucrum autem ex mutuo est vsurarium. Distinguendum est, lucrum ex mutuo ac ex titulo ipsius mutui verum est titulo vero alicuius extrinseci quod adiungitur mutuo, non necesse est quod sit vsurarium, parum autem prodest certare de nomine, si de reipsâ constet, quod in eo contractu non sit iniquitas, cum adhibitæ fuerint quatuor conditiones quibus omnis iniquitas ab eo remouetur.

Alij obiiciunt: si isti tres conrractus simul fieri possunt, quia seorsim iusti sunt, eadem ratione fieri poterit, vt per tres actus simul iunctos, aliquis pro pecuniâ adipiscatur beneficium, sine simoniâ & peccato. Probatur quia hi tres actus seorsim sumpti iusti sunt, scilicet resignatio beneficij, concessio pensioni, resignanti facta à resignatario, & emptio eiusdem pensionis præsenti pecuniâ; hi tres actus si fiant simul, & eodem

eodem tempore, iniusti sunt, quia per illos aliquis acquirit beneficium cum pecuniâ : sine tamen simoniâ & peccato, si iusti sunt. Hoc argumentum primâ facie videtur satis acutum, nihil tamen concludit, propter discrimen euidens inter tres contractus prædictos, & hos tres actus : Etenim tres contractus prædicti sunt eiusdem generis, scilicet omnes sunt pro re temporali, vndè non mirum, quod simul iungi possint : at hi tres actus sunt diuersi generis : nam resignatio beneficij est quid spirituale, concessio pensionis est aliquid mixtum ex temporali & spirituali, redemptio verò pensionis est quid temporale, vnde non mirum quòd res ita diuersæ simul iungi non possint sine peccato.

Aliis contractus hic videtur iniquus, quia vnus labore alterius fruitur. Sed quid aliud facit qui locauit terras ? afferunt ne fructum ex seipsis, sine sudore vultus & labore assiduo cultorum ? quibusdam adhuc remora est, quod lucrum incertum non possit assecurari. Sed quid iterum de nomine lis est ? vocetur venditio lucri incerti, quæ tam licita est ac venditio iactus retis.

Occurrit adhuc alia obiectio, quæ peti potest ex eo quod non liceat mutuare frumentum, seu triticum agricolæ, qui terras possidet, cum eâ conditione quòd maior quantitas frumenti reddatur, sub hoc prætextu quòd triticum multiplicetur per industriam & laborem agricolæ : id enim prohibetur & vsurarium esse declaratur à summo Pontifice, vt memini me in aliquo tomo Conciliorum animaduertisse, quorum locus memoriam præterlabitur : atque videtur esse idem dicendum de mutuante qui dat mercatori pecuniam ad negotiationem, vultque aliquid accipere vltrà sortem sub hoc pretextu quòd pecunia multiplicetur, & accrescat in negotiatione quam exercet vir industrius ; est enim pecunia illa similis tritico, laborque viri industrij similis laboranti agricolæ. Ergo si primum ex his prohibitum sit, erit & aliud. Respondetur duplicem esse vsuram ; vnam iuris naturalis, alteram iuris positiui, quæ est vsura, quia constituta est authoritate publicâ, sicut duplex est simonia iuris naturalis & iuris positiui. Et de hac vtraque vsurâ loquitur Henricus de Gandauo *quodl. 6. quæst. 26.* & quamuis suo tempore nullam agnosceret vsuram iuris positiui ; puto tamen, inquit, quod sicut Ecclesia statuto suo fecit vnam speciem simoniæ, prohibendo quarumdam rerum venditionem, quâ non esset illicitum neque simoniacum vendere, nisi Ecclesia prohibuisset : sic Ecclesia facere statuto sua posset vnam nouam speciem vsuræ, prohi-

Vsura iuris naturalis & positiui.

bendo in aliqua commutatione accipere aliquid vltrà sortem: quod non esset illicitum, neque vsurarium, nisi Ecclesia prohiberet. Huius autem vsuræ iuris positiui non naturalis exemplum videre est in Bullâ Pij V. anno 1568. *Cùm onus Apostolicæ*, in quâ census constituros cum aliis conditionibus, quàm ibi præscriptis, vult haberi fœneratitios, etsi non sint iniusti. Vnde Nauarrus commentar. *de censibus* in cap. *si fœner*. XIV. *quæst*. 3. *num*. 105. ex quibus infertur quòd iuris humani est illa grandis particula. *Contractusque sub aliâ formâ post hac celebrandos fœneratitios iudicamus*. Respondetur ergo, qui dat triticum agricolæ, si seruetur æqualitas, non committit vsuram iuris naturalis: potest enim fieri iusta societas inter mutuantem triticum & agricolam: Vt si quis in nouo orbe habenti multas terras arabiles, mutuaret triticum, sibi reddendum in maiori mensurâ post aliquot menses. Scilicet cùm fructum sexagesimum aut centesimum in messe fecisset: interueniret ergo ibi tantùm vsura iuris positiui, quia ita constitutum esset: similiter in prædictâ societate initâ cum tribus contractibus, non est vsura iuris naturalis, sed posset esse vsura iuris positiui, si ita lege publicâ constitueretur.

Dies ita constitutum fuisse Bullâ Sixti V. anno 1586. *detestabilis auaritia*, qui talem societatem, vt vsurariam condemnauit, quod cõtrà votum Nauarri accidit, qui optabat vt Episcopi vel Pontifex Maximus declararet consuetudinem prædictorum contractuum esse iustam capite 27. *manualis* num. 257. Respondetur eundem Sixtum V. declarasse mentem sua m fuisse, solùm prohibere iniustos contractus, & conuentiones solitas societatibus apponi quas classici Doctores condemnarent; non autem eas quas iidem approbarent tanquàm iustas. Vndè docet Bonacina *de contract. disput*. 3. *quæst*. 3. *puncto* 11. talem societatem damnasse quando periculum capitalis stat pænes accipientem obsolum contractum societatis, secus vero si hoc sit ob alium contractum assecurationis. Non enim intendit damnare contractum societatis, si illi addatur alius contractus iure communi licitus, vt patet ex decisione Rotæ apud Farinacium *decis*. 117. *&* 180. Adde quòd ea Bulla maximè prohibet societates cum pauperibus, vt ex his verbis patet: *Eosque socios cum quibus contrahunt plerumque pauperes, & egenos suoque labore & industriâ victitantes ad sortem seu capitale restituendum, quicumque tamdem casus & rerum euentus consequatur, pacto, & obligatione obstringunt*. Verba Bullæ exactè discutientibus, apparent eam potissimum prohibere societates huiusmodi cum miserabilibus personis: etenim

etenim ſocietas cum talibus vix aliud eſſe poteſt quam vſuræ palliatio, quâ ad extremam pauperiem breui rediguntur, & cùm laborando vix iuſtum laboris pretium referunt, & neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem, vnde poterunt mutuanti ſubminiſtrare pecuniæ mutuatæ vſuram? Quare iuſtè id prohibet Summus Pontifex; nec quiſquam poteſt approbare talia mutua proximi facultates ita attenuantia. Verior temen reſponſio eſt, quòd Summus Pontifex conſtituat vſuram iuris humani & poſitiui in iſta ſocietate, vt proinde vbi publicata eſt Bulla & vſu recepta, talis ſocietas prohibita ſit, non alibi. Patet quia Sixtus V. non condemnat iſtas ſocietates pro prætcrito tempore, nec obligat ad reſtitutionem pro prætcrito, nec explicat articulum fidei, nec de doctrinâ determinat, quod falsò quidam aſſerunt: ſed tantum vetat has ſocietates pro futuro. Sic enim ait. *Statuimúſque huiuſmodi contractus, conuentiones, & pactiones, vſurarios & illicitos poſthac cenſeri debere, atque in poſterum non licere iis qui pecunias vel animalia, aut alias res in ſocietatem tradunt de certo lucro, vt præfertur percipiendo inter ſe paciſci, & concordare.* Denique in iſtâ bullâ non prohibetur ſocietas cum his conditionibus inita, quales in eâ requirimus. Porrò vnica circumſtantia caſum mutat.

Alij adhuc obiiciunt vltima Galliæ Concilia Prouincialia, in quibus huiuſmodi ſocietas damnata ſit. Sed perperam iſta obiiciuntur ab iis qui memoriâ lapſi ſunt, nec enim vllo canone prohibetur talis ſocietas mixta, ac cum debitis conditionibus facta, ſine quibus illam non defendimus, vt quidam minus conſultè fecerunt. Etſi prohiberetur, nihil eſſet nobis præiudicij, quia eſſet tantum poſitiui, quam inducerent iſta Concilia, quod nos fieri poſſe vltro concedimus,

His igitur ita perpenſis, non videtur pluribus vſuraria talis ſocietas, ſi cum iuſtis conditionibus fias, donec expreſsè prohibeatur. Vbi autem prohibita eſt per Epiſcopos, aut per Concilia Prouincialia vigente lege ſic locis cenſeri debet vſuraria illa vſura quæ dicitur iuris poſitiui. Quam ſententiam ſi non improbet Confeſſarius, poterit examinare pœnitentem in hunc ferè modum.

Primò quibus perſonis mutuauerit pecuniam ſuam, ſi erant induſtriæ, & aptæ ad negotia lucroſa. Peccat enim, inquit Nauarrus ibidem, qui dat pecuniam in ſocietatem ei quem ſcit eâ non eſſe negotiaturum, vt militi vel clerico indigentibus in certum lucrum, quamuis prædicti tres contractus ſocietatis, ſecuritatis, & redemptionis concurrant: quia

quia non est vera, sed simulata societas, quæ vsuram velat, siue palliat. Secundò interrogabit quâ in re in sumenda illa erat pecunia, si in negotiatione licitâ, si in emendo officio, in construendis ædificiis, in acquirendis feudis & terris, & huiusmodi ex quibus fructus annui proueniunt; non enim liceret dare pecuniam in societatem ei qui malè acceptâ pecuniâ vteretur, & forsan cum detrimento reipublicæ, & populorum ruinâ, in mutuando principibus ad vsuram, ab habendam potestatem pro exspoliandis Prouinciis. Quâ in re & vsura est, & crudelitas ergà proximum. Nec mutuatarius habet dominum istarum pecuniarum, ita vt possit iis vti ad quodcumque licitum, sed tenetur eas insumere in re fructuosâ, secundùm intentionem mutuantis. Tertiò debebit etiam discutere an negotiatio illa tantum lucrum referre deberet probabiliter, quod sufficeret tam pro iustis laboribus mutuatarij, quàm pro certo pretio mutuanti soluendo; si enim non sufficiat, iniquus erit contractus. Habenda tamen est aliqua ratio honoris quem habet mutuatarius in emendo officio magistratus vel aliquo nobili dominio, & aliarum commoditarum, quæ iunctæ sunt nouis acquisitionibus: hæc enim æstimationem suam habent apud ciuiles & politicos. Atque hoc est quod iterum, iterumque expendi debet. Quare & stante prædicta conditione, non aliàs, Pius IV. in Bulla *Cum sicut accepimus*, an. 1560. approbat Societates super officiis Sedis Apostolicæ, modò non sint vltra valorem officiorum super quibus illas fieri contingit: ***Ita quod ad requisitionem secum similiter contrahentium teneantur in ipso contractu specialiter exprimere alias societates super eodem officio contracta, si qua sint, &c.*** Quartò etiam examinabit Confessarius si ex hoc titulo intenderit lucrum illud annuum accipere, nec ante repetere capitale suum proponat, quàm negotiatio completa sit, si enim antea repetar, iniustitiam committit ergà socium, qui tantum incepit illam negotiationem, quæ illi lucrum parere debet.

His ita positis, si Confessarius iudicet non esse intolerabilem errorem in sententia Maioris, Nauarri & plurimorum aliorum, quos supra viginti magni nominis enumerare possemus si solo numero authorum certandum esset: nam præter ipsos eam tuetur Philippus Faber *in 4. sent. dist. 15. dist. 47. c. 12.* Lessius *de Iustit. & Iure c. 25. dubit. 3.* cum Angelo Syluestro, Conuarruuia. Item Bonac. *de contract. disp. 3. quæst. 3. puncto* 11. cum Salonio, Mantica, Socino, Fumo, Filliucio. Item Toletus *lib. 5. cap. 41.* Item de Valentia *tom. 3. disp. 5. q. 24.* vbi

vbi testatur eam Romæ pluribus doctoribus fuisse probatam. Item Cardinalis de Lugo *de Iust. & Iure disput.* 30. *sect.* 4. cum Molina, Palatio, Sarmienro, Maldero, Homobono, Morla, Item Diana *p.* 1. *tr.* 8. *resol.* 30. cum Gratiano, Natta, Rubeo, Narbona, Megala. Item nouissimè Petrus à sancto Ioseph in Summula *in* 7. *præcepto c.* 5. & alibi, si inquam hæc sententia tot fulta aurhoribus ac rarionibus non videarur probabilitate destiruta, quæ nulla hactenus ratione sufficienti labefactata est, nec euidenter iniqua apparet, non peccat, si absoluit eum qui cum his conditionibus pecuniam muruauit, non iniunctâ restitutione, sicut nec peccat in multis aliis valde controuersis sequendo partem aliquam probabilem. Attamen si res sit in fieri; & peratur ab eo consilium, puto quòd non debeat dare consilium huius societatis ineundæ, sed dissuadere quantùm porerit ne fiat. *Resolutio auctoru.*

Ratio primi est, quod qui lucrum accepit sub hoc titulo, nititur probabili opinione, etsi quod esset dubium, in dubio melior est conditio possidentis, & ratione naturali non iniquũ videatur, quod qui mutuando dat alteri ansam & occasionem lucri captandi, partem aliquam illius lucri recipiat. Quâ enim æquitate alter meis pecuniis domum acquisiuit, aut ædificauit, ex quâ reditus accipit, officium emit, ex quo illi emolumenta proueniunt, mercimoniam exercet cum lucro, & nihil ad me redibit ex istis: Neque enim exstimandum est pecuniam ipso vsu consumi inter manus viri industrij qualem supponimus: remanet enim æquiualenter & in valore, in officiis, in domibus, in prædiis & in mercibus ex iis conquisitis, ita vt posset dicere mutuanti ista ostendendo, en tuæ pecuniæ. Vnde nec prauitas vsuraria in eo contractu si sincere fiat, reperitur, cum hæc in eo consistat vt docet D. Thomas 2.2 *quæst.* 78. *artic.* 1. & Ægidius Romanus *quolib* 5. *disput.* 5. *quæst.* 1. quod vsus pecuniæ sit eius distractio ac consumptio. non enim hîc datur pecunia, vt consumerur sicut si daretur domus vt combureretur; sed datur vt ponatur in te permanenti, sicque æquiualenter remaneat. Aliter est si darentur pecuniæ indigenti ad se vestiendum, nutriendum aut redimendum se ex aliquâ miseriâ: verè enim consumerentur pecaniæ ipso vsu. Quare sancti Patres in huiusmodi mutua stilo acerrimo scripserunt, & prohibentur. *Exod.* 22. Non autem in illa mutua ex quibus & mutuans & mutuatarius commodum reportant. Accedit & alia ratio quod licitum est mutuanti aliquid vltra sorrem accipere propter lucrum cessans, ergo & licebit propter lucrum adueniens mutuatario. Probatur consequentia quia

quia minùs repugnat charitati & iustitiæ quòd lucrum adueniens diuidatur inter duo qui ad illud suo modo cooperentur, quam quod vnus detrimentum alterius resarciat: in primo enim casu vtrique commodum aduenit in secundo casu nulli, sed vnus iacturam aliquam patitur suorum bonorum, vt alterius iacturam reperet. Si ergo primum licitum & excommuni opinione, licitum erit & secundum. Deniquè valdè mirum esset quod liceret mutuare pecuniam cum lucro, ad ostentationem vt dicti Doctores docent (etsi nondum id nos asseramus :) & non liceret dare ad bonum & licitam negotiationem: quod enim responderi posset in primo casu pecuniam non deperdi, imò eandem numero remanere, hoc nihil est, eum perinde sit si æquiualenter remaneat per vsum secundarium quem habet, cum expenditur in rebus quæ semper subsistunt & sunt extra necessaria vitæ humanæ quæ in vsu pereunt. Accedit quod auctores aduersarij dicunt assecurationem capitalis & partis certi lucri sperati licitam esse cum tertia persona: at socius ex societate non fit deterioris conditionis, quare ergo cum illo non licebit? hic contractus ait prædictus faber vbi *supra*, mihi videtur maximè iustus, &c.

Addere aliquis posset obseruari posse in definitione vsuræ tres particulas, ob quas ista definitio non conueniat huic societati: at cui non conuenit definitio nec definitum secundam certam regulam Philosophorum. Est enim vsura lucrum ex mutuatione rei vsu ipso consumptibilis vbi ex causâ mutui principaliter. At in contractu trium, non est mutuum propriè, nam socius cui datur non fit Dominus istius pecuniæ vt possit de illa pro libito disponere, sed ex contractu tenetur in re fructuosa impendere, idcircò non habet illius dominium sicut si mutuum acciperet ita dictum quasi ex meo tuum. 2. Indè fit quòd illud quod commodatur non sit vsu consumptibile, cum potiùs supponatur in ipso vsu esse multiplicabile, sitque per accidens si in vsu deperditur: datur enim vt insumatur in negotiatione frugifera. 3. Deniquè non accipitur vi & causa mutui principaliter, cum etsi placeret illud appellare mutum ex vsu loquendi aliquorum, lucrum tamen accipitur ex alio titulo scilicet lucri aduenientis cui mutuans cooperatus est ex suis pecuniis.

Definitio vsuræ examinanda.

Obseruant alij in montibus pietatis esse etiam tres contractus simul iunctos, qui si comparentur cum tribus contractibus societatis istius magis sapiunt vsuram. Tamen mons pietatis non est vsurarius ex definitione Leonis X. in Concil. vlt. Lateranensi sacro approbante Concilio.

Non

Nec valdè vrget quorumdam cogitatio, quo secundus contractus destruat primum & societatem destruat.

1. Quia quandò dicitur in societate quod non debeat vnus solus periculum subire, istud intelligendum est gratis & sine iustâ recompensatione: nam illâ positâ non grauatur indebitè; nec plus est difficultatis quod vnus periculum subeat quam quod labores curas & impendium temporis. Quod tamen licet ob hoc illi plus concedatur.

2. Quia vnus non fert solus periculum, sed etiam alter socius, qui ob hoc minus accipit, minus enim accipiendo, particeps est periculi.

3. Item quandò datur pecunia ad ostentationem & ad ponendum loco pignoris, assecuratur tum lucrum quàm capitale, cur ergo.

4. Quia non est de essentiâ societatis quod periculum sit commune. Sed est tantum legitima conditio. Probatur ex definitione Tullij in qua non fit mentio huius periculi. Est enim societas secundum Tullium. Vt refert Angelus *vt societas* duorum pluriumue conuentio contracta ob commodiorem vsum & vberiorem quæstum. Vbi nulla fit mentio communis periculi: sicut Iustinianus supra allegatus dicit fieri posse societatem; ita vt vnus tantum subeat periculum.

Deindè essentialia semper insunt: at in societate aliquandò nullum est periculum: ergo. Præter ea vnus ex sociis solus licitè subibit periculum vitæ in nauigatione & aliis, cum socij quiescent;& sic sæpe fit. Quanto magis ergo subire poterit periculum pecuniæ ex voluntate & pacto partium.

Ratio secundi est quòd vix obseruentur conditiones requisitæ, vt sine peccato fiat talis societas, & aliundè accidit non rarò, vt totum amittant qui in ea pecunias collocant, aut difficillimè sortem suam repetant, vndè maledicta congerunt aliquandò in consulentes. Similis est resolutio Gregorij de Valentia *in 2. 2. disput. 5. quæst.120. puncto 2.* Vbi asserens licitum esse, ratione detrimenti quod quis ex venditione credito pretio accipit, rem pluris vendere, quàm si statim pretium solueretur, adhibitis ad hoc quibusdam conditionibus; tandem sic concludit: & quoniam difficilis est omnes conditiones simul concurrere, magna est adhibenda cautio ne detur ansa iniustitiæ: & dissuadendi sunt potiùs communiter loquendo huiusmodi contractus, quàm suadendi, ante factum: post factum verò diligenter examinandi, ne temerè aliquis vel iustificetur vel condemnetur. Idem nos censemus in contractu isto societatis mixtæ.

Quæ

Quæ omnia dicimus attento solo iure naturali ac diuino: nam si de iure humano agatur, vnicuique incombit perspicere in quâ terrâ viuat, & quæ sint leges politicæ regni aut reipublicæ cuius est membrum vt nihil præter eas aggrediatur, etsi iure diuino vetitum non sit, cum clamet Apostolus ad Roman. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.*

Quæritur quadragesimosecundò quid excutiet Confessarius in Pœnitente qui aliquid recipit vltrà sortem à mutuatario, ratione pœnæ conuentionalis, cui mutuatarius se obligauit, si in termino præfixo sortem non redderet.

Excutiet primò intenrionem mutuantis cùm de illa pœna conuenit cum mutuatario, si fuerit tantùm intentio compellendi mutuatarium ad obseruationem fidelitatis promissæ pro termino præfixo, vltrà quem nollet priuari pecunia mutuata. Secundò si pœna apposita non sit excessiua. Tertiò si mutuatarius non reddendo sortem in termino præfixo, est verè in culpa; nam si propter inopiam & rerum domesticarum tenuitatem non potest reddere, non tenetur in foro conscientiæ soluere pœnam conuentionalem, & in illo casu non potest recipi à mutuante. Pœna enim non debetur nisi propter culpam. His positis licitè mutuans accipit vltrà sortem: non enim accipit ex vi mutui, vt argumentatur Almainus *in 4. dist. 15. q. 2.* Quia non mutuauit spe principali, vt caperet aliquid vltrà, quia si cum tali spe mutuasset, hoc fuisset in fraudem vsurarum; sed accipit ex delicto illius qui distulisset soluere in termino præfixo: cùm enim mutuans iustè velit habere rem suam, bene sequitur mutuatarium iniustè detinere, & pro illa iniusta detentione dignum esse pœna, ad quam proinde debitè potuit se obligare.

Aduertendum est in isto negotio vnum esse difficile propter quod Confessarius debet impedire, dissuadendo, ne fiant tales conuentiones, ordinariè enim cùm mutuans non reddit sortem in termino præfixo, se excusat de impotentia, quæ cùm nota non sit & perspecta satis mutuanti, dubitat anxie an peccet in dilatione solutionis & idcircò an possit licitè ab eo pœnam illam exigere.

Quæritur quadragesimotertiò quid excutiet Confessarius in pœnitente qui interesse recipit à debitore suo, propter sententiam iudicis, quam obtinuit contra debitorem morosum.

Respondetur per se loquendo titulum esse iustum, quia siue debitor peccauerit vel Theologicè, vt loquuntur, & coràm Deo, non soluendo, vel politicè tantùm & coràm hominibus, potestas publica ex iusta causa publica, habet ius transferendi bona

bona vnius in alterum. Hic autem iusta causa est, quia interest reipublicæ vt cogantur debitores ad soluendum debita in termino præfixo.

Sed difficultas est quandò mutuans & mutuatarius conuenerunt inter se de significatione facienda mutuatario, vt solueret & consequenter de obtinenda contra eum tali sententia, quâ condemnaretur ad interesse, quoad vsque sortem præcipuam redderet. Hac enim via videretur aperiri ianua omnibus vsurariis, vt licitè lucrum accipiant ex mutuo: nam difficile non est talem sententiam obtinere, ex alia parte iste mutuans tali modo, dicet se velle habere ius iustum ad capiendum lucrum à mutuatario, ex alio titulo quàm præcisè ex titulo mutui.

Sanè talis conuentio præuia apud æquos rerum æstimatores non caret suspicione vsuræ, ideò quando res est adhuc in fieri, dissuadenda est, & improbanda; at vbi iam obtenta est sententia, videtur aliter iudicandum; quæcumque enim fuerit intentio mutuantis, iam subest iusta & sufficiens causa, ad capiendum lucrum seu interesse. Quare, quemadmodùm si quis primò mutuasset pecuniam cum peccato vsuræ: posteà tamen accederet iustus titulus ad capiendum lucrum, purà quia vsurario, hæreditario iure accessit prædium oneratum censibus annuis, quos vellet refundere; sed non potest, quia mutuatarius non vult illi reddere sortem suam ex qua refunderet prædictos census, non est dubium quin iuste & sine vsurâ lucrum posteà acciperet, titulo damni emergentis ex solutione censuum nondum redemptorum: Túncque desineret esse vsurarius, accedente iusto illo & legitimo titulo. Idem videtur esse hìc dicendum, maximè cùm omninò non constet adhuc de iniquitate illius conuentionis: & si enim dici possit quod fiat ex cupiditate lucri, responderi potest ita esse quidem, verùm ex cupiditate lucri iusto titulo percipiendi, scilicet ex decreto authoritatis publicæ. Iudicabunt tamen qui velint de isto casu, qui frequens est & ordinarius, vt meritò commiseratione digni sint Confessarij, qui tot difficultatibus inuoluuntur, vt Angelus de cœlo vix sufficeret ad omnium solutionem.

Verum quis huic rationi & considerationi forsitan obsistet cum nequidem constet hanc esse illius pænes quem publica residet potestas intentionum, vt iudices quos constituit, bona vnius in alterum transferant, nisi aliunde ius ad illa habeat per aliquem legitimum titulum, quem non faciat Iudex suo decreto, sed quem præsupponat, & cognoscens esse legiti-

mum, decernat creditori interesse vt vocant ex bonis debitoris, qui illa debeat vel in pœnam moræ, vel quia non soluendo tempore præfixo fit vt creditor detrimentum patiatur ex carentiâ pecuniæ, quam si haberet negotiaretur aut lucrum ex eâ sibi compararet modo aliquo legitimo, vel ob alium titulum. Vndè videtur (si spectetur forum conscientiæ, quod potissimum hic intendimus) iudicem non dare ius creditori vt acquirat hypothecam cum aliquo reditu annuo in bona alterius, sed tantum declarare hoc ius illi competere. Vndè si verè ius illud non competebat, & id agnoscatur, non erit creditor talis tutus in conscientia post sententiam Iudicis, quæ potest esse iniqua, cum aliquandò qui in morâ est solutionis culpâ omni vacet, non est autem in mora qui sine culpâ est, & sæpè etiam creditor nullum detrimentum patiatur ex retardatione solutionis, attento rerum suarum statu. Vndè sententia Iudicis non semper creditores absolueret ab vsurâ coram Deo, sed tantum coram hominibus, apud quos quidquid statuit Iudex legitimum haberi solet, quamuis apud Deum res longè aliter sese habeat, vt propter ea scriptum sit Psalm. 74. *Cum accepero tempus ego iustitias iudicabo*: quapropter multò securiùs agerent iudices pro salute multorum si aliquam rationem ducerent eorum quæ sunt extrinseca mutuo, ob quæ creditori ius competit coram Deo alicuius interesse, maximè cum quæstiones istæ sint obscuræ ac præferendi sint in earum discussione Theologi iurium Doctoribus: sic enim fieret vt pluribus titulis hypothecæ purgarentur ab vsurâ ac etiam interesse annua quibus absumuntur bona plurium aliquando vero denegari deberent quia non subesset in creditore legitimus ad ea titulus.

Adstipulatur huic doctrinæ Baltasar Chanassius S. I. Doctor Theologus l. 4. de perfecta prudentia iustorum cap. 1. Scito, inquit, & tibi persuade, nihil petendum à mutuatario supra summam capitalem (cum ei sufficiat reddendo æquiualens iustitiam colere) etsi princeps vel Respublica permittat, vt exigas quotannis tria, vel etiam plura pro centum Ideo namque id tolerat, quia præsumit mutuatores occasione mutui adire damnum æquiualens, vel paris lucri iacturam facere. Nec obstat quod mutuatarius tuâ egens pecuniâ non peccet promittendo vsuram vel soluendo; quid id facere cogitur ad redimendam vexationem, quam à te pateretur, aliàs ei non daturo mutuum.

Ex quibus intellige multos malè suis rebus spiritualibus prouidere, si vel miseris suis debitoribus iussionem soluendi sub

sub pœna interesse pro futuro intimari faciant per præconē, vel sententiam à iudice obtineant quâ condemnentur ad illud interesse, etsi nulli subsint iusti tituli, ita vt post aliquot annos *interesse* istud, sic enim vulgo vocatur, excedat capitale debiti, & ex vtroque capite summa vna conflatur ad quam pupillorum sæpiùs bona mobilia & immobilia diuenduntur auctoritate iudicum, qui non discernunt vsuram vbi est, sicut illam aliquandò inueniunt vbi non est. Tales enim sunt mores sæculi, quibus non magis quam torrenti quispiam obsistere valeat. At de his iudicabit Dominus.

Quare Iudex spiritualis ad cuius tribunal quæstiones istæ redeunt diiudicandæ, non ita habere debet legitimum hunc titulum, vt nihil sibi posteà examinandum putet. Sed quam magnum est hoc opus arduum & difficile, vt Angelico spiritu præditos esse confessarios deceret ad quæsita omnia dissoluenda. Quid ergo illi faciunt qui de iis nesciuntur iudicare; dicam hic, vt quempiam ad æmulationem prouocem, me per duodecim annos, identidem & interpolatis vicibus dissentientium authorum rationes expendendo, vni de mutuò quæstioni studuisse, priusquam certum apud me statuerem iudicium.

Quæritur quadragesimoquartò quid examinabit Confessarius in mutuante qui recipit lucrum sine pacto prauio, ex liberalitate mutuatarij.

Respondetur discernendam esse intentionem quam habuit cum mutuaret, an lucrum speraret ex mutuo, vel ex sola beneuolentia mutuatarij, quem sperabat non fore ingratum, etiamsi nullum pactum intercederet. In primo casu peccat, quia Deus cuius oculus ineuitabilis secreta omnia ac cælata humanis aspectibus deprehendit, ipsam respicit intentionem, & potiùs animum quàm factum: in secundo casu non peccat. Ita Henricus de Gandauo *quodlib.6 quæst. 26.* Etsi inquit pro beneuolentia & curialitate sua quasi ex naturali obligatione aliquod se recepturum sperat, & expectat, & expectatum recipit: reuera nullum est peccatum omninò; ideò nec ad restitutionem tenetur. Vndè & tali modo occasione honesti seruirij licet Clericum sperare & expectare à domino suo in aliqua re spirituali, aut in beneficio Ecclesiastico prouisionem, absque omni vitio simoniæ, vt notatur 59. dist. super illud capitulum, *Hoc ad vos.*

Vberiùs autem eadem resolutio explicatur ab Almaïno, vt in ore duorum testium firmior sit assertio, *super 4. dist. 15. quæst. 2.* Supponendum est, inquit: quod spes lucri duplex

est. Quædam minùs principalis, vt quamuis non speraret aliquid, nihilominus mutuaret. Principalis vt si non speraret aliquid vltra, non mutuaret; & ista est duplex, quædam quâ mutuat, & ex vi mutui, sperat aliquid vltrà sortem, non ex vi mutui, sed de beneuolentia mutuatarij: ita quod si non speraret quod gratanter aliquid acciperet, non mutuaret. Tunc dicunt quidam, vt D. Thomas *in quæst. disput. de malo, q.* 17. Quòd spes etiam principalis aliquid recipiendi vltra sortem (dummodò illa spes sit ex gratuito affectu, & non ex obligatione & vi mutui) non facit vsuram, sed est licitá: vt licitum est mihi mutuare pecuniam ex spe, quâ spero mihi aliquid dari vltrà ex beneuolo & gratuito affectu mutuatarij, & rationes eorum sunt istæ. Licitum est mutuanti in mutuando principaliter sperare beneuolentiam & affectum mutuatarij: ita quòd nnnquam mutuaret, nisi speraret habere gratuitum amorem & beneuolentiam mutuatarij, &c. Ergo est licitum mutuanti sperare principaliter collationem gratuitam alicuius rei temporalis. Patet consequentia, quia ex affectu beneuolo procedit illa datio: ergo si primum est licitum, erit & secundum: quia primum est radix secundi: cùm ex beneuolo affectu procedit beneuola datio. Secunda ratio est apparentior: mutuararius iure naturali non solum obligatur ad sortem, sed ad antidora & affectum gratuitum erga mutuantem. Ergo si Sortes mutuans expectat beneuolentiam quæ oritur ex obligatione naturali, non expectat vltrà sortem & debitum: sed sperando quòd debetur non committit vsuram: igitur sicut in casu, si Sortes debet mihi decem & non possum habere ab illo nisi mutuem centum, vt recipiam illa decem simul cum illis centum, licet mihi mutuare: & quamuis expectem & sperem aliquid vltrà sortem, non tamen spero illud aliàs indebitum. Similiter dico cùm mutuatarius iure naturali sit obligatus ad beneuolentiam, Sortes mutuans sperans illam recompensationem beneuolentiæ exterioris, non sperat aliquid vltrà sortem & debitum simul. Sed in mutuando sperare sortem & debitum simul non est vsura, vt patet extrà *de vsuris* cap. 1. in textu & in glosa: ergo Sortes mutuans qui habet talem spem etiam principalem aliquid recipiendi extrà sortem; non tamen ex vi mutui & debiti, sed solùm ex beneuolo affectu mutuatarij, non committit vsuram: & dico quantum ad hoc quòd vsura est spes, quâ ex vi mutui aliquid speratur principaliter vltrà sortem; sed si proueniat ex alterâ causâ: puta ex beneuolentiâ, quamuis sit spes principalis: ex beneuolentiâ est licitum. Hæc Almaïnus, ex quibus Confessarius

fessarius discet quid debeat discutere de intentione pœnitentis, a quâ aliquorum casuum resolutio pendet. Quare verè dixit D. Augustinus lib. 3. confessionum cap. 9. multa itaquè facta quæ hominibus improbanda videntur, testimonio tuo approbata sunt, & multa laudata ab hominibus, te teste damnantur: *Cum sæpè aliter se habeat species facti & aliter facientis animus atque articulus occulti temporis.*

Dubitari autem posset, annon insuper debeat inquirere, num mutuans verbis induxerit aut excitauerit mutuatarium ad gratitudinem. Respondetur non esse id necessarium, quia non peccat verbis excitando ad gratitudinem, præsertim si post redditionem mutui, id faciat: si tamen illa excitatio antecedat redditionem mutui, sapit aliquod pactum saltem implicitum, & est improbanda à Confessario, quamuis in rigore non videatur mutuans obligari ad restitutionem illius, quod tanquam ex gratitudine accepit, etiamsi verbis explicauerit suam intentionem; quia si intentio est licita, per hoc quod verbis explicatur, non erit illicita, secluso scandalo, & quamuis sit suspecta hæc intentio, si tamen vir prudens eam discernit est sine culpâ, & quod fit licitè etiam potest licitè intendi, nec intentio lucri reddit contractum vsurarium cum est extra pactum omne explicitum ac implicitum.

Idem dicendum puto si eum mutuatarius dat aliquid suprâ sortem, dicat mutuanti: ego scio litem esse inter Theologos, aut liceat aliquod lucrum percipere à mutuatario; sed mea intentio est id donare omninò gratis; nec intendo vt propter ea vobis vllus restet scrupulus; scio enim quid faciam & & voluntariè & libenter facio: quæ verba ex animo dicta, videntur assecurare conscientias mutuantium, cùm desiderant, sortem sibi restitui propter timorem peccati, idque exigunt à mutuatario, qui tunc non vult, aut non potest restituere sed magis desiderat sibi prorogari mutuum, & ex quadam gratitudine & honestate vult propterea soluere illius interesse per singulos annos.

Quare expedit aliquando vrgere mutuantes qui dubitant de titulo legitimo aliquod lucrum accipiendi, vt seriò repetant à mutuatariis, qui si nolint restituere, atque huiusmodi aut similia verba ad eos habeant, excusari poterunt mutuantes parati recipere sortem si illis sine difficultate restitueretur. Quod solùm putamus locum habere cùm mutuatarij viri diuites fuerint, quia si sint mediocris fortunæ & parum locuplete, eorum consensus debebit censeri coactus & insufficiēs ad transferendum dominium illius interesse, & vix aliquis in necessi-

tate censetur esse liberalis. Itemque locum putamus habere cùm mutuantes ita sunt dispositi, vt mallent omninò sortem suam sibi restitui, quàm eandem remanere apud mutuatarium, & ab eo sibi solui interesse, cum minimo peccato ex parte sua. Deniquè ea solùm putamus locum habere, cum fiunt simpliciter, & bona fide absque dolo & astutiâ. Vndè dicit de Graffis *decision. aurer. parte 2. c. 24.* vsurario sufficere in foro conscientiæ remissionem factam à mutuatariis, cessantibus metu dolo & circumuentione, omninò proprio motu vel ad preces vsurarij, vel amicorum, vel ad remuneranda seruitia recepta.

Et his rationibus excusari potuerunt quædam ancillæ, quarum pecunias domini sui acceperant, vt illis interesse annuatim soluerent, non cogitantibus ancillis quicquam de vsuræ malitiâ, posteà autem instructæ de illicito isto mutuo, voluerant repetere à dominis, qui id renuunt, dicúntque illis se earum conscientias liberare, séque interesse illud donare gratis.

Absolui etiam possunt sine vlla obligatione restitutionis, qui per vsuram aliquid acceperunt à mutuatariis, sed ad eorum aut aliorum preces id gratis postea se donare dixerunt. Nam cautio illa quam aliqui scrupulosi putant esse necessariam, vt scilicet debitor pecuniam priùs in possessionem creditoris mittat, nimia est, vt docet Baptista Corradus 1. *parte quæsito 161.*

Nec refert si mutuatarius soluat interesse cum aliquo timore, ne illi aliâ vice non detur mutuum, aut quod in idem recidit, ne illi iam datum non prolongetur, modò recipiatur à mutuante, non vt debitum, sed vt gratis datum, quia aliquid eo timore dari, non facit, quod detur vt pretium, sed vt gratuitum ad alliciendum animum mutuantis, ne cesset à beneficio conferendo à quo licitè cessare posset, vel vt nouum beneficium conferat: quemadmodum si Episcopus det beneficium famulo, timore ductus ne ab eius obsequio recedat, beneficium illud licitè recipit famulus, vt quid gratuitò datum. Aliud esset si mutuans metum incussisset iniustè minando infamiam ob ingratitudinem. Vide Cardinalem de Lugo *de Iure & Iust. disput. 25. sect. 4. sub finem.*

Directio intentionum. Quòd si aliquis dicat mirum id esse, quòd solius intentionis & animi inflexione, nascantur tam variæ resolutiones, cogitet non magis id esse mirandum, quam quòd vnus & idem homo, si det eleemosynam ob amorem Dei, vitam æternam mereatur; si det ad alliciendam mulierem in sui concupiscentiam

tiam,vitam æternam amittat. Iustus, & fur ingrediuntur Ecclesiam,ille vt Deum veneretur,hîc vt furetur si se det occasio, idem factum est, solâ intentione diversâ : hic gloriam consequitur,hic supplicium. Ita sanè accidit in præsenti quæstione: ille mutuat & sperat lucrum ex vi mutui, lucrum iustè non consequitur & obnoxius est restitutioni, quia vsurarius est;hic mutuat & sperat lucrum non ex vi mutui,quia scit hanc viam à Deo prohibitam esse,sed ex vi societatis tacitæ,ex gratitudine & beneuolentiâ mutuatarij., non peccat,nec est vsurarius quia nititur legitimo titulo. Ex quo fit vt si homines satis essent instructi in istis, multa peccata vitarent, & Confessarij multorum sedarent conscientias. Sed plures lunæ similes sunt, cui satis est virium & caloris, vt è terrâ vapores attollat, non satis autem vt eas dissipet. Sic quibusdam satis est, scientiæ & ingenij vt scrupulos moueant de rebus difficilibus, non satis vt eos dissoluant. Sed audiant D. Augustinum *epist.* 48. cum ergo & pater tradiderit filium suum, & ipse Christus corpus suum, & Iudas dominum suum,cur in hac traditione Deus est pius & homo reus,nisi quia in vnâ re quam fecerunt, *causa non vna est ob quam fecerunt?* Tres cruces in loco vno erant:in vnâ latro liberandus:in aliâ latro damnandus:in mediâ Christus alterum liberaturus, alterum damnaturus. Quid similius istis crucibus? quid dissimilius istis pendentibus?

Cæterùm non morabor hic quosdam, qui volunt consonare cum foro externo cuncta quæ traduntur à casuum conscientiæ definitoribus,quasi idem esset ac non sæpè diuersum ius poli ac fori, & non esset Theologia Architectonica, cui par sit cæteras scientias ancillari vt dominæ. Habet suas Iudiciale forum leges : habet & diuinum suas,vt benè monet Valerus in exordio eximij illius operis,quod per quadraginta annos elaborauit *de differentiis vtriusque fori.* Suos vtrumque se intra fines continet. Diuinum strictè prohibet, seueriùs plectit, dum iudiciale seu externum aut dissimulat aut permittit,sæpiùs etiam per diuinum licet quod per iudiciale cauetur, *&c.* quid tandem sine erroris aut iniustitiæ periculo sentiendum faciendúmue sit,præscribunt sacræ Theologiæ iura, cui tamquam diuinorum oraculorum interpreti semper obsequendum, nunquam obsistendum.Hæc ille & plura quæ non gratanter aliqui exciperent.Hoc autem patere potest in contractu matrimonij de quo sæpe diuersa sunt iudicia fori interni & externi : sic est de aliquo contractu mutui, poterit esse contra leges politicas, ac propter earum præuaricationem damnandus, non tamen propter iniustitiam, nec vsurarius nominandus, nisi forsan

Ius fori & poli.

æquiuocè, cum aliud sit vsuratium esse aliud inobedientem esse, & analogum per se sumptum non soleat sumi nisi pro præcipuo annalogato. Sentiebat hoc prudenter Gerson tract. sæpius citato *de contractibus p. 1. consid.* 11. materiis vsurarum dum quæritur aditus præcludi *condemnantur multi contractus qui secundum legem Dei vsurarij non sunt nec illiciti*, & essent vtiles tam reipublicæ quam personis. Quod amplius exaggerat 3 *p.* eiusdem tractatus. Quamuis nos in his quæstionibus sic processerimus, vt propter ius poli, nihil iuri fori detraxerimus.

Non possunt etiam ferre quod nos tria rectè facta eiusdem ordinis misceri posse existimemus, vbi leges ciuiles non obsistunt: at quot quantique ante nos id docuerunt; vt hodie ista opinio sit communior, & pluribus firmata authoribus, quam contraria. Potestne quispiam scriptor inculpatus agere, quam sequendo in re controuersâ illam opinionem quæ communior est & rationabilior pluribus videtur; quamuis & illam dissuadeamus, sed & adiungamus quatuor conditiones (in quo multum à quibusdam discriminamur) quibus positis, nec locus est iniquitati nec vlli abusui. Verè illi nesciunt obligationem Confessarij quâ tenetur refundere ex propriis, quicquid temerè & contra ius pœnitenti restituendum iniunxerit, cum ab hoc onere sine culpâ liberare posset, tantumdem enim est ac si ex bursâ illius extraheret. Quid si vidissent angustias morientium hominum, quorum numerosa familia bonis omnibus spolianda est, ob hoc quia sequuti sunt illam opinionem quam viri religiosi ac docti tutam esse pronuntiarunt post Maiorem magnum re ac nomine Theologum & plusquam triginta alios Theologos; vidi ego has angustias, audiui gemitus & exhorrui per abrupta rupium incedere, cum planior via secura esset. Quæ non aliâ intentione scribimus, quam vt ita sibi attendant confessarij vt nec per ignauam facilitatem damnanda approbent, sicut nec approbanda per ignaram seueritatem damnent, sibi graue onus vel ex solo capite discernendi cum veritate peccatum vsuræ reformidantes.

Quæritur quadragesimoquintò qua discussione vtetur Confessarius ergà eum qui confitetur se proximo causam damni fuisse.

Titelmanus lib. 2. *Compendij Physicæ* cap. 2. Monet valde esse vtile in rebus moralibus dignoscere causam ab occasione ad peccatorum discretionem. Vera enim causa dat esse effectui: occasio verò est tantùm quædam dispositio quâ mediante causa præcipua facit effectum esse. Quemadmodum ignis agens occasione siccitatis facilè inflammat lignum, licet siccitas

tas non inflammet : Sic in scandalo dato , & accepto in quo vltimo opus ipsum non est causa peccati alterius , sed praua eius voluntas. Sic in consideratione finis distinguenda venit frequenter occasio & vera causa. Aliquando enim quod existimatur esse finis est tantùm finis occasionalis & occasionale motiuum , vt si quis aliquem actum sacrum faciat propter Deum ex occasione tamen alicuius praemij temporalis. Hoc supposito.

Responderunt debere Confessarium inquirere quae fuerit culpa poenitentis in damnos inferendo, quia vt ait Lessius *lib. 2. de Iustitia & iure, dub. 6.* sublato contractu non oritur in foro conscientiae obligatio restituendi propter damnum datum ex culpâ leui , vel leuissimâ, sed ex culpâ latâ. Haec fuit etiam sententia Innocentij in cap *sicut dignum* de homicidio. Quamuis in iudicio exteriori per iudicem cogi debeat ad restituendum per legem *in lege ff. ad legem Aquileiam.* Quod idem multi docent quos laudat Couarruuias *de Matrimonio. p. 2. cap. 6. §. 8.* quamuis ipse putet distinguendum esse de culpâ commissâ in facto , & in omissione , maioremque esse culpam quae committitur in facto quam quae perpetratur in omissione, authore D. Thoma 2.2. *quaest. 79. art.* 1. Est autem culpa leuis omissio diligentiae quam adhibent prudentiores , leuissima omissio diligentiae quam adhibent prudentissimi , lata autem est omissio diligentiae quam passim & ordinariè homines eiusdem artis adhibent. In hac autem culpâ vt quis obligetur in foro conscientiae requirunt plures peccatum mortale: si enim quis dedisset causam damni per solam culpam venialem à quâ vix homines liberantur, non oriretur obligatio sub mortali ad restitutionem ; damnum enim censeretur veluti fortuitò accidisse Hinc inferunt quidam hominem non teneri ad restitutionem qui motu secundò primo hominum occidisset. Quamuis in graui damno magis ordinariè culpa qua illatum est, mortalis censeatur, quia raro in operibus externis grauioris momenti inconsideratio est venialis.

Vnde si Officiarij accusent se de damno proximo illato propter culpam quam in officio commiserunt, debet Confessarius perpendere quantitatem istius culpae : si enim fuerit tantùm culpa eorum venialis, putà leuis aut leuissima, non obligabuntur ad restitutionem , quia ordinariè nemo tenetur esse cautior quàm passim alij; ex quo capite innumeri casus determinari poterunt.

Secundò , Confessarius debet inquirere naturam actionis per quam damni causa data est. Vt enim resoluit idem Lessius

cap. 1. *dubit.* 16. Non tenetur quis ad restitutionem damni alieni, alicui tertio euenienti ex suo maleficio, etsi putaret damnum illi tertio euenturum, etsi etiam illud intenderet, quia ex hypothesi damnum illud non eueniret ex natura actionis, sed ex malitia forsan vel ignorantia aliorum qui se immiscent; nec esset peccatum contra iustitiam respectu tertij, sed contra charitatem: esset tamen iniustitia, si ex ea actione plerumque damnum tertio oriretur.

Quod tamen dicit hîc Author, non oriri obligationem restituendi ex maleficio, etiamsi damnum proximi intenderetur, nullomodò admittimus; quia non expedit tantùm fauere fraudibus innumeris: sufficit ad inducendam obligationem restitutionis, quòd quis dirigat aliquem actum ad nocendum alteri, ita vt stante negotiorum dispositione actu noceat cum præfata intentione, & malo animo: ita Corradus *in responsis q.* 128 in additione.

Porrò ex hac doctrina quæ memoria tenenda est à Confessariis ad multorum casuum definitionem, nobis aliàs visum est, eum qui veneno tentauerunt occidere principem, non teneri ad restitutionem seruis, qui à domo excludebantur propter veneni suspicionem, quia scilicet porrectio veneni non tendebat per se & naturâ ad seruorum damnum, qui eiiciebantur è domo, etiam præter intentionem venefici.

Puer expositus. Hinc etiam probabiliter visum est Thomæ Sanchez *consiliorum moralium* lib. 1. cap. 5. dubio 5. part. 1. Exponentem ad alterius ianuam puerum expositum ad suam, non peccare contra iustitiam, non enim cogit eum illâ expositione ad puerum educandum quem poterat ad Ecclesiæ porticum exponere, nec illi rem familiarem abstulit. Et si iudex cogat ad educationem pueri eos ad quorum ianuam expositus est, ad id tamen non tenetur iudex; potest enim alio modo prouidere; an vero peccet sic exponens contra charitatem, & si alibi id deberet tractari, dicit tamen idem Sanches non peccare, si non habeat superflua sibi & suis: vel si metus sit grauis infamiæ, vt si esset Presbyter, vel honesta mulier de qua alij suspicarentur esse suum.

Tertiò, debet expendere Confessarius qualitatem damni illati; sunt enim quædam damna pro quibus nihil potest, aut debetur restitui. Idem Lessius *c. 9. dubit.* 23. pro vitâ vel cicatrice nihil debetur, ex libro vlt. *De his qui effud. vel deiec.* cicatricum autem aut deformitatis nulla fit æstimatio, quia liberum corpus nullam recipit æstimationem. Deindè nemo tenetur damnum sarcire ex bonis diuersi ordinis, estque damnum irreparabile.

Vnde concluditur magis, eum qui est causa damnationis animæ, ad nihil aliud teneri quàm ad pœnitentiam; asseritque idem Lessius *cap.8.dubit.* 2. eum qui alterum pertraxit ad peccatum siue prece vel pretio, siue vi vel fraude, non teneri ex iustitiâ curare, vt conuertatur, tenetur tamen ex lege charitatis, sub peccato veniali magis quàm alij id curare. *Damnū spirituale.*

Quod quamuis vt probabile admitti possit, docet tamen Scotus *in* 4. *sent. dist.* 15. *q.* 3. & Faber. *in* 4. *disp.* 51. Teneri ad restitutionem quantum fieri potest qui alterum induxit ad peccatum. Ex quo patet (ait idem Scotus, cuius pietatem hac in re laudat eius interpres Hiquæus) quantum periculum sit alium sollicitare, ac inducere ad peccatum, quia vix potest dignè restituere, cum voluntatem illam allectam ad peccatum vix possit persuasionibus ac aliis multis viis reducere ad virtutem. Probatur autem quia hic sit inuoluntarium mixtum, & quòd Deus iusserit olim virginem deceptam duci.

Sunt etiam alia damnorum genera pro quibus præcisè nulla debetur restitutio, vt est defloratio virginis, quam si corruptor vi aut fraude carnaliter cognouit, sine Matrimonij promissione, & sine diffamatione peccati, ita vt æquè commodè posteà & sine detrimento nubere possit, non tenetur ad vllam restitutionem in foro interiori; sed ad satisfaciendum Deo per pœnitentiam. Vt igitur mutilator corporis non tenetur ad restitutionem præcisè pro vulnere aut membro amputato, sed tantùm pro expensis curationis, & pro lucro cessante, quod læsus ex officio aut arte suâ acquirere potuisset, detractis tamen iis, quæ solebat insumere: ita & corruptor virginis non tenetur præcisè pro ipsâ defloratione, sed pro eo quod non possit æquè commodè nuptiis potiri, debet illud damnum resarcire in tantum dotem eius augendo, quantum satis erit, vt tam commodas nuptias sortiatur, ac si vi & fraude corrupta non esset. Dico vi & fraude, quia si sponte consentit puella, ad nihil corruptor tenetur, & ipsa debet sibi detrimentum omne & dedecus suum imputare. *Defloratio virginis.*

Ceterùm qui damnum intulit in re in dies crescente, non tenetur tantùm rependere ac si creuisset ad perfectum statum, vt qui pullum equinum occidit, non tenetur ad reddendum equum: qui segetes conculcauit, non tenetur ad totam messem: etsi enim intulerit maiorem iniuriam pro quâ veniam petere debet, non tamen maius damnum.

Quæritur quadragesimo-sexto quid inquiret Confessarius ab eo qui fatetur se clàm aliquid surripuisse à debitore suo.

Casus est frequentissimus vt multi surripiant aliquid ab iis

iis à quibus prætendunt sibi damnum illatum esse, vel non solui quæ ipsis debentur; idcircò se vsos fuisse secretâ compensatione, cuius proindè scientiâ pernecessaria est confessariis.

Quatuor autem discutienda sunt in hoc casu. Primò, an certò sciuerit pœnitens rem suam apud alium fuisse, itaut teneretur ex iustitia eam sibi restituere, nam si solo titulo gratitudinis debita erat, non erit locus compensationi secretæ: vel an certò sciuerit damnum ab eodem sibi illatum esse; si enim res erat dubia, non potuit pœnitens vti compensatione secretâ.

Secundò, an potuerit aliter sine graui molestiâ rem suam recuperare, quia si facilè posset aliâ viâ, illicita esset secreta compensatio, quamuis ex post facto non teneretur restituere. Porrò censetur non potuisse sine graui molestia rem suam recuperare, si necesse illi fuisset litem habere, aut odium graue aliorum incurrere.

Tertiò, si rem suam clam cœpit & sine periculo infamiæ & scandali, quia peccaret qui se periculo infamiæ exponeret.

Quarto, inquirendum erit etiam, an id quod secretè compensauit verè fuerit res debitoris sui; quia ex re debitori commodata & ad alios pertinente, etiam si esset inter manus debitoris, non posset ius suum repetere hac occultâ viâ, cum detrimento forsitan propriorum dominorum.

Vbi hæ conditiones reperientur, non iudicabit peccaminosam fuisse secretam compensationem, nec obligabit pœnitentem ad rem reponendam in eodem statu, sed ad monendum quando opus erit, debitorem, se nihil ab eo prætendere, ne forte debitor nesciens secretæ compensationis, rem iterum illi restituat & forsan occultè.

Cæterum magna vis est istius secretæ compensationis; nec enim extenditur excommunicatio quæ fertur in surripientes aliqua bona, in eos qui iure secretæ compensationis surripuerunt: nec tenetur aliquis reuelare eos quos nouit per secretam compensationem aliqua bona rapuisse propter quæ fertur excommunicatio. Si iudex interroget num surripuerint, negare poterunt, intelligendo se non iniustè quicquam surripuisse, vt debet intelligere iudex.

Addit Couarruuias lib. 3. *Variarum resolutionum*, vsuras recompensatorias omni iure admitti in recompensationem eius, quod iustè competebat & debitum erat recipienti. Hæc Couarruuias, ex quo infertur, hoc potuisse titulo quosdam liberari à restitutione faciendâ vsurarum quas à rege acceperant propter mutuatas ipsi pecunias, quod sibi stipendia vel alia legitimè debita à Rege, non soluerentur. Ita visum

est

est viris doctis à me eâ de re consultis, facta scilicet æquâ compensatione vsuratum ad debita, vel debitorum ad vsuras.

Quæritur quadragesimoseptimò, quid examinabit Confessarius in iis qui se accusant quod cooperati sunt in damno inferendo alteri.

Respondetur primò, cùm nouem sint modi quibus aliquis cooperatur cum eo qui actu damnum infert, quorum modorum sex positiui sunt, tres negatiui: inquirendum esse quonam ex his modis cooperatus fuerit. Sunt autem hi nouem modi.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Per palponem iis intelligitur, quia ita laudat peccatorem in malis desideriis animæ suæ, vt ex hoc magis incitetur ad detrimentum proximo procurandum. Per recursum intelligitur is qui recipit furem & eius furta. Per participantem intelligitur is qui non solùm partem capit ex re ablatâ, verùm etiam coagit cum fure & in actione ipsâ furandi participat. Per mutum is qui videt furem in actu ipso furti & non clamat Per non manifestantem, is qui in testimonium vocatus, furtum aut actionem proximo damnosam non declarat.

Quod autem spectat ad sex primos modos positiuos, debet animaduertere Confessarius, eum qui aliquo modo ex illis cooperatus est, ad restitutionem non teneri, si æquè damnum erat inferendum absque tali illius cooperatione. Quia scilicet principalis author damni iam ita determinatus erat ad malum atque ita potens, vt cooperans aliquo ex his modis nihil attulerit.

Videtur tamen excipiendus vnus casus, cùm scilicet multi per iniusta sua suffragia damnum alicui inferunt, vt si octo iudices ferant iniustè suffragium, vnde innocens causâ cadat, & possessiones suas amittat: si enim hæc regula generalis locum haberet, nullus horum iudicum teneretur ad restitutionem, cùm vnusquisque dicere posset, æquè innocentem causâ casurum fuisse, si aliud dedisset suffragium, quia scilicet, quinque suffragia satis erant, vt causa caderet. Quando igitur multi concurrunt in damno inferendo per eamdem actionem communem omnibus, non habebit locum hæc regula. Quia tamen suffragium vnius distinctum est ab alterius suffragio, iudicem excusari posse à restitutione, probabile est, si post sufficientia suffragia, ad condemnationem innocentis suffragium iniustè tulit, quia tunc eius suffragium nullum damnum intulit. Quod si ante sufficientia suffragia suum iniustè dedisset, verè esset causa damni & teneretur restituere.

Optimè etiam aduertit Corradus in *responsis, 1. part. quæsito* 164. qui in damno inferendo non facit aliquid notabile, non esse compellendum ad restitutionem, nec censeri causam damni efficacem, vt si verbi gratiâ latronibus iam admonentibus scalas ad furandum, alius de nouo adueniret qui scalas teneret, vt alij ascenderent, ille non censetur causa efficax iniustæ acceptionis: sic de aliis similibus iudicari potest.

Vndè etiam qui est tantùm occasio damni non causa, quamuis peccet contra charitatem, non tenetur ad restitutionem, vt si quis alteri alapam impegisset, qui ob impatientiam in morbum & mortem incidisset, non teneretur de morte quia eius tantum fuisset occasio non causa, cum morbus & mors ex alapâ non sequantur, docet Bonacina de *restitutione in genere disp. 1. q. 2. puncto 3.*

Quod spectat ad tres modos negatiuos cooperandi ad damnum proximo inferendum, debet inquirere Confessarius, vtrùm Pœnitentes tenerentur ex officio impedire damnum proximi; si enim non obligarentur ex officio, non peccarent contra iustitiam, sed contrà charitatem; si potuerint tamen absque graui suo incommodo impedire, vndè non tenentur ad restitutionem,

Tenebuntur autem ad restitutionem qui ex officio obligantur, cùm ex culpâ graui non impediuerunt, quæ idcircò perpendenda erit: si enim diligentiam sufficientem adhibuerint, inmunes erunt à restitutione. Aut si non potuerint impedire, nisi cum suo graui detrimento. Quoniam, vt ait Carbo tract. *de restit. q.* 68. non sunt obligati quomodocumque ad iustitiam defendendam, sed cum modo & ratione, nec suscipiunt tale munus cum tanto periculo administrandum.

Vndè colligi potest custodes lignorum, aut commissarios vectigalium teneri resarcire dominis ea detrimenta quæ passi sunt, si dissimulauerint, vel non accusauerint; quod peius est, si cum eis conuenerint de certâ pecuniæ summâ pro semetipsis, vt liberè lignarentur, aut merces exportarent, non soluto tributo. Ratio est, quia ex officio obligantur ad ista.

Famulus. Rursùs colligi potest in domo in qua plures sunt famuli, si vnus videat conseruum suum furantem, & non reuelet domino, non teneri propterea ad restitutionem furti, quando peculiariter rerum domesticarum cura ei non est commissa, quia famuli iustitiæ lege non tenentur conseruare bona dominorum contra domesticos, sed contra extraneos.

Quâ ratione etiam excusantur Confessarij ab obligatione restituendi, si desinant iniungere restitutionem Pœnitentibus qui

qui obligantur, quia administratio Sacramenti Pœnitentiæ præcisè, & ex iustitiâ non obligat Confessarium ad impediendum damnum tertij, sed ad procurandum bonum pœnitentis spirituale ad quod tenetur. Ita Suares de *Pœnit. disp.* 32. *sect.* 6. Obligarentur autem si positiuè ad damnum partis læsæ concurrerent, dicendo pœnitenti, non illum obligari ad restitutionem, cùm tamen obligaretur. Ita Bressetus l. 5. *de consci. cap.* 8. & plures alij ante ipsum, quos non iuuat hic agglomerare. Obligarentur quoque erga pœnitentem, si illi temerariè iniungerent aliquam restitutionem ad quam non teneretur, quia essent illi causa damni. Aliter dicendum si iniungerent pro satisfactione Sacramentali.

Similiter testis qui non dixit positiuè aliquid falsum ex quo nascitur alteri nocumentum; sed qui negatiuè se habuit celando veritatem, ex quo prouenit damnum alteri, ad nullam tenetur restitutionem, quia non peccauit contra iustitiam, sed contra obedientiam iudici debitam, vel contra religionem sacramenti.

Dices peccauisse contra officium testis. Sed respondetur, Noluisse sibi assumere officium testis, quandoquidem testificari noluit, atque ita censet Cardinalis de Lugo *disp.* 39. *de Iustitiâ & iure*, *sect.* 1. eámque expresè asseri testatur à Molinâ *tom.* 1. *de Iust. disp.* 85. *& tom.* 3. *disp.* 700. *num.* 4. & etiam ab aliis.

Verumtamen difficile est, vt hæc sententia probetur in Galliâ, vbi antequam testis proferat testimonium, exigitur ab eo iuramentum de dicendâ veritate, quo facto videtur sibi testis officium assumere, vt nulla cesset via quâ possit excusari à restitutione damnorum quæ alij incurrunt, dum iuridicè interrogatus veritatem dissimulat, aut se nihil scire asserit. Attamen quia iuramentum illud de dicenda veritate solùm inducit obligationem iustitiæ legalis, obedientiæ & veritatis, non autem iustitiæ commutatiuæ, à restitutione liber est: eóque magis si subterfugiat, vt non compareat coram iudice. Ita Diana *p.* 3. *tract.* 5. *resol.* 101. Adde nec obligatum fuisse ad testificandum contra aliquem reum, si solus ipse delictum nouerat, cum eius testimonium ad nihil aliud vtile futurum fuisset quam ad vexandum reum, qui ex vnius testimonio damnari non poterat, sed solum magis infamari. Ibid. *resolut.* 100. ad hanc quæstionem pertinet celebris quæstio inter Bartolum & Baldum controuersa & pro quâ plures dixerunt animam Bartoli in inferno cruciati, quod docuerit scientem & non reuelantem crimen contra principem committendum debere puniri

puniti eadem pœnâ mortis in *l. vtrum ff. ad legem Pompeiam de parricid.* Baldus autem respondit, tunc puniendum fore qui conscius est, cum probare potuit verum esse quod sciebat *l. nostrus* 8.*c. de calumniato.* Singuli vniuersique cognoscant, non licere in eo quod non possit ostendi iudicum animos commoueri. Quam disputationem finiendam esse sentit Fasc. chinæus *l.* 9. *de controuersiis iuris c.* 86. distinguendo inter accusationem ac simplicem denuntiationem, ad quam solam teneri putat vt caueatur. Quæ dum solerter indagant Confessarij, non mediocri beneficio pœnitentes suos quandóque deuinciunt, dum ab aliis ferè ad impossibilia sine necessitate adstringuntur.

Occasione verò harum resolutionum quæritur à quibusdam. An cooperatores teneantur in solidum & totum damnum reparare, si alij non restituant. In quo dubio videtur obseruanda hæc regula, quam assignat Carbo *q.* 65. Quando, inquit, multi simul coëunt & damnum inferunt, & quisque suam partem accipit, solam partem acceptam restituere debent; si pars illa aliàs non fuisset ablata. Quòd si etiam totum non fuisset ablatum sine cuiusque concursu, singuli tenentur ad totum restituendum. In casu autem in quo nihil vtilitatis accidit iis qui cooperantur ad damnum, hæc eadem regula videtur obseruanda, & applicanda ac damnum illatum sine proprio commodo inde profluente.

Quæritur ab aliis si iubens aut consulens retractauit iussionem aut consilium ante exequutionem, & tamen non desinat damnum fieri, quia damnum inferens non vult obidere, an teneatur ad restitutionem qui iubet aut consulit? Variant auctores, quidam enim censent teneri, quia est causa damni & sine quo non fuisset illatum: ergo tenetur. Carbo *quæst.* 66. magis in contrariam partem vergit quæ eum liberat à restitutione, quia quantum in se fuit concursum reuocauit.

Dubitatur etiam ab aliis, cum quis iussit aliquem à seruis suis verberari, attamen citrà mortem, illi verò serui tam egregiè hominem verberarunt, vt inde mors sequuta fuerit, an iste dominus teneatur de restitutione propter homicidium debitâ, an tantùm propter vulnus; non consensit enim in mortem. Videtur teneri, nisi tam leuiter mandasset verberari, vt longè mors abesse videretur à modo verberandi, vt puta si mandasset tantùm vnam aut alteram alapam impingi: qui verò mandat aliquem egregiè verberari, vt fieri assolet, vult poni verberatum in periculo proximo mortis, de qua proinde obligatur, non tamen incurret excommunicationem, vel irregulari-

gularitatem in homicidas voluntarios latam in Concilio Trident. *seff.14. cap.7.* de reformatione. Cuius rei extat declaratio Cardinalium Concilij interpretum. Quia Concilium requirit homicidium per industriam, per insidias ex proposito, vt quis incidisse in decretum censeatur.

Dubitatur insuper ab aliis ad quid teneatur qui dignum impediuit ne obtineret aliquod beneficium aut officium. Respondetur, teneri ad restituendum tantum, quantum prudentis iudicio spes obtinendi beneficij valebat, quando fraude & mendaciis eum impediuit. At vero si tantùm vsus est precibus, blanditiis, muneribus, etiamsi ex odio fecerit, non tenetur ad restitutionem, quamuis peccet dignum impediendo.

Quaritur quadragesimooctauò quomodo examinabit Confessarius quos fructus debet restituere pœnitens, qui obligatur ad aliquem fundum restituendum.

Accidit vt pœnitens à decem annis possideat aliquam domum, vel terras arabiles, syluam aut vineas, teneaturque ad restitutionem, quia hæc non ad se, sed ad alium attinet. Dubium autem est Confessario an imperabit etiam restitutionem omnium fructuum à decem annis perceptorum. Hæsitabit hic Confessarius qui determinationes Iurisperitorum non nouit. Ideóque in discussione huius casus poterit considerare aliquas conclusiones Couatruuiæ ex quibus poterit iniungere pœnitenti æquam & debitam fructuum restitutionem. Primò enim libro *variarum resolutionum* c. 3. disputans an quando fit minori, restitutio in integrum, debeant etiam fructus omnes restitui, statuit has conclusiones.

Prima conclusio, possessor bonæ fidei naturales fructus facit suos, si habeat titulum: Tenetur tamen restituere in quantum ex eis locupletior factus fuerit. *Bona fides.*

Secunda conclusio, bonæ fidei possessor, si careat titulo, fructus naturales perceptos, non facit suos. *Mala fides.*

Tertia conclusio, bonæ fidei possessor etiam titulum non habens, fructus industriales ita facit suos vt extantes tenearur restituere, consumptos non teneatur restituere, etiamsi ex eis factus sit locupletior, hocque tam in temporalibus quàm in spiritualibus seu redditibus Ecclesiasticis.

Quarta conclusio, quoties veros tenetur restituere fructus extantes, qui est bonæ fidei possessor; eos tamen sibi acquirit, etiamsi ex iis factus fuerit locupletior, & facit suos per triennij vsucapionem: nec bonam fidem impedit error iuris.

Has conclusiones multis firmat authoritatibus, & quamuis videantur esse pro foro exteriori secundum mentem authoris; inseruire tamen possunt etiam pro foro interiori conscientiæ, cùm forum exterius & interius eodem modo iudicare debeant, cognitâ veritate, solùmque tunc differant, cùm exterius in falsâ præsumptione fundantur, aut in errore; sicut notat Ioannes Sanchius in *Selectis* disp.48. num.55. ex eodem Couarruuiâ in *c. Cum esses.* de testamentis num.7. & Suarez de *censuris*, disp.40. sect.5. num.16.

Porrò ex iisdem conclusionibus inferri potest malæ fidei possessorem omnes fructus perceptos teneri refundere rei domino.

Quid verò dicendum sit de damnis quæ passus est rei dominus ob eius alienationem, an etiam reparari debeant à pœnitente, dubitari potest; fortè enim pecunias ad annuum censum accepit, quia domo suâ & aliis bonis non fruebatur.

Ad hoc respondendum videtur possessorem malæ fidei teneri etiam reparare damna quæ domino acciderunt ex eo quod priuatus sit bonis suis & eorum fructibus: posse verò excusari bonæ fidei possessorem, qui postea rem ipsam restituit, quia etsi fuerit aliquo modo causa damni; id tamen accidit per actionem non peccaminosam, propter quam aliquis non tenetur ad restitutionem, vt plures tenent probabiliter, iuxta ea quæ superius explicata sunt in anterioribus quæsitis.

Quæritur quadragesimononò, quid discutiet Confessarius in pœnitente, qui vtitur iure quodam sibi acquisito per contractum vel testamentum minus solemne vel per donationem factam contra leges ciuiles, vel non insinuatam & libris publicis consignatam.

Difficillima est controuersia & periculosissima, an pœnitens possit vti huiusmodi iure pro foro interiori. Sunt in ea controuersia duæ opiniones contrariæ; vna affirmans altera negans, ac vtraque opinio authores habet nominatissimos; qui asserunt tutum esse in conscientia, vtentem huiusmodi iure: his vtuntur rationibus. Primo quod irritatio actus minus solemnis est pœna, at pœna non debetur in conscientiâ nisi post sententiam iudicis. Secunda ratio est, quod lex fundata in præsumptione non obligat in conscientia, quando in contrarium est veritas: at lex irritans tales donationes & contractus minus solemnes, fundata est in præsumptione fraudum, deceptionum, & violentiarum quæ possunt interuenire:

uenire : quare si hæ nullæ sint, non sunt irritæ donationes, nec irriti contractus minus solemnes. Quare iuxta hanc opinionem Confessarius deberet tantum inquirere an donatio facta sit liberè, sine vi & fraude, vt sic pœnitens remanere possit in iure prætenso, absque restitutione.

Qui negatiuam partem tuentur, dicunt Principem aut Ecclesiam posse ob bonum publicum irritare quosdam contractus & donationes quoad vtrumque forum, si forma præscripta in iis seruata non fuerit, quemadmodum Concilium Tridentinum pro vtroque foro irrita reddidit matrimonia clandestina. Nec iuuat obiicere hanc fuisse mentem Ecclesiæ pro solo contractu matrimonij; non verò pro aliis contractibus aut donationibus. Hoc enim diuinare est, & velle falli. Vnde qui à minore emit terras aut prata, non est tutus in conscientiâ, nec ille qui emit à persona Ecclesiasticâ bona immobilia Ecclesiæ, solemnitatibus non adhibitis.

In hac difficultate asserit Valerus *de differentiis vtriusque fori*, verb. *lex* differentiâ 8. vnumquemque teneri ad seruandas formas, cum sint institutæ ad bonum publicum. Si tamen testator non seruasset legem ob aliquod iustum impedimentum, vel ob ignorantiam notarij, posse heredem legitimè frui, donec iudex contra statuerit. Vnde Confessarius iuxta hanc sententiam deberet inquirere de causa cur omissæ solemnitates in testamento vel in contractu; si enim esset innoxiè factum, Pœnitens in istâ omissione posset sibi retinere, quoad vsque iudex eum de possessione eiecisset.

Attamen obiici posset, si vsque ad sententiam iudicis tutus est in conscientia possidens, ad quid aliud profuturi sunt iudices, nisi vt è legitimâ possessione exturbent eos, qui iustè & cum bonâ conscientiâ possidebant.

Quæritur etiam insuper an ita possidens, cum illi lis intentatur, possit bonâ conscientiâ litem sustinere: ad quid enim litem prorogabit, cum iudicis sententiâ condemnandus sit? Ad quam quæstionem solus mihi occurit Salonius laudatus à Corrado 1. p. *quæsito* 84. qui innuit licitè posse litem sustinere, modò fraude non vtatur, nec testes occultet. Verba eius sunt in 2. 2. *D. Thomæ quæst.* 61. *art.* 4. si heres ab intestato petat apud iudicem sua bona, & institutus in hæredem per testamentum minus solemne defendat se fraude & dolo occultando testes vel scripturas, vel inducẽdo falsas, tenebitur ipsi heredi illa reddere bona, sine aliâ iudicis sententiâ, quia leges irritantes cõtractus istos non sunt pœnales: sed præceptiuæ; ideo si retineat alienum, retinet inuito domino.

Nihilominus Valeri opinio magis arridet Thomæ Sanchez *consiliorum moralium* l. 4. cap. 1. dubio 14. qui ait eam esse probabiliorem cæteris sententiis, licet ipsum Valerum non laudet, sed alios plerosque. Et ratio est, inquit, quia in dubio melior est conditio possidentis, & sic possidens non tenetur restituere: ergo quando testamentum est minus solemne, cum valde dubium sit vter habeat melius ius in foro conscientiæ, scilicet heres ab intestato, & institutus in minus solemni testamento, & pro vtroque sint opiniones valde probabiles, qui prius occupauerit bona, iuuabitur possessione, meliusque ius habebit in foro conscientiæ. Quare censet Ludouicus Beia *p.1. de furto & damno dato* casu 2. quod licet hæres patre mortuo non teneatur soluere aliquod legatum, quod in testamento non inuenit, nec propterea possit illi denegari absolutio, legatarium tamen si rem illam lagatam sibi secreto relictam possideat absque vi & fraude, non obligari ad illam restituendam nisi per iudicem condemnaretur. Quia lex quæ irritat testamenta minus solemnia, non videtur tamen cum tanto rigore irritasse: vt legatarius teneatur seipsum spoliare ac in seipsum agere. Veluti, inquit, si quis iusto pretio emit bona Ecclesiæ absque dolo & fraude, licet non interuenisset solemnitas in tali alienatione requisita, iustè potest Ecclesia tacente, rem possidere, sicut & ipsa Ecclesia potest tuta conscientia eandem petere. Hæc sententia si intelligatur de re donata aut legata, à verò domino rei & in rigore, qualis non videtur esse minor, quandiu sub tutoribus, & actoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre, nec persona Ecclesiastica, respectu immobilium, nec vxor in multis, viuente marito, magis placet: iuxtà quam debebit inquirere Confessarius an pœnitens sit in possessione rei per testamentum legatæ, vel per contractum illum sibi donatæ, vt sic in ea tutus remaneat.

Dices forsitan, etsi sint opiniones probabiles pro foro interiori, at non sunt probabiles pro foro exteriori. Quo pacto ergo poterit litem sustinere possidens qui certo causâ casurus est?

Respondetur id posse exemplo illius qui vtitur re aliquâ ad certum aliquem terminum, quo adueniente rem debet à se abdicare. Interim enim iustè possidet, nec peccat, modò fraude, dolo, aut vi iniustâ terminum sibi prorogari non procuret. Sic non peccat qui vectigal retinet, quoadusque petatur iuxta morem, & qui retinet hereditatem illius quem occidit, & à quo relictus est heres, quoad vsque per iudicis senten

sententiam, hereditate illâ priuetur in pœnam delicti, prout leges statuunt. Confirmatur ex iis quæ determinat Michaël Salonius super *D. Thomam* 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 3. laudatus à Corrado 1. *p. quæsito* 19. *in additione*, scilicet transgressorem legis pœnalis, cuius pœna est priuatio bonorum quæ non erant propria delinquentis, sed illi à legislatore conferebantur, ipso facto transgressionis legis sine iudicis condemnatione priuari in conscientia ipsis bonis, vt fit per excommunicationem & interdictum. At si pœna est priuatio alicuius boni quod sit proprium delinquenti, requirit authoritatem iudicis. Hîc autem non agitur de bonis quæ per legislatorem conferantur.

Dices iterum, si ob eam causam retinere potest, quia est in possessione, ergo antequam possideret, non posset apprehendere, vt dicunt, & sibi assumere hereditatem. Respondetur adhuc posse, si credat opinionem illam esse probabilem & tutam, quâ hoc licitum esse tenetur, tum propter rationes allatas, tum quia qui testamentum minus solemne condidit, dominus est absolutus rerum suarum, videturque esse contra naturam interdicere alicui, ne de suis facultatibus pro libito disponat. Quin imò testes & notarij ad hoc tantum adhibentur, vt omnino constet de voluntate domini, quæ si alio modo constare potest, quid opus est notarium, testium adminicula adhibere?

Quod si vero obiicias iudices tantum fore vtiles ad hoc vt priuent aliquem bonis quæ antea iustè & in bonâ conscientiâ possidebat. Respondeo idem posse obiici in aliis casibus, cum ad exequutionem legum pœnalium eos spoliant qui hactenus legitimè possidebant. Cæterum vtiles sunt hac in re, vt publicum bonum tueantur, quod lex postulet ad euitanda maiora incommoda, vt tales contractus & testamenta irritentur. Quid quod aliquando ex æquitate, & epiieheia propter varias circumstantias, non omninò adhærent litteræ legis quæ minus solemniter acta annullat, possidentesque saltem in parte aliquâ bonorum possessorum conseruant. Denique probabile est à recto non aberraturos, si iuxta sententiam Valeri controuersias eâ de re motas componerent in foro exteriori.

Cæterum qui acta, minus seruatâ iuris formâ, irrita esse volunt pro foro interiori, duas adhibent exceptiones. Prima est, vt si pater defunctus disposuerit minus solemniter inter solos liberos, valeat testamentum quoad illos; non verò quoad personam extraneam, ex lege *hac consultissima* §. *ex*

imperfecto c. de testamentis. Secunda vt relicta ad pias causas in vltima voluntate teneant, sine iuris solemnitate, vt constat ex cap. *relatum 1. de testamentis.* Quod summus Pontifex potuerit id iure præcipere ex potestate quam habet dirigendi principes temporales in iis quæ ad bonum animæ & finem supernaturalem spectant. Ita Cardinalis de Lugo, *de contractibus in genere disp. 22. sect. 9.*

Verum quoad primam exceptionem ea tantum locum habere posset in iis regionibus, quæ iure scripto aut Cæsareo reguntur, non in aliis, quod perpendendum erit. Quoad secundam vero, Papa in illo capite non excludit omnem solemnitatem à testamentis, sicut & in antecedenti capite *Cum esses*, quod ab aliis citatur; sed requirit semper duorum aut trium testimonium quo de iis constet. Insuper & glossa super dictum caput *Cum esses*, dicit hoc tantum Papam statuisse obseruandum in quibus habet iurisdictionem temporalem; quod erit considerandum. Sed & consuetudo Parisiensis huic constitutioni obnititur. *articul. 292. titul. de testamentis.*

Quæritur quinquagesimo, quodnam debeat esse scrutinium Confessarij, super Pœnitente qui bona aliena penès se habeat, quorum dominum ignorat.

Bona hæc *adespota* vocantur, id est, sine domino, de quibus debet primò inquirere Confessarius, an Pœnitens tempore, & loco diligentiam sufficientem adhibuerit, idque pro rei qualitate ad resciendum eorum dominum: non enim aliter debent haberi adespota & incerta.

Secundò, debet inquirere quo titulo ea habeat, an ex contractu aliquo, an ex furto, an ex delicto vsuræ, au verò ab illo casu inuenta fuerint.

Multi autem putant bona illa incerta, si non compareant domini, post sufficientem iudicio viri prudentis inquisitionem, restituenda pauperibus iure naturæ, vt scilicet fructus eleemosynæ in ipsos dominos redundet meliori modo quo potest. Adde aliam rationem cum Carbone tract. de Rest. *quæst. 76.* quia cum non inueniatur proprius dominus, restituendum est domino communi, nimirum Christo, cui is restituit, qui pauperibus reddit, iuxta illud Matth. 25. *Quandiu fecistis fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Quidam autem per hoc etiam volunt intelligi pia opera, in quibus insumantur hæc bona incerta. Hæc opinio pia est, nec aberrabit Confessarius qui eam sequendo, incerta bona in pauperes distribuenda suadebit.

Contra

Contraria tamen ſententia quam defendit Mæratius tract. *de Iuſtitia & Iure*, *diſp.* 30. *ſect.* 2. probabilior videtur, vt bona illa quando non ſunt delicto vſuræ acquiſita, non ſint iure naturali pauperibus diſtribuenda, ſed à poſſidente retineri poſſint. Probatur autem quia nulla iuſtitia obligat ad compenſanda bona temporalia, per bona ſpiritualia, quæ ſunt alterius ſpeciei. Deinde non cenſetur vetus dominus hoc intendere ex quo damnum rerum ſuarum pateretur, ſi compareret; at ſi darentur pauperibus, eo ipſo priuaretur ſpe recuperandi bona ſua, ſi appareret; quia non teneretur vero domino reſtituere qui pauperibus diſtribuiſſet: qui enim ſemel legitimè ſoluit, non tenetur iterum ſoluere.

Adde quòd rationes in oppoſitum parùm valeant: fieri enim poteſt vt dominus ſit damnatus, & nihil vtilitatis illi conferant eleemoſynæ, aut preces pauperum. Quod verò de Chriſto dicitur, id pium eſt & conſulendum, quantum attentis omnibus circumſtantiis fieri poterit, non tamen Chriſtus prætendit ex iuſtitiâ exercere vſum Regni & dominij temporalis, qui de ſeipſo profeſſus eſt Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo; & ſi ſit in hoc mundo, non tamen illud exercet in rebus temporalibus.

Porrò aliud eſt de bonis incertis ex delicto vſuræ prouenientibus; illa in pauperes eroganda ſunt, quia ita iure canonico decernitur cap. *cùm tu*, de vſuris, vbi Alexander I I I. cenſet cogi vſurarios aut eorum hæredes, ad erogandum pauperibus, quæ per vſuram acquiſita ſunt. Idemque eſſet de aliis bonis ex aliis delictis prouenientibus, ſi auctoritate publica id eſſet conſtitutum; poteſt enim authoritas publica transferre dominium aliquorum bonorum in pauperes. Excipit tamen Couarruuias parte 2. relectionis capitis *peccatum*, de regulis iuris in *ſexto*, vſurarios mentales, quos aſſerit non obligari ad reſtituendum pauperibus.

Dices hanc opinionem videri nouam & ferè omnibus contrariam. Reſpondeo aliquando vnum Doctorem qui ſolerter alicuius quæſtionis momenta diſcutit, poſſe reddere ſuis rationibus aliquam opinionem probabilem. Quapropter rectè aſſerit Vaſquez 1. 2. *diſp.* 62. *c.* 14. Doctorem magnæ authoritatis opinionem poſſe in ſcholas introducere contra turbam Doctorum rationibus benè ponderatis. Sic factum eſt vt multæ opiniones olim communiter receptæ hodie habeantur improbabiles, vt quod beneficium valde parui redditus obligaret ad omnes horas, quod ſub mortali teneretur Sacerdos præmittere recitationem Matutinorum

celebrationi, quod ſtuprum mutet ſpeciem peccati. Et alia huiuſmodi, de quibus exempla habes apud Ioannem Sanchium in *ſel. diſp.29. num. 7.* Sed & hanc opinionem legere apud alios poterit, ſi quis diligentius requirat. Nam & poſt ſecundam editionem huius libri inuenio Antoninum Dianam eam docere vt tutam in praxi. *p.1. tract. 17. reſolut.5.* ac confirmat Authoribus Sarmiento, Petro de Aragona, Soto, Petro à Nauarra, Megala, Leſſio. Quia in iure eadem reputantur ignorare dominum rei & rem nullum habere dominum: res autem quæ nullum habent dominum: efficiuntur primò occupantis.

Dices rurſus hanc opinionem multum fauere bonorum raptoribus, qui inde maiorem rapiendi occaſionem arripient, ſi liberi futuri ſint à reſtitutione, ſi ignoti ſint illi à quibus rapuerint. Reſpondetur tamen non omnibus fauere, vt iis qui aliquem pagum diripiunt, aut alicui communitati damnum inferunt, id eſt, toti communitati vel maiori parti & ſi enim ignorentur ſingulares perſonæ quæ damnum paſſæ ſunt, debetur tamen reſtitutio communitati, quæ tunc cenſetur dominus, eique facienda eſt per Parochum vel Epiſcopum, aut alio meliori modo quo poterit. Cæteris vero qui non maiori parti alicuius communitatis damnum intulerunt, ſed ſingularibus perſonis (quod maxime erit perpendendum à Confeſſario) fauet hæc opinio, quia non tenebuntur Confeſſarij eos obligare ad dandum pauperibus bona illa adeſpota. Attamen etſi aliqua opinio commoda ſit peccatoribus, non propterea deſinit eſſe vera: quot enim ſunt huiuſmodi opiniones, vt hæc inter cæteras, quod centies poſt veniam relabenti Pœnitentia remittit peccatum, quæ tamen opinio veriſſima eſt. Quare in aliquibus caſibus eâ vti poterit Confeſſarius, eiuſque beneficio aliquos peccatores ad Deum reuerti cupientes, non mediocriter in animæ anguſtiis ſolabitur, & à deſperatione ſalutis nonnullos auocabit, cùm aliquando reſtitutio in pauperes perſuaderi vix poſſit, vt efficaciter adimpleant, quia pluribus non eſt facile ingentes ſummas pauperibus erogare, vel mandare in teſtamento aut codicillo vt erogentur, cum non ſemper heredes huius ſint pietatis & religionis, vt pia legata exequantur, etſi id vergat in propriæ ſalutis detrimentum. Vnde fit vt aliquando Confeſſarius incidat in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

Porro occaſione præſentis difficultatis alia minoris momenti frequentiùs occurrit, de ſeruis aut ancillis quæ in domo

domo dominorum aliquam pecuniam fortè reperiunt, puta nummum Hispanicum, aut Iustum aureum, vel argenteum, dubitantque meritò aliquando, an sit domini, quia id repererunt forsitan in officinâ in qua plures mercis causâ conueniunt, vel in aula communi in qua multi extranei cum domesticis colludunt: vnde oritur dubium in animo serui vel ancillæ, an illam pecuniam amiserit dominus, vel quis alius externus sibi ignotus. Timent autem id indicare, ne dominus illam repetat, etsi forsan non amiserit, probabiliusque sit aliquem ex externis id reliquisse. Probabile autem est habita ratione paruæ istius summæ & plurium exterorum qui in domum adueniunt, seruum aut ancillam id retinere posse tanquam aliquid adespotum, cuiusque proprius dominus ignoratur, quia melior est in dubio conditio possidentis. Si quis tamen in suo sensu abundans contrarium opinetur, nos illi litem non intendemus: Non enim omnia æqualiter certa sunt maximè de bonis istis incertis. Quid vero censendum sit de eo, qui in via publica saccum pecuniæ inuenisset, vel quid aliud non apparente vero eius domino? Hunc casum sic soluit de Grassiis *decis. aurearum parte 6. c. 22. num. 57.* Ille, inquit, qui perdit rem, facit illam præconisari, quare qui inuenisset in via saccum pecuniæ, licitè potest expectare vt præconisetur ex consuetudine.

Quæritur quinquagesimoprimò quid indagabit Confessarius in Pœnitente qui se accusat quod habeat aliqua bona, de quibus dubitat, an legitimè possideat, quæ tamen paratus est cedere, si quis ea à se non legitimè esse possessa ostenderet.

Respondeo de duobus potissimum hunc Pœnitentem debere interrogari. Primò si inuestigauerit veritatem huius rei cum diligentia sufficienti. Tenentur enim qui ambigunt, an id quod possident alteri debeatur, veritatem rei discutere, nec sufficit si tantùm proponant id heredi suo per testamentum iniungere: nam interim fraudatur re sua verus dominus, minusque aptus erit heres, diuturniori tempore elapso, rem elucidare: quare tales versantur in aperto salutis periculo, si morte subita corriperentur. Si autem causam examinauerit, nec inuenerit contra se obligationem ad restituendum: etiam si dubium in mente perseueret, licitè retinere potest cum hac præparatione animi, vt possessione eius se abdicet, quando quis ei ostenderit quod iniustè possideat.

Secundò, talis pœnitens interrogari etiam poterit de

tempore à quo rem possidet & de modo aut titulo sub quo rem possidere incepit. Si enim eam bona fide possidere incepit, vt putà, quia sibi donata fuit, vel à patre relicta, & possederit per tempus requisitum ad præscribendum vel vsucapiendum poterit eam retinere licitè vtendo iure præscriptionis vel vsucapionis, nonobstante dubio, vel etiam cognitione post elapsum dictum tempus, quòd sit aliena. Quo iure plures ex filiis & heredibus quorum parentes iniuste bona quædam acquisierunt, à restitutione liberari poterunt, re prudenter expensa per doctum Confessarium, qui aliquando multum prodesse potest pœnitenti propter diuersa media quæ nouit ad eum liberandum ab iis ad quæ alius adstringeret, omnia eius iura non satis perspiciens.

Habet autem præscriptio locum in rebus immobilibus ad eamque requiritur inter præsentes spatium decem annorum cum titulo, inter absentes viginti annorum Sine titulo requiruntur anni triginta contrà Hospitale & Monasterium anni quadraginta, contrà Ecclesiam Romanam centum. Vsucapio autem dicitur respectu rerum mobilium, estque acquisitio dominij per continuationem possessionis tempore a legè præscripto, quod est triennium.

Estque ius præscriptionis & vsucapionis inductum pro vtilitate publicâ, ne rerum dominia manerent incerta & minùs pateret litibus locus post prædictum tempus. Habetque ius vtrumque locum etiam in conscientiâ. Vt etiam D. Thomas asserit *quodlibet.* 12. *art.* 15. Dicendum est, inquit, quòd si præscribat bonâ fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, & si sciat alienum fuisse post præscriptionem: quia lex potest aliquem punire in re suâ pro peccato & negligentiâ, & illam alteri dare & concedere; sed quæ malâ fide præscribit, tenetur emendare, & satisfacere reddendo damnum quod intulit. Notandum est autem à Confessariis dubium superueniens post primam rei possessionem bonâ fide inchoatam non nocere iuri præscriptionis, intellige si causâ examinata, dubium remanserit.

Notat etiam Valerus, verbo *præscriptio* differ. 6. si dominus naturalis rei præscriptæ, eam recuperauit nemine ab eo eã repetente, nec iudice cogente, compellendũ non esse in conscientiâ vt restituat ei qui præscripserat, cum id esset nimis durum.

Quod tamen non admitteret Ioannes Sanchez in *select. disp.* 48. *num.* 57. vbi asserit peccaturum contrà iustitiam pristinum dominum auferentem rem quæ olim sua erat, ab

ab eo qui illam præscripsit bonâ fide. Excipit tamen salaria famulorum quæ non possunt præscribi in foro interiori. Alij excipiunt etiam pia legata. Ratio autem cur excipiat seruitia famulorum, est quia datur quædam præscriptio impropria, quæ potiùs est negatio actionis repetendi coram iudice, quàm vera acquisitio dominij; hæc autem præscriptio non tribuit ius in foro conscientiæ, tale est debitum pro salario famulorum post tres annos & pro deperditis ad creditum in ludo iuxta aliquorum opinionem. Vbi autem vera est præscriptio aut vsucapio verum dominium acquiritur: itavt, quod est exemplum notabile, quod habet Corradus 1. *p. quæst.* 163. si quis mihi dedit rem furtiuam quam bona fide per tres annos possedi, mea est iure vsucapionis, itavt vero domino comparente non tenear reddere.

Quæritur quinquagesimo secundo quid indagabit Confessarius in pœnitente, qui se accusat de defectu & dilatione restitutionis.

Defectus restitutionis consistit in eo quòd non fiat creditori, vel in eo quòd fiat sine ordine. Conuenit autem inter omnes doctores restitutionem sine iustâ causâ non posse differri absque peccato mortali. Quare debent primùm expendere Confessarij causas, cur non fiat aut differatur restitutio. Restitutionis laqueus inquit Carbo *tract. de rest. quæst.* 91. ita latè patet vt pauci sint qui in eum non incidant: & ne qui inciderint, ex eo sese explicent & extrahant, nihil non agit animarum venator diabolus, qui restitutioni obnoxios his fere rationibus decipere consueuit. Prima, quâ efficit, vt quantum fieri potest, contrà creditoris voluntatem protrahatur restitutio. Secunda, debitores sæpe ad superbiam & arrogantiam excitat, dum putant sibi fieri iniuriam, cùm debita ab ipsis repetuntur: quò fit vt se infensos eis demonstrent, quibus gratias agere debuissent. Tertia, quâ aliqui ideò decipiuntur, quòd putent se satisfecisse, si creditorum clamores placauerint, si non continenter repetunt, & tamen conscientiæ clamores non exaudiant. Quarta, aliqui restituere volunt cùm aliquo graui morbo laborant, sed si vitâ functi fuerint, non autem si superuixerint, quasi velint cum Deo pacem inire, si è vita excesserint, non tamen si à morbo euadant: timentes ne si restituant, pauperes fiant. Quinta, cùm fit restitutio non integra, quod sæpe contingere solet. Sexta, cùm se restituisse putant, si relinquant legata ad pias causas, certis prætermissis creditoribus. Quod est quodammodo etiam post mortem velle iniustitiam committere. Septima, cùm putant

se

se satisfecisse, si hoc onus heredibus imponant, cùm ipsi possint in vitâ hoc commodè præstare. Danrque hoc modo heredibus occasionem damnandi animam suam, quia facile non restituunt, magisque amant bona, quàm animam defuncti: vnde vix bene sperari potest de statu eorum qui cùm possint ante mortem restituere id onus hæredibus relinquunt, quia non habent voluntatem restituendi nisi conditionatam, nempe si moriantur, ostenduntque se non restituturos, si diutius vita illis à Deo prorogaretur.

Contrà has rationes certare debet Confessarius, atque existimare se non mediocriter pro salute Pœnitentis operatum esse, cùm eum ad veram restitutionem induxerit. Est enim signum maximum veræ Pœnitentiæ, si fiat indilatè restitutio rei alienæ modo quo debet & iustum est. Vnde & Concilium Burdigalense celebratum sub Sansaco Archiepiscopo an. 1583. cap. 12. vetat ne Confessarij, excepto mortis articulo, eos admittant ad Confessionem peccatorum, quibus iniuncta est restitutio rei alienæ in posteriori Confessione, quam tamen exequutioni nondum demandauerunt.

Causa ad differendam restitutionem.

Sed vt plures rationes non restituendi vanæ sint & inanes, sunt tamen aliæ propter quas iustè differri possit restitutio, Putà quia creditor non est inuitus Quia debiror pauper est nec habet vnde restituat. Aut quia nõ aliter posset quàm cum maximo detrimento, distrahendo possessiones suas longe minori pretio quàm valeant, cùm interim de die in diem speret sibi posse accidere ex statu rerum suarum, vnde poterit sine tanto incommodo restituere. Aut quia cùm creditor manum regiam in sua bona iniecerit, aliqua reseruauit abscondité ad sustentandam mediocriter familiam & prouidendum pudicitiæ filiarum. Aut quia sine detrimento famæ & status iustè acquisiti, non potest nisi cum tempore restituere. Vnde & de nobilibus qui accusantur à suis creditoribus defectu solutionis hæc censet Lessius in *resolutionibus*, verbo *Confessarius* casu XII. 1. non esse illis facile denegandam absolutionem, nisi constet eos ea in re iniquè agere. 2. si agatur de solutione redituum personalium vel etiam realium facilius excusari posse etiamsi aliquot annis non soluant, quia fere consuetudine receptum, vt in pensionibus annuis non ita prompta fiat solutio. 3. si ipsi in Confessione se non accusent, & putentur bona fide existimare posse adhuc differre solutionem, possit sacerdos hanc inquisitionem dissimulare; si animus eorum, inquit, crederetur offendendus & maius bonum quod intenditur, impediendum timeretur; si tamen non pu-

tentur

tentur esse in bona fide vel ignorantia videatur crassa, suauiter sunt monendi & instruendi. Hæc Lessius: quæ tamen locum non debent habere, nisi quando creditores ex dilata solutione, graue malum non patiuntur. Cum enim natura status hominum pares constituerit, grauis aliqua necessitas ad conseruandum statum, non dat ius ad retinendum alienum & ad non restituendum, cum creditores sunt inuiti ex iusta causa, locum autem habere possunt si creditores nihil grauius propterea patiantur! Hos & similes casus, dum audit Confessarius, debet paulisper acquiescere, & interim monere Pœnitentes vt quam primum poterunt, satisfaciant, hocque sibi firmiter proponant, vt si non in re, at saltem in voto restituant, vt sic capaces sint absolutionis.

Quod si inuiti sint creditores, non sunt inuiti rationabiliter, imitatores quippe sunt sæpissime serui illius Euangelici, cui cùm dominus eius omne debitum dimisisset ei, inueniens *vnum de conseruis suis qui debebat ei centum denarios, &c. tenens suffocabat eum, dicens; redde quod debes*, Quapropter domini sui offensam incurrit. Matth. 18. Non absimiles sunt qui debitorum necessaria coopertoria & ipsum lecti stramen sub hastâ exponi faciunt, similiter & instrumenta artis, quibus miser artifex vitam suam vtcumque sustentat. Quapropter magna obseruatione digna mihi videntur verba D. Augustini *l. 2. de sermone Domini in monte*, vbi tractans verba Orationis Dominicæ *& dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Non hic quisque vrgetur, inquit, pecuniam debitoribus dimittere, &c. nam si modestè & leuiter omninò egerit vt sibi restituatur, non tam intendens fructum pecuniæ, quam vt hominem corrigat, &c. cui sine dubio perniciosum est habere, Vnde reddat & non reddere: *non solum non peccabit, sed etiam proderit ei plurimum, &c.* In quibus verbis non modicam indicat in exigendis debitis perfectionem, à quâ longissimè absunt plerique Christiani.

Quæritur quinquagesimo tertio, quid executiendum est in Pœnitente qui plures habet debitores, quibus omnibus cùm non sit soluendo, vnum præfert alius, non seruato ordine iuris.

Non solùm tenentur in foro conscientiæ soluere debitores creditoribus suis, sed etiam debent soluere, seruato ordine iuris, secundùm specialia statuta regionum, si quæ sint, vel si non sint specialia, seruato iure communi, quod tale est vt præferendus sit ille qui habet hypothecam super bona debitoris. Secundò vxor propter dotem. Tertiò fiscus. Quartò

creditores

creditores alij ratione antiquitatis. Peccat ergo debitor, qui cùm non poteſt omnibus ſatisfacere, vnum præfert alteri, contrà ordinem iuris ſpecialis vel communis quod proinde debet intelligere Confeſſarius, vel remittere Pœnitentes vt iuriſperitos conſulant, ſi hac de re ſuboriatur dubium. Tantaque eſt obligatio ordinis iſtius ſeruandi, vt tuti non ſint qui eum prætermittunt.

Notari tamen poterunt aliquæ exceptiones ex Valero, verbo *debitum differ.5.* ſi creditor vigilauit exigendo debitum in iudicio, vel extra. Tunc nedum poterit ei gratificari, ſed & debet ei debitor ſoluere, antequàm bona ſua incipiant authoritate iudicis poſſideri. Silueſter in ſummâ, verbo *reſtitutio*, dicit in foro animæ excuſari debitorem, ſi plurimùm indigenti pietate motus gratificaretur. Ac Seraphinus in compendio Bullarij teſtatur Paulum V. decreuiſſe in ſuâ conſtitutione 71. vt creditores præferantur, ac iis ſatisfiat vſque ad ſummam quinquaginta ſcutorum, ſi verè ſint pauperes ac miſerabiles perſonæ. Petrus à Nauarra libro quarto, *de reſt cap.fin.nu.*49. obſeruat vnum ſingulare, quod ſi quis bona fide, ignorans ordinem iuris circà reſtitutionem, ſoluerit priùs aliqua debita, quæ poſteriùs erant ſoluenda vel reſtituenda, erit tutus in conſcientiâ.

Sed difficultas maxima eſt, an cum poſterior creditor debitum ſuum recepit à debitore, non ſolutis aliis qui habent ius prælationis, teneatur ad reſtitutionem illis, qui habent ius prælationis. Variæ ſunt authorum ſententiæ, quarum ſeuerior eſt hæc quam tuetur Card. de Lugo *de Iuſt. & Iure diſp.* 20.*ſect.*7. §.4. ſolam ſententiam iudicis liberare poſſe à reſtituendi obligatione ergà alios, debitorem qui contrà ordinem iuris debitum recepit. Si tamen creditor, inquit, bonâ fide accepit ſolutionem debiti, ad nihil poſteà tenebitur in foro conſcientiæ. Non enim tenetur ex iniuſtâ acceptione, cùm ſupponamus bonâ fide accepiſſe. Neque etiam tenebitur ex re acceptâ, quia per ſolutionem tranſlatum fuit verè dominium, cùm ex bonis debitoris ſolutum ſit. Vnde concludit creditorem qui malâ fide accepit ſolutionem debiti, ſciens alios eſſe creditores ſibi ipſi ex iure præferendos, peccare contrà iuſtitiam, & obligari ad reſtituendum aliis creditoribus, id quod ob eius culpam minus habebunt de ſuis debitis, quàm debuiſſent habere.

Creditor diligens.

Hæc doctrina videtur valde rationi & æquitati conformis; difficile tamen poterit Confeſſarius perſuadere pœnitenti, vt reſtituat, cùm nihil præter debitum à debitore ſuo accepit: putat

putat enim hunc esse legitimum fructum suæ vigilantiæ, quia vigilantibus iura subueniunt, & aliunde ex ea conclusione deduci posset, quod quicumque aliquod munusculum à debitore supra vires suarum facultatum obligato aliis, accepisset, teneretur restituere. Presbyteros non posse pro ipso celebrare & inde recipere quod solet dari pro Missa, seruos qui ei quotidie inseruiunt non posse stipendia sua recipere, & qui ipsis vendunt, non posse accipere pretium rei venditæ, quia scilicet tenetur aliis creditoribus anterioribus, qui hoc ipso quod prædicti & multi alij similes aliquid accipiant, minus recipient.

In tantis difficultatibus hæc puto esse magis probabilia, scilicet peccare debitorem qui sine iustâ causâ vnum creditorem contrà ordinem iuris aliis præfert. Inter iustas autem causas præferendi vnum alteri, hæc erit si acriter vrgeatur ab aliquo creditore, cui si non citò satisfaciat, vocabitur ab eo in ius; vnde fiet vt omnes creditores simul in illum concurrant, à quibus sine vllâ spe omnibus rebus spoliabitur.

Secundò peccare eumdem debitorem, si res alienas in specie adhuc extantes apud se, propriis creditoribus à quibus accepit, non reddat, sed aliis tradat pro solutione.

Tertiò creditores non peccare, si cùm fortuna debitoris collabi incipit, vrgeant eum ad solutionem debiti, modò illam petant ex rebus non hypothecatis, nondum in manu regiâ positis, nec ex rebus alienis adhuc in specie extantibus. Humanum est enim & æquum vt vnusquisque pro se ipso solicitus sit.

Quartò creditores quia ex huiusmodi rebus non hypothecatis, &c. debitum acceperunt, non teneri in conscientiâ restituere ante sententiam iudicis, siue bonâ, siue malâ fide debitum receperint, modò abfuerit fraus & dolus. Etenim si malâ fide receperint, fuit ex conscientia erronea, cum iure debitum repeterent, non impediendo alios, quorum erat rem suam agere, & ius suum tempore & loco prosequi; mala autem fides ex conscientia erronea proueniens, non potest producere obligationem restituendi titulo iniustæ acceptionis, vt patet in eo qui putans alienum rapere à viatore, nihil aliud rapuit quàm quod suum erat, quo forte oneratus erat viator, qui propterea non tenetur restituere.

Hoc probari aut potius explicari potest similitudine beneficij vacantis ad quod omnes digni ius habent, præferri tamen debent digniores & ius prælationis habent. Si collator illud conferat digno, relicto digniori, ex probabiliori sententia

tentiâ, peccat, non tamen peccat dignus qui illud postulat, & si non ignoret alios esse digniores, & si dignus illud beneficium obtinuerit, non tenetur resignare dignioribus; nam qui dignos beneficiis vellet adigere ad resignandum dignioribus qui sæpe negliguntur, totam Ecclesiam euerteret. Idem in propositâ difficultate videre est. Debitor cuius bona vergunt ad interitum, habetque apud se aliquas pecunias, similis est collatori beneficij vacantis: creditores omnes ius habent ad illas pecunias, si ille debitor alicui ex veris creditoribus soluat debitum, relictis antiquioribus, & iis qui ius habent vt præferantur, iniquè agit; creditor tamen, quicumque sit, debitum suum repetendo, & accipiendo, si soluatur, non peccat, & cum receperit sine fraude & dolo, vt dictum est iam habet ius in re & non tenetur aliis restituere, cùm nihil habeat præter id quod sibi debitum erat. Et si alij sint creditores, persona debitoris eis remanet obligata.

Hæc est sententia Lessij l. de iustitiâ & iure cap. 15. dubit. 5. probat ex lege *quod autem* §. 2. & 3. ff. vbi dicitur, *qui debitam pecuniam recepit antequàm bona debitoris possideantur* (id est authoritate iudicis occupentur ab aliis creditoribus) *quamuis sciens prudensque soluendo non esse, recipiat; non timet hoc dictum.* Nempe quo reuocantur ea quæ in fraudem creditorum alienata sunt. Idem docet Molina disp. 536. etiam si Syluester & alij contrarium sentire videantur. Nec refert quòd ad hoc induxeris debitorem; quia iura id concedunt, teste Molinâ. Nec obstat l. Pupillus ff. eodem titulo, quia est alius casus in quo tutores sponte gratificati sunt vni ex creditoribus. Vnde dicitur ibidem tale debitum reuocandum. Quod intellige per iudicem. Quare nisi sic reuocetur poterit ille creditor retinere.

Cæterùm pluribus de materiâ restitutionum dicendis supersedemus hîc, tum quòd in aliis quæstionibus præsentis tractatus nonnulla alia explicabuntur, tum quòd *in supplemento 1. Theologiæ Affect. disp. 3.* Agimus inter entia supernaturalia de Restitutione, ac exponimus viginti manus restitutioni obnoxias videri.

Solummodo monebimus Confessarium, obligationem restituendi in pœnitente oriri ex triplici capite. Primò ratione rei acceptæ si rem alterius apud se habeat, quamuis sine peccato. Secundò ratione iniustæ acceptionis, si iniustè rem alterius abstulit & si amplius non retineat. Tertiò ratione damni illati, si alteri damni causa extiterit, etiamsi nullum sibi

sibi emolumentum inde acciderit. Consideret ergo Confessarius quonam ex his titulis obnoxius sit pœnitens restitutioni, vt illam legitimè imperet.

Quæritur quinquagesimo quarto quid expendet Confessarius super octauo decalogi præcepto, Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. *De examine octaui, præcepti.*

Respondeo Pœnitentes interrogandos esse de mendacio pernicioso, quod fit cum detrimento alterius. Secundò de falso testimonio in iudicio, siue de reticentiâ veritatis. Tertiò de detractione & inhonoratione proximi per verba iniuriosa & maledica. Quartò de promissione alicuius rei factâ proximo & non adimpletâ. Quintò de murmuratione & susurratione, de iudicio temerario. Sextò de reuelatione secreti & apertione litterarum quæ ad alios diriguntur.

Mendacium. Quod spectat autem ad mendacium, si fiat vtilitatis alicuius gratiâ, sine alterius noxâ quod vocatur officiosum, aut vrbanitatis & voluptatis ergò; quod vocatur iocosum, est tantum peccatum veniale, modò tamen qui affirmat, loquendo non putauerit se verum dicere: nam mentiri est contra mentem ire. Alij addunt cum intentione decipiendi alium, post D. Augustinum *l. contra mendacium* ad Consentium: quod tamen communiter non probatur cùm sufficiat ad mendacium loqui falsum, sciendo esse falsum. Mendacium verò erit peccatum mortale, si fiat cum detrimento notabili proximi, quod vocatur mendacium perniciosum; aut si fiat in materiâ fidei & morum, quia aliquid asserere contrà fidem aut contrà bonos mores, est ex se perniciosum, aut si fiat cum iuramento. Ex quibus inferri potest nullum esse mendacium, ob quamcumque causam seu finem proferatur, quod non sit peccatum seu mortale seu veniale. Quod disertè asserit D. Augustinus *in lib. de Mendacio* ad Consentium. *Quisquis autem*, inquit, *esse aliquod genus mendacij quod peccatum non sit putauerit, decipit seipsum turpiter, cum honestum se deceptorem aliorum putauerit.*

In eodem libro de mendacio distinguit D. Augustinus inter mendacium & falsum testimonium. Sed planè, inquit de ipso testimonio non absurdè quæritur apud quem quisque testis. Non enim apud quoscumque loquimur, testes sumus: sed apud eos quibus expedit & debetur per nos cognoscere aut credere veritatem, sicut est iudex, ne in iudicando erret, aut qui docetur doctrinâ religionis ne erret in fide, aut in ipsâ doctoris authoritate dubius fluctuet. *Cum autem ille*

te interrogat, aut vult ex te aliquid nosse, qui eam rem quærit quæ non ad eum pertineat, aut quem ei nosse non expedit, non testem, sed proditorem requirit, itaque si ei mentiaris, à falso, fortasse testimonio alienus eris, sed à mendacio profectò non eris. Qui locus ansam dedit quibusdam existimandi, mendacium aut periurium coram iudice non esse reseruatum, nisi cum esset in detrimentum proximi. Quod tamen locum non haberet nisi vbi tantum falsum testimonium esset reseruatum, & non etiam periurium.

Sed & idem D. Augustinus in alio libro ad eundem Consentium *contra mendacium*, & si omninò conuincat nunquam esse mentiendum pro quocumque bono acquirendo aut malo vitando, nequidem pro impediendo maiori alterius peccato: vnde cum multa vi eloquentiæ inuehit in quosdam Doctos inter Priscilianistas Hæreticos, qui determinabant casus in quibus peierare liceret ad tegendum secretum religionis: in eodem tamen libro habet hæc verba definitoribus casuum annotanda cap. 10. *Non autem hoc est occultare veritatem quod est proferre mendacium, &c.* Plerumque enim vera occultamus non mentiendo sed tacendo *Ioan.* 16. quando Abraham tacuit vxorem dixit sororem *Genes.* 20. hoc & filius eius fecit Isaac *Genes.* 26. quæ verba hic proponimus, vt appareat sapientibus, quibus pauca sufficiunt quam benignè S. Augustinus plures casus conscientiæ dissoluisset.

Cæterum qui plura desiderat circa mendacij examen, potest consulere libros quatuor *de veritate ac mendacio* à Nicolao Abramo in vniuersitate Mussipontanâ sacrarum literarum Interprete S. I. conscriptos ac ad *Pharum veteris testamenti* additos. Vbi exactè & eruditè difficultates omnes tam ex scripturâ sacrâ quam ex piis historiis subortas excutit, ac dissoluit. Notatque Genesium Sepuluedam, ac Ioannem Barnesium, qui restrictiones mentales in quolibet casu proscribendas esse docebant, censurâ notatos fuisse, istum ab Vniuersitate Complutensi, illum ab Vrbano VIII.

Quæritur quinquagesimo quarto quid examinare debet Confessarius in pœnitente qui falsum testimonium protulit coram iudice.

Interrogare potissimùm tunc debet Confessarius qua de re agebatur, quoties in iudicio mentitus est, seu quot articulos negauit aut dissimulauit, cùm iuridicè interrogaretur. Probabile tamen est quod docet Henriquez *l. 5. c.... nu.* 6. in glossa, & Diana *p. 1. tract.* 7. *resol.* 40. vnum esse peccatum mentiri semel de pluribus rebus & articulis sub iuramento, itemque

itemque multiplicare scripturas publicas super eadem re. Quod pro praxi valde notandum est. Magis autem interest nosse quid ex falso iuramento detrimenti proximo aduenerit: nam periurus qui fuit iuridicè interrogatus ad ea resarcienda obligatus est in quo non mediocriter sudandum est Confessariis. Quod si æquiuocè iurauerit coram iudice ; itavt verum dixerit secundùm mentem suam , licet iudex alio modo acceperit , non est casus reseruatus,nec si iurauerit præhabito à prudentibus consilio quod ei liceret iurare propter bonam fidem quæ excusat eum à mortali.

Notandum est autem eum qui testificatus est quòd viderit aliquid propriis oculis , aut audierit propriis auribus, incitatus ab amico qui rem verissimam esse asserebat , cùm tamen ipsemet non viderit , nec audierit, grauissimè peccare, & si res ipsa vera sit : an autem teneatur ad restituendum disputari potest , nec nisi cum multâ circumspectione quæstio solui potest ; videtur enim causa damni iniustè illati : & si enim reus verè sit acusatus , non erat tamen puniendus nisi in Dei iudicio , quamdiu crimen eius non erat publicum & probatum per duos testes legitimos : vt enim ait Scotus *in quartum dist.*15.*q.* 4. aliqua reseruantur in iudicio diuino super quæ non potest esse iustum iudicium Reipublicæ. Quia, *homo videt ea quæ parent* , *Deus autem intuetur cor.* 1. *Reg.* 16. quod , inquit Almaïnus *dist. eadem* , *q.* 4.habetur in parabola Christi:*Nolite zizaniam auferre , quousque cognoscatur à tritico.* Quod exponit Glossa. 1. Nolite punire malos quovsque cognoscantur à bonis. Ideo respublica non tenetur nec debet quodlibet peccatum , sed quod peruenit ad iudicis notitiam,per plures testes , punire. Sed aliunde iste testis verum dixit quoad substantiam rei de qua agebatur.Vnde videtur iniquum quòd teneatur ad restitutionem ; sed contrà, temerariè se ingessit nec poterat esse legitimus testis,estque causa mortis illius qui publicè non erat puniendus ab hominibus , cùm iustitia non debeat secretum punire , ideò magis probatur quod debeat restituere , & si quis nostræ menti non acquiescit , illi consilio peritiorum vtendum erit in hoc casu.

Cęterum si testis negauit aut dissimulauit aliquid,propter quod fiscus priuatus est mulctis quę ad eum rediissent ex manifestatione veritatis , non tenetur ad restitutionem fisco. Cuius rei potissima ratio est quòd mulctæ non debeantur fisco,nisi post latam sententiam damnationis;quare cùm lata non fuerit sententia,nihil fisco debitum fuit.

gare de ablatione iniusta, & quæ malitiam furti habeat.

Sic etiam aliquis qui cum moderatione inculpatæ tutelæ aliquem occidit sui inuasorem, si nequit probare moderamen illud inculpatæ tutelæ,negare potest se occidisse,scilicet iniustâ occisione, & super quam iudex ius habeat puniendi.Quod eo magis admittendum quod disputetur inter Doctores Iuris ciuilis, an possit Iudex stare Confessioni rei in vna parte non in altera, vt si dicat se occidisse; sed defensionis causâ. Dissentiunt enim Bartolus & Baldus apud Teuenelum de *processu criminali tit, 6. art. 6.*

Item, qui non est author criminis, non tenetur confiteri aliquas eius circumstantias, ex quibus orietur vehemens suspicio contrà ipsum, vt verbi gratiâ se fuisse in tali locó, se talia verba minando protulisse.

Item, qui cùm debeat tantùm decem vocatur coràm iudice ad soluendum viginti, videns si fateatur se decem debere, condemnatum iri ad soluendum viginti, potest totum debitum negare cum intentione soluendi id quod verè debetur Similiter qui falsum testimonium dedit contra reum per alios testes iam sufficienter conuictum: itaut iudex non sit ex hoc certior redditus, ad restitutionem non tenetur, quamuis reo iniuriam faciat, quia nón est causa efficax damni illius.

Quid autem sentiendum sit de eo qui verè reus est criminis, & interrogatur iuridicè (id est) cum est semiplena probatio per vnum testem, vel est infamia probata contra eum, aut sunt indicia euidentia; vnum enim ex his tribus præsupponit iuridica interrogatio) an teneatur fateri crimen? Variant authores. Obligat reum D. Thomas secundâ secundæ *quæst.69. art.1.* quia iudex superior est respectu eius qui iudicatur, & ideò ex debito tenetur accusatus iudici veritatem exponere, quam ab eo secundum formam iuris exigit: negant alij apud Hiquæum super 4. *sentent. quæst.4. dist.15.* qui credit esse sententiam Scoti ibid. multisque tanquam probabilem tuetur, quod valde durum sit obedire vni homini sub pœna capitis certissimâ, nisi illi constet nec dubium sit se iuridicè interrogari. Quare in re tanti momenti, in qua agitur de vita, ne sit præceps Confessarius.

Quæritur quinquagesimò sextò, quid inquiret Confessarius in pœnitente qui sese accusat de detractione.

Tria sunt potissimùm quæ hic debet considerare Confessarius. Primum est, an detracto peccauerit mortaliter contra famam proximi loquendo. Secundum,an teneatur ad restitu-

quam cor afflictum percipiat, quia nimis durum acceptas iniurias solùm in silentio concoquere.

Debebit etiam perpendere Confessarius, corám quot & quibus personis, contra proximum quispiam loquutus fuerit; fieri enim potest vt ex hac circumstantia detractio non afferat notabile detrimentum, vt si corám vno aut altero, siue periculo euulgationis & alterius incommodi, eritque tunc detractio venialis, non mortifera. Si tamen duo aut tres corám quibus crimen occultum alicuius panderetur, tales essent, vt proximo valde displiceret eis notum esse suum peccatum, itavt mallet corám multis aliis illud notum esse quàm corám illis duobus aut tribus, detractio censenda esset mortalis.

Cæterùm si detractor loquatur de persona ignota auditoribus qui nunquam in notitiam particularem illius deuenient, non erit mortifera detractio, quia non censetur detrimentum vllum afferre.

Quoad secundum caput, multa debet perpendere Confessarius antequam obliget detractorem ad restitutionem, quæ non nisi difficillimè adimpletur. Sunt enim multæ causæ quæ excusant à restitutione famæ 1. si detractor fuerit simili aut æquali modo infamatus ab eo de quo detraxit, vtendum erit iure compensationis. 2. si infamia abiit in obliuionem, vel propter diuturnum tempus, vel quòd auditores parum attendunt ad ista. 3. si restitutio sit impossibilis, quia auditores detractionis valde distant, aut non conueniunt ampliùs cum detractore, aut ita sagaces sunt, vt si detractor palinodiam corám illis cantare tentet, ex hinc magis confirmentur in opinione semel de proximo conceptâ. 4. si restitutio non possit fieri sine periculo vitæ aut infamiæ maioris. 5. Si reueletur delictum eius qui per publicam sententiam iudicis notatus est, vbicumque id fiat; est enim intentio iudicis vt talis infamiam ferat in omni loco, vnde nec est peccatum mortale secluso malo fine, & nisi facinus antiquum omnino esset, & obliuioni traditum; tunc enim non liceret in memoriam reuocare. 6. Si detractor vulgò notus sit pro pessimo homine, & linguæ intemperantis, qui de omnibus soleat sine scrupulo obloqui, itavt prorsùs indignus sit cui fides adhibeatur. Nam præterquam quòd talis nebulo, & impudens homo infinita veluti peccata commisit, detrahendo de omnibus, quibus par non est vt satisfaciat, cùm rarò admodùm confiteatur peccata sua, accedit & alia ratio quòd auditores soleant eius dicta floccifacere. Poterit

Causæ excusantes à restitutione famæ.

tamen in aliquibus casibus, & debebit etiam obligati ad restitutionem.

Modus restituēdi famā. Quod spectat ad tertium caput de modo restituendi, obseruare debet Confessarius detractorem non tantùm teneri ad recuperandam famam proximo ablatam; verum etiam ad resarcienda damna ex detractione orta; potuit enim detractione suâ impedire nuptias puellæ, potuit arcere aliquem ab obtinendo beneficio; itaque computandum est quanti valebat spes illa nuptiarum, aut beneficij. Modus autem restituendi famam est, vt dicat detractor, se non satis informatum fuisse de dictis à se contrà proximum, rogareque vt sibi fides non adhibeatur. Poterit etiam dicere quòd mentitus sit, quia non dixit verum veritate publica, sed occulta. Si hi modi non possint teneri, detractor tot elogiis afficiet proximum quem diffamauit, vt maiori gloria exinde afficiatur, quàm fuerat præcedens eius infamia.

Si fama dictis non possit compensari, detractor non tenebitur pecunia compensare, quia melius est nomen bonum quàm diuitiæ multæ. Vtrùm autem cùm moraliter impossibilis est restitutio, teneatur detractor petere veniam à proximo quem infamauit, disputatur: quicquid sit autem de necessitate præcepti, istud est vltimum & ferè vnicum remedium, quodque proinde sæpe sæpius consultissimè iniunget Confessarius detractoribus; Habetque istud fundamentum aliquod in iure canonico c. Clericus distinct. 46. *Clericus maledicus maximè de Sacerdotibus, cogatur ad postulandum veniam, si noluerit degradetur, nec vnquam ad officium sine satisfactione reuocetur.*

Hoc tamen limitandum est ad casum cùm persona offensa per detractionem nouit de suâ famâ loquutum fuisse detractorem, vel vt aduertit Ioannes Sanchez *in select. disp.* 5. *nu.* 9. si coram personâ offensâ malè offensor locutus fuisset, tunc enim veniam ab ipsa petere tenetur, per se, eo quod tunc per contumeliam iniuriauit, & vt offensa facta est in eius præsentiâ, sic debet fieri satisfactio. Cùm autem proximus nescit detractionem de se factam, sufficit illam reuocare coram eis qui audierunt: nam adire iniuriatum, & ab eo petere veniam, ad id solum vtile erit vt offensorem odio habeat. Cùm aliundè fama non reparetur eo modo, cùm sit bonum externum in aliorum mentibus & opinione existens. Aduertant hoc Confessarij, ait præfatus author, ne pœnitentem obligent comparere coram persona offensa, & ignorante offensionem ad petendam veniam specialiter, si offensa

occu-

occultè commissa fuisset, nullus enim se reum prodere tenetur.

Propreteà probandus venit Couarruuias lib. 2. *variar. resolut. c.* 10. Petitio veniae, inquit, relinquenda arbitrio boni viri, si enim aliter fieri possit compensatio iniuriae, aut si decens non sit, iniungenda non est. Noto tamen apud alios, teneri personas religiosas ad petendum veniam ab iis quos offenderint.

Quaeres verò si detractor non sit locutus assertiuè, sed vt fieri solet, dicendo fertur hoc de illo, vel ferunt; indeterminatè ita loquendo, an obligandus sit ad restitutionem. Responsio est negatiua, quia radix restitutionis est alienae famae iniusta ablatio, per causam in se sufficientem ex natura sua ad verè auferedam famam: talis autem modus loquendi ex se non est sufficiens causa infamationis proximi; sed magis leuitas audientium, qui fidem adhibere non deberent huiusmodi relationibus ex auditu ab incerto authore. Haec est sententia Scoti in 4. *sent. dist.* 15. *q.* 4. Respondeo, inquit, rara fides ideò est, quia multi multa loquuntur: & ideò dicens se tantùm audiuisse, nisi ex modo dicendi ostendat, maiorem aliquam certitudinem, quàm ex communi relatione, non aufert ex natura actus in opinione aliorum famam ipsi, quia si illi firmiter concipiant illum de quo sermo est, criminosum esse, leues sunt, quia *qui citò credit, leuis est corde*: Ecclesiastici 19. Verumtamen quia à scandalo pusillorum oportet cauere, iuxta illud 1. ad Corinth. 8. *Si esca scandalisat fratrem meum, carnem in aeternum non manducabo*, & multi sunt tales pusilli leues ad credendum mala, ideò periculosum est talia audita & relata eis referre: & si fiat hoc animo malo, laedendi scilicet illum de quo est sermo, non est facile excusare, quin sit contrà charitatem, & per consequens mortale peccatum. Si autem fiat coràm talibus ex inconsideratione, durum est; quòd exeat genus peccati venialis, quia lingua in lubrico posita est, *& qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir.* Iac. 3.

Haec Scotus, cuius sententiae multi subscribunt apud Hiquaeum in commentario ad hanc eius quaestionem, scilicet Caietanus 2. 2. *quaestione* 73. *artic.* 3. Nauarrus in *manuali cap.* 18. *numer.* 48. Adrianus *de rest. fama* in fine & alij. Proderit ergo multùm Confessario inquirere ab infamante, an asserendo tanquam certum, vel ex aliis referendo loquutus fuerit contrà proximum. Deinde an cum intentione infamandi ipsum: ex hoc enim examine perspiciet

multos tum à peccato mortali, tum etiam ab onere restituendi famam liberos esse. Atque idcircò verba Doctoris subtilis tam prolixa produximus cum aliquibus eius sequacibus, quamuis non videatur nobis excusari posse à peccato mortali qui de rebus grauis momenti, hoc loquendi modo infamat proximum, imò est istud pessimum genus detractionis, quo ferè totus mundus inficitur.

Hic verò non debet omitti interrogatio de detractione contra principes ac reipublicæ aut regni administros, quâ nihil frequentius in Gallia nostra ab aliquot annis, in qua multi grauiter peccant,& ex qua velut ex mala radice grauissima mala germinant; ex hinc enim oritur contemptus personarum primariarum regni, ex contemptu, inobedientia ac rebellio, ex hinc seditio, bellum, & mala fere omnia. Nunquam apud Israëlitas sine pœna fuit derogatio contra Moysis famam. Narrat Guaguinus in vita *Philippi Valesij* Simonem quemdam Poilletum ciuem Compendiensem nimium prodigum, cum dixisset plus iuris competere in Regnum Franciæ Eduardo Anglo quam Philippo, mox comprehensum fuisse, atque in tabulatum elatum, brachiis primum, deinde cruribus, atque postremo capite exsectis pœnas luisse. Ponitur autem in margine, stultus loquutor punitur, notent Confessarij.

Exemplũ malè de rege loquentis.

Quæritur quinquagesimo septimò, quid inquiret Confessarius in pœnitente qui se calumniatorem fuisse accusat, & verbis iniuriosis proximum impetiuisse.

Respondetur examinandum esse primò, an contumeliæ tales sint, quæ, attentis personis, notabiliter lædant proximum in honore & fama; ex hoc enim capite mortalia sunt, nisi excusentur à peccato mortali, ex eo quod motu primo prolatæ fuerint, vel ab omni peccato etiam veniali excusentur, ob finem, putà si reprehensionis gratia dictæ sint, vel à superiore qui loco verberum verba increpatoria adhibuit, vel correctionis fraternæ gratiâ, ad deterrendum peccatorem à malo.

Non est autem absolutè necessarium interrogare de omnibus contumeliis in specie, vt si pœnitens proximum vocauerit adulterum, hæreticum, vel quid aliud, quia ait Emanuël Sa, verbo *Contumelia*, omnes contumeliæ, id est, iniuræ publicæ contrà honorem eiusdem sunt speciei, itemque omnes detractiones, id est, occultæ contrà famam iniuriæ. Quam assertionem limitat Baucius Pœnitentiarius Neapolitanus, in tractatu *de modo interrogandi Pœnitentem*, qui

qui nescit explicare peccata Confessario, p.133. quod quando ex iniuria illata proximo facienda est restitutio famæ, tunc est explicanda in Confessione, putà quando quis vocauit aliquem adulterum, Sodomitam, &c. cum talibus circumstantiis, vt facilè audientes de illo potuerint dubitare, reipsa esse talem qualem appellat; namque in hoc casu tenetur pœnitens restituere famam.

Non est etiam absolutè necessarium interrogare de numero calumniarum, quando multæ vno veluti iræ impetu prolatæ fuerint absque morali interruptione, quia omnes istæ calumniæ pro vnico peccato habentur.

Quæres cùm duo sese inuicem conuitiis offenderunt, quis obligandus est vt prior petat reconciliationem, si necessaria est? Respondetur cùm sunt æquales offensæ, eum obligandum esse, qui prior iniuriâ affecit, si sint notabiliter inæquales, eum qui grauiori conuitio & iniuriâ proximum læsit. Ita Emanuël Sa, verbo iniuria, & Baucius in tractatu *de Miscellaneis*.

Quæres iterùm quandonam qui se iniuriâ mutuò affecerunt liberari poterunt ab onere publicæ retractationis. Respond. Si in obliuionem abierunt tales iniuriæ, vt fit ordinariè in conuitiis personarum vilium inter se, & mulierculatum tenuis fortunæ, quæ cum vento dissipantur, ac sedatâ semel irâ, vix in mente remanent. Ponit alios casus Almaïnus in *quartum dist.* 15. *quæst.* 4. Vt de Prælato qui præest communitati, qui si imposuerit crimen falsum priuatæ personæ; & si retractet se publicè, diminuatur eius Prælati æstimatio cum detrimento Reipublicæ, cui non erit ampliùs ita vtilis, propter imminutionem famæ, non tenetur publicè retractare, quia priuata illa persona magis tenetur pati illam infamiæ pœnam, quàm velle restitutionem ex qua sequetur diffamatio Prælati vtilis in communitate, & ex hoc incommodum Reipublicæ: commune enim bonum præferendum est bono particulari. Ponitque hanc regulam generalem, in omni casu in quo obligatur aliquis consentire quòd pro tunc ei non restituatur, alter pro tali tempore non tenetur ei restituere. Porrò per Prælatum non intelligit solum Episcopum, sed quemcumque rectorem, cuius fama plurimùm prodest communitati.

Quæritur quinquagesimo octauò, quid examinare debeat Confessarius in pœnitente qui se accusat de iudiciis temerariis contrà proximum.

Respondeo, interrogandum esse de malo quod iudicauit de

de proximo, si verè fuerit peccatum mortale vel veniale, vel nullum peccatum. Potest enim tantùm ratio peccati mortalis inueniri in iudicio temerario, quando firmiter iudicatur, id quod est peccatum mortale. Quod si iudicetur proximum tantùm admisisse aliquod veniale, venialis tantum culpa est. Nulla verò, si id quod iudicatur, culpa non est, nisi fortè iudicaretur aliquid in notabile famæ & honoris detrimentum, vt esse leprosum, & huiusmodi, quæ quis, attentis circumstantiis, sibi probro magno esse æstimauerit.

Secundò interrogandus est de causâ quâ motus est ad iudicandum malum de proximo; si enim fuerit causa rationabilis, & probabiliter inducens ad tale iudicium, ita vt etiam vir prudens eâ induci posset, non est iudicium temerarium, sed prudens iudicium, quod proinde culpæ est expers, & de quo superfluum est se accusare; vt si quis videat militem domum meretricis ingredientem, iudicet eum ingredi ad fornicandum, non est in hoc iudicio temeritas, & si forsan aliquando aliâ ductus intentione illam ingrediatur.

Si quis etiam credat de proximo mala quæ narrat fide dignus se vidisse, aut certo scire. Secùs si persona leuis ea narret: non enim est tunc sufficiens causa, sicut nec est fama nullo constans certo authore, quæ crimen alicuius spargit per vrbem: sæpe enim contingit quòd vnius homunculi mendacis loquacitas totam ciuitatem repleat innocentis infamiâ dicentibus omnibus ad inuicem, ferunt, ferunt, &c. ex quâ famâ incertâ non nisi temerè priuatur proximus bonâ opinione quam apud omnes depositam habet. In quo plures admodum peccant. Idem dicendum est, si quis virum non suspectum de impudicitate loquentem solum cum muliere, semotis arbitris, videat non posse nisi temerariè eum iudicare de impudica voluntate.

Tertiò, interrogari poterit, an hoc firmiter iudicauerit; si enim cum formidine iudicauit, suspicio est quæ venialis peccati metas non transgreditur. Vnde & qui promptos se sentiunt ad ferenda iudicia de proximo, & apud se aliquando statuunt se nolle illis iudiciis adhærere, quando in mentem illis venerint, non peccant mortaliter cùm iudicant, quia non firmiter iudicant. Posset tamen ex aliquibus circumstantiis talis suspicio esse mortalis, vt si esset de grauissimo aliquo peccato contrà personas venerabiles.

Si quis autem se accuset de iudicio temerario contrà proximum, quod metuerit illum ne sibi damnum aliquod procrearet, & si motus ille posset aliquando esse imprudens & leuis

leuis, vix tamen est peccatum mortale, quia suspicio ad cautelam licita est, & apud D. Thomam 2. 2. *qu.* 49. *art.* 7. cautio est pars prudentiæ, estque necessaria ad prudentiam vt sic eligantur bona, quòd vitentur mala. Quare non peccat materfamilias quæ veretur filiam vel ancillam domi relinquere cum iuuenibus, nec dominus qui fores thesauri aut cubiculi occludit ne furetur seruus. Nec qui incedit per viam cum incognitis, si illos attentiùs obseruet, ne damnum ab eis patiatur. Ista enim actus sunt prudentiæ, non peccata. Quamuis in excessu peccatum esse posset, sed vix excedens veniale.

Non est autem necesse interrogare de specie mali quod iudicauit pœnitens de proximo, sufficit si fuerit in materia graui. Siue interim sit furtum, siue luxuria, siue hæresis aut quid aliud. Quia ista non mutant speciem moralem malitiæ iudicij temerarij, quicquid sit de specie physicâ.

Similiter nec opus est examinare de qualitate personæ circa quam iudicatum est temerariè, siue sit Ecclesiastica aut laica, Confessor aut prædicator, vir aut mulier, propter eamdem rationem. Quæ si scirent pœnitentes non tantas angustias paterentur, dum aliquando suspiciones aut iudicia temeraria contra ipsummet Confessarium suum habuerunt, quæ illi explicare erubescunt. Non enim istud est necessarium. Nec etiam opus est cùm iudicium manifestatum non est, iniungere vllam reparationem aut satisfactionem, proximo contrà quem latum est iudicium. Sufficit quòd pœnitens interiùs, & apud se retractet iudicium suum.

Dubia an in meliorē partem interpreteris.

Dubitatur vero an cùm sunt ex vtraque parte iudicia tam de malo proximi, quàm de eius innocentiâ, ita vt res dubia sit ex probabilibus coniecturis, teneatur quis dubium interpretari in meliorem partem iudicando eum esse bonum. Censet Gregorius de Valentia 2. 2. *disput.* 5. *quæst.* 4. *puncto* 4. ei qui sic dubitat licitum esse dubitare quamdiu vult; sed si velit in aliquam iudicij partem inclinare, tenetur in meliorem partem interpretari, tum negatiuè, non iudicando malum de proximo, tum affirmatiuè, iudicando bonum de proximo. Quia tunc per opinionem malam indignè proximus contemnitur, qui contemptus euitatur si habeatur bona opinio de ipso.

Obiicies posse falli intellectum tunc iudicando, bene de proximo, quia homines sæpius mali sunt quam boni; vnde minùs erratur si habeatur de eo mala opinio. Respond. Peius est semel falli intellectum in iudicando mala de proximo,

ximo, quàm si pluries fallatur in iudicando bona de proximo; in primo enim casu errat practicè intellectus faciendo alteri iniuriam: in secundo errat tantum speculatiuè; vnde ad vitandum hunc errorem practicum melius est iudicare bona de proximo.

Obiicitur iterum; non suppetere idoneam rationem ad iudicandum bona de proximo in illo dubio. Respondeo, suppetere quia proximus habet ius vt rectum de se fiat iudicium, quandiu non constat de malo contrario: at hîc non constat.

Verumtamen hæc vltima ratio videtur destruere quod anteà asseruit posse aliquem in dubio suspendere assensum, & integrum illi esse dubitare quamdiu velit. Etenim proximus habet ius non solùm vt de se mala opinio non habeatur, sed etiam vt habeatur bona donec iustè ob sua demerita oppositum dictet iusta ratio. Sed tunc indicia non sunt sufficientia, vt priuetur iure suo, cùm enim sint ex aduerso alia indicia æquè vehementia, non est ratio cur potiùs propter illa priuetur iure suo, & fama eius maneat incerta, quàm quod propter hæc non conseruetur in bona famâ quam possidebat, cùm aliunde melior sit conditio possidentis. Quare videtur magis rationi consentaneum, vt nequidem liceat suspendere assensum, nisi præualeant indicia contra proximum, itaut res non sit omnino dubia.

Aliqui hoc explicant, exemplo fidei, cuius articulos pro dubiis habere non licet. Ita Corradus in *responsis quæsito* 400. quod est vltimum primæ partis. Sed hoc exemplum non est ad rem, cùm motiua fidei multò validiora sint, quàm omnia quæ in contrarium obiici possunt, vnde peccatum est habere mysteria fidei pro dubiis; & dubius in fide hæreticus appellatur; hîc autem supponimus motiua esse æqualia ex vtraque parte.

Denique videtur Magistro Victoria in additione ad præcitatum quæsitum Corradi, dubitationem voluntariam morosam & deliberatam, quam quis aduertens ex leuibus indiciis esse, vult nihilominus in illâ persistere, si sit de graui malo proximi, peccatum esse mortale; quia fit iniuria proximo in re graui, scilicet, in famâ quam vnusquisque pretiosam habet. Probatúrque, quia hæc dubitatio aliquando maiorem iniuriam infert, quàm iudicium temerarium. Putà, dubitat aliquis ex leuibus indiciis, num Petrus cum matre rem habuerit. Illa dubitatio plus illum lædit, quam si certò iudicaret ex leuibus quoque indiciis rem cum solutâ habuisse.

habuisse. At in posteriori casu peccatum esset mortale: ergo erit etiam in priori. Atque in hanc sententiam magis Corradus inclinat. Quæ digressio vtilis erit vt ex hac possint confessarij monere pœnitentes, vt famam proximi apud se depositam illæsam custodiant, velut pretiosum quemdam proximi thesaurum.

Atque his ita dissertis, iam incipit apparere verum iudicium de tot controuersiis, & quandonam iudicium temerarium in re graui, atque etiam dubitatio nonnumquam mortale peccatum haberi debeat. Scilicet in moralibus illud sæpe decet obseruari, propositiones, quò vniuersaliores, eò à veritate magis semotas esse, quò magis particulares & ad casus indiuiduos determinatas, eò veritati magis esse conformes. Conuenit igitur propositiones de iudicio temerario, ad hoc vt in eo sit peccatum mortale, quod est quid grauissimum, & idcircò non leuiter asserendum, ad duos casus coarctare. Primus est vt iudicium illud sit voluntarium & morosum, quemadmodum dicitur de delectatione morosâ, si enim sit iudicium illud repentinum rationem præueniens ac statim transiens, quod moderetur recta ratio; vel ex sese statim effluat è mente, mortale peccatum non est. Secundus casus est vt iudicium istud sit aliquo modo inter notos, qui sibi possunt obesse vel prodesse ex vi iudicij sui, seu adiuuando se inuicem, seu infamando se, seu aliâ viâ. Cuius rei obuia est ratio. Nam malitia iudicij temerarij in eo est maximè, vt sit damnosum proximo: at tale iudicium inter ignotos non solet esse damnosum, nisi leuissimè. Secùs est inter notos & eos qui simul ordinariè conuersantur. Nam si religiosus de fratre malè iudicet, aut suspectam habeat eius probitatem, nec eum honorabit, nec suffragio adiuuabit in iis quæ illi valde grata essent. Item prælatus, pater, dominus inferiores non æquis oculis adspicient, semel concepta de eis opinione sinistra. Item si quis est pronus in detractionem, eum qui sibi notus est apud similes sui notabit infamia, propter iudicium suum temerarium. Non est ita inter ignotos, & qui sibi nec prodesse possunt aut obesse. Quare qui videt equitem transeuntem, quem numquam posteà visurus est & ex leuibus indiciis de eo mala opinatur apud se, cùm nihil inde detrimenti illi equiti accidat, non video cur de peccato mortali damnari possit. Simile est si mercatrix in officina sua adspiciens innumeras mulieres quæ per diem in platæa palatij, aut D. Dionysij transeunt, aliquam

Propositiones vniuersales minus veræ.

paulo

paulo lenius incedentem non castam esse iudicet: hanc non nouit quæ sit forsan & personata est, nec vnquam forsan visura est, & iudicium illud temerarium nihil illi damni afferre potest. Vnde ergo malitia mortalis? Quare ista prudenter discutere poterit Confessarius, ne iudicij temerarij peccato se inuoluat, dum quemlibet temerè iudicantem reum putat habendum mortis æternæ.

Quæritur quinquagesimo nono quid discutiet Confessarius in Pœnitente qui quod proximo promisit, non adimplet.

Tria primâ facie occurrunt, quæ debet hîc spectare Confessarius. Primò rem quæ promissa est, an sit vtilis proximo, an sit licita, & in potestate promittentis. Secundò modum quem adhibuit in promittendo, an cum intentione adimplendi, an iuramento firmauerit etiam promissum. Tertiò quid detrimenti accidet proximo, si quod illi promissum est, non adimpleatur, an sit illud leue vel notabile.

His prudenter discussis, vbi opus fuerit, poterit Confessarius his vti regulis. Primum ex Caietano verbo *perfidia* in summulâ. Perfidia quâ homo non facit quod promisit, peccatum est, vtpote contrà virtutem fidei quâ fiunt dicta: quia in promissione facit se homo debitorem implendæ promissionis. Inuenitur autem perfidia triplex, scilicet perniciosa, officiosa, & iocosa. Et officiosa quidem ac iocosa venialis est, &c. perniciosa autem (quæ scilicet nocet proximo) peccatum est mortale, sicut mendacium perniciosum. Quod si promissio transit in debitum legale, ita vt promittens cogi possit in iudicio humano, tunc super debitum morale, adiungitur debitum legale, ac per hoc debitum iustitiæ. Et si non seruantur promissa, incurruntur duo crimina, scilicet perfidiæ & iniustitiæ. Propter imperfectionem tamen actus excusatur sæpe à mortali, vt in nocumentis minimis proximo illatis ex promissi violatione, aut cùm non adimpletur promissum, ex obliuione aut ex causâ quæ sibi videtur rationabilis. Et hinc asserit Caietanus haberi claritatem infinitorum casuum contingentium non seruatâ fide de tacendo, de fauendo, de eundo, faciendo, &c.

Perfidia triplex.

Idem verbo *periurium*, asserit ex quatuor capitibus contingere iuramentum promissorium non adimplere absque peccato.

1. Ex parte materiæ quæ non sit capax vinculi obligatorij, vt si sit actus malus, seu peccatum mortale aut veniale. Si sit omissio boni supererogationis, quia homo tenetur non ponere obicem Spiritui Sancto. Si sit etiam actus indifferens, saluâ suâ indifferentiâ, quia iuramentum non est vinculum ad aliquid otiosum.

Secùs

Secùs autem si actus ex se indifferens iuratus esset ad cautelam seu vtilitatem spiritualem sui, vel alterius. Vt si quis iurasset non transire per talem viam ad cauendum sibi à tentatione talis mulieris.

2. Ex parte euentus, si ex adimpletione malum sequuturum sit, vt qui iurauit reddere depositum, ensem non tenetur reddere furioso: Sicut nec Herodes tenebatur propter iuramentum, dare caput Ioannis Baptistæ. Vel si euentus maioris boni sit impeditiuus: Vt qui iurauit se Matrimonium initurum, non potest impediri ab ingressu religionis. Si nihil aliud obstet.

3. Ex parte modi, vt cùm aliqui honorare se volentes, iurant, non procedam per DEVM; in his enim & similibus intelligitur secundùm communem sensum, quantum in me est, sicut in Petri Apostoli verbo: *Non lauabis mihi pedes in æternum.* Vel etiam si violentiâ extorta sit promissio. Tutius tamen est relaxationem à superiori obtinere.

4. Iuramentum promissorium non adimpletur sine peccato, ex parte relaxationis. Patet; nam siue relaxatio fiat ab illo cui promissio facta est cum iuramento, qui potest liberè quod in fauorem sui factum est relaxare, siue fiat à superiore cessat obligatio iuramenti promissorij.

Addit Eman. Sa, verbo *Promissio*, promissio obligat, nisi res ita sint mutatæ, vt si cogitasses ita futurum, non promisisses; aut si non habuisti animum te obligandi, sed solum proposuisti facere. Item potest & quis promissum negare ei, qui quod sibi promisit non præstat. Item cùm est ei cui promisit inutile, aut is per ingratitudinem fiat indignus. Aut si promissio non sit acceptata. Item quod alicui promisisti pro re illicitâ, si facis teneris ei dare, etsi quidam negant. Item qui puellam violauit promittens fictè se eam ducturum, tenetur ducere, nisi sit admodùm dispar conditio; tunc enim sat est alio modo satisfacere.

Addunt alij tollere obligationem promissionis magnam mutationem in personæ statu & negotiis à tempore promissionis contingentibus. Et Caietanus 2. 2. *quæst.* 133. *art.* 1. excusat à mortali non adimplentes promissa, quod vulgo homines non intendant se obligare nisi ex quadam honestate, vnde & simplices promissiones sine iuramento parum æstimantur inter homines. Non recedendum tamen ab his quæ docet in *summulâ*.

Ex his habet abundè Confessarius quid perpendat & quo modo se gerere debeat circà promissiones non adimpletas.

Existimare enim debet esse peccatum mortale, cùm si non adimpleantur, impendant notabile damnum proximo, vel inde oritur scandalum. Damnum autem tenetur reparare qui illi causam dedit ex non impletâ promissione. Quod si nondùm tempus adsit adimplendæ promissionis, & pœnitens non sit paratus adimplere, iudicare poterit ex dictis, si possit sine peccato, vel cum solo peccato veniali in hac animi dispositione permanere; ita vt talis dispositio non præbeat obicem absolutioni.

Quæritur sexagesimo quid examinare debeat Confessarius in eo qui secretum proximi reuelauit, vel literas aperuit.

Duplex hîc secretum considerari potest; vnum promissum, vt cùm quis mihi reuelat res suas & promitto me de iis numquam locuturum. Alterum est commissum, vt cùm quis mihi res detegit, cum tacitâ eius intentione, & tacita promissione ex parte meâ non reuelandi: quæ quidem intentio & promissio tacita ordinariè intelligitur ex circumstantiis, vt si res suas mihi detegit quas nollet omnibus publicari, auxilij aut consilij petendi causâ. Et hoc modo secretum committitur Aduocatis, Procuratoribus, Medicis, Chirurgis, Obstetricibus, amicis maximè familiaribus, Theologis, & viris qui consuluntur, qui omnes ex officio tenentur seruare secretum.

His suppositis debebit Confessarius perpendere quodnam genus nocumenti, secreti siue promissi, siue commissi, reuelatio attulerit proximo, si nocuerit in bonis fortunæ, vel corporis, vel famæ: ex diuersitate enim horum nocumentorum infidelitas hæc contrariatur variis Decalogi præceptis, sortiturque varias speciе malitias. Si paruum admodùm damnum attulerit, ex hoc capite violatio secreti non excedet limites peccati venialis.

Debet insuper Confessarius perpendere causam propter quam secretum manifestatum est; si enim reuelauit vt alicui tertio prouideret, cuius maximè intererat secretum illud scire, peccatum non est. Vt putà, si aliquis Titio reuelauit proditionem vrbis quæ parabatur ab aliquibus, Occisionem Socratis, & res huiusmodi proximo noxias, non obligat in his casibus secretum. Cuius rei ratio est quia non possum obligari per promissionem tacitam vel expressam ad tenendum secretum in iis casibus, in quibus aliàs tenebar reuelare, licetque secretum reuelare ad vitandum damnum proprium vel alienum, vt cùm qui secretum commisit, vexat innocentem, nec vult ab iniuriâ desistere: tunc enim licitum

Secretũ quando non ligat.

citum est reuelare, quantum necessarium est ad auertendam iniuriam. Vnde cum damnum proximi continuatur, nec ab eo abstinet, nec vult reparare qui infert, aut intulit, licet iudici interroganti seruato iuris ordine reuelare, & Ecclesiæ iubenti sub pœnâ excommunicationis. Quare Confessarius maximè in istis casibus debet attendere, an totum damnum illatum sit de facto, & paratus sit quantum in se est reparare, qui illud intulit, quia alias tenebuntur reuelare ij quibus commissum est secretum (exceptis tamen Confessariis de quorum sigillo nunc non est sermo) ad impediendum damnum proximi.

De apertione autem litterarum quæ sunt instar legatorum, quos violare iure naturali nefas est, dubium est, quando est peccatum mortale, quia antequam aperiantur, si sciatur litteras esse parui momenti, est tantum veniale, si grauis momenti, mortale; & si ignoretur, vt fit ordinariè, an sint grauis vel leuis momenti, erit etiam mortale, inquit Toletus *l. 8. cap. 46.* Excipiuntur tamen aliqui casus 1. Quando qui aperit, probabiliter cognoscit conscriptas esse in damnum proprium, vel alienum, vt sic se seruet indemnem, Quâ ratione in bello hostium litteræ sine peccato intercipiuntur ad eorum secreta cognoscenda, vel vitandas eorum insidias. Et hoc modo non existimamus peccare mulierem, quæ cùm virum habeat multa in damnum familiæ machinantem, eius litteras aperit, ad auertendum malum à familia. 2. Cum Superiores religionum aut publici Reipublicæ ministri litteras aperiunt subditorum vel ad subditos directas boni communis causâ. 3. qui legit sperans rationabiliter id rati habituros vel mittentem, vel eum ad quem mittuntur, sufficit quippe consensus expressus, vel rationabiliter præsumptus alterutrius.

Quæritur sexagesimo primo quid inquiret Confessarius super nono Præcepto, non concupisces mulierem proximi.

Circa istud præceptum, eo magis decet instrui, quo difficilius & amarius est, animæ Deum diligenti, se ream ac conuictam de peccato mortali in materiâ castitatis agnoscere. Hoc enim super omnia abhorrent ac metuunt castæ animæ, quæ Christo Virginis immaculatæ filio, se deuouerunt: ac magis sollicitæ sunt, vt quæ pertinent ad istud præceptum, certiùs cognoscant, vt magis securæ sint ac pacatæ, cum domandæ carni magis incumbunt. Ideò præter ea quæ superius dicta sunt in examine sexti præcepti, quædam adhuc restant discutienda. Quare ad propositam quæstionem *De examine IX. præcepti.*

Cogitatio & desiderium.

Respondetur, interrogandum esse pœnitentem de turpibus cogitationibus, & desideriis. Laborandum est autem hic Confessario, vt distinguat simplices cogitationes à desideriis, quia multi ea confundunt, vt sæpe propter eam confusionem, non satis appareat, an penitens mortaliter, vel tantùm venialiter peccauerit, aut nullo modo.

Obiectũ desiderij.

Et quidem si pœnitens desideria turpia, id est, rerum turpium, & venerearum habuerit; debet Confessarius expendere quodnam obiectum habuerint: specificantur enim ab obiectis turpia desideria, aliudque est desiderium tangendi impudicè tantùm, aliud desiderium pollutionis, aliud desiderium copulæ carnalis, ideóque vt copula carnalis cum vxoratâ, aliud est peccatum à copulâ cum liberâ, resciendum est in specie quodnam fuerit obiectum desiderij, & quidnam appetiuerit, aut desiderauerit pœnitens, quod ei licitum non fuerit. *Rogo*, ait D. Augustinus l.4. contra Iulianum cap.2. *Si in vobis est vllus sensus humanus, non potest & malum esse peccatum & bonum esse desiderare peccatum.*

Vnde si pœnitens desiderauit aliquod obiectum quod sub conditione quam actu apponebat illicitum non erat, eius desiderium non erit malum malitiâ intrinsecâ quæ petitur ab obiecto: poterit tamen esse malum malitiâ extrinsecâ quæ petitur ab effectu aut aliis circumstantiis, vt si ex tali desiderio oriretur in carne titillatio carnis venerea, quæ ratione quantitatis & complacentiæ post aduertentiam modò veniale, modò mortale peccatum est, cùm sit inchoatio quædam pollutionis in quam tandem desinere posset.

Quod spectat autem ad cogitationes simplices, secluso desiderio peccati adimplendi, non sunt tam grauia peccata ex se, ac ipsa desideria: imò si cùm animus sese reflectit super ipsas cogitationes, ipsas ingratas habet & improbat, ita vt velit non habere, nullum est peccatum, sed potiùs meritum, nec opus est de eis confiteri. Quod si eas retineat aliquamdiu animus, nec nitatur contrà, tunc veniale peccatum est in neligentiâ illas à se repellendi, per aliam & & meliorem mentis occupationem, nisi subsistit iusta causa.

Quod si verò diutiùs iis immoretur animus, sine iustâ causâ, secluso tamen desiderio rem illicitam perpetrandi, velitque voluntariè iis immorari animus ea satis perspiciens: tunc considerandum est, an ex iis oriatur motus vehementior, quo ponatur in periculo pollutionis, vel in periculo desi-

derandi

derandi illicita, & in hoc casu peccata sunt mortalia, propter adiunctam circumstantiam, quæ videtur exponenda in Confessione : non autem obiecta specifica harum cogitationum, iuxtà probabiliorem opinionem (non enim omnes in eo conueniunt) quam suadet & consulit vir pius Ludouicus Granatēsis in secundo tractatu *Memorialis*, vbi nec verba impudica in specie vult recensenda, nec obiecta inhonestarum cogitationum. Si, inquit, cogitatione peccasti, sat est si dicas : cogitationem inhonestam habui, & ei consensi vel in eā delectatus sum, aut immoratus sum : nec dicendum est, talia & talia cogitaui, vt dicunt aliqui, cum sua magna erubescentia & confusione & sine necessitate.

Quòd si istæ cogitationes nec motū ita vehementem excitant, nec ponunt in periculo desiderandi illicita, & seiunctæ sunt à delectatione in re cogitatâ illicitâ, non video qua ex parte dici possint peccata mortalia. Vt enim optimè probat Durandus in *sec. dist. 39. quæst. 2.* Consideratio mali non est mala, sicut est electio mali, & quamuis se de illis accusent tanquam de mortalibus peccatis, id fit quia bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, vbi non est ; vel quia satis non discernunt periculum in quod incidunt per illas rerum turpium cogitationes.

Non debet autem facilè Confessarius in personis castitati addictis, & quibus horrori sunt tam verba turpia, quam actus quilibet externi inhonesti, suspicari peccatum mortale, propter huiusmodi cogitationes ; non enim eas constituunt in tali periculo, ac eas quæ sæpius luxuriæ peccato inquinantur. Quod enim periculosum valde est vni, alteri non est, aut parùm admodùm. Quare de his dicitur in Apocal. cap. 15. *Vidi tanquam mare vitreum & super illud stantes qui vicerunt bestiam & imaginem eius & numerum nominis eius.* Mare enim illud gloria est aut cœlum empireum, super quo stant casti victores bestiæ, quæ est luxuria, & imaginis eius, id est, cogitationum fœdarum, & numeri nominis eius, id est, multitudinis earumdem.

Personæ etiam huiusmodi quæ castitatis zelo ducuntur, si quando improbant interiùs huiusmodi cogitationes rerum turpium, vt assolent facere in primo earum intuitu ; & non citò conquiescit motus ex eis in carne excitatus, non debent propterea animo despondere, quasi sint in peccato mortali ; tum quia motus ille carnis non subditur omnino potestati hominis, sicut nec motus cordis, sicut alicubi notauit Aristoteles, referrtque Viguerius in *Motus carnis.*

institutionibus. Tum quia cum animus spiritualis sit, & carne multò vegetior, multò priùs operationem suam elicit in dissentiendo motionibus impudicis animi & corporis, quàm corpus ipsum operationem suam eliciat in obediendo partis superioris & rationis imperio. *Spiritus enim promptus est; caro autem infirma* Matth. 26. Existimamus ergo tales cogitationes, secluso desiderio & periculo prædicto, esse tantùm peccata venialia, eò grauiora quò diutiùs immorantur. Ideóque personas verè castas non solere, nec debere iis diutiùs voluntariè immorari, sed iis obniti, occupando animum ad alia. Iisque sufficere si ita confiteantur, toties rerum inhonestarum cogitationes per aliquod tempus in animo reuolui sine causâ vllâ, nec tam citò repuli, nullum tamen desiderium de re illicitâ admisi. Nec debet ampliùs inquirere Confessarius, si pœnitentem aliunde castum esse existimet, & remotum à periculo pollutionis aut consensus. Imò nec esse necessarium ista confiteri, quæ mortalia peccata non sunt, docet Magister de Victoria quæst. 130. citatus à Sanchio in *select. disp*. 41. Est aliquis, inquit, qui omninò habet propositum cauendi à peccatis & nullo modo vult consentire tentationibus, expertusque est quod solet resistere cogitationibus & illecebris: postea occurrunt cogitationes, & est detentus in illis, & postquam discesserunt non recordatur, si aduertit, si consensit vel qualiter se habuit. Dico quod de tali scrupulo non oportet confiteri, & eodem modo de cogitationibus Fidei, &c. hæc ille.

Probatur autem, primò ex verbis ipsius præcepti *Exod. 20. & Deut. 5. Non concupisces, non desiderabis*: si enim etiam ipsas cogitationes Deus voluisset prohibere sub peccato mortali, multò æquius erat, vt diceret non cogitabis quàm non desiderabis, cùm multò minus appareat malitia cogitationis quàm desiderij, si res humana ratione est diiudicanda. Secundò si talis cogitatio esset per se peccatum mortiferum, non liceret eam velle habere, ob quemcumque finem extrinsecum, quia est verbum Apostoli ad Roman. 3. *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona*. Quemadmodum quia fornicatio est per se peccatum mortale, non licet puellæ fornicari ob bonum finem, putà vt ex hac fornicatione habeat vnde nutriat patrem indigentem, vel pauperibus eleemosynas largiatur. At licet huiusmodi cogitationes habere ob bonum finem, vt si Confessarius audit Pœnitentem de turpibus se accusantem, necessariò cogitat de ipsis turpibus. Si studet in

huiusmo

huiuſmodi materia, vt in iis inſtruatur ad explendum officium ſuum, habet voluntariè tales cogitationes, nec peccat proptereà. Igitur tales cogitationes per ſe non ſunt peccata mortalia. Tertiò cogitatio in Intellectu comparatur viſioni in oculo: atqui viſio rei illicitæ per ſe, non eſt peccatum mortale, niſi ob circumſtantias adiunctas, ergo nec ſimplex cogitatio in mente peccatum erit mortale, ſi remoueantur omnes malæ circumſtantiæ. Quapropter D. Thomas opuſculo 64. quod eſt *de modo confitendi & puritate conſcientiæ*. Plerique dubitant, inquit, ſi cogitationes inhoneſtæ ſint exterius explicandæ. Credo quòd hoc facere ſit puritatis & perfectionis, & magni meriti. Sed non credo eſſe neceſſitatis ſemper, niſi quando ex nimiâ morâ factâ in cogitatione illâ homo ſentiret ſe inclinari ad faciendum, & perficiendum cogitatum, ſi opportunitatem haberet, quam vellet, aut ſi pollueretur ex illa vehementi cogitatione moroſâ, aut ſi Inordinatè afficeretur ad aliquam perſonam & de ipsâ multo moleſtaretur in cogitatione, habendo motus carnis & imaginando habere aliquos actus impudicos cum ipſa perſona.

In quem ſenſum intelligi debent verba D. Auguſtini lib. 12. de Trinit. c. 12. *Totus homo damnabitur, niſi hæc quæ ſine voluntate operandi, ſed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi ſolius cogitationis ſentiuntur eſſe peccata, per mediatoris gratiam, remittantur.* Quamuis videatur D. Auguſtinus, *l. 2. contra Iulianum, c.* 10: ſententiam hanc mitigaſſe, reponens tales cogitationes inter venialia ſecundum modum illum ſuum ſcribens quo ſolet venialia ſignificare & l. 1. contra duas Epiſt. Pelagianorum c. 14. *De iis omnibus quæ nunc parit concupiſcentia carnis, ſi non ſint crimina, pacto illo quotidianæ orationis Dominicæ*, & dimitte nobis debita noſtra, *& eleemoſynarum ſinceritate mundantur.*

Obiicies Matth. cap. 15. Chriſtum dicere: *De corde enim exeunt cogitationes malæ.* Caietanus in hunc locum ait intelligendum per cogitationes, machinationes malas: Quæ ſunt cogitationes coniunctæ cum intentione, & deſiderio malum aliquod adimplendi. Deinde loquitur Chriſtus de cogitationibus *ex corde* exeuntibus. 1. ex affectu & deſiderio ad rẽ malã, quales non ſunt illæ de quibus hîc loquimur. Hîc enim ſermo eſt tantùm de illis cogitationibus quæ ſe ingerunt viris perfectioribus in tuendâ caſtitate, vel iis inuitis, ſine tamẽ periculo conſenſûs in actum illicitum, vel alterius mali, quæ quamuis confeſtim non repellantur, ſed cum aliquâ tarditate, dicimus malitiam venialis peccati non ſupergredi.

Quod hîc & per principia extrinseca ex authoritate plurium, & per principia intrinseca rationum sufficienter probatum est, vt non sit necesse circa huiusmodi cogitationes vexare confitentes peccata sua sepurfluis interrogationibus.

Atque cum hæc ita sint, ne tamen cuiquam, occasione doctrinæ, videamur licentiam dare ad immorandum in cogitationibus rerum turpium, longe tutius esse asserimus inimicos istos persequi nec conuerti donec deficiant & memoranda verba Petri à Soto viri pij & timorati lect. 9. in tract. *de institutione sacerdotum* apud Hallum lib. 3. de *quinquepertita conscientia c.*29. hîc libet attexere. Vbi ait nonnullos excusare multa, vt cum quis securitate quadam ductus cogitationem quam in se aduertit, negligit reprimere, sed hic ante oculos habendum esse, scripturam sacram exhortari nos ad vigilem custodiam nostri, ad non dormitandum nec oscitan-
*Prou.*4. dum inter insultus inimicorum & tentationes: *omni custodiâ,*
*Luc.*12. inquit Sapiens, *serua cor tuum*, &c. & Dominus in Euangelio, *vigilate omni tempore orantes.* Et obliuio custodiæ cor-
Osee 7. dis à Propheta reprehenditur dicente: *Ephraim quasi columba seducta non habens cor.* Sed & Dauid conqueritur quod cor eius dereliquit eum; non parum ergo timendum est à cogitationibus illicitis, quas oscitanter repellimus: referre ta-
Monitũ. men in his omnibus qualis sit vniuscuiusque dispositio; quare longe aliter, in his dubiis censendum est, de eo qui super custodiam sui vigilat & alienus est à prauis affectibus, aliter de eo qui præceps in quæcumque illicita rapitur & ruit. Nec illud omittendum, quod in his motibus aliquando non statim appetitus paret rationi; possunt itaque perseuerare nonnunquam renitente etiam ratione; sed postquam perseuerant, postquam animaduersi sunt, nec constat contradixisse rationem, timendum est valde eam consensisse, sed dubia omnia relinquantur iudicio Dei & humili pœnitentiâ illorum à Deo postulanda est venia, magisque ait timendam esse culpam quàm securitatem promittendam. Hæc ille, quæ nos per modum consilij proponimus, vt qui seueritatem in Theologia requirunt, habeant hîc, vnde sibi satisfiat, & viam excellentiorem illis demonstremus. Quamuis qui mentis puritate nitet, ac scit se eam Dei misericordiâ consequutum fuisse, contra alios immiti rigore non moueatur, sciens humanam nihil esse virtutem, si eam virtus diuina non iuuerit, vt benè monet Cassianus *collat*. 12.*c.*15.

Quæritur

Quæritur sexagesimo secundo quid examinare debet Confessarius in pœnitente, qui se accusat de delectationibus in cogitando de rebus turpibus, quas tamen non desiderauit.

Non est aperta solutio præsentis quæstionis propter varias opiniones de malitia delectationum super cogitationibus rerum turpium. Primò enim non apparet satis quæ sit illa delectatio, an scilicet sit sola delectatio spiritualis, & in sola parte intellectuali permanens; qualis est illa quam habet superbus dum cogitat de magnis honoribus; an verò sit etiam delectatio corporalis quæ sentitur in carne, ex commotione spirituũ, dum anima de rebus turpibus cogitat. Est enim peculiare, vt bene aduertit Basilius Pontius de *Matrim. lib.* 10. *cap.*16. §.2. cogitationi rerum turpium, vt redundet statim in appetitum inferiorem, accendatque sanguinem & spiritus quosdam commoueat; vnde materia libidinis ex diuersis partibus congregata pruritum ac delectationem sensualem producit, quæ si vehementior, ac diuturnior fuerit, in pollutionem fœdam desinit. Dubium est ergo an interrogandus sit Pœnitens de priori delectatione merè spirituali, an de posteriori.

Videtur autem supponendum quod maximè de illa posteriori interrogandus sit. Quod videtur obiter attigisse Bresserus *de Conscientia, lib.6. cap.*17. vbi tractans de malitia delectationis morosæ, *num.*216. asserit peccatum esse mortale, si sit mora vel negligentia resistendi, quamuis sine affectu & periculo exequendi, sitque de obiecto grauiter malo, & præcesserit deliberatio. Ratio est, quia illa delectatio actio est voluntatis; omnis autem actio voluntatis specificabitur ab obiecto: proindeque mala est mortaliter, si sit malum mortaliter. Iuxta illud Osee capite nono. *Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt*; Quod verum est de delectatione non solùm sensibili appetitus sensitiui, accedente consensu voluntatis, sed etiam huius delectatione rationali. Prætereà vniuersim à natura destinata videtur huiusmodi delectatio ad generationem in statu matrimonij, eius enim fini aliàs multùm derogatur. Quod tamen intelligendum est de delectatione venerea, cum spirituum commotione, non sola sensuali, quæ percipitur ex sola rei conformitate cum sensu tactus, qualis percipi solet ex tactu serici & floris. Vbi totam suam disceptationem restringit ad solam delectationem posteriorem prædictam.

Delectatio grauis & leuis

Quibus præsuppositis videtur expendendum esse in pœnitente, quodnam obiectum mortaliterne malum, an venialiter

an indifferens habuerit eius cogitatio, & quænam fuerit necessitas aut vtilitas habendi huiusmodi cogitationes.

Secundo interrogandus erit si delectatio fuerit vehemens, aut modica: in hoc enim sæpe est cardo maioris difficultatis; vehementem appellant Ioannes Caramuel super *regulam D. Benedicti disput. 59. num.* 1055. qua octies maior sufficeret semen decidere, quæ opinio est in praxi parum vtilis, cum internoscere homo non possit quandonam huiusmodi delectatione affectus fuisset. Quamuis re attentius considerata, videatur dicere illam delectationem esse grauem, quæ si esset octies maior, scilicet maioritate non tertiæ aut quartæ suæ partis, sed solum octauæ suæ partis, desineret in pollutionem. Aliam quamcumque esse leuem, si minor sit, ac aliquid amplius quam octaua pars delectationis completæ, illi deberet addi; additque etiam admittendam esse materiam nullam, nempe quæ Physicè sit aliquid, & prudentum opinione nihil. Sed nec glossa hæc, vt opinor omnem dispellit caliginem. *Delictò quis intelligit*: atque ideo aliorum iudicia inquirenda sunt, eiusque qui primus de delectatione hac modicâ scripsit. Scilicet Nauarri in *cap. si cui de pœnit. dist.* 1. vbi illam describit, quæ sine periculo consensus aut incidendi in pollutionem insurgeret. Ioannes verò Sanchez *disp.*21. in *Selectis*, vehementem appellat, quæ ita turbat rationem vt non patiatur cogitare quicquam præter carnalia; modicam & leuem quæ non ità mentem occupat.

Tertiò interrogandus etiam erit quomodo se habuerit sentiendo delectationem hanc carnalem. Verùm positiuè illam admiserit & velut approbauerit in illa complacendo: an reprimere conatus fuerit & auertere mentem ad alia, eo fine vt cessaret: an negatiuè se habuerit compescendo tantùm voluntatem superiorem, & consentiendo, quod talem delectationem contemneret.

Et his omnibus poterit aliquomodo cognosci peccatum delectationis in turpibus cogitationibus. Nam delectatio grauis seu vehemens ex cogitatione rerum mortaliter malarum, si voluntaria accedat complacentia in illâ, mortale est peccatum. Quod idem dicendum est de delectatione vehementi orta ex cogitatione aliarum rerum, si non possit tunc haberi licitus coitus. Proindeque vidua mortaliter peccat cui complacet talis delectatio in recordatione coitus præteriti cum viro defuncto. Et vir peccat mortaliter cui complacet talis delectatio, cogitando se rem habere cum vxore absente.

Ad

Ad id autem intelligendum, notandum est delectationem illam sensualem habere duplicem malitiam; vnam intrinsecam quæ petitur vel ex eius quantitate, vel ex obiecti malitiâ, alteram extrinsecam quæ petitur ex periculo magno pollutionis in quo statuit hominem. Quamuis igitur delectatio illa viduæ, & viri in absentiâ vxoris non sit mala intrinsecè illâ malitiâ quæ petitur ex parte obiecti, est tamen mala intrinsecè illa malitia quæ petitur ex quantitate ipsius delectationis, & mala est extrinsecè propter periculum pollutionis in quo sine necessitate ponuntur qui illam delectationem admittunt.

Si verò delectatio sit modica modo explicato, si qui eam habet, probabiliter credat, se esse extrà periculum consensus in actum illicitum & pollutionis, potest negatiuè se habere: sufficienter enim dirigit voluntatem suam impediendo ne rapiatur in complacentiam malam, à tali delectatione. Et aliunde non vincitur ab aduersario, iuxta ea quæ docet Gulielmus Vuorillon *in 2. dist.* 28. vbi notat ista tria differre in bello tam spirituali quam corporali, resistentia, trophæus & victoriæ triumphus. Resistentia est quando quis licet non vincat inimicum, tamen non vincitur ab inimico. Sicut quando sunt duo æquales pugnantes. Trophæus quando pars aduersa sana fugit & non læsa. Sed triumphus siue victoria est quando pars inimica aut plene aut funditus destruitur nullo aut modico in parte alia habito detrimento. Victoriosus enim dicitur qui consequitur oppositum illius quod intendebat victus. Vnde sequitur eum qui in prædictâ delectatione negatiuè se habet, & si non triumphat cum victoria de dæmone, inferendo illi oppositum illius quod prætendebat, quale esset actus positiuus dissensus aut actus internus castitatis externusue, tamen haberet resistentiam, sicut haberet rupes aliqua prædura contra telum in eam intortum per quod nullo modo læderetur, imo & trophæum quandoquidem dæmon nihil promouet, sed veluti re infectâ discedit, & homo in eodem statu manet ac si impetitus non fuisset. *Victoria triplex.*

Atque recens scriptor eius ordinis Petrus Posnaniensis *in 2. sent. Scoti d. 42. q. 1. disp. vnicâ, conclusione* 10. assignat aliquas causas rationabiles & iustas cur voluntas permittens motum appetitus excusetur ab obligatione reprimendi & non dicatur habere consensum neque peccare mortaliter. 1. Causa si quis probabiliter timeat concupiscentiam magis augendam: nam cum dicit D. Paulus fugiendam esse

Triplex ratio se habendi negatiuè fornicationem, intelligendum est, tentationem luxuriæ vincendam esse potius fugiendo quam resistendo, quia continua eius cogitatio potius auget incentiuum peccati: fugit autem quis fornicationem, quando ad alias cogitationes mentem reuocat: tunc enim quasi fugiendo positiuè repellit. 2. Causa ab omnibus recepta, si ob id necesse esset, operationem honestam vtilem aut necessariam omittere, vt patet, in Confessariis, Medicis, Chirurgis. 3. Causa assignari solet contemptus istius motus seu delectationis; quia existimatur hostis infirmus & debilis, vt quando quis certus est quod non pertrahetur à tali delectatione vt consentiat, quia qui ita contemnit delectationem, dissentit saltem virtualiter & tantum est negligens in actu reprimendi eam. Hoc affirmat in *4. tract. de Euchar. quæst. 4.* Adrianus, quamuis dicat in isto casu reperiri peccatum propter extrinsecas circumstantias.

Est autem ratio, cur in delectatione graui necessariò ad vitandum mortale debeat adhiberi dissensus positiuus, quia delectatio illa grauis abripit, & propter sui grauitatem vrget hominem ad consensum & ad pollutionem, vixque sui iuris esse sinit, nisi se opponat formaliter dissentiendo ac improbando: Quod non habet locum cum tantum est leuis & medica, quam & aliqui experiuntur citius desistere per despectum simplicem: sicut si paruus canis allatraret, quem transeuntes nequidem dignantur aspicere. Fauet autem huic doctrinæ eamque non leuiter confirmat Vasquez 1.2. *quæst* 109. *disp.* 189. *cap.* 14. vbi obseruat *num.* 120. victoriam tentationis, variis modis contingere posse. Primò itaut per victoriam tentationis apud Deum vitam æternam mereamur. Secundo licet beatitudinem non mereamur, ei tamen viriliter resistamus bono affectu contrario. Tertio sine bono affectu contrario bono, itavt solum non consentiamus tentationi nec ab eâ moueamur. Quartò, denique vni tentationi resistitur, consentiendo alteri contrariæ: nam multa vitia inter se contraria esse perspicuum est. Ex quorũ modorum tertio patet, speciem esse quamdam victoriæ, se negatiuè habere. Qui modus etiam magis probatur in tentationibus blasphemiæ contra Deum, quibus sanctiores quandoque impetuntur astu dæmonis, quæ non melius superantur quàm per simplicem despectum.

Et de hac delectatione modicâ intelligendi sunt plures authores, qui dicunt licitum esse negatiuè se habere in delectatione carnali, nec teneri qui illam sentit, obniti contrà. Quemadmodum quis tenetur ignem extinguere, si possit, qui iam

ſam domum conflagraturus eſt iudicio ſuo: quod ſi ſciret nihil damni imminere ex proximo igne, nequaquam teneretur. Quare multum intereſt, vt vnuſquiſque vires ſuas cognoſcat ſi quas habeat & quid valeant humeri in continuo pro caſtitate tuenda conflictu. Vnde Hieronymus Hangeſtus Doctor Pariſienſis, de quo iam pluries memini, *capite* 8. *Moralium*, ponatur inquit, motus illecebroſus qui non citò faciat periculum labendi in liberum conſenſum, diutiùs tamen continuatus faciat periculum: ille motus non repreſſus (quem pono voluntatem poſſe reprimere) tandem vitiabitur diutiùs continuatus, qui paululum continuatus non vitiabitur. In hoc probet ſeipſum homo, Nam ſecundùm maiorem vel minorem eius fragilitatem, atque infirmitatem maius vel minus imminet ei labendi periculum, quare plus vel minus tenebitur motum reprimere atque citiùs vel tardiùs reſecare.

Obiicies multas eſſe alias ſpecies delectationis iſtius venereæ: eſt enim delectatio in cogitationibus ipſis, eſt etiam delectatio in obiecto ipſo.

Reſpondeo etſi poſſint hæc omnia à doctis diſtingui; tamen non videri neceſſe iſta omnia perquirere & ſcrutari in Confeſſione: nam alioqui oporteret & Confeſſarios & pœnitentes Metaphyſicos eſſe, vt iſta diſcernerent, in quibus non eſt minor difficultas quam in explicandis notionibus ac relationibus diuinis in Theologiâ ſpeculatiuâ. Sufficit, vt optimè dicit Nauarrus *de pœnit. diſt.* 5. *in cap. Conſideret*: confiteri vltimam ſpeciem vulgò notam. Eſt autem delectatio illa ſenſualis vltima quædam ſpecies vulgò Nota. Optimè Magiſter Canus in relect. *de Pœnitent. parte* 6. Quando ſaluâ pietate id poſſumus, Confeſſionis iugum molle faciendum eſt, nec iniiciendi laquei potiſſimùm loco, qui in id paratus eſt, vt ab omnibus laqueis liberemur: ita ille. Attamen ſi quis doctior eſt in iſtis, accuſet ſe pro ſapientiâ ſuâ, fit enim per accidens, vt docti teneantur exactiùs quædam confiteri quàm rudes & imperiti.

Eſt etiam probabile id quod docet Vaſquez *part.* 1. *tom.* 2. *diſp.* 112. *capite* 2. Non eſſe neceſſe explicare circumſtantiam perſonæ imaginationi obiectæ, vt ſi fuerit coniugata vel monialis, cum delectatio moroſa fuit ſine efficaci voluntate. Nec de hoc vexandi ſunt pœnitentes à Confeſſario.

Obiicies diſtinctionem illã delectationis quæ ſit vehemens & leuis, non probari à viris pleriſque prudentiſſimis, cum periculoſum ſit admittere in re venereâ paruam & magnam quantitatem ſeu materiam. Cùm enim omnis talis delectatio

tio sit actus quidam inchoatus pollutionis, qui actus est mortalis, frustra admittitur actus ille inchoatus leuis & venialis. Quare generalis Societatis IESV Aquauiua interdixit suis Theologis ne docerent dari in re venerea quantitatem paruam.

Respondetur tamen non esse vllam rationem cur in cæteris præceptis detur materia parua; in præcepto continentiæ non detur, & cur transgressio cuiuscumque præcepti excusetur à mortali culpa, propter rei paruitatem, non verò præcepti continentiæ: & hoc præceptum, inquit Nauarrus in cap. *si cui de Pœnitentiâ* dist. 1. non est maius nec ab alio datum quam ab eo qui nouem alia præcepta tulit. Adde Nauarro cum in seipsis experiantur homines commotionem veneream nunc maiorem nunc minorem, nunc insensibilem, & quæ augeatur ex variis circumstantiis, itavt tandem fiat magna & completa potensque semen decidere, necesse est vt prius illa fuerit parua quæ paulatim, & per gradus magna tandem fit.

Quod autem periculosum sit admittere distinctionem illam, id in varios sensus trahi potest. Si veritas quæ liberabit nos, vt ait sermo Euangelicus, est periculosa quanto magis mendacium. Quod autem dicitur talem delectationem esse inchoationem pollutionis, concedendum est de inchoatione remotâ non proximâ, leui non graui, paruâ non magnâ. Sicut primus vini haustus est inchoatio remota ebrietatis, non tamen est peccatum, nec furtum vnius denarij quod est initium maioris furti, peccatum est mortale. Sed & eodem argumento probaretur solam virgæ erectionem, imo solam apprehensionem rei turpis esse peccata mortalia, quia etiam sunt initia pollutionum si vlterius procederent, ad eamque remotè disponunt. Vt omnis qui prope accessit, præmium non consequitur, sic nec supplicium. Peccata mortalia suum habent limitem, quem attigisse necesse sit, vt quis reus illius constituatur. Aliqua ergo esse possunt, quæ peccati mortalis fomes sint, & si eius limen non ingrediantur. Alioqui cùm omnis dispositio soleat ferè aliâ dispositione antecedi, quis erit peccatorum finis?

Quod autem Generalis Aquauiua interdixerit, iustas ob rationes id potuit, & si opinio sit vera, quia non est necesse, vt omnia quæ vera sunt ab omnibus doceantur. Quin & audio nuper in eadem religione Societatis interdictum esse, ne quis doceret licitum esse illam

dele

delectationem admittere, non illi positiuè resistendo, quod est, vt opinor, negatiuè se habere; vt religio ista quæ numerosos patitur aduersarios, qui inter cætera Theologiam quamdam moralem laxissimam illi exprobrant, ita casta sit opere & sermone & in vitâ & doctrinâ, vt nihil illi obiici possit contra castitatem à suis obtrectatoribus.

Etsi vero nos istam viam non sequamur in hoc opusculo, id à nobis exigit eiusdem opusculi institutum, quod est ad instructionem Confessariorum, qui si ista non calleant satis exactè, conscientias turbant scrupulis, & reddunt erroneas nec distingunt, lepram à leprâ, nec appositè respondent ad dubia, & ad interrogata pœnitentium, his de rebus. Quin & pro seipsis anxij sunt, dum non omninò expertes sunt huiusmodi commotionum in auditione rerum turpissimarum: quare debent ista agnoscere, vt sciant quomodo se & alios dirigant.

Fatendum tamen excellentissimam esse praxim doctrinæ istius quæ damnat quamcumque delectationem morosam in rebus venereis, seu illa leuis sit, seu grauis. Et ego noui hominem qui cum serò de his rebus studuisset proximi iuuandi causâ, mane sequenti visus est sibi videre Christum Dominum super iridem, sicut repræsentari solet in statu iudicij in medio duodecim Apostolorum, quorum sex erant ex vtraque parte iridis, cum magno ardore ac multis gestibus exhortantem, auditaque hæc ab ore eius procedere. *Vox mea laudis & perfectionis est initia peccatorum impediri.* Quibus intellexit ille ab istâ delectatione quantum fieri potest homines esse dimouendos, ac vocem hanc Apostolicam sæpius ad eos esse vsurpandam, *ô homo Dei hæc fuge.* Aut illa etiam verba D. Augustini l. 4. contra Iulianum cap. 21. *Quid sum ego quem desideras vincere? vincat te potius veritas, vt tu libidinem vincas; nam si aduersus eam pugnare destiteris vinceris, vincieris, & ad immunda omnia pertraheris.*

Quare post reiteratam sæpius difficultatis istius expensionem, & si probabiliorem iudico Nauarri sententiam, non ausim tamen improbabilem iudicare aliam quæ negat dari paruitatem materiæ in delectatione morosâ, & mihi scrupulus esset cuiusquam mentem auocare ab illa sententia, ad quam non mediocriter inducit decretum prædicti Generalis sapientissimum: quod si hîc inseram, rem non ingratam pluribus me facturum arbitror. Est autem huius tenoris.

Quia nonnullorum opinio qui docent in re venereâ exiguam aliquam delectationem deliberatè quæsitam propter leuitatem *Decre- Gen*

tio sit actus quidam inchoatus pollutionis, qui actus est mortalis, frustra admittitur actus ille inchoatus leuis & venialis. Quare generalis Societatis IESV Aquauiua interdixit suis Theologis ne docerent dari in re venerea quantitatem paruam.

Respondetur tamen non esse vllam rationem cur in cæteris præceptis detur materia parua; in præcepto continentiæ non detur, & cur transgressio cuiuscumque præcepti excusetur à mortali culpa, propter rei paruitatem, non verò præcepti continentiæ: & hoc præceptum, inquit Nauarrus in cap. *si cui de Pœnitentiâ* dist. 1. non est maius nec ab alio datum quam ab eo qui nouem alia præcepta tulit. Adde Nauarro cum in seipsis experiantur homines commotionem veneream nunc maiorem nunc minorem, nunc insensibilem, & quæ augeatur ex variis circumstantiis, itavt tandem fiat magna & completa potensque semen decidere, necesse est vt prius illa fuerit parua quæ paulatim, & per gradus magna tandem sit.

Quod autem periculosum sit admittere distinctionem illam, id in varios sensus trahi potest. Si veritas quæ liberabit nos, vt ait sermo Euangelicus, est periculosa quanto magis mendacium. Quod autem dicitur talem delectationem esse inchoationem pollutionis, concedendum est de inchoatione remotâ non proximâ, leui non graui, paruâ non magnâ. Sicut primus vini haustus est inchoatio remota ebrietatis, non tamen est peccatum, nec furtum vnius denarij quod est initium maioris furti, peccatum est mortale. Sed & eodem argumento probaretur solam virgæ erectionem, imo solam apprehensionem rei turpis esse peccata mortalia, quia etiam sunt initia pollutionum si vlterius procederent, ad eamque remotè disponunt. Vt omnis qui prope accessit, præmium non consequitur, sic nec supplicium. Peccata mortalia suum habent limitem, quem attigisse necesse sit, vt quis reus illius constituatur. Aliqua ergo esse possunt, quæ peccati mortalis fomes sint, & si eius limen non ingrediantur. Alioqui cùm omnis dispositio soleat ferè aliâ dispositione antecedi, quis erit peccatorum finis?

Quod autem Generalis Aquauiua interdixerit, iustas ob rationes id potuit, & si opinio sit vera, quia non est necesse, vt omnia quæ vera sunt ab omnibus doceantur. Quin & audio nuper in eadem religione Societatis interdictum esse, ne quis doceret licitum esse illam dele-

delectationem admittere, non illi positiuè resistendo, quod est, vt opinor, negatiuè se habere; vt religio ista quæ numerosos paritur aduersarios, qui inter cætera Theologiam quamdam moralem laxissimam illi exprobrant, ita casta sit opere & sermone & in vitâ & doctrinâ, vt nihil illi obiici possit contra castitatem à suis obtrectatoribus.

Etsi vero nos istam viam non sequamur in hoc opusculo, id à nobis exigit eiusdem opusculi institutum, quod est ad instructionem Confessariorum, qui si ista non calleant satis exactè, conscientias turbant scrupulis, & reddunt erroneas nec distingunt, lepram à leprâ, nec appositè respondent ad dubia, & ad interrogata pœnitentium, his de rebus. Quin & pro seipsis anxij sunt, dum non omninò expertes sunt huiusmodi commotionum in auditione rerum turpissimarum: quare debent ista agnoscere, vt sciant quomodo se & alios dirigant.

Fatendum tamen excellentissimam esse praxim doctrinæ istius quæ damnat quamcumque delectationem morosam in rebus venereis, seu illa leuis sit, seu grauis. Et ego noui hominem qui cum serò de his rebus studuisset proximi iuuandi causâ, mane sequenti visus est sibi videre Christum Dominum super iridem, sicut repræsentari solet in statu iudicij in medio duodecim Apostolorum, quorum sex erant ex vtraque parte iridis, cum magno ardore ac multis gestibus exhortantem, auditaque hæc ab ore eius procedere. *Vox mea laudis & perfectionis est initia peccatorum impediri.* Quibus intellexit ille ab istâ delectatione quantum fieri potest homines esse dimouendos, ac vocem hanc Apostolicam sæpius ad eos esse vsurpandam, *ô homo Dei hæc fuge.* Aut illa etiam verba D. Augustini l.4. contra Iulianum cap.21. *Quid sum ego quem desideras vincere? vincat te potius veritas, vt tu libidinem vincas; nam si aduersus eam pugnare destiteris vinceris, vincieris, & ad immunda omnia pertraheris.*

Quare post reiteratam sæpius difficultatis istius expensionem, & si probabiliorem iudico Nauarri sententiam, non ausim tamen improbabilem iudicare aliam quæ negat dari paruitatem materiæ in delectatione morosâ, & mihi scrupulus esset cuiusquam mentem auocare ab illa sententia, ad quam non mediocriter inducit decretum prædicti Generalis sapientissimum: quod si hîc inseram, rem non ingratam pluribus me facturum arbitror. Est autem huius tenoris.

Quia nonnullorum opinio qui docent in re venereâ exiguam aliquam delectationem deliberatè quæsitam propter leuitatem *Decretũ Genera-*

lis aqua viua. leuitatem materiæ excusare á peccato mortali, plurimùm obesse posset non solum bonæ Societatis existimationi, sed etiam puritati morum, quam tum in nostris, tum in externis tanti semper facit Societas, & quia propter periculum in quod inducit, ac moralem impossibilitatem distinguendi practicè in re tam lubrica materiam leuem à graui, à doctis admodùm, grauibusque Societatis Patribus, cum quibus negotium hoc communicauimus, in praxi omninò falsa, maximè periculosa, ac puritati valde contraria iudicatur, re maturè considerata, statuendum in Domino duximus, ne quis in Societate in posterum vel publicè, vel priuatim, non modo vt veram vel probabilem, sed ne vt tolerabilem quidem vlla ratione eam doceat, aut placere sibi significet, aut secundum illam consilium cuiquam det, quod omnibus in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, & sub pœna excommunicationis ac priuationis lecturæ, vocis actiuæ, & passiuæ, necnon etiam inhabilitatis ad quælibet officia, ac aliis pœnis arbitrio nostro infligendis. Et ad professionem tales intelligant se minime esse admittendos, & vbi de re satis constiterit, Prouinciales statim exequi debebunt, nosque primo quoque tempore monere, vt re examinata statuere possimus, an qui rem tanti momenti, atque à nobis tam seriò commendatam neglexerit, retineri in Societate expediat. Atque hæc interim, dum (quod futurum speramus) grauius aliquid in hanc doctrinam à suprema Romana sede statuatur. Volumus etiam vt post manifestationem huius decreti, si quis in posterum aliquem ex nostris contrà supradicta deliquisse nouerit, teneatur in virtute sanctæ obedientiæ superiori aperire. Romæ 24. Aprilis 1612. *Claudius Aquauiua.*

Fuit autem hoc Decretum tantæ authoritatis vt Thomas Sanchez qui *l. 9. de matrimonio disp. 46. num. 7.* excusauerat à mortali quasdam venereas delectationes ratione paruitatis materiæ; id correxerit saltem ex aliqua parte *in summa l. 5. c. 6. num. 9.* docens in illis delectationibus si capiantur ex obiecto graui etiam secluso periculo pollutionis & consensus in aliud obiectum graue non reperiri paruitatem materiæ. Atque hoc esse conformius Decretis Clementis VIII. & Pauli V. qui Inquisitoribus fidei denuntiari iusserunt asserentem in illis (nihil determinando de grauitate vel leuitate) non committi crimen lethale. Quod ponderans prædictus Ioannes Caramuel *in Regulam D. Benedicti disp. 30. n. 1053.* ait illum non propter id dicendum esse retractasse suam opinionem quam tenuit dum libere scripsit præceptó-

que

que Generalis coactum, nulla ratione solidiori ductum, ad contrariam menti suæ amplexandam. Sed hoc diuinare est & velle arcana cordis penetrare. Non nouum est authores scribendo posse proficere ac mutare sententias. Sicut aliud videtur iudici irato, aliud cum mentis est sedatæ: non aliter accidit scriptoribus cum in variis temporibus, varias rerum circumstantias perpendunt. Quidni in nouâ lege fideles Rechabitæ inueniantur? Denique in istis rebus aliqua à desidiosis ac negligentibus iudicabuntur impossibilia, quæ à studiosis & spiritualibus viris probabuntur. Tantum namque, vt ait Cassianus *Collat. 2. cap. 16.* inter hominem distat & hominem, quantum & in illa in quibus eorum animi tendit intentio ab inuicem disparantur, id est vel cœlum ab inferno vel Christus à Belial.

Quæritur sexagesimò tertiò, quæ super decimo præcepto perpendere opus est Confessario.

Auaritia duplex, inquit Caietanus in summula verbo *Auaritia*, vna quæ opponitur iustitiæ, qualis est furtum & fraudulentia, & est peccatum mortale manifestè; alia quæ opponitur liberalitati, vt est tenacium & parcorum in dando, & hæc communiter est peccatum veniale. Vnde, Respondeo examinandum esse, an Pœnitens desiderauit domum officia, status aut res alias ad proximum attinentes, vt viâ illicitâ ea possideret. Etenim peccatum mortale quod contra decimum præceptum committitur, maximè in desiderio habendi bona proximi viâ illicita, purâ fraude, dolo, furto, rapina, aut aliis artibus prohibitis, consistit.

Quod si quis desideraret bona proximi, vt ea possideret via licita, puta iusta emptione, aut liberali donatione proximi, si ita ferrer casus, tunc non est peccatum, vel tantùm veniale, nisi in eo casu in quo bona proximi, ita superarent statum & conditionem desiderantis illa possidere, vt non immeritò censeretur illud desiderium amor immoderatus diuitiarum. Quamuis amor immoderatus diuitiarum non tantum dicatur per respectum ad nimiam quantitatem rei desideratæ: sed etiam per respectum ad nimiam intentionem affectus, vt si quis ita cogitaret assiduè de diuitiis, vt proptereà, rerum aliarum ad salutem necessariarum obliuisceretur, vel ita ardenter & tenaciter eas amaret, vt propter eas paratus esset præceptum aliquod diuinum prætergredi, vt fu-

rari, non restituere, dare ad vsuram, pauperi in extrema necessitate nihil largiri & similia.

Vnde & idem Caietanus 2.2. *q.*118. *art.*1. resoluit semoto immoderato illo pecuniarum amore, vnumquemque posse se ipsum, & suos reducere de operibus seruilibus, & mechanicis ad honaratiorem statum, per moderatas pecunias acquisitas, quare fœlicitatis præsentis vitæ particeps esse possit secundùm suum modulum. Quam quidem fœlicitatem desiderare sibi, & suis rationi non est dissentaneum. Addit ignobiliter natos qui se sentiunt eximij & nobilis animi, si pecunias accumulant ad emendas dignitates & dominia, à rectæ rationis tramite non recedere.

Velle autem pecunias sine fine congregare, mortale est. Quia pecuniæ sunt organa & media ad ea quæ vitæ sunt necessaria, acquirenda: vnde nunquam vult sutor habere infinitas acus, nec faber infinitos martellos, denarij itaque, qui sunt organa ad vitam nostram sustentandam, non sunt appetendi in infinitum, vt bene ait Ægid. Romanus *quodlib.*5. *q.*24. *pag.*558.

Inuidia: Pertinet etiam ad peccata contra hoc decimum præceptum, peccatum inuidiæ, quæ etiam sanctos adussit, quâ quis dolet de bono proximi, quòd illud bonum videatur quodammodo imminuere statum proprium: nam si quis doleat de bono proximi, quòd eo sit indignus, est nemesis, & indignatio quæ aliquando est sine peccato, aliquando tantum veniale. Si verò doleat de bono illo, quòd proximus eo abutatur in malum, vel ne damnum recipiat à proximo, nullum ordinariè est peccatum. Si verò doleat de bono proximi ob eam rationem quod eo careat, non autem quod proximus habeat, vel non est peccatum, vel est tantum veniale, nisi sit aliquod bonum eximium, & improportionatum omnino proprio statui, tunc enim videtur statuendum de eo dolore, ac de amore & desiderio bonorum proximi quæ longè superant statum illius qui ea desiderat.

Porro non omnis inuidia propria peccatum est mortale sed tantum in duobus casibus: primo, cùm aduertit inuidus, sese premi dolore immerito, propter bonum proximi, nec conatur dolorem illum à se repellere, vnde primi motus inuidiæ non sunt peccata mortalia, suntque multis fere naturales, & sine peccato. Secundò cùm inuidia est de bono aliquo notabili: nam inuidia de rebus parui momenti non est mortalis, qualis est illa puerorum, qui sibi inuident poma & nuces.

nuces. Quamuis autem bona temporalia valde modica sint, si cum æternis comparentur, non desinit tamen inuidia hæc esse mortale peccatum, quia etsi parua sint respectu æternorum, sunt tamen in se satis magna, quod sufficit ad peccatum mortale.

Quæritur sexagesimo quarto, de peccatis in Patrem Filium, & Spiritum sanctum.

Putant aliqui non posse peccari in vnam personam diuinam, quin peccetur in alias personas quia habent eamdem bonitatem & essentiam. Hoc tamen verum est tantum si intelligatur quod non peccatur contra vnam personam quin etiam virtualiter contra alteram, propter summam eorum vnionem: hoc tamen non impedit quin possit peccari actualiter contra vnam solam personam, ratio est quia symbolum continet tres articulos distinctos de tribus personis, vnde poterit infidelitas & irreuerentia committi contra vnam personam solam; sicut è contra potest deferri honor vni tantum personæ, sicut facit Ecclesia quæ dirigit orationes ad Patrem & hymnum ad Spiritum sanctum.

Aduertendum tamen cum dicitur peccata fieri in Patrem alia in Filium, alia in Spiritum sanctum, qualia sunt peccata infirmitatis quæ sunt in Patrem, ignorantiæ in Filium & malitiæ in Spiritum sanctum: non dici istud propriè quia singula ex his peccatis sunt in omnes personas simul, sed appropriatè, quia Patri appropriatur potentia, Filio sapientia & Spiritui sancto bonitas: vnde peccatum quod est in voluntate non præcedente magna perturbatione aut passione, aut ignorantia dicitur peccatum ex malitia contra Spiritum sanctum.

Assignantur autem sex modi aut species huius peccati in Spiritum sanctum desperatio, præsumptio, impugnatio veritatis agnitæ, inuidentia fraternæ gratiæ, impœnitentia finalis, & obstinatio; ad quorum euidentiorem notitiam sciendum est attribui maximè Spiritui sancto auxilia gratiæ præuenientis quibus peccatores ad pœnitendum mouet: nam in hoc maximè elucescit bonitas Dei cum auersos à se & dignos pœna æterna reconciliare satagit. Auxilia autem illa in sex effectibus aut actionibus maximè cōsistunt, quibus per sex illos modos contradicit peccator resistens Spiritui sancto, sicut Act. dicebat de Iudæis D. Stephanus, *Vos semper Spiritui sancto resistitis*. Act. 7. *Sex modis resistitur Sp sancto.*

Ac 1. spem inijcit de misericordia consequenda, & huic

motioni resistis peccator per desperationem cum putat se non posse dignè pœnitere pro grauitate peccati, exemplo Caïn dicentis Genes. *Maior est iniquitas mea vt veniam merear*, quod fuit etiam peccatum Iudæ. Si autem discrederet quis possibilitatem remissionis, esset infidelitas.

Secundo incutit timorem de diuina iustitia, cui resistit peccator si contra præsumat de diuina misericordia, quasi sine operibus iustitiæ illum saluare debeat.

Tertio illuminat intellectum de veritatibus fidei & morum, quas si ex malitia & electione impugnat peccator non acquiescendo, committit peccatum quod dicitur *impugnatio veritatis agnitæ*.

Quarto mouet Deus ad desiderandum salutem omnium, vt etiam propriam salutem desideret peccator. Si verò tanta est malitia in aliquo vt displiceat ipsi gratiam Dei in pluribus inueniri, cum velit plures damnari, committitur peccatum dictum, *inuidentia fraternæ gratiæ*.

Quinto prouocat ad dolorem & detestationem rei quæ est contra reuerentiam Deo debitam. Cui opponitur *finalis impœnitentia*, quæ non in eo sita est, vt quis moriatur de facto impœnitens, sed quia proponit numquam pœnitere, vt potius damnari quam restituere, hostibus reconciliari, dimittere occasiones proximas peccati, &c.

Sexto tangit cor hominis vt proponat in futuro peccatum non reiterare, respuatque delectationes transitorias quæ auferant æternas. Contra quod est *obstinatio in peccato*, quæ est propositum firmum non priuandi se transitoriis delectationibus illicitis sed iis adhærendi.

Sunt igitur sex modi seu species gratiæ præuenientis per sex meatus quibus emanat nobis aqua Spir. sancti ab illo magno torrente Dominicæ Passionis ait Bretus *in 2. sent. dist. 43*.

Totidemque sunt modi quibus resistit peccator & maximè actui diuini amoris se opponit in vacuum gratiam Dei accipiens. In quibus habet Confessarius quid in plerisque pœnitentibus diligenter perpendat. Ex quibus etiam patet decipi eos qui ponunt in eo peccatum in Spir. sanctum, quod quis peccet cum proposito pœnitendi, cum per oppositum committatur.

Quam graue autem sit resistere gratiæ Spir. sancti rhetorica excursione pluribus exaggerat Vuestonus in *Coruscationibus Euangelij*.

Quaeritur

Quæritur sexagesimo quinto, de examine eorum qui prævaricati sunt contra leges superiorum seu ij Ecclesiastici fuerint seu ciuiles & politici.

Supponendum est contra Gersonis opinionem minimè admittendam *de vita spirituali lect.* 4. leges Ecclesiasticas & ciuiles etiam quâ tales sunt, licet non sint aliunde per legem diuinam aut naturalem latæ obligare non posse ad culpam mortalem, contra D. Thomam. 1. 2. *quæst.* 69. *art.* 5. Namque est euidens doctrina D. Pauli. ad Rom. 13. *quæ autem à Deo sunt ordinata sunt: itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, Qui autem resistunt sibi damnationem acquirunt.* Accedit ratio quod præceptum Patris potest obligare ad quidpiam faciendum sub pœna mortis æternæ; at imperium principis supra subditos maius est imperio Patris supra Filios: illud enim bonum magis commune respicit, bonum scilicet regni aut ciuitatis, hoc bonum magis particulare: totum autem est excellentius parte. Vnde si pugnantia præciperent, potius principi quam patri obediendum esset.

Supponendum rursus triplicem distingui posse legem humanam, quoad præsens institutum pertinet, moralem, purè pœnalem, & mixtam. Moralis est quæ absolutè mores respicit præcipiendo aliquid vt fiat vel non fiat: purè pœnalis quæ nihil præcipiendo vel prohibendo pœnam statuit aliquid facienti vel non facienti. Mixta est quæ præcipit vel prohibet aliquid, adiungendo insuper pœnam præuaricatori. Vt si lex iubeat ire per aliquam viam & non eunti hanc aut illam mulctam imponat. *Lex triplex.*

His præsuppositis dubitatur primo an reus sit peccati mortalis quisquis legem moralem transgressus est sciens & volens. Respondetur perspiciendum esse quibus verbis expressæ sint leges, & circa quam materiam grauem vel leuem versentur.

Quoad primum docet Nauarrus *in manuali c.* 23. *num.* 9. non obligare ad mortale leges etiam canonicas quæ non habent verba præceptiua vel prohibitiua, sed solum ordinatiua vel constitutiua, etiamsi sint imperatiui modi, qualia sunt illa *facite*, vel *faciant*, *dicant* & similia & licet eos leges quæ habent verba præceptiua vel prohibitiua expresè obligent ad culpam, tamen quia ista verba sunt generalia & tam apta ad inducendam obligationem ad culpam venialem quam ad mortalem, in dubio potius intelligenda erunt obligare ad venialem quam ad mortalem. Lex enim humana non est maioris potestatis quã diuina naturalis, quæ non semper obligat

ad mortale, vt patet in lege de non mentiendo: idcirco aliunde quam ex verbis præceptiuis aut prohibitiuis, dignoscenda erit obligatio ad mortale vel veniale peccatum, vnde.

Quoad secundum; talis lex humana præceptiua vel prohibitiua dicenda erit obligare ad mortale quando est circa materiam talem quæ grauis censeatur & talis vt præbeat sufficientem causam illam præcipienti, vt obliget ad mortale, multum enim est à ratione naturali alienum vt in politia spirituali obligentur homines pro re leuissima ad pœnam æternam, cum lex humana non possit in politia sæculari pro quacumque re leui obligare ad mortem corporalem. Nec legislator potest sine causa ex ratione quoduis præcipere sub qualibet pœna, cum id tyrannum saperet. Vnus infert Rada Episcopus Pactensis in 2. sent. *controuersia* 20. *art.*3. magnam esse illorum Prælatorum ignorantiam, præsertim religiosorũ, qui putant se posse subditos propter silentij violationem aut tardiorem ad missam accessum, aut lactucæ manducationem ad mortale peccatum obligare: nisi tales essent circumstantiæ, vt puta scandalum, quod merito posset Prælatus res illas leues ex se sub pœnâ mortalis præcipere: & tamen in isto casu si scandalum cesset & totalis causa legis, iam ipsa lex sine reuocatione Prælati desineret obligare. Vt si prohibuisset accessum ad aliquam domum causa scandali, cessante scandalo, licitus fieret huiusmodi accessus.

Leges religiosæ.

Quid vero si lex pœnam imponat transgressori, an vacabit culpa qui illam violabit, modo pœnam subeat. Quidam sine distinctione eximunt à peccato transgressores legis quæ pœnam imponit. Sed minimè tuta est ista via, & resolutiones sic generaliter expressæ errore non vacant: ideo perpendendum erit an lex sit merè pœnalis vel mixta. In primo enim casu valde est probabile non obligare ad mortale, quia tunc legislator nihil præcipit aut prohibet sed tantum pœnam decernit facienti hoc aut illud, vel omittenti: in secundo vero præcipit aut prohibet & idcirco debetur illi obedientia.

Nec obstat quod sit eius intentio satis expressa in lege purè pœnali quod illud fiat: quia etsi intendat rem fieri vel non fieri, non tamen exprimit se obligare vt fiat vel non fiat. Duo enim illa valde distinguenda sunt intendere vt res fiat vel non fiat: & intendere obligare sub pœna peccati, vt fiat vel non fiat: ad hoc enim vltimum requiritur publicatio legis cum verbis huiusmodi, quæ significent obligationem ad culpam. Quid si enim voluerit legislator, vt per solum

timorem

timorem pœnæ inducantur subditi ad seruandam legem? cuiusmodi sunt leges contentæ in statutis Dominicanorum aut FF. Minorum.

Quid si pœnitens legem humanam violauit ad vitandum aliquod incommodum in sanitate aut in bonis fortunæ; vel ad vitandam mortem? Quidam enim putant cum graui aliquo incommodo leges humanas non posse conscientias ligare, lex enim humana debet esse proportionata infirmitati humanæ. Ad hoc, considerandum est primo aliqua esse prohibita quia ex se mala sunt, vt homicidium, furtum, atque in his non potest excusari homo propter incommoda, cum potius mortem subire debeat quam has leges de istis violare:alia vero tantum mala sunt quia prohibita, atque in his datur locus aliquis Epieicheiæ, quia cum tanto incōmodo non intelligitur legislator leges suas statuisse, vt cum ex ieiunio aliquis infirmatur, ex obseruatione diei festi in egestatem incidit, sed hæc in particularibus casibus melius definiri poterunt, cum regula generalis vix dari possit. Nihilominus si ageretur de defensione fidei obligarent tales leges:& quando legislator præuidit tale incommodum aut periculum mortis,legemque tulit intuitu boni publici pro quo bonum particularium contemnit, vt cum tempore pestis Episcopus præcipit Parochis residentiam:aut Dux præcipit militibus vt aggrediantur hostem,vel insultum in muros ciuitatis obsessæ faciant,in huiusmodi enim pars pro salute totius exponitur& lex obligat ad sui ipsius obseruationem.

Sed grauior restat difficultas an qui violauit legem pœnalem,seu purè pœnalem, seu mixtam teneatur pœnam subire ante Iudicis condemnationem & sententiam ab eo latam.v.g. an hæreticus teneatur bona sua fisco tradere; homicida patrui cuius hæreditatem adeptus est, renuntiare hæreditati. Symoniacus in beneficio illud cedere, nemine cogente. Hæc enim quæstio plurimas easque grauissimas inuoluit difficultates.

Communior autem est sententia quam tuetur Caietanus in Commentariis *ad secundam secundæ. D.Thomæ,quæst.62. art.3.* Pœnam statutam in lege esse duplicem, vnam cuius exequutio nullam actionem requirit vt sunt pœnæ censurarum irregularitatum: & huiusmodi pœnæ sententiam Iudicis non requirunt: aliæ sunt quæ actionem aliquam requirunt, vt cum pœna imponitur mutilatio, solutio, incarceratio: hæ autem non obligant in conscientia ante sententiam Iudicis. Hanc autem sententiam refellit Alphonsus à *Exequutio pœnæ.*

Castro *de lege pœnali lib.2. c. 5.* Vbi accuratè quæstionem hanc per plura capita discutit, profertque multa exempla legum pœnalium quæ sine Iudicis sententia obligant in conscientia: refellit autem Caietanum ex eo quod mori fame,& manere semper in carcere nullam requirunt actionem:ad quæ tamen nullus posset cogi per sententiam Iudicis vt ea ex se in conscientia subiret.

In perplexâ ista quæstione vix posset regula certa statui quæ excluderet omnes casus sine exceptione. Quod probabilius dici aut cogitari potest, illud est primò quod pœnæ quæ est priuatio bonorum illorum quorum proprietas est veluti Ecclesiæ,possunt imponi violatoribus legis absque eo quod necesse sit alia Iudicis condemnatio: quo pacto excommunicationes priuationesque beneficiorum ac fructuum incurruntur in conscientiâ per eos qui legem violant absque vlteriori Iudicis condemnatione. Secundò pœnæ illæ quæ difficiliores sunt,itaut vix sperari posset homines velle illas ordinariè in seipsis cum suo magno incommodo exequi, non obligant in conscientiâ violatores legum quibus impositæ absque aliqua Iudicis sententia: talis videtur pœna mutilationis, priuationis omnium bonorum & similes aliæ: quia cum lex debeat esse non nimis aspera sed accommodata aliquo modo infirmitati humanæ: & durius esset quod aliquis illa contra se liberè exequeretur, æqua non esset lex,quæ ad tam difficilia adigeret hominum conscientias: esset magis in laqueum animarum lex talis quæ transgressorem suum ad sic in seipsum quodammodo sæuiendum obligaret.

Quid si pœnitens se accuset quod Prælatum contempserit;examinanda erit ratio,& modus contemptus. Sunt enim aliqui Prælati qui quatenus tales personæ sunt, possunt contemni à subditis parum æstimando illos & malè de illis sentiendo,cum eorum ignorantia & malitia fuerit sufficienter manifesta: neque enim quis tenetur falsa pro veris sentire. Quâ ratione Scotus in 4. *sent. dist. 3. quæst. 4.* Ait licere præceptum Superioris contemnere, iudicando illud malum & contra rationem, cum id satis euidens & notum fuerit, quia nullus tenetur rem aliter credere quam est: & constat multorum Prælatorum præcepta esse iniusta; non licebit tamen Prælatum talem contemnere illi indignando aut conuitiis afficiendo, iuxta dictum Christi, Matth. 5. *Omnis qui irascitur fratri suo*, &c. Ita idem Alphonsus lib. 1. *de lege pœnali* cap.5.

Quæritur trigesimo sexto,de examine peccati superbiæ.

Difficul

Difficultas prima circa hoc quæsitum, consistit in discernendo peccato superbiæ à quibusdam aliis illi affinibus. Discernitur autem per propriam definitionem quæ talis est. Superbia est *inordinatus amor propriæ excellentiæ contemptiuus aliorum.* Quæ vltima particula est veluti caracter superbiæ, est enim amor inordinatus propriæ excellentiæ in præsumptuoso circa administrationes, in ambitioso circa honores, in vano circa gloriam: sed superbus hoc habet sibi proprium quod contemptor est aliorum, contemnit enim superioritatem in superioribus, æqualitatem in æqualibus, inferioritatem in inferioribus. Et ad hoc eum inclinat superbia. Quod non facit præsumptio aut vana gloria. Nam superbus pro opinione suæ excellentiæ despicit alios ac sibi nititur subiicere: itaut sicut per dignitates honorabiles ac potentatum quis acquirit sibi ius prælationis super alios & ab aliquorum aliorum subiectione substrahitur: ita per opinionem quam superbus habet de sua excellentia à subiectione eorum quibus vel de iure vel ex morali honestate subditus est se substrahit, & alios multos qui nec iure nec ex morali honestate propter minorem excellentiam sibi subditi sunt, subiicere sibi nititur. Vnde est contraria charitati & de genere suo peccatum mortale est. Quæ omnia luculenter explicantur à Doctore Martino de Magistris in tractatu *de fortitudine.* *Definitio superbiæ.*

Quia vero multa dubia solent virtutis studiosos turbare, an peccauerint grauiter per superbiam & per defectum humilitatis, quæ superbiæ opposita est, iuuat ex eodem authore aliquas conclusiones ad tollendos scrupulos excipere. folio 51. eiusdem tractatus & sequentibus.

Quæritur secundo, inquit, vtrum homo debeat se omnibus subiicere per humilitatem.

Arguetur quod sic per illud ad Philip. 2. *in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes.* In oppositum arguitur nulla virtus inclinat ad id quod est contra rectam rationem, sed contra rectam rationem est quod quis se cuilibet subiiciat.

Notandum est pro quæstione quod aliquis potest se subiicere alicui quadrupliciter, vno modo per obedientiæ promptitudinem: secundo modo per appreciationem; tertio modo per actualem exhibitionem signorum exteriorum subiectionis; quarto modo per arduæ dignitatis vel administrationis susceptionem.

Tunc sit prima conclusio. Non inclinat humilitas habentem ipsam vt, vnicuique se subiiciat per obedientiæ

promptitudinem. Probatur:non quilibet habet auctoritatem, nec etiam facultatem vere præcipiendi aut hortandi siue admonendi respectu verè humilis, vt patet de simplicibus personis respectu eruditorum virorum: ergo humilitas istius viri eruditi non inclinat ipsum ad hoc quod cuilibet se per obedientiam subiiciat.

Secunda Conclusio, vera humilitas inclinat habentem, vt cuilibet recte admonenti, sese per obedientiæ promptitudinem submittat. Probatur per auctoritatem Apostoli ante oppositum adductam. Secundo vera humilitas inclinat ad amplectendum & non contemnendum id quod secundum rectam rationem contemnendum non est, sed rectè admonens secundum rectam rationem non est contemnendus sed per obedientiæ obsequium amplectendus.

Tertia Conclusio, Non inclinat vera humilitas habentem eam vt vnicuique simpliciter se subiiciat per appreciationem & æstimationem. Probatur. vera appretiatio sumenda est secundum comparationem bonorum ad bona & malorum ad mala siue defectuum ad defectus. Sed potest verè humilis se comparare ad aliquem, quem patenter & latè excedit in bonis & à quo patenter & verè exceditur in malis & defectibus: ergo non inclinatur ex humilitate sua ad minus appreciandum se quam illum.

Secundo autem potest verè humilis in aliquo se magis appreciari quam alium aut in nullo. Non est dicendum quod in nullo quia constat quod humilis Theologus secundum rectam rationem magis debet appreciari se in scientia Theologica & plus æstimare de se quam de simplici vetula, aut verè omnino inerudito, alias præsumeret si assumeret officium prædicandi, cum non vnumquemque magis deberet æstimare posse melius exercere officium illud quam se. Si in aliquo: ergo, qua ratione in vno, eadem ratione & in tribus, & in quatuor, & in pluribus, & qua ratione in bonis eadem ratione & in malis & defectibus, & per conueniens simpliciter potest plus æstimare de se quam de Petro vel Ioanne. Et hæc est sententia expressa B. Thomæ dicentis, non autem hoc humilitas requirit, vt aliquis id quod est Dei in seipso subiiciat ei quod apparet esse Dei in altero, hoc est non exigit humilitas vt illa bona quæ habet à Deo æstimet minora quam bona quæ alius habere videtur à Deo. Sed sine præiudicio humilitatis dona quæ ipsi acceperunt à Deo possunt præferre donis quæ alij acceperunt à Deo: nam illi qui dona, Dei participant cognoscunt ea se habere à Deo, secundum illud primæ ad Corinth.

Corinth. 2. *Vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Et de defectibus subiungit idem Doctor, similiter etiam non hoc requirit vt aliquis id quod est suum, id est, defectus suos subiiciat ei quod est proximi, id est defectibus proximi: subiiciuntur autem defectus nostri defectibus aliorum, quando existimamus defectus nostros esse maiores defectibus proximiorum, & probat, alioqui oporteret quod humilis se reputaret maiorem peccatorem quolibet alio.

Quarta conclusio. Humilitas vera habentem inclinat vt defectus suos subiiciat per appreciationem siuè magis per detestationem bonis laudabilibus quæ verisimiliter æstimat esse in alio. Probatur quia verè humilis omnia quæ faciunt ad dignitatem & contemptum hominis verè dignificat & contemnit, sed secundum veritatem mala & defectus in quocumque sint, sunt vituperanda, bona verò sunt appreciãda & laudanda: ergo vera humilitas inclinat habentem ad hoc quod defectus proprios detestetur & bona aliorum laudet & apprecietur.

Humilis verè indicat.

Quinta conclusio. Vera humilitas interdum inclinat habentem vt aliquos de defectibus suis subiiciat defectibus aliorum & alios non subiiciat. Probatur quia secundum rei veritatem aliquando contingit, quod vnus aut duo defectus qui sunt in viro humili sunt aliquibus defectibus qui sunt in alio multo maiores & aliquibus aliis notabiliter minores, sed & secundum quod dictum est verè humilis, verè iudicat quantum possibile est. Igitur.

Sexta conclusio. Verè humilis secundum inclinationem suæ humilitatis aliquando se subiicit per appreciationem & detestationem ei qui minor est & magis defectuosus. Probo & pono quod sit aliquis hypocrita qui habeat signa multum euidentia multarum virtutum & nulla aut paucissima indicia vitiorum & defectuum. Tunc arguitur sic, iste humilis iudicat de bonis & malis alienis secundum signa quæ exterius apparent, sed huiusmodi signa probabiliter multum demonstrant illum habere multo plura & maiora bona quam iste habeat & multo pauciores defectus: ergo plus debet eum appreciari quam se, quamuis secundum veritatem non sit magis appreciandus. Et hoc argumentum est efficacius si addatur casui, cum non habeatur aliqua coniectura, nec suspicio de falsitate illorum signorum exteriorum,

2. Vera Iustitia inclinat vt eum æstimemus bonum quem nescimus probabiliter esse malum, & vt facta proximiorum in

in meliorem partem interpretemur, ergo etiam vera humilitas inclinat vt eum magis, appreciemur, & nobis ipsis preferamus quem signa exteriora indicant & arguunt esse meliorem.

3. Ad hoc quod humilis magis apprecietur alterum quam se, aut requiritur quod ille alter secundum rei veritatem sit eo melior aut sufficit quod secundum signa exteriora quæ non sunt suspecta falsitatis appareat melior, si secundum habetur intentum cum aliquis frequenter appareat talis qui secundum rei veritatem non est talis. Nec potest dici primum, quia non possumus scire de aliis à nobis qui sunt boni vel mali nisi per signa exteriora bonitatis & malitiæ interioris quæ possunt esse falsa.

Septima conclusio, vere humilis secundum inclinationem sui habitus non se omnibus secundum appreciationem subiicit qui sunt eo secundum rei veritatem meliores. Probatur sicut præcedens, quia contingit frequenter quod aliquis habens excellentem bonitatem nullis signis exterioribus eam manifestat. 2. quia contingit aliquando quod multas imperfectiones signis manifestat exterioribus sicut legimus de quibusdam sapientibus viris qui simulauerunt insaniam, & de quibusdam doctis qui ad tempus simulauerunt ignorantiam, secundum illud Catonis, stultitiam simulare loco summæ prudentiæ est.

Octaua conclusio, licet vera humilitas exigat vt habens eam cuilibet alteri se subiiciat in ea re in qua se inferiorem eo iudicat non tamen exigit vt in qualibet alia se subiiciat. Probatur quia vt dictum est, potest aliquis esse inferior altero in vno, & superior eo in alio. Puta Abbas est aliquo religiosorum suorum inferior in cognitione sacrarum litterarum, & quo tamen est superior auctoritate & dignitate, & ideo licet per veram humilitatem Abbas debeat se subijcere illi; id est, minus de se existimare quantum ad cognitionem sacratum litterarum, non tamen quantum ad auctoritatem regendi & administrandi, sed sine præiudicio suæ humilitatis se potest illi præferre in ea re in qua eum excellit.

Nona conclusio. Vera humilitas inclinat habentem eam vt exhibeat signa inferioritatis & subiectionis congrua & conuenientia rei in qua se inferiorem cognoscit illi quem in tali re inferiorem iudicat, nisi ex hac signorum exhibitione alienæ salutis periculum verisimiliter timeatur. Probatur quia omnis magnanimus vere glorificat & virtutem alterius declarat & manifestat; sed non potest manifestare perfectionem

ctionem & virtutem alterius nisi per signa exteriora, igitur cum verè humilis sit verè magnanimus, sequitur quod verè humilis inclinatur per habitum suum exhibere signa exteriora ei à quo exceditur.

Dicitur autem in ista conclusione signa conuenientia illi rei in qua alius excellit, quia hominibus secundum diuersitates excellentiæ diuersa signa honoris exhibemus, vt dignitati & auctoritati primam vel secundam sedem, scientiæ audiendi promptitudinem vel gradum conuenientem. Nec exigit humilitas quod propter vnam excellentiam tribuatur signum alterius, quamuis tamen aliqua signa sint communia, quæ indifferenter pro diuersis excellentiis tribuuntur.

Dicitur præterea in conclusione nisi ex hac signorum exhibitione, &c. Quia si ex tali exhibitione signorum verisimiliter timeretur periculum alienæ salutis, quod tamen non timeretur non exhibendo talia signa, tunc verè humilis potius cessare debet ab huiusmodi signorum exhibitione quam ea exhibere, ac si verisimiliter timeretur quod propter hanc exhibitionem signorum ille cui exhiberentur, moueretur ad superbiam & fastum, & ad contemptum exhibentis vel aliorum, & hæc est humilitas quam nimiam appellat Augustinus in regula sua cum ait. *Nedum nimium seruatur humilitas regendi frangatur auctoritas.* Posset etiam ex hoc contingere quod huiusmodi exhibens contemneretur non solum ab eo cui exhibet huiusmodi signa, sed etiam ab aliis quibus prodesse ad salutem solet, qui per talia signa intelligentes Prælatum suum quem putabant doctissimum ab alio quem parum doctum putant superatum esse, mouebuntur ad minus æstimandum de Prælato suo, & ad contemnendum prædicationes suas aut eas surdioribus auribus recipiendum, & tunc in istis casibus sufficeret quod apud se subijceret alteri eum magis appreciando, & non oporteret quod appreciationem suam interiorem signis exterioribus exprimeret, & hæc est intentio beati Thomæ dicentis *quæst.* 161. *art.* 3 *in resp. ad* 3. quod humilitas sicut & cæteræ virtutes in anima consistit, & ideo potest homo secundum interiorem actum animæ alteri se subijcere sine hoc quod occasionem habeat alicuius quod pertineat ad detrimentum suæ salutis. Addit si tamen aliquis quod debet faciat & alij ex hoc occasionem sumant peccati, non imputatur humiliter agenti quia ille non scandalisat quamuis alij scandalisentur.

Decima

Decima conclusio, vera humilitas non inclinat habentem vt quemlibet alium in rerum arduarum ac difficilium administratione aut honorabilium graduum adeptione sibi præferat. Probatur quia verè humilis cognoscit multos alios à se indignos esse tali administratione aut gradu & iudicat, quod si tali indigno esset commissa tam grauis administratio vel animarum vel aliquarum rerum publicarum, salus Reipublicæ in grauia dispendia vocaretur, ergo secundum iudicium rectæ rationis non debet eos sibi in talibus præferre.

Vndecima conclusio, vera humilitas exigit vt habens ipsam quemlibet alium quem scit superiorem se in illis rebus & perfectionibus quæ ad gerendam administrationem illam requiruntur sibi præferat per appreciationem, non tamen per dignitatis vel administrationis gestionem & assecutionem, hoc est non tenetur facere vel niti quod alius adipiscatur & non ipse.

Prima pars est nota, & secunda probatur in casu in quo vtrique eorum sufficeret ad gerendam huiusmodi administrationem, non enim tenetur verè humilis semper eniti vt sufficientissimus omnium gerendæ administrationi præferatur. Vbi autem vnus sic excederet quod sufficeret ad gerendam administrationem; alius verò non sufficeret, tunc vera humilitas exigeret vt in dignitatis vel administrationis adeptione alium sibi præferret.

Obligatio humilis in dubiis.

Duodecima conclusio. Vera humilitas exigit vt habens ipsam vnicuique sibi cognito quoad perfectiones vel imperfectiones, vel quoad vtrumque de quo tamen probabiliter dubitat, an simpliciter excedat eum aut excellatur ab eo, se subiiciat per appreciationem & æstimationem, & per signa exteriora hanc appreciationem indicantia nisi casus suprapositus impediat.

Probatur quia vera humilitas hoc exigit vt de bonis nostris parciùs, de malis vero latiùs quàm fieri possit iudicemus, ita quod si quæ bona videamur habere antequam iudicemus ita esse, discurramus an habeant integritatem omnium circumstantiarum vel omnium conditionum ad talia bona requisitarum, & si quæ mala sint in nobis, aut esse videantur de quorum quantitate non sumus omnino certi, vera humilitas exigit vt dubitemus ea esse multo maiora quam putamus & nos nondum considerasse aliquas circunstantias, vel conditiones propter quas maiora redduntur, imo etiam debemus dubitare esse in nobis nonnullos defectus quos nondũ aduertimus, debemus etiam facta nostra in deteriorem partem

tem

tem semper interpretari. Et contra autem circa bona aliorum nos habere debemus, nam si apprehendamus aliqua bona in proximo debemus æstimare posse esse in eo multa alia quæ sunt occulta & ignota nobis. Etsi appareant aliqui defectus, debemus æstimare posse vel esse eos non esse vel tantos, vel tã multos quanti vel quam multi signis exterioribus esse ostenduntur, & facta aliorum & maxima dubia in meliorem partem interpretari, ergo vera humilitas exigit vt in talibus nos modis dictos subiiciamus.

Decima tertia conclusio. Cum probabilitet æstimamus alium pro bonis quæ in eo sunt aliquam honestam administrationem posse bene gerere & de nobis ne id facere possimus, formidamus, nos illi alteri quoad administrationis susceptionem subiicere ex vera humilitate debemus. *Obligatio humilis in duobus.*

Probatur quia non est consenraneum rationi humilitatis quod quis se dignificet honoribus quibus nescit se esse dignum, quia per hunc modum posset se dignificare honoribus quibus secundum rei veritatem non esset dignus, & tunc in Caimorem non in magnanimitatem laberetur, & ad hunc sensum & etiam ad sensum præcedentis conclusionis maximè intelligitur illud Apostoli Philipp. 2. *Superiores inuicem arbitrantes*, vbi glossa, non hoc ita debemus æstimare vt nos æstimare fingamus, sed verè æstimemus esse posse aliquid occultum in alio quo nobis superior sit, si bonum nostrum, quo illo videmur superiores esse non sit occultum.

Contra prædictas conclusiones arguitur, & primo contra conclusionem primam arguitur auctoritate Apostoli ad Philipp. 2. *in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes*. Secundo nullus est in quo non sit possibile esse aliquod occultum bonum excellentius bono quod est in nobis: Ergo nullus est quem nobis præferre non debeamus. Tertio arguitur per illud 1. Petr. 2. *Subiecti estote omnis creaturæ humanæ propter Deum.*

Ad primam respondeo quod Apostolus mouet eos ad hoc quod alter alterum superiorem arbitretur inter quos non est certa & notabilis differentia excellentiæ, & qui pro excellentiæ paritate vel secundum veritatem, vel secundum communem hominum æstimationem possunt de primitate & grauium ac arduarum rerum administratione contendere, tales enim decet vt alter alterum sibi præponat secundum quod dictum est in xij. & xiij. conclusionibus.

Ad secundam dico quod dupliciter potest contingere quod sit aliquid occultum in aliquo: vno modo sine probabili-

non ſemper in tali caſu humilitas inclinat ad magis appreciandum proximum quam nos ipſos & patet conuenientia, ponatur quod in rei veritate proximus ſit nobis inferior; tunc ſic per inclinationem humilitatis meæ dico ego, iſte eſt melior vel præſtantior me vel aliud ſignum facio id ipſum ſignificans vel in mente habeo conceptionem mentalem ſignificans illum eſſe meliorem, ſed hæc omnia ſunt falſa; ergo humilitas inclinat ad falſum. 3. omnis actus bonus moraliter eſt directus à prudentia & ſibi conformis, ſed iſte actus non eſt directus à prudentia ſed potius ab errore, ergo non eſt bonus moraliter & per conſequens non eſt actus humilitatis.

Ad primam concedo antecedens & nego conſequentiam, quia cum maiori dilectione noſtri fiat maior appreciatio proximi vt conſtat, imo ex maiore dilectione noſtri potius contingit, quam nos minus appretiemur in cauſa dictæ concluſionis.

Ad ſecundam dico quod virtus intellectualis quia eſt circa verum non inclinat ad falſum; ſed virtus moralis eſt circa bonum & non circa verum, ideo non eſt inconueniens, quod inclinet interdum ad falſum: iuſtitia enim inclinat interdum ad ferendam ſententiam falſam, quia inclinat ad ferendum eam ſecundum allegata & prolata, quæ aliquando ſunt falſa & ſimiliter ipſa inclinat ad interpretandum in melius facta proximorum quæ dubia ſunt, & tamen multoties contingit quod illa interpretatio eſt falſa. Et liberalitas interdum ad dandum eleemoſynam huic quia pauper & tamen contingit aliquando quod ille ſecundum rei veritatem non ſit pauper, & eodem modo de humilitate dicimus.

Sed ad iſta forte dicetur quod licet iſta ſit falſa, iſte eſt melior; iſta tamen eſt vera, æſtimo iſtum meliorem, hoc autem ſecundum eſt actus humilitatis. Contra benè, ſequitur ego æſtimo eum meliorem; ergo in me eſt aliqua opinio qua ego opinor vel æſtimo eum meliorem; aut ergo illa opinio eſt vera vel falſa, ſi vera hoc eſt contra caſum; ſi falſa habetur intentum, ille enim qui dicit, credo Chriſtum natum de Virgine habet duos actus vnum directum cadentem ſuper illud obiectum quod eſt Chriſtum natum eſſe de Virgine, & alium reflexum cadentem ſuper primum actum & poteſt eſſe ſecundus actus verus extenſo verbo credendi primo non exiſtente vero.

At tertiam concedo maiorem & nego minorem, dico enim quod humilitas in caſu prædicto habet iſtum ſyllogiſmum prudentialem, cuius præmiſſæ ſunt veræ & ſimi-

liter conclusio, omnis proximus quem verisimiliter dubito esse meliorem me est à me plus appreciandus, sed iste proximus est talis : ergo ipse est à me pl is appreciandus: præmissæ enim huius syllogismi sunt veræ & conclusio etiam est vera & actus sequens est conclusio similiter huius prudentialis conformitatis.

Etsi dicatur ex veris nunquam potest sequi nisi verum, sed æstimatio sequens quæ est actus humilitatis est falsa:ergo conclusio illius similiter est falsa. Respondetur quod ex aliquo sequitur aliquid dupliciter:vno modo illatiuè & sic concedo maiorem;& nego quod actus ille sequatur ex præmissis illis vel ex conclusione illatiuè:alio modo causaliter & effectiuè,& sic ego nego maiorem & dico quod dictamen verum potest esse causa effectiua partialis alicuius opinionis falsæ, quod contingit in casu de quo est quæstio.

Ex his ita fusè explicatis intelligi potest ad dignoscendam superbiam alicuius examinandum esse contemptum quem de aliis habuit : nec temerariè iudicandum esse quempiam peccare contra humilitatem quotiescumque se aliis præfert in veritate, quam non destruit humilitatis virtus, sed ponderandas esse rationes:ex quibus agnosci poterit quosdam non necessarias accusationes de defectu humilitatis instituere ac sæpius ingeminare ipsas.

Multa porro ex his conclusionibus confirmat Nicolaus Abramus l.3. *de mendacio & veritate, num.* 4. *& sequent.* Vbi & ostendit S. Xauerium potuisse sine humilitatis dispendio B. Borgiæ tum castitati, tum continentiæ suam virginitatem anteferre, quia secundum D.Thomam 2. 2. q. 61. art. 3. Non hoc requirit humilitas, vt aliquis, id quod est suum in seipso subiiciat ei quod hominis in proximo ; alioquin oporteret, vt quilibet reputaret se maiorem peccatorem quolibet alio, cum tamen Apostolus absque præiudicio humilitatis dicat: *nos natura Iudæi & non ex gentibus peccatores.*

Ostendit etiam potuisse D. Petrum se Iuda deteriorem arbitrari ex animi demissione absque eo quod falleretur aut mentiretur. Vnde enim scit Petrus an Iudas interiore mentis affectu qui soli Deo cognitus est iam emerserit à peccato. Et vbi abundauerat delictum ibi superabundet & gratia : ipse autem adhuc hæreat in eodem luto, neque peccati sordes absterserit aut abstersurus sit aliquando. Multas insuper probabiles rationes suggerit charitas ad excusandam atrocitatem peccati Iudæ,multas humilitas quibus proprium scelus quis possit exaggerare. Et ad aptam in huiusmodi comparationem necesse

necesse est vt optimum cum optimo & pessimum cum pessimo, tam in virtutibus quam in vitiis conferatur, & subductis omnibus summa fiat earum rationum quibus alter alterum antecellit. Quæ nos spiritualibus viris magis perpendenda relinquimus.

Quæritur sexagesimo septimo, quid examinare debeat Confessarius in peccato gulæ, & circa ieiunij præceptum.

Respondetur debere examinare in nimiâ comestione aut compotatione, an fuerit facta cum notabili damno sanitatis tam corporis quàm mentis; est enim peccatum mortale notabile detrimentum sibi inferre, tam in comestione quam in potatione. Vnde comedere noxia ex appetitu gastrimargiæ, aut in tanta quantitate ex quâ morbus contrahatur, peccatum est mortale, item potare vsque ad priuationem rationis, si fiat cum aduertentiâ, est etiam peccatum mortale. Quod intelligitur de priuatione totali rationis. Si enim tantùm turbetur ratio aut phantasia, vt cùm domus videtur gyrari & huiusmodi, peccatum est veniale grauissimum & prope mortale, vt asserit Caietanus verbo *ebrietas* in Summulâ, omnia etiam peccata commissa ex ebrietate si præuideri potuerint, vt quia ebrius aliàs talia solebat perpetrare, imputantur ad culpam, sicut docent communiter Theologi.

Extrà præceptum Ecclesiæ, comedere, bibere, sine illo notabili detrimento mortale non est. Nec censetur à multis vomitus esse notabile detrimentum corporis, quare multi excusant à mortali eos qui comedunt vsque ad vomitum. Vt idem Caietanus ibid. verbo *Gula*, qui vocat hoc peccatum veniale grauissimum: quod tamen alij negant, nisi fieret ex consilio Medici, quo casu id licitum esset propter sanitatem.

Videtur tamen probabilius tam ebrietatem non omnino completam, quàm fœdam illam in comedendo ingluuiem esse de genere eorum, quæ si rarò admodum fiant, probabiliter excusari possint à mortali, non verò si frequentius. Quia tunc & præcaueri meliùs possunt, & notabile detrimentum inferunt.

Debet adhuc examinare; an pœnitens contrà præceptum Ecclesiæ, vel abstinentiam à carnibus, vel ieiunium non obseruauerit, sine legitima ratione. Sequentes autem regulas poterit obseruare ad discernendum peccatum, quas tradit Martinus de Magistris in doctissimo suo libro *de temperantiâ*.

Prima est folio Mihi 84. liber enim non est satis accuratè per sectiones aut capita digestus; abstractio potus non est de ratione ieiunij. Probatur primo ex communi obseruatione

Ecclesiæ, quæ ita obseruat ieiunium, vt licet non liceat nisi semel comedere in die ieiunij, licet ramē pluries bibere; imò & ante prandium & pòst circa noctē, & hoc tam de potu aquæ, quàm de potu vini. Considerauit enim Ecclesia quòd pauci admodum possent abstinere à potu post comestionem, & ideo noluit iniicere laqueos peccati. Considerauit etiam quòd pauci admodùm possent vti potu ante comestionem: & si hoc quis faciat, plus ex necessitate facit quàm ex voluptate, ideò superfluum omnino reputauit, prohibere potum ante comestionem, & ideò multi Doctores videntur mihi inutiliter fatigari, inquirendo rationibus & argumentationibus, per quæ ieiunia soluantur. Recurrendum est enim ad institutionem Ecclesiæ consuetudine laudabili confirmatam, & secundùm hoc iudicandum est de soluentibus vel non soluentibus ieiunium.

Secunda regula est; Exigit ieiunium quadruplicem abstinentiam, scilicet secundùm speciem aliquam ciborum, quia exigit totalem substractionem carnium. Secundùm tempus, quia exigit vt non vtamur cibo ante duodecimam. Secundùm multitudinem refectionum, quia exigit vt nonnisi semel in die cibo reficiamur; & secundùm quantitatem cibi, quia exigit vt minore cibo vtamur, quàm vteremur regulariter cùm non ieiunamus. Addit tamen fol. 83. contrarians fini quem intendit Ecclesia non dissoluit ieiunium. Probatur. Qui vtitur lautâ & longâ cœnâ die antecedente ieiunium, & in ieiunij prandio lautiore, quàm si non ieiunaret, vt non esuriat ante prandium nec post, ille contranititur fini quem intendit Ecclesia, quia iste intendit non esurire & non affligi; & Ecclesia intendit quod esuriat & affligatur, & tamen satisfacit præcepto Ecclesiæ.

Addit insuper: præueniens refectio horam duodecimam, notabiliter ex causâ legitimâ facta non dissoluit ieiunium. Probatur, quia abstinentia illa æquiualet abstinentiæ ieiunij: causa autem legitima potest esse aut ex complexione propriâ, quando quis non potest sine notabili detrimento sui corporis ferre vsque ad duodecimam stomachum vacuum cibo; post refectionem autem primam potest conuenienter tempus reliquum abstinere.

Item mensa nimiùm lauta aut per tempus diuturnius soluit ieiunium quarto modo. Patet. Omne ieiunium est parcimonia victus, sed huiusmodi mensa non est parcimonia victus, sed potius victus notabiliter intemperatus.

Folio 88. Hora X I I. non est accipienda secundùm extremum

mum rigorem mensuræ, sed secundum grossam æstimationem. Probatur, quia si attenderetur extremus rigor, immitterentur varij, & perplexi scrupuli ieiunantibus, tum propter carentiam horologij in quibus non est, tum propter errorem horologij in quibus est, & tenerentur frequenter ieiunantes notabiliter postponere refectionē, vt in dubiis certius eligerēt.

Idem folio 88. in refectione tempore ieiuniorum sumenda; in abstinentiâ ciborum, & in obligatione personarum, magis ad mores vtentium quàm ad institutas leges seruanda est consideratio, ita quòd leges de iis non obligant, nisi secundùm quod sunt consuetudine, & vtentium moribus approbatæ. Probat ex naturâ legis quæ moribus vtentium vel infirmatur vel confirmatur. Probat etiam ex Decreto Telesphori Papæ, quo decreuit ieiunandum esse à quinquagesima vsque ad Pascha, quòd tamen decretum non est moribus vtentium approbatum; probat etiam ex Epist. D.Gregorij ad Augustinum Anglorum Episcopum, vbi ait. *De ipsa vero die Dominica hæsitamus quidnam dicendum sit, cùm omnes laïci & sæculares illa die plus solito cæteris diebus accuratiùs cibos carnium appetunt, & nisi noua quadam auiditate vsque ad mediam noctem se ingurgitant, non aliter se huius sancti temporis obseruationem suscipere putant; quod vtique non rationi, sed voluptati imò cuidam mentis cæcitati adscribendum est, vnde nec à tali consuetudine auerti possunt; & ideò suo ingenio relinquendi sunt, ne forte peiores existant, si à tali consuetudine prohibeantur,* vt enim ait Salomon, *qui nimiùm emungit, elicit sanguinem.* Vnde infert decretum de non comedendis carnibus diebus Dominicis in quadragesimâ nunquam habuisse vim legis quovsque fuisset moribus vtentium approbatum.

Item fol.90. non omnes ad Ecclesiæ ieiunia tenentur. Probatur, nullus cui obseruatio ieiunij quantum est, ex conditione personæ distractiua, vel impeditiua est à puritate mentis ad ieiunium tenetur, *&c.* infirmis non valet ieiunium ad puritatem mentis, sed nocet: vires enim infirmorum prostratæ sunt ex infirmitate, quare si adhuc ieiuniis prosternentur, ita indisponeretur corpus, vt eo anima vti non posset ad opera illa quæ exigit mentis puritas, *&c.* quando quis omittit ea quæ facere tenetur de necessitate salutis, non stat puritas mentis, sed infirmus per ieiunium impeditur à debitâ alimentatione corporis sui: nam debita alimentatio corporis infirmi exigit, vt non multū cibum simul assumat & frequentiùs sumat propter vires debilitatas quæ parùm possūt digere-

re, & sic ad alimentandum corpus suum tenetur de necessi[illegible] te salutis; alioquin esset homicida sui, & maximè cùm h[illegible] sibi est à peritis iudicatum.

Idem. Quicumque aut ex complexione aut ex accidenti aut non multum cibum & sustentamentum debitè sufficie[illegible] simul sumere, aut non diu carere cibo possunt, ij non obligantur ad Ecclesiæ ieiunia. Patet, tum primò quia in talib[illegible] ieiunium potius nocet quàm prodest puritati mentis, &c. Ex hac conclusione infero, quod ægroti, senes, vehemente[illegible] cholerici, & quorum natura est notabiliter debilis, non tenentur ad Ecclesiastica ieiunia, &c. de vehementer cholericis patet quia tales sunt multi caloris & paruæ humiditatis; & ideò non possunt diu carere cibo absque periculo ægritudinis, &c. infero secundò quod non solùm natura[illegible] debilitas, aut ægritudo quæ actualiter inest, excusat à ieiunio; sed etiam illa quæ verisimiliter inesset, & causaretu[illegible] per ieiunium, &c. nam si Legislator esset præsens, ipse declararet nunquam se voluisse obligare tales; &c. In omni tal[illegible] ieiunium est heroïcum opus, communem scilicet naturæ facultatem excedens; sed Ecclesia non intendit homines obligare ad ieiunia heroïca, quia talia cadunt tantùm sub consilio. Igitur.

Item. Quibuscumque vel propter penuriam alimentorum, vel propter grauitatem laboris, qui non potest rationabiliter non sumi, non sufficit ei vna refectio in die, excusantur à ieiunio. Patet, quia vt frequenter dictum est, Ecclesia non intendit per constitutionem ieiunij aliquos obligare ad opera communem facultatem hominum excedentia; quæ talia sunt, scilicet ratione circumstantiarum, quæ pauci superarent & multi superarentur. Ex hoc infert pauperes eximi à ieiunio, pro illis diebus pro quibus non habent hora competentia sufficientia alimenta ad sustentationẽ. Peregrinantes qui cõmodè peregrinationem differre non possunt. Cursores & nuntios, pro tempore quo labori viæ dant operam, nõ autem pro tempore quo in domibus suis vel dominorum suorum quiescunt. Agricolas & alios manualiter operantes, & maximè quorum labor est grauis grauitate dictâ excusantur à ieiunio. Mercatores quibus labor viæ pro comparandis mercibus est grauis grauitate dictâ, &c. Mulieres prægnantes & nutrices. Patet quia si non reficiantur nisi vnâ vice, tunc vel non recipient alimentum sufficiens pro nutritione sui & fœtus vel pueri, vel si suscipiant alimentum sufficiens, tunc grauamen suæ naturæ notabiliter inferunt: est etiam in prægnantibus

specialis

ſpecialis ratio propter ſubita, varia, inordinata deſideria quæ aliquando ſunt ita intenſa, quod niſi ſatisfaciant appetitui, imminet fœtui periculum. Ex qua ratione aliqui recentiores cenſent non denegandas eis eſſe carnes, ſi paulò vehementiùs earum appetitu teneantur.

Idem fol. 91. quibus propter grauitatem laboris ad notabilem vtilitatem publicam etiam voluntariè aſſumpti, non ſufficit vna refectio, in die ieiunij, excuſandi ſunt à ieiunio. Inde excuſat à ieiunio prædicatores, lectores publicos & regentes artium. In iſtis autem, inquit, eſt vna ſpecialis ratio, quia ſi ſumunt cibum vnà vice paulo abundantiorem propter varios fumos adſcendentes, redduntur omnino indiſpoſiti & ad ſtudium, & ad opus docendi, quare non poterunt laudabiliter perficere ſuſceptum vel prædicandi vel docendi opus.

Idem, cum per aliquam circumſtantiam excuſatio à ieiunio in communem conſuetudinem ducta eſt, non tenetur quis qui certus eſt ſe eadem circumſtantiâ circumſtantionatum, ad ſuperiorem recurrere, vt ſecum de ieiunio Eccleſiæ diſpenſetur. Patet quia conſuetudo eſt optima interpretatrix legum, *&c.* tenetur recurrere ad ſuperiorem cùm probabiliter dubitat quis, an ſit illo modo circumſtantionatus, & aperire coniecturas quas habet.

Item. Omnis autem excuſandi ratio fundatur in quatuor regulis. Prima eſt, Eccleſia inſtituendo ieiunia, non intendit quod per obſeruationem eorum afferatur corpori detrimentum. Secunda eſt, Eccleſia non intendit quod obſeruatio ieiunij vertatur in detrimentum ſalutis æternæ. Tertia eſt, Eccleſia non intendit quod per obſeruationem ieiuniorum anima aliquam malam indiſpoſitionem conſequatur. Quarta, Eccleſia huiuſmodi ieiunia inſtituendo, non intendit obligare aliquem ad aliquid, quod communem hominum facultatem excedit, & ideo cum propter aliquam circumſtantiam ieiunium eſt ſic difficile quod in pluribus homines ſic circumſtantionati, tranſgrederentur, & pauci adimplerent, tunc opus ieiunij in illo caſu debet dici communem hominum facultatem excedere. *Diſpenſatio ieiunij.*

Item pueri propter neceſſitatem augmenti, indigent multo cibo, *&c.* ſunt tamen paulatim aſſuefaciendi ad ieiunia, putà in quadrageſimâ ieiunando bis aut ter, ſed non tenentur niſi poſt tertium ſeptenarium annorum. Hæc ratio ſatis bene concludit de ieiunio quadrageſimali quod nimis eos læderet, ſed non concludit quin ſint obligati ad ieiunia quatuor temporum & maiorum ſolemnitatum.

Item. Si mulier sit prægnans aut naturæ debilis, aut ægrotet ipsa tenetur dimittere ieiunium, prohibente viro, nisi de opposito sibi cōnstet manifestè, aut prohibitio viri est merè voluntaria, & in nullo prædictorum fundata, & tunc dico quod non debet dimittere, sed potiùs debet obedire Ecclesiæ quàm marito.

Aduerte tamen quòd in multis casibus tenetur mulier dimittere ieiunia Ecclesiastica, viro prohibente, in quibus non teneretur viro non prohibente. Vnus est, vt si mulier non pendat tantum famulatum viro cùm ieiunat, quàm cùm non ieiunat. Alius est, si vir propter ieiunia vxoris sentiat eam nimis frigidam, & minus aptam ad venerea, & videat ex hoc occasionem adulterij sibi oriri, aut è contra si ipse velit continentiùs viuere in quadragesima, & nihilominùs percipiat quod vxor ieiuna fiat ad luxuriam inflammatior, videtur quod mulier prohibente viro debet dimittere Ecclesiastica ieiunia, consulerem tamen quod hoc faceret per consilium prudentum. Probatur, quia in tali casu ieiunia sunt contraria puritati mentis & in salutis dispendium.

Item fol. 92. Sed quæritur de intemperatis qui per longam & diuturnam intemperantiam acquisiuerunt mores, & habitus vehementissimè in oppositum ieiunij inclinantes, adeò quod ieiunare est eis supra communem facultatem hominum, an tales propter hanc circumstantiam excusandi sint à ieiuniis Ecclesiasticis. Videtur quod non, quia ex culpâ sua reportarent commodum. Pro declaratione dubij dico probabiliter & sine assertione. Primò quòd si illi qui instituerunt ieiunia, sciuissent omnes homines esse tam vehementer inclinatos in oppositum ieiunij, siue inclinatio in culpâ, siue sine culpâ fuisset inducta, non instituissent tantam multitudinem ieiuniorum, *&c.* quia in tali casu instituere ieiunia tam frequentia, non est aliud quam laqueum transgressionis & damnationis iniicere. Dico secundò quod Ecclesia non intendit tales ad ieiunia Ecclesiastica sic obligare, quin per superiorem prouideatur eis modo competenti. Patet, quia non intendit obligare ad ieiunia eos, qui sunt in illâ conditione in qua si omnes essent neminem obligaret, *&c.* Quartò dico quod superior loco ieiunij debet eis primo imponere abstinentiam aliquam facilem, deinde arctare ad pauca ieiunia, deinde ad plura & pedetentim eos ad Communem regulam reducere. Patet, quia hic est modus resipiscendi à magnis & multùm radicatis vitiis. Quintò dico quòd talis, cùm superior dispensat de ieiunio, tenetur aliquam facilem abstinentiam ei

à

à superiore impositam recipere, quia tenentur affligi, vt cæteri, & tenentur se paulatim ab hac vehementi inclinatione perniciosâ eximere.

Et si dicas quòd tales relinquendi sunt illi graui pœnæ & afflictioni propter culpas intemperantiæ suæ, dico quod Ecclesia non voluit non esse obligatos indispensabiliter ad opus ieiunij, quod ratione circumstantiæ est tam difficile, quod excedit communem hominum facultatem, & mauult ouem perditam in lenitate, & patientiâ reducere ad ouile quàm asperitate flagellorum in luporum fauces impetere: tales enim quoad bonos mores sunt adhuc sicut pueri: imò sicut nondum nati, & ideo suaui lacte non duro indigesto pabulo nutriendi: & hoc potest confirmari per Thomam 2.2. *qu.*147. *a.*4. in responsione ad quintum, &c.

Obiter autem annotamus quibusdam visum fuisse durius loquutum esse Martinum de Magistris in assertione de intemperantibus. Si quis tamen ex æquitate verba illius omnia perpendat, non ita absurdam iudicabit. Fauet quod annotauimus in additione nostra ad summam Conciliorum in Concilio Mexicano an. 1585. tempore Xisti quinti, vbi ita habetur: dies quibus Indi ieiunare tenentur ex constitutione fœlicis recordationis Pauli Papæ tertij, in primis omnes feriæ sextæ quadragesimæ, vigilia Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi & Sabbatum maioris hebdomadæ. Quòd verò videatur sugillare institurores ieiuniorum fatemur in durius esse scriptum, excusari tamen aliquo modo potest ex verbis D. Augustini Epistolâ ad Casulanum, quæ hic transcribere non vacat. Vt ad Martinum reuertamur.

Item innocentia & iustitia non sunt conditiones excusantes à ieiuniis Ecclesiasticis; quia innocentia & iustitia relinquit in homine subiectionem ad Legislatorem proximum, scilicet ad Ecclesiam vel ad summum Pontificem. Nam iustitia cum sit membrum Ecclesiæ, & non sit tota Ecclesia, nec caput Ecclesiæ, necesse est quod sit membrum sub capite.

Item, cùm circumstantia aliquem excusat à ieiunio, *&c.* melius est vt per superiorem fiat dispensatio. Patet, conclusio quia in dubiis semper tutior pars est eligenda. Tum quia multi sunt in causis suis fauorabiles iudices. Tum tertiò quia superior relaxando ieiunium, faciliùs eos ad aliquid abstinentiæ, aut aliquid afflictiuum hortabitur. Præterea commonitos reddet, vt ipsi quibus plus conceditur quàm aliis, caueant ne Satanæ dolis plusquàm cæteri illaquentur, & hoc intelligit nisi nimiùm grauaretur accedendo ad superiorem,

Item. Quibus est ieiunij relaxatus rigor, cauere debent, ne incautâ comestione sint cæteris in ruinam & scandalum: & ille profectò sibi concesso beneficio imprudenter abutitur qui gratiam sibi factam in perniciem aliorum conuertit, & ideò cauere debet excusarus à ieiunio, ne aliis cognoscentibus comedat, nisi vbi causa excusationis est tam euidens, vt nullus dubitet eum esse propter huiusmodi causam excusatum.

Item folio 93. Obligatus ad ieiunium totius quadragesimæ sub pœna peccati mortalis, & soluens ieiunium primâ die, & secundâ die, & sic de aliis volitione præcisè cadente super vnum diem, quolibet die peccat mortaliter nouo peccato, nec formaliter, nec virtualiter incluso in primo peccato. Sed primâ die nolens ieiunare nolitione cadente supra quamlibet diem, & singulis diebus soluens ieiunium, non peccat singulis diebus nouo peccato. Supponitur autem illa prima nolitio efficax, & imperatiua exequutionis, & cæteræ nolitiones & omissiones ieiunij non sunt nisi actus imperati à prima nolitione. Nullus autem actus imperatus, aut exterior addit bonitatem vel malitiam super actum imperantem.

Item folio 94. Die ter aut quater comedens non totiens peccat mortaliter quotiens plusquam semel comedit. Quia talis postquam comedit secundâ vice, cessat obligatio ieiunij, cùm impossibile sit illud seruare, talis autem non tenetur nisi obligatione ieiunij.

Hæc nos raptim hinc & inde ex antiquo Doctore decerpsimus, omissis solutionibus ad rationes oppositas, quas in illo lector non inutiliter legere poterit, si forte codicem Authoris nanciscatur. Vix autem tam æqua, & rationabilia alibi repetientur de hac materia, & ex quibus magis instrui possit Confessarius ad iudicandum non ieiunantes in iudicio & æquitate.

Cuius sententia quantumuis laxa quibusdam videatur, stricta tamen est in comparatione ad modernos casuum conscientiæ præceptores Inter quos Ioannes Sanchez in *select. disp.* 54. admittit sumi posse prandium horâ vndecimâ matutinâ expressè; sexagenarios omnes quamuis adhuc fortes robore, eximit à lege ieiunij, quod in hac ætate natura prolabatur, & vergat ad interitum, sicque per accidens quòd vnus sit validior, eximit eos qui non possunt dormire nisi cœnâ captâ. Qui fatigantur ex itinere diurno, quamuis commode in alium diem iter remittere potuissent. Plures denique liberat ab eadem lege ieiunij, quod idem videtur pluribus aliis.

Quare si non arrideat feuerioribus quibusdam antiqui huius Magistri Pariensis Doctrina, magis tamen expertis non omnino displicebit; & sanè illi agant iuxtà feueritatem sibi magis arridentem, damnent omnes, si illis placeat, quicumque non ieiunant, ad excusationes omnes omnium surdi sint; eiiciant ab Ecclesiâ, & à communione, si illis ita libeat quoslibet fideles, qui ieiunium Quadragesimæ integrum non seruauerint. Dicam illis quod quondam Constantinus Magnus Accesio Episcopo Nouatiano dixit, qui pœnitentibus reconciliationem denegandam esse cum obstinatione contendebat. *Erigito tibi scalam, Acesi, & tu solus in cœlum ascendito*, vt referunt Sozomenus l. 1. cap. 21. & Socrates lib. 1. cap. 17. apud Baronium anno Christi 325. Fateor me quondam zelo hoc sine scientiâ abreptum fuisse, & non vni causam ægritudinum præbuisse, dum indiscretè vix vlla audita excusatione ad præceptum Ecclesiæ seruandum inducerem in ipso actu Confessionis Sacramentalis. Debebit igitur Confessarius vti virtute Epieicheiæ & difficultates ac excusationes non ieiunantium suis ponderibus librare, nec facile peccati mortalis reum & vitâ æternâ indignum iudicare qui vel non seruat omninò, vel tantùm ex parte, ieiunium Quadragesimæ, non ex contemptu, sed ex causâ aliquâ quæ multis videtur rationabilis.

Quod autem attinet ad paruam comestionem serotinam in diebus ieiuniorum, non eadem lex omnibus pro ea debet imponi; si quoad quantitatem, non excedat quartam partem prandij soliti, non videtur multùm vituperanda. Debent considerari personæ, inter quas vni satis est quod alij parùm aut nimiùm. Debet etiam haberi ratio consuetudinis quæ inter plurimos etiam probabilis pietatis, introducta est, & tolerabilius est vt aliqui parùm excedant in illâ cœnulâ, quàm omninò non ieiunent, quia excessus ille non excedit ordinariè limites venialis peccati, omissio verò ieiunij sine causâ rationabili, peccatum mortale inducit. Posset ex iusta aliqua causa mane sumi collatio illa serotina, & differri ad vesperam comestio integra, vt si quis non posset aliter ieiunare, vel non posset dormire, nisi cænasset. *In his rebus* ait D. Augustinus Epist. 86. ad Casulanum, *in quibus nihil certi statuit scriptura diuina, mos populi Dei vel instituta maiorum pro lege tenenda sunt.*

Prædictus Sanchius disp. 52. existimat sumi posse in illâ cœnulâ nocturnâ dimidiam libram ex pane & oleribus arborumve fructibus constantem. Citatque Azorium *tom.* 1. *in*

*in moral. l.7. cap.*8. in medio *q.* 8. quæ dimidiâ libra non est Mathematicè ponderanda; sed moraliter. Nec obstat quòd aliquis maneat saturatus sumptâ dimidiâ librâ; nam id per accidens contingit, quia non debet esse peioris conditionis. Quod vltimum dictum non placet: nam cùm ista sint moraliter ponderanda, illeque vtatur hoc modo duplici refectione integra, non censetur ieiunare.

Solet autem à plerisque nobilibus & diuitibus qui ampliorem habent familiam quæri an teneantur cogere domesticos seruos & ancillas, filios & filias ad ieiunium, & cœnam illis non subministrare, quia videntur cooperari ad malum si illis cœnam subministrent, si verò denegent forsan peius accidit, dum illi detrahunt & murmurant, atque aliunde sæpe eam conquirunt. In hac difficultate quæ satis frequenter occurrit, censet Thomas Sanchez *Conciliorum Moralium l.* 5. *cap.*1. *dubio* 17. teneri patres familias præbere suis famulis sufficiens alimentum vt possint ieiunare, si commodè possint. Teneri etiam monere vt ieiunent non tamen cogere & compellere, quia Domini non habent curam spiritualem famulorum vt Episcopi. Quod spectat autem ad filios, tenetur quantum in se est, eos cohibere à peccato & eos educare in disciplina & correctione Domini, vt ait Apostolus ad *Ephes.* 6. idcirco debet eis denegare cœnam si ex iusta aliquâ causâ à ieiunio non excusentur. Si tamen denegatio illa nihil prodesset, quia filius non obedit patri propter proteruiam & cum alio cœnaturus sit, ad hoc pater non tenetur.

Quid verò censendum sit de hospitibus publicis qui aduenientibus peregrinis cœnam parant in diebus ieiuniorum, eosdem excusat prædictus author, laudatque Angles pro suâ sententiâ, quia in hoc proprium munus exequuntur, relinquuntque vnumquemque suæ conscientiæ, *ibidem dubio* 16.

Dices & patremfamilias & hospites illos & caupones cooperari ad malum, si forte aliqui non seruent ieiunium ad quod tenentur. Difficilis semper mihi visa est hæc obiectio, vt plerisque non placeat hæc licentia patrumfamilias & hospitum; consideret tamen qui angitur hac difficultate, num excusari possint per illa quæ scribit Ioannes Sanchez in *select. disp.*8.*num.*8. vbi ait, dum adest iusta causa agendi actionem in se bonam, vitiatam verò solum ex defectus & malitiâ petentis illam fieri, agentem tunc non cooperari formaliter ad malitiam: cooperaretur tamen si nullâ oblatâ causâ actionem exerceret ad petitionem iniquè vtentis. Hoc solum nunc

nunc occurrit quod respondeamus ad difficilem illam obiectionem.

Nec verò mirum esse debet si tot sint dispensationes in lege Ecclesiasticâ de ieiunio, cùm vix vllæ sint in legibus diuinis; nam leges diuinæ per se afferunt sanctitatem, includiturque in ipsis ipsa sanctitas, non sic autem est de legibus Ecclesiasticis. Accedit & alia ratio quòd lex quadragesimæ lata est ab Apostolis initio nascentis Ecclesiæ, in ipso feruore primo Christianæ Religionis, cùm Christiani quilibet ad cruces & martyria quælibet parati erant, nedum ad ieiunia Quadragesimæ: vnde modò refrigescente charitate, non mirum si dispensationes necessariæ sint, maximè cùm in aliis legibus de triplici communione per singulos annos, & consequenter de Confessione dispensatum sit ab Ecclesia: nihil autem hactenus de rigore ieiunij Quadragesimæ relaxatum sit per aliquam legem moderantem.

Denique placet hic addere ex D. Augustino l. 2. de doctrinâ Christianâ, cap. 12. *Fieri potest vt sine aliquo vitio, pretiosissimo cibo sapiens vtatur, insipiens autem fœdissimâ gulæ flammâ in vilissimum ardescat.*

Quæritur sexagesimo octauo quid expendere debeat Confessarius super pœnitentibus, qui cùm publicantur aut cum publicata sunt monitoria nolunt reuelare.

Respondetur in genere loquendo quoscumque fideles obligari in conscientiâ Ecclesiæ obedire, & reuelare ea quæ sciunt cùm publicantur ad hunc finem litteræ monitoriæ sub pœna excommunicationis. Attamen multa sunt propter quæ excusantur aliqui ab incurrendâ excommunicationis pœnâ, si non reuelent ea quæ sciunt, & hæc sunt quæ perpendere debet Confessarius, vt rectum ferat iudicium super pœnitentes.

Primò autem debet Confessarius expendere, an sit causa criminalis vel ciuilis. Si enim monitoriæ litteræ iubeant reuelari reum alicuius homicidij pro quo mors ipsi reo imminet, probabile est neminem teneri ad reuelandum vi monitorij: etenim Ecclesia nescit sanguinem, nec ipsa vult & intendit, ad effundendum sanguinem, cooperari. Vnde refert Barbosa de officio & potestate Episcopi parte 2. allegatione 96. monitoria in criminalibus non concedi ad euitandam irregularitatem. Vnde & ex styllo curiæ Romanæ & Generalis Diœcesanorum vsu in ipsis monitoriis ponitur clausula: *Nolumus autem quod ex reuelatione huiusmodi, si eam fieri contingat*

Causa crimalis & ciuilis.

contingat nisi pro ciuili interesse & ciuiliter tantùm agi possit, aliàs reuelatio ipsa neque in iudicio, neque extra fidem faciat. Ita quoque statuit Pius V. in D. suâ constitutione, & Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 3.* permittit tantùm gladio spirituali censuræ vti in delinquentes in causis criminalibus, hoc est in reos ipsos. Quasi non concederet vt in alios distringeretur gladius Ecclesiasticus in causis criminalibus. Quia tamen non est praxis omnium Diœceseon, rem non asserimus, sed magnis Doctoribus discutiendam relinquimus. Monitoria ergo obligant cùm agitur de ciuili interesse ad recuperandas res deperditas aut ablatas, aut authorem alicuius damni, vt illud ciuiliter resarciat.

Causa non reuelandi. Notant autem Theologi morales multas causas quæ excusant à reuelatione. Primò enim qui rem ipsam detinet, non tenetur ad seipsum patefaciendum, quia nemo se infamare debet, & accusatus de delicto non tenetur illud confiteri, nisi fides illi fiat semiplenè illud esse probatum. Tenetur tamen rem ipsam secretè restituere, si est iniustus detentor, & si possit. Quòd si rem detineat titulo iustæ compensationis, non tenetur, quia nihil alienum iniustè detinet.

Secundò qui habet scripturas non tenetur reuelare nec exhibere, si inde graue damnum pateretur, vt cùm ex earum exhibitione ius illius maximè infirmaretur, cùm edere actori instrumenta contrà se reus non teneatur; est enim illud nimis durum. Habens scripturas iustè, inquit Corradus 1. parte *quæsito* 171. in *additione*, si timeat magnum in suis rebus dispendium, non tenetur prodere vi excommunicationis. Alij tamen limitant, si illæ scripturæ nullatenùs ius alterius confirment.

Tertiò non tenentur reuelare qui de iure non possunt compelli, vt testes sint. Vt sunt consanguinei omnes in primo gradu. Excipitur tamen crimen læsæ maiestatis.

Quarto qui sciunt sub secreto naturali tantùm & non alia via; nisi ad impediendum aliquod delictum quod vergeret in notabile detrimentum vel publicum vel priuatum alicuius personæ, vel nisi sit impedimentum Matrimonij inter nubere volentes, ad quod reticendum non potest obligare secretum commissum, imò nec iuramentum.

Quintò qui sciunt tantum ab iis qui parum fide digni sunt, vel à personis ignotis, vel nihil certum scientibus: scire autem est veritatem visu vel alio corporis sensu perceptam mente retinere. Ratio est quia parùm certa reuelans periculo leuitatis & mendacij se exponit & reum periculo damni iniusti,

iniusti, vnde nec tenetur personas indicare à quibus rem tenuit. Dicuntur ista (*des oüy dire de ville*) rumores incerti.

Sextò cùm iam reuelauit is à quo didicisti; non teneris ampliùs reuelare; nam iudex ex eo testimonio certior fieri non potest.

Septimò cùm quis ex reuelatione timet sibi graue aliquod damnum ex inimicitiâ capitali quam contrahet. Vnde cùm dominus alicuius pagi minatur omnibus rusticis, & est vir sæuus & meritò metuendus, videntur excusari rustici illius subditi, si non reuelent aliquid contrà ipsum.

Octauò non tenetur aliquis reuelare iustum compensatorem, alij etiam addunt eum qui in grauissima necessitate accepit, & quem benè noueris non posse tunc restituere, cùm literæ monitoriales non possint nec debeant aliter intelligi, quam de iniustâ detentione. Simili ratione non tenetur quis reuelare eum etiam qui per ignorantiã aliquid commisit, nec eum etiam qui sine peccato aliquid fecit, aut alicui occasio damni extitit sine suâ culpâ; talis est de quo scribit D Augustinus *Epist.* 154. Neque enim reus est Christianus si bos eius vel equus aliquem occidat: aut ideo non debent eius boues habere cornua, aut equus vngulas, aut dentes canis. *Absit vt quæ propter bonum aut licitum, facimus aut habemus, si quid per hæc præter nostram voluntatem cuiquam malè acciderit, nobis imputetur.* Sic cùm quis vellet litigantes & pugnantes inter se separare, pugnacem & obstinatam mulierem pugno percussit, quòd nollet desistere à pugna, eo fine vt separaretur. Hæc autem obtinuit monitoriales litteras, vt testimonium haberet contrà eum à quo pacis causâ percussa erat; sanè non tenebantur reuelare qui rem viderant.

Nonò non tenetur denuntiare qui tempore publicationis degebat extrà territorium Episcopi excommunicantis, & tempore dierum intra quos reuelatio debebat fieri, quia Superior non potest censuris ligare existentes extrà territorium. Vnde si redeant aliqui post publicationem, & dies præfixos ad reuelandum, qui aliquando sunt sex, aliquando quindecim pro libito Episcopi, non tenebuntur reuelare, modò post primam publicationem non exierint extra Diœcesim. Si quis verò elapsis diebus non reuelauit, manet excommunicatus quousque reuelauerit, vt tenetur, vsque ad triennium.

Licet autem has exceptiones multi Authores approbent, quilibet tamen iis ex proprio sensu fidere non debet, ne monitoria frustratoria remaneant & impunita crimina. Cautela igitur

igitur vti præstat, vt qui aliqua ex prædictis exceptionibus vti se posse censuerit, peritum Confessarium adeat, qui rei veritate perpensâ dicat, an teneatur vel non teneatur reuelare.

Addendum est autem iis cùm iudex procedit per inquisitionem generalem, vt sciat quis commiserit furtum vel aliud crimen, non teneri aliquem reuelare authorem illius, quamdiu crimen est omninò occultum quoad illum, & ipse non est vllo modo diffamatus propter illud, nec accusatus. Nisi tamen reuelatio censeatur necessaria ad emendationem rei; tunc enim poterit reuelare Superiori vt patri, non vt iudici; vel nisi sit necessaria ad auertendum graue damnum proximi seu temporale, seu spirituale: tunc enim non est habenda ratio famæ, vt notat Petrus à sancto Ioseph, in Summa Casuum, *de octauo præcepto decalogi, art.*4.

Et si author furti non possit tunc reddere propter inopiam, non tenetur quis eum reuelare, quia detentio tunc non est iniusta, tenetur autem qui scit illum esse authorem furti, monere, vt quamprimum possit restituat, & si intrà terminum præfixum per reuelationem non restituat, cùm possit, debet reuelare iudici: ita prædictus à sancto Ioseph ibidem art. 6.

Quibus addendum vt cùm excommunicatus ob furtum aut aliam obligationem restituendi, non habet præ egestate vnde reddat, absolui possit ab excommunicatione & promissione, cum hac monitione quòd si non restituat tunc cùm primùm poterit, in priorem excommunicationem incidet, secundùm Bullam Pij V. an 1568. & Bullam Gregorij XIII. an. 1572. vt testatur Corradus 1. parte *quæsito* 172.

Quid verò si agatur de reuelando crimine quod scis omninò emendatum fuisse, nec silentium vergere in cuiusquam detrimentum? Probabile est etiam nullum teneri ad reuelationem qui istud certè sciuerit. Vnde si mallet quis suis expensis occultè satisfacere parti læsæ, quàm reuelare personam sibi notam & familiarem, cuius offensionem vereretur incurrere, vt alias quibusdam consuluimus, qui ad hoc magis dispositi erant quàm ad reuelandum, non tenentur reuelare ampliùs; finis enim monitorij est satisfactio: at obtento fine cessat motus. Debent tamen monere eos quorum interest de satisfactione præstita, ne se excommunicatos arbitrentur, aut alteri satisfactioni obnoxios. Hæc omnia pro loco & tempore debet Confessarius expendere.

Si autem quis occiderit defendendo se, nec possit probare titulum

tulum defenſionis iuſtæ,non tenetur vi monitorij ſemet prodere coràm iudice.

Cæterum cum diſcrimen ſit inter denuntiatorem & teſtem debet etiam perquirere, ſi fieri poſſit, an monitoriæ litteræ obligent tantùm ad teſtificandum, an etiam ad denuntiandum, quia cùm quis denuntiare non poſſit, niſi poſſit probare, non tenebitur denuntiare cui deſunt probationes ſufficientes; debebit tamen aliquis teſtari; quia teſtis non tenetur probare.

Item etiam, ſi reſciri poſſit intentionem illius in cuius fauorem conceſſæ ſunt litteræ monitoriæ,non fuiſſe vt excommunicaretur certa quædam perſona vt putà vxor, filius aut amicus furti author, quod fieri poteſt cùm Eccleſia in iſtis rigoroſis non intendat extendere excommunicationem ſuprà intentionem illius cui conceditur monitorium, tunc talis perſona non debet cenſeri excommunicata, quantumcumque non reuelet.

Quod ſimiliter dicendum eſt, ſi Epiſcopus aut Officialis concedens monitorium, voluiſſet in mente excipere certam quamdam perſonam, quantumcumque verba monitorij ſint generalia.

Quod ſi Confeſſarius nullam legitimam cauſam videat quâ pœnitens excuſatus ſit ab excommunicatione incurrendâ, ſi non reuelet, debet eum obligare ad reuelandum, quamdiu ſperabitur reuelatio profutura, & ad reſarciendum damnum quod paſſus eſt quis ob defectum reuelationis, nec priùs abſoluere. Et ſi excommunicationis abſolutio reſeruata eſt, vel per ipſas litteras comminatorias aut fulminatrices excommunicationis, vel per decretum de caſibus reſeruatis in Diœceſi, debet ad eum remittere, cui abſolutio reſeruata erit, niſi ipſe obtineat poteſtatem abſoluendi.

Poterit autem Epiſcopus etiam in abſentiâ abſoluere ſubditum ſuum ab excommunicatione quâ ſublatâ, poterit ab inferiori Confeſſario abſolui. Quia vt ait Thomas Sanchez in Summâ *libro* 2. *capit.* 11. *numer.* 14. abſolutio ab excommunicatione poteſt in abſentiâ impendi ex omnium mente.

Intereſt autem vt confeſſarius expendat ſæpius an ſententia excommunicationis ſit latæ ſententiæ, vel ferendæ, vt videat ſi actu de facto pœnitens ſit excommunicatus.

Quæritur ſexageſimo nono quid examinandum ſit circa præceptum annuæ Confeſſionis & Communionis Paſchalis.

Præſupponendum hîc ante omnia præc tur in Concilio Lateranenſi ſub Innocen 1215. celebrato c.21. *Omnis vtriuſque ſexu ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua fiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno, proprio Sa iunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus ad cipiens reuerenter ad minus in Paſcha Euchariſti tum , niſi forte de conſilio proprij Sacerdotis, ob aliqu nabilem cauſam ad tempus ab eius perceptione duxer nendum : alioquin & viuens ab ingreſſu Eccleſia arce moriens Chriſtianâ careat ſepulturâ.* Ex his verbis ligi poterunt pro examine huius præcepti, ne longiu tando extet moles huius libri.

1. Diſcrimen eſſe inter præceptum Confeſſionis & C nionis annuæ, quia illud non eſt determinatum ad cer pus anni, illud verò determinatum eſt. Vnde qui cor prio Sacerdote ſemel, confeſſus fuiſſet, non teneretur coram eo confiteri ex vi huius præcepti præcisè.

Proprius Sacerdot.

2. Per proprium Sacerdotem hîc intelligitur Curat ex conſuetudine is Sacerdos qui eius vices gerit ab e bet facultatem : Nam ſi per proprium Sacerdotem in retur etiam delegatus à ſummo Pontifice aut ab E fruſtra adderetur iſtud (proprio) cum nemo poſſ confiteri quam Paſtoribus ordinariis eorumque deleg ter quos Paſtores alij ſunt magis communes, vt Papa copus, alij minus communes, & idcirco dicuntur pro Curati, eratque tunc temporis eorum nomen magis v

3. Qui confitetur non integrè , non ſatisfacit huic pto, ſicut etiam qui communicat in peccato mortal ſicut ille non confitetur fideliter, ſic etiam hic non c nicat reuerenter.

4. Non eſt reus huius præcepti cui proprius Sacerd permittit cito communicare ob rationabilem cauſam eſſet infirmitas corporis aut aliqua indiſpoſitio ex pa mæ ; ſecus eſt de eo cui denegaret abſolutionem , a ex propriâ culpâ diſpoſitus non eſſet.

5. Qui deeſt huic præcepto non eſt ipſo facto exc nicatus, propter verbum arceatur , quod eſt verbum f ſententiæ non latæ.

6. Qui defuit huic præcepto ſtatim elapſo anno d tenetur confiteri. Vtrum vero teneatur etiam commu diſputatur in vtramque partem. Volunt quidam non vſque ad aliud Paſcha, ſicut qui omiſit audire Miſſam

festo non tenetur ante aliud festū audire, sub pœnā noui peccati. Sed est probabilius hoc præceptum virtualiter continere duo præcepta, vnum communicandi intra annum, alterum communicandi saltem semel in Paschate: ac propter primum ex his duobus præceptis, obligatur post Pascha ad Eucharistiam, qui in Paschate non communicauit. Ita Card. de Lugo, de Sacramento Euchar. *disp.* 16.

Tempus Confessionis annuæ supputatur à tempore vltimæ Confessionis tempus vero communionis à primo Paschate, quod vocant floridum, Pascha, quod vocant clausum per quindecim dies, alicubi per totam Quadragesimam.

8. Qui habet casus reseruatos & Confessus est Episcopo vel eius Pœnitentiariis, aut regularibus aliisve priuilegiatis à summo Pontifice, satisfacit præcepto annuæ Confessionis coram proprio sacerdote, quia per casus reseruatos est extra Iurisdictionem Curati in eo quod spectat ad pœnitentiam. *Pœnitē-tiarius.*

9. Probabiliter etiam sustineri potest alios qui confitentur Episcopis satisfacere huic præcepto, cum illis principaliter cura commissa sit omnium animarum suæ Diœcesis, nec verisimile sit Episcopos in Concilio Lateranensi congregatos intendisse quidquam derogare suæ authoritati. *Episco-pus.*

De Laicis seruientibus in Monasterio, cui debeant confiteri & à quo suscipere debeant Eucharistiam, vix potest certa regula dignosci. Pertinet ad Superiores Monasteriorum diligenter inspicere, si quæ habeant priuilegia, exemptiones, ac Iurisdictiones spirituales legitimas. Multi enim sunt in his abusus, dum vnusquisque vel minimam subiectionem refugit: vt dici possit cum Apostolo *vnusquisque iam suam cœnam præsumit ad manducandum.* Et interim multæ fiunt confessiones informes & sine effectu remissionis peccatorum viâ Sacramenti, defectu Iurisdictionis quæ est de substantiâ & essentiâ Sacramenti: itaut Confessarij nihil efficiant, quamuis probabilitate fulciri se putent, cum tā requiratur Iurisdictio legitima ad solutionem, quam ipse character Sacerdotalis.

11. Præceptum Concilij obligans ad confitenda omnia peccata semel in anno proprio Sacerdoti, intelligitur de peccatis mortalibus. Quia Concilium non statuit aliud præceptum à diuino, sed tantum determinat tempus & ministrum confessionis, relinquens cætera dispositioni iuris diuini, per quod nemo obligatur ad confitenda venialia. Est enim pœnitentia secunda post naufragium tabula: at peccatum veniale non frangit nauem innocentiæ. Imo nec posse Ecclesiam præcipere confessionem venialium, quia non potest mutare ma-

teriam Sacramentorum, multi opinantur. Vnde qui haberet tantum venialia, posset communicare in Paschate sine vlla omnino confessione, & dicenti se non habere peccata mortalia non deberet denegari communio, nisi aliunde prauitas eius constaret. Lud. Beia 2. p. *de Confess. annuâ* casu vnico.

Errores de Poliaco.

12. Vitandi in hac materia errores Ioannis de Poliaco Doctoris Parisiens. damnati à Ioanne 22. scilicet 1. quod confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessionem, tenentur eadem peccata quæ fuerant confessi iterum confiteri proprio Sacerdoti. 2. Quod stante statuto *omnis vtriusque sexus* edito in Concilio Generali, Roman. Pontifex non potest facere quod Parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio Sacerdoti confiteri, quem dicit esse Parochialem Curatum, immo nec Deus possit hoc facere, quia, vt dicebat, implicat contradictionem. 3. Quod Papa non potest dare generalem potestatem audiendi confessiones, immo nec Deus, quin confessus habenti generalem licentiam teneatur iterum confiteri proprio Sacerdoti. Hos autem errores refert Cardinalis de Turrecremata in Summa *de Ecclesia l.4. p.2. c.37.* ex extrauagante Ioannis 22. *vas electionis.* Sed nos plura scripsimus de his difficultatibus in Summa Concil. class. 3. in controuersiis ad citatum Lateranense Concilium sub Innocentio III.

Atque hactenus de difficilioribus circa præcepta Dei & Ecclesiæ quæstionibus, prout ex praxi magis visum est iis instructos esse confessarios expedire, pluribus aliis prætermissis vel minus ordinariis, vel seueritatem maiorem præ se ferentibus, quæ notiora esse solent ex sola terminorum notione, quam vt à nobis explicari necesse fuerit. Quibus autem verbis aptius concludere possumus quam iis ipsis quibus regius Vates affectum suum ad mandata diuina expromit *Psal.*118. qui totus est de mandatis diuinis perversus CLXXVI.

Beati immaculati in via : qui ambulant in lege Domini.

Beati qui scrutantur testimonia eius : in toto corde exquirunt eum.

Increpasti superbos : maledicti qui declinant à mandatis tuis.

Aufer à me opprobrium & contemptum : quia testimonia tua exquisiui.

Adhæsi testimoniis tuis Domine : noli me confundere.

Tribulatio & angustia inuenerunt me : mandata tua meditatio mea est.

TERTIA

TERTIA PARS

EXAMINIS

POENITENTIVM.

De Examine diuersorum statuum personarum.

Quæritur primo quomodo Confessarius examinabit pueros qui accedunt ad Confessionem.

NON est difficultas de iis quos constat vsu rationis pollere, sed de iis de quibus dubium est, an polleant vsu rationis, si non totali, saltem partialiter; ita vt capaces sint & idonei ad eliciendum actum doloris, confessionis & satisfactionis. Nõ enim potest certa regula assignari de ætate in qua pueri huius Sacramenti rite suscipiendi capaces sint, cùm in quibusdam rationis radius priùs resplendeat quàm in aliis. Azorius 1. to. *instit. Moral. l.7. c.7.* confutat Sotum *dist.18. quæst.1. art.3.* super 4. sent. quòd velit pueros non teneri lege Confessionis ante duodecimum vel decimum vel decimum quartum annum. Alij communiter putant in septennio teneri. Sed verius tantùm tunc obligari, cùm mortaliter peccare incipiunt, possuntque discernere inter bonum & malum. Quòd pastores ipsorum discernere poterunt, maximè si interrogati, an liceat innocentem interficere, aliena rapere, pugnare inter se, mentiri, maledictis aliquem impetere, respondeant ista non esse licita, & puniendos à Deo qui hæc perpetrant. Hoc enim indicium est rationis saltem inchoatæ.

Fatendum est tamen quosdam esse longe diligentiùs aliis instructos, vt ita respondeant, qui propterea maiori rationis vsu non polleant, cùm ita loquantur vt psittaci. Quare prudentia hîc requiritur Confessarij, vt primum istud discernat, & si sit tantisper dubitãdi locus, non absoluat, nisi cũ hac conditione, in quantum possum & indiges, quia facile est Con-

Item. Quibus est ieiunij relaxatus rigor, cauere debent, ne incautâ comestione sint cæteris in ruinam & scandalum: & ille profectò sibi concesso beneficio imprudenter abutitur qui gratiam sibi factam in perniciem aliorum conuertit, & ideò cauere debet excusatus à ieiunio, ne aliis cognoscentibus comedat, nisi vbi causa excusationis est tam euidens, vt nullus dubitet eum esse propter huiusmodi causam excusatum.

Item folio 93. Obligatus ad ieiunium totius quadragesimæ sub pœna peccati mortalis, & soluens ieiunium primâ die, & secundâ die, & sic de aliis volitione præcisè cadente super vnum diem, quolibet die peccat mortaliter nouo peccato, nec formaliter, nec virtualiter incluso in primo peccato. Sed primâ die nolens ieiunare nolitione cadente supra quamlibet diem, & singulis diebus soluens ieiunium, non peccat singulis diebus nouo peccato. Supponitur autem illa prima nolitio efficax, & imperatiua exequutionis, & cæteræ nolitiones & omissiones ieiunij non sunt nisi actus imperati à prima nolitione. Nullus autem actus imperatus, aut exterior addit bonitatem vel malitiam super actum imperantem.

Item folio 94. Die ter aut quater comedens non totiens peccat mortaliter quotiens plusquam semel comedit. Quia talis postquam comedit secundâ vice, cessat obligatio ieiunij, cùm impossibile sit illud seruare, talis autem non tenetur nisi obligatione ieiunij.

Hæc nos raptim hinc & inde ex antiquo Doctore decerpsimus, omissis solutionibus ad rationes oppositas, quas in illo lector non inutiliter legere poterit, si forte codicem Authoris nanciscatur. Vix autem tam æqua, & rationabilia alibi reperientur de hac materia, & ex quibus magis instrui possit Confessarius ad iudicandum non ieiunantes in iudicio & æquitate.

Cuius sententia quantumuis laxa quibusdam videatur, stricta tamen est in comparatione ad modernos casuum conscientiæ præceptores. Inter quos Ioannes Sanchez in *select. disp.* 54. admittit sumi posse prandium horâ vndecimâ matutinâ expressè; sexagenarios omnes quamuis adhuc fortes robore, eximit à lege ieiunij, quod in hac ætate natura prolabatur, & vergat ad interitum, sitque per accidens quòd vnus sit validior, eximit eos qui non possunt dormire nisi cœnâ captâ. Qui fatigantur ex itinere diurno, quamuis commode in alium diem iter remittere potuissent. Plures denique liberat ab eadem lege ieiunij, quod idem videtur pluribus aliis.

Quare si non arrideat seuerioribus quibusdam antiqui huius Magistri Pariensis Doctrina, magis tamen expertis non omnino displicebit; & sanè illi agant iuxtà seueritatem sibi magis arridentem, damnent omnes, si illis placeat, quicumque non ieiunant, ad excusationes omnes omnium surdi fiant; eiiciant ab Ecclesiâ, & à communione, si illis ita libeat quoslibet fideles, qui ieiunium Quadragesimæ integrum non seruauerint. Dicam illis quod quondam Constantinus Magnus Acesio Episcopo Nouatiano dixit, qui pœnitentibus reconciliationem denegandam esse cum obstinatione contendebat. *Erigito tibi scalam, Acesi, & tu solus in cœlum ascendito*, vt referunt Sozomenus l. 1. cap. 21. & Socrates lib. 1. cap. 17. apud Baronium anno Christi 325. Fateor me quondam zelo hoc fine scientiâ abreptum fuisse, & non vni causam ægritudinum præbuisse, dum indiscretè vix vlla audita excusatione ad præceptum Ecclesiæ seruandum inducerem in ipso actu Confessionis Sacramentalis. Debebit igitur Confessarius vti virtute Epieicheiæ & difficultates ac excusationes non ieiunantium suis ponderibus librare, nec facile peccati mortalis reum & vitâ æternâ indignum iudicare qui vel non seruat omninò, vel tantùm ex parte, ieiunium Quadragesimæ, non ex contemptu, sed ex causâ aliquâ quæ multis videtur rationabilis.

Quod autem attinet ad paruam comestionem serotinam in diebus ieiuniorum, non eadem lex omnibus pro ea debet imponi; si quoad quantitatem, non excedat quartam partem prandij soliti, non videtur multùm vituperanda. Debent considerari personæ, inter quas vni satis est quod alij parùm aut nimiùm. Debet etiam haberi ratio consuetudinis quæ inter plurimos etiam probabilis pietatis, introducta est, & tolerabilius est vt aliqui parùm excedant in illâ cœnulâ, quàm omninò non ieiunent, quia excessus ille non excedit ordinariè limites venialis peccati, omissio verò ieiunij sine causâ rationabili, peccatum mortale inducit. Posset ex iusta aliqua causa mane sumi collatio illa serotina, & differri ad vesperam comestio integra, vt si quis non posset aliter ieiunare, vel non posset dormire, nisi cænasset. *In his rebus* ait D. Augustinus Epist. 86. ad Casulanum, *in quibus nihil certi statuit scriptura diuina, mos populi Dei vel instituta maiorum pro lege tenenda sunt.*

Prædictus Sanchius disp. 52. existimat sumi posse in illâ cœnulâ nocturnâ dimidiam libram ex pane & oleribus arborumve fructibus constantem. Citatque Azorium *tom.* 1.

in

in moral. l. 7. *cap.* 8. in medio *q.* 8. quæ dimidiâ libra non est Mathematicè ponderanda, sed moraliter. Nec obstat quòd aliquis maneat saturatus sumptâ dimidiâ librâ; nam id per accidens contingit, quia non debet esse peioris conditionis. Quod vltimum dictum non placet: nam cùm ista sint moraliter ponderanda, illèque vtatur hoc modo duplici refectione integra, non censetur ieiunare.

Solet autem à plerisque nobilibus & diuitibus qui ampliorem habent familiam quæri an teneantur cogere domesticos seruos & ancillas, filios & filias ad ieiunium, & cœnam illis non subministrare, quia videntur cooperari ad malum si illis cœnam subministrent, si verò denegent forsan peius accidit, dum illi detrahunt & murmurant, atque aliunde sæpe eam conquirunt. In hac difficultate quæ satis frequenter occurrit, censet Thomas Sanchez *Conciliorum Moralium l.* 5. *cap.* 1. *dubio* 17. teneri patres familias præbere suis famulis sufficiens alimentum vt possint ieiunare, si commodè possint. Teneri etiam monere vt ieiunent non tamen cogere & compellere, quia Domini non habent curam spiritualem famulorum vt Episcopi. Quod spectat autem ad filios, tenetur quantum in se est, eos cohibere à peccato & eos educare in disciplina & correctione Domini, vt ait Apostolus ad *Ephes.* 6. idcirco debet eis denegare cœnam si ex iusta aliquâ causâ à ieiunio non excusentur. Si tamen denegatio illa nihil prodesset, quia filius non obedit patri propter proteruiam & cum alio cœnaturus sit, ad hoc pater non tenetur.

Quid verò censendum sit de hospitibus publicis qui aduenientibus peregrinis cœnam parant in diebus ieiuniorum, eosdem excusat prædictus author, laudatque Angles pro suâ sententiâ, quia in hoc proprium munus exequuntur, relinquuntque vnumquemque suæ conscientiæ, *ibidem dubio* 16.

Dices & patremfamilias & hospites illos & caupones cooperari ad malum, si forte aliqui non seruent ieiunium ad quod tenentur. Difficilis semper mihi visa est hæc obiectio, vt plerisque non placeat hæc licentia patrumfamilias & hospitum; consideret tamen qui angitur hac difficultate, num excusari possint per illa quæ scribit Ioannes Sanchez in *select. disp.* 8. *num.* 8. vbi ait, dum adest iusta causa agendi actionem in se bonam, vitiatam verò solum ex defectus & malitiâ petentis illam fieri, agentem tunc non cooperari formaliter ad malitiam: cooperaretur tamen si nullâ oblatâ causâ actionem exerceret ad petitionem iniquè vtentis. Hoc solum

nunc

nunc occurrit quod respondeamus ad difficilem illam obiectionem.

Nec verò mirum esse debet si tot sint dispensationes in lege Ecclesiasticâ de ieiunio, cùm vix vllæ sint in legibus diuinis; nam leges diuinæ per se afferunt sanctitatem, includiturque in ipsis ipsa sanctitas, non sic autem est de legibus Ecclesiasticis. Accedit & alia ratio quòd lex quadragesimæ lata est ab Apostolis initio nascentis Ecclesiæ, in ipso feruore primo Christianæ Religionis, cùm Christiani quilibet ad cruces & martyria quælibet parati erant, nedum ad ieiunia Quadragesimæ: vnde modò refrigescente charitate, non mirum si dispensationes necessariæ sint, maximè cùm in aliis legibus de triplici communione per singulos annos, & consequenter de Confessione dispensatum sit ab Ecclesia: nihil autem hactenus de rigore ieiunij Quadragesimæ relaxatum sit per aliquam legem moderantem.

Denique placet hic addere ex D. Augustino l. 2. de doctrinâ Christianâ, cap. 12. *Fieri potest vt sine aliquo vitio, pretiosissimo cibo sapiens vtatur, insipiens autem fœdissimâ gulæ flammâ in vilissimum ardescat.*

Quæritur sexagesimo octauo quid expendere debeat Confessarius super pœnitentibus, qui cùm publicantur aut cum publicata sunt monitoria nolunt reuelare.

Respondetur in genere loquendo quoscumque fideles obligari in conscientiâ Ecclesiæ obedire, & reuelare ea quæ sciunt cùm publicantur ad hunc finem litteræ monitoriæ sub pœna excommunicationis. Attamen multa sunt propter quæ excusantur aliqui ab incurrendâ excommunicationis pœnâ, si non reuelent ea quæ sciunt, & hæc sunt quæ perpendere debet Confessarius, vt rectum ferat iudicium super pœnitentes.

Primò autem debet Confessarius expendere, an sit causa criminalis vel ciuilis. Si enim monitoriæ litteræ iubeant reuelari reum alicuius homicidij pro quo mors ipsi reo imminet, probabile est neminem teneri ad reuelandum vi monitorij: etenim Ecclesia nescit sanguinem, nec ipsa vult & intendit, ad effundendum sanguinem, cooperari. Vnde refert Barbosa de officio & potestate Episcopi parte 2. allegatione 96. monitoria in criminalibus non concedi ad euitandam irregularitatem. Vnde & ex styllo curiæ Romanæ & Generalis Diœcesanorum vsu in ipsis monitoriis ponitur clausula: *Nolumus autem quod ex reuelatione huiusmodi, si eam fieri contingat* *Causa criminalis & ciuilis.*

contingat nisi pro ciuili interesse & ciuiliter tantùm agi possit, aliàs reuelatio ipsa neque in iudicio, neque extra fidem faciat. Ita quoque statuit Pius V. in D. suâ constitutione, & Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 3.* permittit tantùm gladio spirituali censuræ vti in delinquentes in causis criminalibus, hoc est in reos ipsos. Quasi non concederet vt in alios distringeretur gladius Ecclesiasticus in causis criminalibus. Quia tamen non est praxis omnium Diœceseon, rem non asserimus, sed magnis Doctoribus discutiendam relinquimus. Monitoria ergo obligant cùm agitur de ciuili interesse ad recuperandas res deperditas aut ablatas, aut authorem alicuius damni, vt illud ciuiliter resarciat.

Causa non reuelandi. Norant autem Theologi morales multas causas quæ excusant à reuelatione. Primò enim qui rem ipsam detinet, non tenetur ad seipsum patefaciendum, quia nemo se infamare debet, & accusatus de delicto non tenetur illud confiteri, nisi fides illi fiat semiplenè illud esse probatum. Tenetur tamen rem ipsam secretè restituere, si est iniustus detentor, & si possit. Quòd si rem detineat titulo iustæ compensationis, non tenetur, quia nihil alienum iniustè detinet.

Secundò qui habet scripturas non tenetur reuelare nec exhibere, si inde graue damnum pateretur, vt cùm ex earum exhibitione ius illius maximè infirmaretur, cùm edere actori instrumenta contrà se reus non teneatur; est enim illud nimis durum. Habens scripturas iustè, inquit Corradus 1. parte *quæsito* 171. in *additione*, si timeat magnum in suis rebus dispendium, non tenetur prodere vi excommunicationis. Alij tamen limitant, si illæ scripturæ nullatenùs ius alterius confirment.

Tertiò non tenentur reuelare qui de iure non possunt compelli, vt testes sint. Vt sunt consanguinei omnes in primo gradu. Excipitur tamen crimen læsæ maiestatis.

Quarto qui sciunt sub secreto naturali tantùm & non alia via; nisi ad impediendum aliquod delictum quod vergeret in notabile detrimentum vel publicum vel priuatum alicuius personæ, vel nisi sit impedimentum Matrimonij inter nubere volentes, ad quod reticendum non potest obligare secretum commissum, imò nec iuramentum.

Quintò qui sciunt tantum ab iis qui parum fide digni sunt, vel à personis ignotis, vel nihil certum scientibus: scire autem est veritatem visu vel alio corporis sensu perceptam mente retinere. Ratio est quia parùm certa reuelans periculo leuitatis & mendacij se exponit & reum periculo damni iniusti,

iniusti, vnde nec tenetur personas indicare à quibus rem tenuit. Dicuntur ista (*des oüy dire de ville*) rumores incerti.

Sextò cùm iam reuelauit is à quo didicisti; non teneris ampliùs reuelare; nam iudex ex eo testimonio certior fieri non potest.

Septimò cùm quis ex reuelatione timet sibi graue aliquod damnum ex inimicitiâ capitali quam contrahet. Vnde cùm dominus alicuius pagi minatur omnibus rusticis, & est vir sæuus & meritò metuendus, videntur excusari rustici illius subditi, si non reuelent aliquid contrà ipsum.

Octauò non tenetur aliquis reuelare iustum compensatorem, alij etiam addunt eum qui in grauissima necessitate accepit, & quem benè noueris non posse tunc restituere, cùm literæ monitoriales non possint nec debeant aliter intelligi, quam de iniustâ detentione. Simili ratione non tenetur quis reuelare eum etiam qui per ignorantiã aliquid commisit, nec eum etiam qui sine peccato aliquid fecit, aut alicui occasio damni extitit sine suâ culpâ; talis est de quo scribit D Augustinus *Epist.* 154. Neque enim reus est Christianus si bos eius vel equus aliquem occidat: aut ideo non debent eius boues habere cornua, aut equus vngulas, aut dentes canis. *Absit vt quæ propter bonum aut licitum, facimus aut habemus, si quid per hæc præter nostram voluntatem cuiquam malè acciderit, nobis imputetur.* Sic cùm quis vellet litigantes & pugnantes inter se separare, pugnacem & obstinatam mulierem pugno percussit, quòd nollet desistere à pugna, eo fine vt separaretur. Hæc autem obtinuit monitoriales litteras, vt testimonium haberet contrà eum à quo pacis causâ percussa erat; sanè non tenebantur reuelare qui rem viderant.

Nonò non tenetur denuntiare qui tempore publicationis degebat extrà territorium Episcopi excommunicantis, & tempore dierum intra quos reuelatio debebat fieri, quia Superior non potest censuris ligare existentes extrà territorium. Vnde si redeant aliqui post publicationem, & dies præfixos ad reuelandum, qui aliquando sunt sex, aliquando quindecim pro libitu Episcopi, non tenebuntur reuelare, modò post primam publicationem non exierint extra Diœcesim. Si quis verò elapsis diebus non reuelauit, manet excommunicatus quousque reuelauerit, vt tenetur, vsque ad triennium.

Licet autem has exceptiones multi Authores approbent, quilibet tamen iis ex proprio sensu fidere non debet, ne monitoria frustratoria remaneant & impunita crimina. Cautela igitur

igitur vti præstat, vt qui aliqua ex prædictis exceptionibus vti se posse censuerit, peritum Confessarium adeat, qui rei veritate perpensâ dicat, an teneatur vel non teneatur reuelare.

Addendum est autem iis cùm iudex procedit per inquisitionem generalem, vt sciat quis commiserit furtum vel aliud crimen, non teneri aliquem reuelare authorem illius, quamdiu crimen est omninò occultum quoad illum, & ipse non est vllo modo diffamatus propter illud, nec accusatus. Nisi tamen reuelatio censeatur necessaria ad emendationem rei; tunc enim poterit reuelare Superiori vt patri, non vt iudici; vel nisi sit necessaria ad auertendum graue damnum proximi seu temporale, seu spirituale: tunc enim non est habenda ratio famæ, vt notat Petrus à sancto Ioseph, in Summa Casuum, *de octauo præcepto decalogi, art.4*.

Et si author furti non possit tunc reddere propter inopiam, non tenetur quis eum reuelare, quia detentio tunc non est iniusta, tenetur autem qui scit illum esse authorem furti, monere, vt quamprimum possit restituat, & si intrà terminum præfixum per reuelationem non restituat, cùm possit, debet reuelare iudici: ita prædictus à sancto Ioseph ibidem art.*6*.

Quibus addendum vt cùm excommunicatus ob furtum aut aliam obligationem restituendi, non habet præ egestate vnde reddat, absolui possit ab excommunicatione & promissione, cum hac monitione quòd si non restituat tunc cùm primùm poterit, in priorem excommunicationem incidet, secundùm Bullam Pij V. an 1568. & Bullam Gregorij XIII. an.1572. vt testatur Corradus 1. parte *quæsito* 172.

Quid verò si agatur de reuelando crimine quod scis omninò emendatum fuisse, nec silentium vergere in cuiusquam detrimentum? Probabile est etiam nullum teneri ad reuelationem qui istud certè sciuerit. Vnde si mallet quis suis expensis occultè satisfacere parti læsæ, quàm reuelare personam sibi notam & familiarem, cuius offensionem vereretur incurrere, vt alias quibusdam consuluimus, qui ad hoc magis dispositi erant quàm ad reuelandum, non tenentur reuelare ampliùs; finis enim monitorij est satisfactio: at obtento fine cessat motus. Debent tamen monere eos quorum interest de satisfactione præstita, ne se excommunicatos arbitrentur, aut alteri satisfactioni obnoxios. Hæc omnia pro loco & tempore debet Confessarius expendere.

Si autem quis occiderit defendendo se, nec possit probare titulum

rulum defensionis iustæ, non tenetur vi monitorij semet prodere coràm iudice.

Cæterum cum discrimen sit inter denuntiatorem & testem debet etiam perquirere, si fieri possit, an monitoriæ litteræ obligent tantùm ad testificandum, an etiam ad denuntiandum, quia cùm quis denuntiare non possit, nisi possit probare, non tenebitur denuntiare cui desunt probationes sufficientes; debebit tamen aliquis testari; quia testis non tenetur probare.

Item etiam, si resciri possit intentionem illius in cuius fauorem concessæ sunt litteræ monitoriæ, non fuisse vt excommunicaretur certa quædam persona vt putà vxor, filius aut amicus furti author, quod fieri potest cùm Ecclesia in istis rigorosis non intendat extendere excommunicationem suprà intentionem illius cui conceditur monitorium, tunc talis persona non debet censeri excommunicata, quantumcumque non reuelet.

Quod similiter dicendum est, si Episcopus aut Officialis concedens monitorium, voluisset in mente excipere certam quamdam personam, quantumcumque verba monitorij sint generalia.

Quod si Confessarius nullam legitimam causam videat quâ pœnitens excusatus sit ab excommunicatione incurrendâ, si non reuelet, debet eum obligare ad reuelandum, quamdiu sperabitur reuelatio profutura, & ad resarciendum damnum quod passus est quis ob defectum reuelationis, nec priùs absoluere. Et si excommunicationis absolutio reseruata est, vel per ipsas litteras comminatorias aut fulminatrices excommunicationis, vel per decretum de casibus reseruatis in Diœcesi, debet ad eum remittere, cui absolutio reseruata erit, nisi ipse obtineat potestatem absoluendi.

Poterit autem Episcopus etiam in absentiâ absoluere subditum suum ab excommunicatione quâ sublatâ, poterit ab inferiori Confessario absolui. Quia vt ait Thomas Sanchez in Summâ *libro 2. capit. 11. numer. 14.* absolutio ab excommunicatione potest in absentiâ impendi ex omnium mente.

Interest autem vt confessarius expendat sæpius an sententia excommunicationis sit latæ sententiæ, vel ferendæ, vt videat si actu de facto pœnitens sit excommunicatus.

Quæritur sexagesimo nono quid examinandum sit circa præceptum annuæ Confessionis & Communionis Paschalis.

Mm

Præſupponendum hic ante omnia præceptum quod habetur in Conſilio Lateranenſi ſub Innocentio III. an. Chriſti 1215. celebrato c. 21. *Omnis vtriuſque ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno, proprio Sacerdoti & iniunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere, ſuſcipiens reuerenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, niſi forte de conſilio proprij Sacerdotis, ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab eius perceptione duxerit abſtinendum: alioquin & viuens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtianâ careat ſepulturâ.* Ex his verbis hæc colligi poterunt pro examine huius præcepti, ne longius diſputando extet moles huius libri.

1. Diſcrimen eſſe inter præceptum Confeſſionis & Communionis annuæ, quia illud non eſt determinatum ad certum tēpus anni, illud verò determinatum eſt. Vnde qui coram proprio Sacerdote ſemel, confeſſus fuiſſet, non teneretur iterum coram eo confiteri ex vi huius præcepti præcisè.

Proprius Sacerdos.

2. Per proprium Sacerdotem hîc intelligitur Curatus atque ex conſuetudine is Sacerdos qui eius vices gerit ab eo vel habet facultatem: Nam ſi per proprium Sacerdotem intelligeretur etiam delegatus à ſummo Pontifice aut ab Epiſcopo, fruſtra adderetur iſtud (proprio) cum nemo poſſit aliter confiteri quam Paſtoribus ordinariis eorumque delegatis, inter quos Paſtores alij ſunt magis communes, vt Papa & Epiſcopus, alij minus communes, & idcirco dicuntur proprij, vt Curati, eratque tunc temporis eorum nomen magis vulgare.

3. Qui confitetur non integrè, non ſatisfacit huic præcepto, ſicut etiam qui communicat in peccato mortali: quia ſicut ille non confitetur fideliter, ſic etiam hic non communicat reuerenter.

4. Non eſt reus huius præcepti cui proprius Sacerdos non permittit cito communicare ob rationabilem cauſam, qualis eſſet infirmitas corporis aut aliqua indiſpoſitio ex parte animæ; ſecus eſt de eo cui denegaret abſolutionem, ad quam ex propriâ culpâ diſpoſitus non eſſet.

5. Qui deeſt huic præcepto non eſt ipſo facto excommunicatus, propter verbum arceatur, quod eſt verbum ferendæ ſententiæ non latæ.

6. Qui defuit huic præcepto ſtatim elapſo anno debet & tenetur confiteri. Vtrum vero teneatur etiam communicare diſputatur in vtramque partem. Volunt quidam non teneri vſque ad aliud Paſcha, ſicut qui omiſit audire Miſſam in die feſto

festo non tenetur ante aliud festũ audire, sub pœnâ noui peccati. Sed est probabilius hoc præceptum virtualiter continere duo præcepta, vnum communicandi intra annum, alterum communicandi saltem semel in Paschate: ac propter primum ex his duobus præceptis, obligatur post Pascha ad Eucharistiam, qui in Paschate non communicauit. Ita Card. de Lugo, de Sacramento Euchar. *disp.* 16.

Tempus Confessionis annuæ supputatur à tempore vltimæ Confessionis tempus vero communionis à primo Paschate, quod vocant floridum, Pascha, quod vocant clausum per quindecim dies, alicubi per totam Quadragesimam.

8. Qui habet casus reseruatos & Confessus est Episcopo vel eius Pœnitentiariis, aut regularibus aliisve priuilegiatis à summo Pontifice, satisfacit præcepto annuæ Confessionis coram proprio sacerdote, quia per casus reseruatos est extra Iurisdictionem Curati in eo quod spectat ad pœnitentiam. *Pœnitẽtiarius.*

9. Probabiliter etiam sustineri potest alios qui confitentur Episcopis satisfacere huic præcepto, cum illis principaliter cura commissa sit omnium animarum suæ Diœcesis, nec verisimile sit Episcopos in Concilio Lateranensi congregatos intendisse quidquam derogare suæ authoritati. *Episcopus.*

De Laicis seruientibus in Monasterio, cui debeant confiteri & à quo suscipere debeant Eucharistiam, vix potest certa regula dignosci. Pertinet ad Superiores Monasteriorum diligenter inspicere, si quæ habeant priuilegia, exemptiones, ac Iurisdictiones spirituales legitimas. Multi enim sunt in his abusus, dum vnusquisque vel minimam subiectionem refugit: vt dici possit cum Apostolo *vnusquisque iam suam cœnam præsumit ad manducandum.* Et interim multæ fiunt confessiones informes & sine effectu remissionis peccatorum viâ Sacramenti, defectu Iurisdictionis quæ est de substantiâ & essentiâ Sacramenti: itaut Confessarij nihil efficiant, quamuis probabilitate fulciri se putent, cum tã requiratur Iurisdictio legitima ad solutionem, quam ipse character Sacerdotalis.

11. Præceptum Concilij obligans ad confitenda omnia peccata semel in anno proprio Sacerdoti, intelligitur de peccatis mortalibus. Quia Concilium non statuit aliud præceptum à diuino, sed tantum determinat tempus & ministrum confessionis, relinquens cætera dispositioni iuris diuini, per quod nemo obligatur ad confitenda venialia. Est enim pœnitentia secunda post naufragium tabula: at peccatum veniale non frangit nauem innocentiæ. Imo nec posse Ecclesiam præcipere confessionem venialium, quia non potest mutare ma-

teriam Sacramentorum, multi opinantur. Vnde qui haberet tantum venialia, posset communicare in Paschate sine vlla omnino confessione, & dicenti se non habere peccata mortalia non deberet denegari communio, nisi aliunde prauitas eius constaret. Lud. Beia 2. p. *de Confess. annuâ casu* vnico.

Errores de Paliaco.

12. Vitandi in hac materia errores Ioannis de Poliaco Doctoris Parisiens. damnati à Ioanne 22. scilicet 1. quod confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessionem, tenentur eadem peccata quæ fuerant confessi iterum confiteri proprio Sacerdoti. 2. Quod stante statuto *omnis vtriusque sexus* edito in Concilio Generali, Roman. Pontifex non potest facere quod Parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio Sacerdoti confiteri, quem dicit esse Parochialem Curatum, immo nec Deus possit hoc facere, quia, vt dicebat, implicat contradictionem. 3. Quod Papa non potest dare generalem potestatem audiendi confessiones, immo nec Deus, quin confessus habenti generalem licentiam teneatur iterum confiteri proprio Sacerdoti. Hos autem errores refert Cardinalis de Turrecremata in Summa *de Ecclesia l.4. p.2. c.37.* ex extrauagante Ioannis 22. *vas electionis.* Sed nos plura scripsimus de his difficultatibus in Summa Concil. class. 3. in controuersiis ad citatum Lateranense Concilium sub Innocentio III.

Atque hactenus de difficilioribus circa præcepta Dei & Ecclesiæ quæstionibus, provt ex praxi magis visum est iis instructos esse confessarios expedire, pluribus aliis prætermissis vel minus ordinariis, vel seueritatem maiorem præ se ferentibus, quæ notiora esse solent ex sola terminorum notione, quam vt à nobis explicari necesse fuerit. Quibus autem verbis aptius concludere possumus quam iis ipsis quibus regius Vates affectum suum ad mandata diuina expromit *Psal.118.* qui totus est de mandatis diuinis perversus CLXXVI.

Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.

Beati qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum.

Increpasti superbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.

Aufer à me opprobrium & contemptum: quia testimonia tua exquisiui.

Adhæsi testimoniis tuis Domine: noli me confundere.

Tribulatio & angustia inuenerunt me: mandata tua meditatio mea est.

TERTIA

TERTIA PARS

EXAMINIS

POENITENTIVM.

De Examine diuersorum statuum personarum.

Quæritur primo quomodo Confessarius examinabit pueros qui accedunt ad Confessionem.

NON est difficultas de iis quos constat vsu rationis pollere, sed de iis de quibus dubium est, an polleant vsu rationis, si non totali, saltem partialiter; ita vt capaces sint & idonei ad eliciendum actum doloris, confessionis & satisfactionis. Nõ enim potest certa regula assignari de ætate in qua pueri huius Sacramenti rite suscipiendi capaces sint, cùm in quibusdam rationis radius priùs resplendeat quàm in aliis. Azorius 1. to. *instit. Moral.l.7.c.7.* confutat Sotum *dist.18.quæst.1.art.3.*super 4.sent.quòd velit pueros non teneri lege Confessionis ante duodecimum vel decimum vel decimum quartum annum. Alij communiter putant in septennio teneri. Sed verius tantùm tunc obligari, cùm mortaliter peccare incipiunt, possuntque discernere inter bonum & malum. Quòd pastores ipsorum discernere poterunt, maximè si interrogati, an liceat innocentem interficere, aliena rapere, pugnare inter se, mentiri, maledictis aliquem impetere, respondeant ista non esse licita,& puniendos à Deo qui hæc perpetrant. Hoc enim indicium est rationis saltem inchoatæ.

Fatendum est tamen quosdam esse longe diligentiùs aliis instructos, vt ita respondeant, qui propterea maiori rationis vsu non polleant, cùm ita loquantur vt psittaci. Quare prudentia hîc requiritur Confessarij, vt primum istud discernat, & si sit tãntisper dubitãdi locus,non absoluat,nisi cũ hac conditione, in quantum possum & indiges, quia facile est Con-

fessariis labi in istis Confessionibus. Et examen vsus rationis in ipsis magis pertinet ad eorum parentes tutoresue cum quibus magis conuersantur, quam ad confessarios.

Exemplum. Certè narrat Gregorius magnus puerum quinquennem malè à parentibus nutritum & ideò maiestatem Dei blasphemare solitum, mox vt eius animo aliquid obstitisset, etiam morientem blasphemasse, cùm Dœmones in specie Maurorum hominum eum vellent rapere in conspectu patris, quatenus pater ille reatum suum agnosceret, qui paruuli filij animam negligens, non paruulum peccatorem gehennæ ignibus nutriuisset. Hæc sanctus Pontifex, ex quibus discimus etiam ante septennium, posse aliquando mortaliter delinquere pueros,

Vtile est autem vt incipiant confiteri à quinquennio vel à septennio, & si Confessarius non debeat illi impendere absolutionem, sed solam benedictionem: sic enim discunt paulatim confiteri & peccatum timere, ac Deum reuereri; censet tamen Bernardinus Posseuinus *de offic. Curati c. 7.q.36.* in articulo mortis, & si non constet plenè de vsu rationis audiendos & absoluendos, cum conditione superius allata, vt illorum saluti cautiùs prouideatur.

Præterea notandum est, non teneri ad leges Ecclesiasticas ante septennium, quare si antea non abstineant à carnibus, & ouis, non peccant: nec tenentur ante duodecimum annum communicare. Licet filij nobilium citius admitti possint ad communionem, quod ordinariè acriori mente polleant, & melius instructi esse soleant. De receptione Extremæ Vnctionis, idem aliqui ferunt iudicium ac de receptione Eucharistiæ.

Porrò ea de quibus debent interrogari explicantur à sancto Antonino in summa *Confessionali 3.p.c.10.* Inquirẽdum est, inquit, de mendaciis, de votis non impletis, quæ tamen non obligant, si irritantur à parentibus ante annos pubertatis, de missa non audita in diebus festis, de irreuerentia ad parentes & maiores, de rixis, *&c.*

Dubitatur autem à quibusdam, an cùm primùm confitetur puer, necesse sit eum inducere ad actum amoris Dei super omnia, ad quem Nauarrus in *manuali cap. 11. num. 8. post D. Thomam 1.2.quæst.89.art.6.* putat puerum obligari, cùm in eo incipit vigere ratio. Bonum est hoc, inquit, præfatus Posseuinus *loco cit. quæst. 38.* sed non credo curatum, peccare mortaliter istud omittentem, & sapit scrupulum velle puerum in puncto Confessionis accipere vsum rationis, & non antea,

Actus amoris diuini.

&

& si habet ante, tunc tenebitur ad eliciendum actum hunc, nisi velis dicere tunc supplendum esse defectum. Vide quæ supra dicta sunt *p. 2. quæsito 3.*

Quæritur secundò. Quid examinare debeat Confessarius in pœnitentibus magno aliquo mœrore oppressis.

Suspecta meritò debet esse Confessio eorum qui magno aliquo dolore conficiuntur, seu dolor ille proueniat ex insigni aliquo, & valde enormi peccato, seu ex præsentis vitæ calamitatibus innumeris.

Plures enim ex iis qui grande aliquod scelus perpetrarunt, hoc solum præ oculis habentes, nihil præter illud confitentur, ac sibi ipsis videntur omnino conscientiæ satisfecisse, dicentes posteà se nullo alio peccato premi, etiam si à pluribus mensibus vltima vice confessi sint, pluraque alia, sed minùs atrocia peccata admiserint. Qui mihi sæpe reuocant in memoriam Taciti in Annal. verba, de quodam corruptissimo Asiæ Quæstore, & qui cum ob multa scelera infamis esset, cum aliud longè aliis omnibus turpiùs admisisset, de hoc solo vltimo notabatur. Magnitudine vnius sceleris, inquit Tacitus, cætera obtegebat; sic est de istis, vno crimine cætera velut obtegunt; idcirco etiam à Confessariis ratione status & conditionis discutiendi erunt.

Alij autem qui degunt in angustiis, sæpe nihil aliud offerunt ad absoluendum, quàm narrationem prolixam suarum afflictionum quarum hi & illi, hæ vel illæ in causa sunt, seque satis exoneratos putant, cùm inutiliter aures Confessarij pulsauerunt suis conquestibus, & cùm mens eorum tota veluti submersa sit in mœroribus, vix habent motiuum supernaturale doloris, præterquàm quòd materiam sufficientem non exhibent absolutioni, cùm tristem fuisse, aut afflictum fuisse peccatum non sit; nisi afflictio ita animum absorbuisset, vt earum rerum quæ sunt in præcepto, exercitium abstulisset, aut ad agendum quidpiam contra rationem impulisset, vel aliquod detrimentum notabile procreasset, vt aliquando in prægnantibus quæ ex nimio mœrore abortiunt præpropero & infœlici partu.

Debebit igitur Confessarius procurare vt & verum dolorem concipiant, & integrè confiteantur. Etsi enim ordinariè impatientia, prout vsurpatur, pro aliqua mentis repugnantia & auersione à vitæ calamitatibus, non excedat limites venialis peccati, imò videri possit plerumque esse solùm imperfectio, si nullum inde scandalum aut malum aliud oriantur, cùm insensibilitas in aduersis, non sit opprobanda,

& laude digna : est tamen vitium periculosissimum, vt benè aduertit Martinus de Magistris in libro *de Fortitudine* fol. 97. Probatur; inquit. Omne vitium inclinans ad vitia multa & grauissima, est periculosissimum. Sed impatientia est huiusmodi, igitur, Minor probatur, quia inclinat ad iram, inuidiam, odium, homicidium, vltionem, inclinat ad blasphemiam diuini Nominis, execrationes, contemptum Dei, præceptorum & consiliorum illius. Proindeque ea poterunt ab iis inquiri pro prudentia Confessoris, qui etiam prudentes monebuntur aliquando vt magis doleant pro Dei offensa, quàm pro afflictione propria qua diuexantur.

Quæritur tertiò. Quid examinabit Confessarius in Confessione scrupulosorum.

Scrupulosi qui. Per scrupulosos non hîc intelliguntur illi pœnitentes, qui semel aut iterum dubitant sine causa, aut potius metuunt, num sit peccatum vbi apparenter non est: sed magis intelliguntur qui sæpe & multoties, sine legitima ratione taliter metuant, & quasi ex consuetudine & habitu apprehensionibus, & suspicionibus temerariis, & absque fundamento diuexantur, etiamsi nonnumquam à sapientioribus se audierint se sine causa turbari & metuere. Sunt autem duplicis generis scrupulosi: quidam qui in certa materia, vt in castitate, aut in votis, aut in legitima dispositione ad rectam Confessionem scrupulos patiuntur: alij qui circa plura anguntur, cum quibus proinde magis laborandum est Confessario, non quidem vt eorum peccata discutiat, quæ ipsi superabundanter aperiunt & explicant.

Sed primò in iis qui tales apparent, debet discutere Confessarius, an verè tales sint, quod facillimè dignoscitur ex reiteratis eorum Confessionibus. Nam ex vnica Confessione non semper tam certo id patere potest. Inseruit autem hæc cognitio vt modo conuenienti se gerat cum eis, quia regulæ communes non sunt aptæ scrupulosis; vnde non valet in eis hæc regula: qui facit aliquid cum dubio ne peccet, peccat: est enim hoc priuilegium scrupulosum, quod si aliquid agant ex his circà quæ scrupulis anguntur cum conscientia peccati, non propterea peccant, sicut alij, quia non sunt liberi ad deponendam istam conscientiam & errorem. Maximè vero id verum est, cùm agunt contra proprium dictamen conscientiæ, sequendo aliorum iudicium vt Confessariorum. Quod fusè ostendit Ioannes Sanchez in *select. disput.* 21. Quia scrupulosus opinans per principia intrinseca, aliquid illici

illicitum, potest illud operari inductus per principia extrinseca, vt sunt opiniones Doctorum qui licitum putant. Est enim tunc agere ex aliorum iudicio, contempto proprio, quod scrupulosorum salus est, & sanitas & certissimum antidotum.

Secundò, debet perspicere à quo tempore sic anguntur scrupulis, quia expedit nonnullis qui licentius vixerunt, scrupulis augi, vt ad octo, aut duodecim menses: ex hoc quippe mens eorum longè purior euadit, & sicut aurum probat fornax, & ab omni impuritate secernit, sic scrupuli quasdam animas, modo tamen non sint diuturniores. Præclarè D. Augustinus l. *annot.* in Iob. cap. 6. *nisi enim gaudium spei nostræ, cum tremore damnationis esset in nobis, negligens esset ipsa securitas & superba præsumptio.*

Tertio, debet attendere; an tantùm de iis peccatis se accuset in materia circà quam scrupulos patiuntur. Quia ordinariè talia peccata verè peccata non sunt, nec materia sufficiens absolutionis; vt si quis scrupulosus in materia fidei, dicat se habuisse cogitationes abominabiles contrà Fidem, contrà Deum, contrà B. Virginem & huiusmodi, si enim non præbeat alteram materiam certiorem, remittendus est constanter, illi significando talia peccata non esse, sed debere ista contemptui haberi. Idem esto iudicium, si dicat scrupulosus se accessisse ad Euchatistiam cum conscientia peccati, quod forsan omnia mentis suæ deliria putet se non satis in Confessione aperuisse, itaque debet inquirere Confessarius materiam aliam sufficientem, si forsan inueniatur, nec aliter absoluere.

Quarto debet scrutari Confessarius causam scrupulorum si fieri possit, vt aptum eis remedium apponat. Aliquando enim oriuntur ex ignorãtia aut errore circà doctrinam Ecclesiæ. Vt quod quisque teneatur facere quicquid potest. Quod cum extremo feruoris conatu quisque pœnitere adstringatur. Quod omnes peccantes corrigere fraterna correctione teneatur. Quod sola cogitatio mali peccatum sit. Quod non vacet culpa quisquis omnes sine exceptione actiones ad vltimum finem expressè non refert, & alia huiusmodi quæ sunt scrupulorum semina, quæ non difficilè eradicantur propositâ verâ doctrinâ. Alias scrupuli oriuntur ex infirmitate capitis & mentis debilitate: aliquando ex complexione frigida apta ad timorem. Aliquando ex stultitia & melancholia, difficilioresque sunt ad sanandum scrupuli ex his tribus causis progeniti. Nonnunquam immittuntur à dæ-

mone, contra quem prodest humilis oratio. Quandoque ex consortio scrupulosorum aut librorum in quibus non nisi severior doctrina explicatur; & si semper, & vbique non sit magis vera: proinde aliquibus proderit abstinere à talium consortio & à tali lectione. Vnde & monialibus non permittuntur authores casuum conscientiæ. Multùm vero fouentur scrupuli ex occultâ superbia, ac firmitate proprij iudicij, cùm scilicet scrupulosi valde tenaces sunt proprij sensus, nec volunt acquiescere. Vnde & multùm laborandum est Confessariis cum talibus contendendo. Sed quo plus patientiæ & laboris, eo magis coram Deo meritum adaugetur.

Varia remedia iam explicuimus aliàs in Theologia affectiua, seu Thoma meditante 1. secundæ *tract.* 2. *medit.* 12. *puncto* 3. *edit.* 3. *&* 4. ex variis authoribus desumpta. Multa etiam affert Bresserus toto libro 6. qui est de *conscientia scrupulosa*. Hic vnum addemus ex Hieronymo Hangesto inter antiquos Facultatis Parisiensis Doctores non obscuro in *Moral. cap.* 15. Reperiuntur enim nonnulli, inquit, ô quam periculosum! qui diligentiam quantamcumque fecerint, nunquam hoc assumunt credulitatis iudicium: scilicet quo se mundos esse existiment, *&c.* causam autem huius quærenti, respondent (nescio, inquiunt, an sufficienter omnia obseruauerim) nec particularem aliam suæ scrupulosæ, profectò nonnunquam stultæ conscientiæ assignant rationem: id enim à dæmone plerumque suggeritur, nam præ nimia mentis turbatione plerumque pereunt, deuotio, feruor, spes, spirituale gaudium & huiusmodi commoda quæ ipsi, se esse mundos pio assensu credentes, assequi solent. Sic prætereà animos implicat naturæ fraudulentus hostis quatenùs ad deteriùs, quale est desperatio, indigna Sacramenti contrà conscientiam susceptio, aut aliud simile eos perducat. Vult scilicet author ille expedire, vt Christiani qui pœnituerunt de peccatis, concipiant moralem quamdam certitudinem de immunitate à peccato, his principiis innixi. Primum, quod qui pœnitet vt debet, mundatur. Secundum, quod ipsi pœnituerunt vt debuerunt. Vnde sequitur quod ipsi mundi sunt. Maior est maxima fidei seu axioma certum. Minorem etsi non ita infallibilem, habet tamen rationabilem credendi causam, qui hæc tria in se experitur: quæ sunt peccatorum displicentia, cauendi propositum propter Deum, & propositum confitendi; hæc enim tria quis in semetipso experiri potest: post integram enim eorum obseruantiam credens vel dubitans se non esse omnino mundum, ipse de legis & diuinæ bonita

Confidentia de bono suo statu.

bonitatis promissionis veritate non aliud suâ bonitate & clementiâ à nobis requirentis,dubitat.

Addit quandoque Christianos obligari sub præcepto ad habendam hanc credulitatem, vt cùm aliàs Sacramenti indigna esset,& contrà conscientiam susceptio, aut scandalosa eius omissio,aut aliud tale. His enim stantibus teneretur quis se esse mundum credere. Quid,quæso, sic assentire noceret, potius profecto fructum exigente casu, affert non modicum pia huiusmodi credulitas. Confirmat hoc, quia inter gratiæ & peccati statum, seu inter filios regni, & perditionis nullum est medium. Et quamuis motiuum istud credendi;iste vt debuit pœnituit, non sic omnino, incertitudinem tollit, non obest quin ipsum valeat ad verè firmiterque credendum se integrè pœnituisse atque gratiam obtinuisse, sufficiens medium, per quod ad credendum se esse in gratia obligari possit viator.

Quam doctrinam antiqui Doctoris ideò hîc proponimus, quia confortat consolidatque non parum scrupulosorum animos, si illis debitè proponatur;ex hac enim alacritatem spiritualem non modicam hauriunt, ex quâ leuiùs habent minusque turbantur à scrupulis.

Dices forsitan bonarum mentium esse timere culpam vbi non est. Sed dico etiam prudentium mentium esse bellum non iniicere vbi non est; & pacem non turbare quando necessitas non est. *Noli scrutari*, inquit sapiens Prouerb. 14. *in domo iusti iniquitatem,neque vastes requiem illius.*

Quæritur quartò de mox nupturis quo pacto examinandi sunt.

Iam aliqua dicta sunt in secundâ parte huius examinis cum de nubere volente inuito patre & matre actum est. Plura autem supersunt dicenda.

Primum est cum ille qui nupturus est, habet debita, quæ non manifestat sponsæ futuræ & eius parentibus, qui matrimonio non consentirent, si ea rescirent. Doctor quidam à me consultus ea de re, tenet non astringi ad omnia debita manifestanda, si ea de re non interrogetur. Et certè inter valde magnos supponuntur esse debita, & decipi volunt qui filias nuptui tradunt nobilioribus, si credant eos nullis debitis oneratos. Vnde quemadmodum mercatores non semper obligantur ad deregenda omnia vitia rei venditæ, sic nupturi ad aperienda sua omnia dedecora, quæ inquirere aliorum est: & vt potest ordinari qui habet titulum etiamsi aliqua debeat,sic videri posset idem asserendum de nupturo. Quid quod sponsa futura

futura non tenetur aperire fornicationes præteritas, cur igitur vir debita omnia? Dicendum videtur in hac difficultate absolui posse, si non affirmauit positiuè se nulla habere debita cum aliunde bona sufficientia possideret pro dote puellæ cuius ambit nuptias. Sed si de debitis interrogatus negauit se habere: aut maiores diuitias vel suppositicias ostentauit, non videtur posse absolui, nisi velit desistere à nuptiis aut veritatem aperire.

Quid verò si alteri promisit nec vult illi seruare fidem? Discutiendum erit tunc an valida sit prior illa promissio, nec possit ab eâ resilire iustas ob rationes, nec enim corpus proprium alteri iam obligatum alteri tradere poterit sine culpâ. Si autem fictè promisit alteri de promissione non tenetur, nec si promisit illi quæ reciprocè non repromittit, cum promissio tendat ad mutuum contractum. Nec si promisit solum, sed inuitis & reclamantibus maximè parentibus, quorum interest cui nubat filius; si enim sponsam non deflorauit nec grauius aliquod malum sequatur, videtur irrita esse talis promissio, cum ob iustas causas dissentiunt omnino parentes. Etsi enim matrimonium ratum iis inuitis contractum validum sit, æquum nihilominus videtur cum res est adhuc integra, necdum contractum, vt possint illud impedire.

Dubium de morte viri prioris.

Mulier nubere poterit alteri viro cum valde probabili opinione de morte prioris mariti, quia in moralibus ad benè agendum sufficit valde probabilis præsumptio, etsi opinio non sit omnino certa. Docet Diana *tr*, 4. *resol.* 114. quamuis proprius Curatus teneatur seruare quæ circa hoc præscribunt Episcopi.

Quid si sponsus de futuro audiuit ab aliquo sponsam fuisse fornicatam? Non videtur propterea Confessarium posse illi indulgere vt sponsalia dissoluat, si testis tantum de auditu deponat, neque etiamsi rumor sit viciniæ etiam quoad maiorem partem. Secus dicendum est si testis asserat cum iuramento se certo scire.

Quid verò discutiendum, si nupturus cum aliqua rem habuit, cum eius propinquâ in secundo gradu consanguinitatis aut affinitatis: est enim tunc impedimentum affinitatis. In hoc casu operæ pretium est monitos semel esse Confessarios, vt exactè aduertant an actus coitus ita completus fuerit ex vtraque parte, vt commixtio seminum & vna caro fuerit, vnde sequi potuerit generatio: sic enim dispensatione opus erit antequam matrimonium contrahatur. Si verò qui nupturus est, in ipso actu se retraxit, ne mulier semen reciperet,

aut

... ſi mulier ita reſtitit vt appareat non fuiſſe ex hoc pollu... , nullum eſt impedimentum. Sicque expertus ſum plu... liberatos eſſe à diſpenſatione cum multis laboribus & dif... ...ltatibus obtinendâ, rei veritate diligenter ponderatâ.

Dubitari verò poteſt an debeat monere pœnitentem, qui ...orat hîc eſſe impedimentum cum reuera ſubeſt. Sed vi...dum quid de hac difficultate dictum eſt in examine Con...ſſariorum. Certè Confeſſarius monere non debet quoties...mque pœnitens laborat ignorantiâ inculpabili, & ex mo...ione emenda non ſperatur, aut valde difficile eſt remedium. ...de reſoluit Corradus 1. parte, *quæſito* 141. mulierem quæ ...e matrimonium cum viro, rem habuerat cum eius fratre, ...nendam non eſſe à Confeſſario ex Soto in 4. *ſent. diſt.* 18. ...*ſt.* 2. *art.* 4. ſi eum non interroget. Docere enim tenentur ...nfeſſarij ea quæ omnes ſcire tenentur, quodcumque naſca... ſcandalum: at illud ſcire impedimentum omnes non ...ligantur.

...upturą cum eo qui eſt in peccato mortali, & erit tempo... contractus, dubitat an poſſit cum illo contrahere. Verum ... ſi illi adminiſtret Sacramentum vt ab eo ſibi adminiſtre..., non peccat, quia Chriſtus voluit relinquere hunc contra... humanum, qualis apud homines fiebat, ne per eleuatio...nem ad Sacramentum difficilior eſſet. Ita de Lugo *de pœn.* ...*p.* 14. *ſect.* 8. § 2.

Quid verò ſi qui nupturus eſt ſponſalia prius contraxit ...m ſorore illius quam ducere in vxorem meditatur. In hoc ... perpendere debet Confeſſarius an priora ſponſalia diſſo... ſint ex mutuo conſenſu ante mortem. Ex talibus enim ...nſalibus non naſcitur impedimentum publicæ honeſtatis, ...t cenſuit Congregatio Cardinalium, referente Pontio *l.* 7. ... *Matrim. c.* 36.

Præterea dubitatur ſæpe à Confeſſariis an abſoluere poſſint ...um qui ſponſam de futuro ſæpe ita inuiſit vt cum eâ peccet, ...el per tactus impudicos, vel etiam per ipſam fornicationem, ...ec proponit abſtinere in poſterum ab eâ inuiſendâ, licet ...roponat ſe non peccaturum amplius cum illâ. Videtur ...im ille in periculo proximo peccandi ſi inuiſat, aliundè ... non inuiſat, excidere poſſet à nuptiis cum magno ſuo de...imento, & videtur id procorum conſuetudo exigere vt viſitent ſæpius mulieres quarum matrimonium exoptant. Ioannes Caramuel. Doctor Louanienſis ſtylo ſatis aperto in *Regulam D. Benedicti num.* 1056. difficultates de periculo proximo diſſoluit ad tollendos, inquit, imperitorum ſcrupulos.

ſcrupulos. Ait primò vt periculum cenſeatur proximum, debere eſſe euidens phyſicè aut moraliter ; ſi enim ſit tantum probabile, periculum non eſt morale : nam probabiliter etiam cenſere poterit periculum nullum ſubeſſe. Si iueris ad talem domum decies , & quinquies non peccaueris , eſt probabile ſi reuertaris te peccaturum eſſe , & eſt æquè probabile te non peccaturum eſſe : ergo non eſt periculum proximum. Si octies iueris & ſepties peccaueris,& ſemel non peccaueris,eſt probabilius te peccaturum eſſe:eſt tamen probabile te non peccaturum.Ratio eſt quia octaua pars grauis, & conſtantia quam ſemel habuiſti contra ſeptem lapſus dat grauem auctoritatem , facitque opinionem probabilem , ſi nouies iueris & octies fueris lapſus,ſcias te exponi periculo proximo ſi reuertaris,quia nona pars non eſt grauis authoritatis.Periculum cognoſcitur ab experientia , quod & optimè notauit Suarius de *Charitate, diſp.9 ſect.2. num.* 8. Vbi ſic ait , periculum eſt in determinatâ materiâ in quâ ſe fragilem quis expertus eſt & examinare periculum proximum, nihil eſt aliud quàm conſulere experientiam , & videre vtrum tuæ futuræ conſtantiæ faueat grauis experientia. Quod ſi mutentur circumſtantiæ tollitur periculum proximum ſi non poſſit iudicium ſumi ab experientiâ. Puta ſi octies iueris ad talem domum cum lapſu ſemper , & velis reuerti cum ſocio prudenti & modeſto , credo te iam non exponi euidenti & proximo periculo , quia nondum certo noſti quid ſis facturus, præſenti tali ſocio, & ideo quoad vſque experiaris , pro te ferre fauorabilem ſententiam potes. Hinc, inquit, lux obſcuriſſimis difficultatibus.

Hoc habet hæc ſententia quod manifeſtè demonſtrat Confeſſario, vt ſe gerere debeat in multis caſibus. Videtur tamen auctor nimium addictus numero octonario , quod putet res phyſicas tantum habere octo gradus intenſionis , cum alij etiam vigeſimum quartum gradum admittant, Sed & periculum proximum nō admittit niſi poſt experientiam,quam ſæpe tamen præcedit, vt ita multis accidere poſſet quod illi, qui tunc ignem extinguere conabatur , cum iam domus conflagrata eſſet : eſt enim aliquod periculum proximum ex ſe & ex natura rei , quod alij dicunt periculum formale, & certum, etiamſi quiſpiam nondum illud tentaſſet , quale eſt quod ſupra relatum ex Martino de Magiſtris *in libro de temperantia* , quod ipſe vocat *periculum obruens* , vt ſi quis nudus cum nudâ in eodem lecto decumbat , etiamſi nondum expertus ſit grauiora peccata quæ exinde prouenirent,

contra

contra quod periculum effulminatur illa sententia, *Eccles. 3. qui amat periculum, peribit in illo.* Fatendum est tamen experientiam rerum multum afferre ad cognoscendum periculum proximum, cui aliquis se exponit in diuersis actionibus.

Ideoque vtilissima esse potest ista regula Caramuel cum prædictis exceptionibus, quamuis Confessarij omnes non adigantur ad illam semper sectandam, nec vituperandi sint, si aliquando denegent absolutionem iis qui sine necessitate periculo valde probabili se exponunt. Non enim semper omnia illa expediunt quæ licent in rigore.

Si autem habeant delectationes morosas in tactibus & osculis, quæri etiam potest, quod erit munus Confessarij ad peccatum mortale in iis discernendum.

Porrò ex his quæ explicata sunt circa nonum præceptum intelligi potest, quid sit delectatio morosa: Non enim est ipsa membri erectio, quæ si sola est, non est motus inordinatus aduersus castitatem, cum sæpe ex retentione vrinæ proueniat, ait Ioannes Sanchez in *Selectis disp.* 21. *num.* 18. Nec vetis sectatoribus puritatis præiudicare ad eam obtinendam, ait Cassianus *collat.* 12. *cap.* 11. Si hæc commotio ex prædictâ causâ interdum per soporem necessario excitatur. Est igitur delectatio morosa ipsa titillatio carnis, cum quadam commotione spirituum genitalium (gustum alij vocant, alij aliud) & cum complacentiâ positiuâ voluntatis ad illam, post aduertentiam. Quæ quidem delectatio morosa duplex est, alia leuis & modica, alia grauis & vehemens, vt ibidem dictum est. Deberetque pœnitens accusare se de leuitate, vel grauitate istius delectationis, cum ordinariè si leuis sit, peccatum veniale non excedat, si grauis sit & vehemens, peccatum mortale fit. Difficillimum est autem Confessario, nisi pœnitens id aliunde sciat, vt qualitatem istius peccati expiscetur ab illo. Quare multa semper supererunt quæ de hac materiâ dici aut scribi possint, & quæ forsam etiam iudicio diuino reseruata sunt.

Delectatio morosa.

Denique ad ampliorem harum difficultatum, quæ multæ sunt quotidianæ, annecto quæ nouissimus addit Author Pontius *in 2. sent. disp.* XLII. *quæst.* I. *num.* 29. Nulla delectatio intellectus aut voluntatis de re licita secundum se mala est, nec vlla intellectus delectatio de obiecto etiam malo est peccaminosa; nisi quatenus esset causa alicuius vlterius mali, *num.* 30.

Potest quis licitè velle facere opus illicitum iure positiuo &

Resolutiones I. Pontij Hibern.

& naturali, cum conditione quod non esse illicitum, *num.* 33.

Potest quis velle vtilitatem aliquam sequentem ad opus illicitum sine consensu in opus, *num.* 54.

Posset quis desiderare pollutionem absque culpa nocturnam scilicet, modo desiderium aut cogitatio non essent causa cur veniret. Quia delectatio ipsa secundum se non est mala modo non intendatur directè vel indirectè.

Sequuntur directè quando quis intendit per se ipsas P. & in ordine ad illas applicat causas indirectè quando nollet eas sequi, facit tamen ad alium finem aliqua ex quibus sequuntur & cognoscuntur secuturæ, *n.* 43.

Cauendum semper ne sub prætextu occasionis sufficientis aliquando fiant illa ad quæ sequuntur cum commodè possent omitti, ille tamen securius potest dare occasionem ad alium bonum finem qui experientia comperit minus sibi periculi in consensu aliquo illicito & in intendenda directè ipsa delectatione.

Si quis reflectendo supra seipsum inueniat se sic dispositum quod non applicare causas ad quas sequitur delectatio nisi illam experiretur aut experiri soleret, regula est ad cognoscendum quod directè illam intendat, *num.* 45.

Quanti autem momenti debeat esse finis alius ob quem quis posset facere illa ad quæ cognoscit secuturas delectationes, vix definiri potest, & in primis certum videtur quod non debeat esse necessarius ille finis, quia significatio amicitiæ quæ fit in aliquibus locis per oscula & amplexus non est ita necessaria quin possit quis illam omittere, & idem est de studio & multis conuersationibus non tamen ob necessarios fines.

Al. Quamuis.

Monitũ vtile.

Itaque existimo saluo meliori iudicio, quoties actio illa ad quam sequitur, aut sequi solet delectatio est actio talis, quam quis alias fecisset etiam si non sequeretur delectatio, & cuius omissionem aut impedimentum haberet pro incommodo, casu quo non soleret sequi delectatio, posse quem eam exercere non obstante quod hic & nunc sequeretur delectatio: ratio est quia videtur in re tanti momenti & quæ in praxim quotidie venit debere esse aliquam regulam certam, ac facile omnibus notam secundum quam possint dirigere actiones suas & cognoscere quando possint hoc vel illo modo se gerere absque peccato: sed non videtur mihi posse assignari vllam meliorem, ac magis facilem quam si teneatur hæc resolutio: ergo est bona.

Confirmatur hoc, quia quod in alijs similibus occasionibus

nibus tradi solet, nimirum recurrendum ad iudicium prudentis viri, omnino non videtur mihi saltem hic satis esse opportunum: tum quia occasiones de quibus hic agitur sunt frequentes, quando non adest alius prudens vir, tum quia ipsemet prudens vir debet habere aliquam regulam, secundum quam possit ferre suum iudicium. Confirmatur secundo, quia delectatio non intenta directè per se, vt sic non est mala, alias nullus finis aut necessitas excusaret ipsam, nec etiam delectatio non intenta per se, sequens autem ad actionem non necessariam, vt patet ex dictis, sed hoc supposito non apparet ex quo capite delectatio non intenta per se, sequens tamen ad actionem alias eliciendam & cuius impedimentum alias haberetur pro inconuenienti esset mala, nec est ratio aliqua, aut authoritas vnde id colligatur: ergo non debet dici quod sit mala, quia non est iugum Christi reddendum grauius quam necesse est ex authoritate aut ratione. *Iudiciū prudentis.*

Confirmatur tertio quia ob similem finem posset mulier pulchra & ornata secundum suum statum prodire in publicum, etiamsi ex adspectu illius verisimiliter alius peccaret: ergo multo magis posset quis intendere tales fines, etiam si existimaret secuturas tales delectationes, quæ ex naturâ suâ intrinsecâ non sunt peccata; & sanè hæc confirmatio mihi est magni momenti.

Hæc autem resolutio magis certa est minus difficilis quoties non est periculum consensus directi in delectationem aut voluntatis procurandi ipsam aut desiderandi aliquem alium actum illicitum, vt pollutionis, aut concubitus illiciti.

Addit, quoties actiones sunt bonæ & solum essent vitandæ ratione periculi, si huiusmodi spectant ad statum alicuius qui sine iis non posset satisfacere suo muneri, non debere se abstinere ob periculum consentiendi, sed debere se præparare orationibus, quæ vltima, est improbanda. *Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur & detrimentum animæ suæ patiatur.* *Resolutio omnino.*

Nec opus esset vt tot scriberemus de istis, si omnes Christiani toto corde castitatem amarent, possentque sibi vsurpare istud Propheticum, *Quoniam tu possedisti renes meos.* Aut exercitium castitatis, quod fit in scholâ Iesu Christi, summopere diligerent. De quo exercitio sic Ioannes à Iesu Maria *schola Iesu Christi, parte 5. cap.* 14. Beatissima est schola tua, Domine, quæ castigat concupiscentiam tanquā equum fallacē ad salutem, qui in abundantiâ virium suarum non saluatur. *Psal. 138.*

O quam pulchra est, rex pacifice, casta generatio quærentium te, quam illustrat claritas vultus tui. Corda casta, ad tè suspirantia sunt lilia candidissima paradisi tui, quibus delectatur anima tua. Quod benè intelligentes discipuli tui, domine; vitiliter pugnant pro decore castitatis, tenent gladios super femur suum: præcinctisque lumbis vigilant ad te, ne vnquam inquinentur stolæ eorum, quibus decorantur ad nuptias agni Dei Difficile numerari possunt vigiliæ, ieiunia, cilicia & aliæ corporis castigationes quibus exercent se ad tuendum decorem puritatis, qui somno, cibo & mollitie solet offendi. Videntur certè solliciti amici tui, domine mille oculos habere ad circumspiciendum occasiones & pericula lædendi castitatem, quasi viatores prouidi thesauros portantes qui timent insultus latronum. Et ideo non cessant diebus ac noctibus offerre tibi preces, & suspiria inenarrabilia, vt liberes eos de manu angustiæ, & de multis tribulationibus quæ circumdederunt eos. Certè bellum hoc quod nascitur à lege membrorum horribile est; nam & confringit Cedros Libani, & facit quandoque stellas de cœlo cadere, vt tristissimis historiis proditum est. Quocirca milites tui Domine, clamant ad te de profundis cordium suorum, scientes quale bellum gerant, & quam fragilis sit omnis homo, nisi fortissima gratia tua firmet illum, *&c.*

Quæritur quintò, quid perpendere debeat Confessarius in pœnitente, cuius matrimonium est inualidum.

Ad hanc quæstionem multa reduci possent, nos magis necessaria perstringemus.

Primo aliquando Matrimonium non est validum, quia vir consensum non præbuit aut tantum ex graui metu, quo insufficiens materia redderetur, & tamen habitat cum vxore. Monendus est vt consentiat liberè interius antequam vxorem amplius cognoscat. Si verò pœnitens non vult stare Matrimonio iam contracto propter illum metum quo consensus redditur nullus, sciendum est an nunquam consenserit ab eo tempore à quo resciuit Matrimonium inualidum fuisse, quia si ab eo tempore consensum præbuit rem habendo cum vxore animo maritali, videtur tunc validum esse Matrimonium, nec posse separationem iustè prosequi.

Quid si post Matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum dicat vir se non consensisse. Si hoc credat vxor debitum non potest exigere aut reddere. Sed forsan vir mentitur. Itaque, si nihil obstet in contrarium, credat virum esse mendacem reputans maioris fidei verbum primum exponens consen-

sum,

sum, quam verbum negans illum fuisse, post nuptias celebratas. Ita Michaël Palatius *in* 4. *dist.* 27. *disp.* 1. Alioquin vtrinque est illi periculum siue accedat siue recedat, & tunc videtur lupum auribus tenere aut inter duas versari flammas.

Grauior est difficultas cum Matrimonium est inualidum ex impedimento criminis occulti, puta quia vir ante nuptias matrem propriæ vxoris de eius consensu ad eam ducendam veneno, aut alio modo interfecerat aut interfici curauerat: in his enim impedimentis occultis post contractum Matrimonium dispensat Episcopus propter necessitatem, cum adiri non potest summus Pontifex: cum enim Matrimonium sit publicum & impedimentum occultum quod reuelari non potest sine periculo mortis, nec possint simul manere diu sine peccato, nec separari sine scandalo, ex æquitate præsumitur propter necessitatem hanc potestatem habere Episcopum in foro interiori adeoque eius Pœnitentiarium qui eius vices gerit in eodem foro. Sed quod angustias parit maiores; est an sufficiat tunc quod nouum consensum claneulò non adhibitis solemnitatibus à Concilio Tridentino pro validitate Matrimonij adhibeant: si enim denuo solemnitates repetendæ essent coram proprio Parocho, multi profectò vsque ad mortem perseuerarent in peccato propter difficultates varias in illis solemnitatibus iterum renouandis. Ideoque cum iam semel hæ factitatæ fuerint, videtur æquum mentem Concilij interpretari, vt non intenderit in hoc casu obligare ad repetendas solemnitates. Quare si ambo coniuges impedimenti istius conscij sint, sufficit vt denuò consentiant ad inuicem secretò. Si vnus tantum conscius est, petat ab altero num benè seipsum velit in coniugem habere, si ex hoc peccatum alterius occultum, non reueletur: sufficeret enim copula affectu coniugali habita. Quæ fuit opinio Soti in 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 4. Apud Corradum 1. p. *quæsito* 141. in *additione*, vbi loquens de muliere quæ ante Matrimonium cum fratre viri rem habuerat. Talis mulier, si monita est, debet secretò quærere dispensationem & eâ habitâ secretè iterum debet consentire, & maritus ejusimo sufficit actus ille maritalis amplexando eam & vt vxorem osculando & secum coëundo. Quin & quidam apud eumdem Palatium disp. citatâ dicunt extare motum proprium Pij V. decernentem sat esse in hoc casu nouum consensum occultum præbere sine admonitionibus, &c. Porro, inquit, apud me non extat hic proprius motus. Si extat, absorpta est quæstio.

Hanc ſententiam cum pluribus ſequitur Thomas Sanchez. lib.2. *de Matrim. diſp.*32. Quia permanente vnius conſenſu valido, & accedente poſtea alterius, qui inualidè conſenſerat ex metu aut dolo, aut ignorantia impedimenti, quod iam ſublatum ſupponitur nihil videtur deſiderari, ad validum matrimonium: ſicut accedente abſolutione Sacerdotis ad confeſſionem factam ante aliquot dies perficitur Sacramentum, quod coaleſcit ex actibus pœnitentis & abſolutione Sacerdotis, licet non eodem tempore fiant.

Non renouandus conſenſus coram Parocho.

Hoc tamen validè impugnat Baſilius Pontius l.4. *de Matrim.cap.*20. *&* 25. Docetque omninò requiri nouum conſenſum coram teſtibus & Parocho, vt reualidetur tale Matrimonium quia Clemens VIII. Ita reſpondit faciendum eſſe in hac difficultate, referente Petro Comitolo.

Ratio eſt, quia requiritur ſimultas conſenſus legitimi, nec ad rem facit exemplum pœnitentiæ, quia duo conſenſus non ſunt materia & forma Matrimonij, ſed tantum forma, nam materia ſunt ipſa corpora contrahentium.

Deinde non erit vera propoſitio; contraho tecum ſi alter dicat poſt annum contraho tecum, ſicut ſi quis habens in manu poculum diceret, égo bibo, & non biberet niſi craſtino die.

Accedit quod in materia Sacramentorum oporteat ſequi magis tutam ſententiam, quòd optimè, inquit, explicat, vt ſolet Theologorum huius ætatis meo iudicio princeps Gabriel Vaſquez, *tom.*1. *q.*1. 2. *diſp.*63.*c.*2.*num.*3. Idque ex lege charitatis & miſericordiæ erga proximum, ne illi adhibeatur medium inutile.

Ad iſta tamen reſponderi poteſt Clementem VIII. nullam legem eâ de re edidiſſe: ſicut fertur de pio V. & ſi hoc vrgeatur magis, colliduntur certè inter ſe Pontifices.

Nec deſunt hic conſenſus ſimultanei ſaltem moraliter, quia ſupponitur prior conſenſus vnius permanere, cum accedit conſenſus alterius: nec fini ob quem factum eſt decretum infertur præiudicium.

Nec probabile eſt quod dicitur corpora eſſe materiam Matrimonij, vt enim id verum ſit de materia circa quam; at non de materia ex qua, nam alias corpora contrahentium, vt vt res ſacræ habenda eſſent. Conſenſus vt habent rationem dantis ſunt materia, vt habent rationem acceptantis, forma.

Quod vero tutior ſequenda ſit opinio in Sacramentis conſilium eſt non præceptum in omni tempore obligans. At quod

quod probabilior quia agunt ex opere operato, iam supra diximus. Sed quæ hic sit probabilior ambigitur. Cur enim ex probabiliori opinione remoto obice reuiuiscunt aliqua Sacramenta, etiam quæ non imprimunt caracterem, & non reuiuiscet quodammodo Matrimonium amoto obice, cum id ad suauem prouidentiam Dei non parum specter, cum sæpe in renouatione consensus coram Parocho innumeræ sint difficultates, vbi impedimentum erat occultum. Plura quoque scandala oriantur. Illam reuiuiscentiam de omnibus Sacramentis docet Caietanus tom. 1. *Opusc. tract.* 5. *q.* 5. Petrus de Soto de *Instit. Sacerd. lect.* 5. de baptismo: qui eam tribuunt S. Thomæ *in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *art.* 4. *quæstiuncula* 1. Excipiunt autem Eucharistiam solam Suarez *tom.* 3. *dist.* 28. *sect.* 6. & *disp.* 63. *sect.* 8. Konink *q.* 62. *art.* 1. *dubio* 1. Quam sententiam vt probabiliorem tuetur de Lugo *disp.* 9. *sect.* 6. *de Sacram.*

Attamen si interim dum tollitur impedimentum pars illius nescia reuocasset consensum, probanda esse magis opinio Pontij, si tamen de reuocatione constaret.

Quæres si dubitet mulier de validitate sui Matrimonij, quia putat se raptam fuisse. Dicit Sanch. *lib.* 7. *disp.* 12. *n.* 36. Quod si puella volens abducatur ignorantibus parentibus aut tutoribus, non erit propriè raptus, vt benè docent Veracax, Enriquez.

Quid si in dispensatione obtenta à copulæ non sit mentio: Pontius l. 3. *de dispensat. c.* 17. § 6 tenet explicationem copulæ cum consanguinea non esse necessariam ad impetrandam dispensationem, quia copula illa si fuisset expressa faciliorem reddidisset Pontificem. Nec teneri ad interrogationem ordinarij de copula respondere partes: imo & quamuis in rescripto dicatur, si copula non fuerit, si ea dispensatio sit obtenta pro foro externo, adhuc valet, quamuis negetur, dummodo & copula non probetur in exteriori foro. Quæ omnia etiam probabilia iudicat Thomas Sanchez. Nec me mouet quod soleat exprimi copula de stilo curiæ. Mihi enim propter ea quæ dixi, valde dubium est ex eo stilo effici explicationem copulæ necessariam esse ad valorem dispensationis. Et vt lector sciat se tuto sequi posse hanc sententiam eam tenet Nauarrus & nouem alij quos citat. Plura quære apud Theologos.

Quid vbi tacetur copula.

Quæritur sexto quid examinabit Confessarius circà mulierem quæ petit vt examinetur de peccatis quæ in vsu matrimonij contingunt, dicens se audiisse multa peccata committi inter virum & vxorem, de quibus certior fieri desiderat, vt de præteritis peccatis pœniteat, & pro futuro sibi caueat.

Imperitè quidam vituperant quòd tales quæstiones agitentur à Theologis, quasi impura esset & fœrida religio, quæ talia discurit. Cum potiùs mihi videatur signum esse non obscurum puritatis Religionis Catholicæ, reuerentiæque ergà Deum, & maximi metus ei displicendi in vlla re, cùm etiam tot seriæ disceptationes instituantur de peccatis quæ occurrere possunt etiam in vsu Matrimonij; non enim illa cura est de iis præcauendis apud Hæreticos, Turcas, aliosve Infideles, *qui bibunt iniquitatem, sicut aquam*; vt dicitur Iob *cap. decimo quinto*, absque vllo fere timore diuinam offensam incurrendi. Quis vituperet Medicos qui de serpentum venenis, aut de morbis pestiferis scripserunt, vt curarentur? Quot abominanda scriptis consignauit D. Epiphanius Gnosticorum enarrans spurcitias? Quot D. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi 6.* Manichæorum fœditates horrendas enuntians, ne quispiam iis pollueretur. Quot Hincmarus Remensis Archiepiscopus *Opusc. de Diuortio Lotharij & Tetbergæ*? Plures sanè quam vllus rerum Moralium scriptor, quem proximum iuuandi necessitas stylum in sordida peccata dimittere cogit.

Puritas Religionis Christianæ.

Quare nec tam seuerè mulctatus fuisset doctissimus æquè ac religiosissimus Thomas Sanchez, qui nulli cessit in harum rerum disquisitione, vt dixerit Aurelius de eius disputationibus de Matrimonio: ***Portenta ista sunt, non scripta. animorum insidiæ, non mentium subsidia.*** Vocaueritque librum illum perniciosa & infami curiositate horrendum, vt paucorum vtilitati, plurimorum exitio sit aptissimus, &c. Non, inquam, tam malè mulctatus fuisset, si à solis Confessariis versatus fuisset, ad officij sui disciplinam, non à prophanis hominibus, qui angustias animarum nesciunt, nec volunt compati pœnitentibus, qui ferè in desperationē salutis adducuntur, nisi de opportuno remedio eis aliquando prouideatur, cùm in multis vsus Matrimonij circumstantiis, mortalem culpam subodorentur, aut reformident. Quibus nullâ aliâ viâ subueniri meliùs potest, quàm discernendo mortalia à venialibus; & venialia à licitis. Vnde est necessitas Theologis in istis se immiscendi.

De Thoma autem Sanchez, ne plura dicamus, patrocinium eius habes in libro ***de bonis ac malis libris*** nuper edito per Theophilum Raynaudum ***partitione 1. Erotemate 7.*** Quamuis ad hoc sufficeret locus D. Augustini contra aduersarium legis & Prophetarum quem supra attulimus ***parte 2. quæsito 36.*** Vir enim ille talis fuit qui nouerat tantum peccata carnis

nis per sapientiam non per experientiam, præuentus ab adolescentiâ benedictionibus immaculatæ Virginis, quæ illi soluit linguæ impedimentum, precibus eius exorata. Et tamen vt miseriæ dierum nostrorum & hominum quibuscum nobis agendum est, indulgeamus quidpiam, generalioribus tantùm verbis præsentem quæstionem dissoluemus, pluraque erunt de quibus datâ operâ tacebimus, quàm illa de quibus nobis erit sermo.

Atque vtinam haberemus tabulas illas Matrimoniales, quæ antiquis Christianis in vsu erant, in quibus quid licitũ quid illicitũ in rebus nuptialibus vno velut intuitu perspici poterat, & de quibus obiter meminerũt D. Augustinus serm. 28. ex editis à Sirmondo, & ante illum Tertullianus in l. de *velandis virginibus*. Non necesse foret hîc ea exscribere quæ proponimus. At cum earum exemplaria deficiant, ne ignorantiâ totali harum rerum grassante peccata multiplicentur, de his aliqua docere non est à Christianâ pietate alienum. *Tabulæ Matrimoniales.*

Igitur primò videtur talis mulier interroganda an pollutio acciderit vel ex parte viri, vel ex parte sua, vel ex vtraque extra vas debitum, vel saltem an ex tactibus mutuis acciderit periculum proximum pollutionis, extrà illud, ratio est quia istud est peccatum mortale in vsu Matrimonij. De venialibus autem, quæ plurima sunt, non magis incumbit necessitas interrogandi Confessario, quàm pœnitenti confitendi: At non tenetur pœnitens confiteri venialia: ergo nec Confessarius interrogare, nisi prædicta mulier etiam venialia nosse vellet.

Probatur ex assertione D. Thomæ in 4. *dist.* 31. post Albertum Magnum præceptorem suum qui in 4. *sent.* dicit nihil eorum quæ fecit maritus cum vxore, vel vxor cum marito, seruato vase debito, secundùm se esse mortale. Quod noto, ait Ioannes Chapeauilla *in* 15. *casu reseruato quæst.* 2. ne Confessarij in similibus inquirendis præter necessitatem sint anxij.

Atqui ne rem tanti momenti alienæ fidei committamus, verba ipsa D. Thomæ damus ex 4. *sent. dist.* 31. *quæst.* 2. *art.* 3. sub finem. Vsus contra naturam coniugij est quando debitum vas prætermittit; vel debitum modum à naturâ institutum quantum ad situm: & in primo semper est peccatum mortale, quod proles sequi non potest, vnde totaliter intentio naturæ frustratur. Sed in secundo modo, non semper est peccatum mortale, vt quidam dicunt, sed potest esse signum mortalis concupiscentiæ: quandoque & sine peccato esse

potest quum dispositio corporis alium modum non patitur. Aliàs tantò est grauius, quanti magis à naturali modo recedit. Hæc D. Thomas.

Quod verò metum iniicit peccati mortalis in istis, est quod semen totum à muliere non retineatur. Non tamen propterea impeditur generatio: docent enim medici non totam seminis quantitatem in matrice retineri. Nec impeditur generatio, si aliqua pars seminis elabatur, modo alia retineatur. Vnde resoluit Carolus Bauccius *de Miscellaneis practicis quæsito* 99. Nullatenus esse interdicendum vsum coniugij, quamuis sæpe accidat fœminam ex infirmitate & inuite expellere totum semen viri sui, quia sæpe matrix retinet necessarium semen ad generationem, expulso reliquo, Si datâ opera fœmina expelleret semen sui viri, peccaret mortaliter. Hæc ille: quare fœminam quæ vrinam emittit statim post copulam aut quæ se vertit in oppositam partem, peccat propter intentionem quam habet ad expellendum totum semen viri, licet ipsa actio ex se non sit peccaminosa, semotâ autem illâ intentione, & si vehementer culpandi sint qui in vsu Matrimonij situm ordinarium mutant, quod fit variis modis, si tamen actio perficiatur in vase debito, non sunt arguendi tanquam de peccato mortali, sed tantùm tanquam de veniali grauissimo.

Imo & si vir in situ non ordinario velit vxorem cognoscere & quodammodo velit cogere mulierem, quæ aliàs timet eius odium vel inimicitias in familia, & si vir peccet, mulier excusabitur à peccato, quia quod vir petit cum solo peccato veniali secundùm quosdam mulier patitur sine peccato, aut vt ait Pontius *de Matrim. l.* 10. *cap.* 11. & peccat tunc vir solus propter inordinatum appetitum voluptatis cui appetitui non cooperatur mulier reddens debitum.

Ratio horum desumi potest ex dictis Michaëlis Palaij Theologorum Hispanicorum disertissimi *in* 4. *sent. dist.* 32. *disp.* 1. Dixerim propemodùm, inquit, præter concubitum coniugalem alium esse qui est contrà naturam, & is est qui tollit generationem & aduersatur fini concubitus, quia illam prorsùs impedit, ne fit: & hic concubitus est nefarius, vt euertens naturæ ordinem. At verò alius est concubitus non contrà naturæ ordinem, sed præter illum; quippe qui non seruat naturalem decentiam & ordinem: nihilominus si in accidentariis non seruat; secundùm essentialia seruat, quia in vas quod est receptaculum naturale seminis humani, infundit semen; & hic concubitus quia non lædit ordinem naturæ quoad essentialia,

essentialia, sed quoad accidentaria, solum venialis est. Quippe etiamsi mulier sit incumbens viro, non impeditur generatio prolis ob hoc, & etiamsi stantes coëant non impeditur, & mihi relatum est stantem coïtum aliquando quemdam cum quadam fœmina habuisse, & illam fœtam fecit, & ita dicito de reliquis modis: est sanè certior fœtatio si modum naturalem seruarent coniuges: at verò maiorem curare certitudinem prolis coniuges non tenentur, satis sit illi viam non obstruere.

Eadem est mens D. Antonini qui Palatium præcessit, in *Summa Confessional. part.* 3. vbi referens sententiam D. Thomæ & Alberti, ait nec per hoc impeditur generatio, & si non ita aptè procreeutur. Vnde in huiusmodi noli præcipitare sententiam, nec denegare absolutionem perseueranti in huiusmodi. Sed detesteris & prohibeas quantùm potes, *&c.* Vnde opinio Tostati Abulensis in *c.* 5. *Matthæi qu.* 230.. vbi censet mortale, si fœmina virum supergrediatur, non est probanda.

Addi autem potest aliquando mulierem eius esse temperamenti vt non nisi viro incumbente à tergo, parere possit. Aliquam enim audiui quæ parere desiit vbi prohibita est propter conscientiam à tali modo coïtus: quod vbi constaret, non videretur grauiter peccare quæ solo desiderio prolis sic virum cognosceret. Quod etiam animaduertit iamdudum Poëta Lucretius lib. 5. inter cætera parum honesta scribens.

———*Nam more ferarum*
Quadrupedumque magis persæpe videmus
Concipere vxores, &c.

Est etiam prudens monitum Nauarri comment. de *pœnit. dist.* 6. *c.* 1. §. *Diligens.* Vbi prohibens Confessario ne nimis specialia interroget in peccatis carnalibus, ita ait: Mulier confitetur quod fuerit cognita extra vas debitum. Non quæratur posteà vbi, vel quomodo & alia huiusmodi, sicut quidam faciunt quos Angelus contaminatores potius Confessionis quam Confessarios appellat, eosdemque ait sæpissime mortaliter peccare, huiusmodi se interrogationibus oblectantes, ob idque illas facientes. Adde illud Thomæ à Vio singulare in prædicto casu, Confessarium prudenter facturum, si non permittat pœnitenti explicare longiùs illas pollutiones: sed dicat ei vt secum cogitet verisimilem numerum, quoties extra vas naturale fuerit polluta & vno verbo explicet, toties in hunc modum peccaui, quod ipsum in peccato mollitiei & aliis similibus casibus faciendum est. Neque verò quis dicat pœnitentem putaturum se non satisfecisse, & ideo

mœstum ac desolatum sine consolatione vacuum redditum. Quoniam si Confessarius docuerit ipsum, sufficere quòd peccatorum species exprimatur, neque oportere modos illos peccandi obscœnos aperire, deseret illum ignorantia, vnde nascebatur desolatio, siue tristitia & consolatio amplectetur dulcissima.

His Nauarri dictis nihil addendum est, nisi quod forsitan excusandus esset Confessarius, qui de copulâ modo Sodomitico habitâ prudenter inquireret, quod putaret pollutionem illam diuersæ esse speciei, ab aliis extra vas naturale, vt multi putant, quos refert & sequitur Pontius loco citato. Quamuis suprà dixerimus tutum esse in praxi hanc copulam extra Sodomiæ speciem constituere, quæ est inter personas eiusdem sexus, vt etiam definit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 154. *artic.* 2. tantumque continere circumstantiam quamdam pollutionis extrà vas, valde aggrauantem, non tamen necessario explicandam in Confessione.

Quid vero existimandum sit cum vir à parte posteriori, sed in vase debito mulierem cognoscit, qui coïtus est iumentorum proprius. Idem Tostatus in capite 5. *Matthæi quæst.* 218. putat esse mortale quando fit sine causâ aliâ ob delectationem. Si quis tamen, inquit, voluerit esse veniale etiam in hoc casu, contenta voluntate delectationis intra limites matrimonij, non est multum contra eum insistendum.

Dico secundò etiam interrogandam esse mulierem an cum viro per tactus & alia huiusmodi fuerit in periculo proximo pollutionis. Licet enim permissum sit viro & mulieri mutuis tactibus amorem mutuum testari & prouocare se ad coïtum, ad quem tactus hi quædam sunt præludia & dispositiones: Attamen modus est seruandus & certa mensura in istis: in his enim peccatum est mortale, cùm sunt ita vehementes aut diuturni, vt semen viri vel mulieris dissoluatur ante copulam, vel in periculo proximo fœdæ huius voluptatis se constituant, maximè si non fiat eo loco & situ in quo possint licito coïtu rem peragere. Quare nec debet mulier vehementiores istos tactus coniugi permittere, extra locum & tempus in quo copula nequit perfici; peccat enim mortaliter, si huiusmodi tactus ita admittat, vt ex his periculum proximum pollutionis incurrat. Quod si ex his tactibus solæ distillationes sequantur cum commotione membrorum generationi inseruientium, inter coniugatos mortale non est.

Negatio debiti.

Dico tertio mulierem posse interrogari, si marito petenti debitum

debitum negauerit, quod idem est de viro respectu mulieris. Qua in re plures peccant grauissimè & inde multa dissidia domestica oriuntur, quòd mulier debitum negat viro sine iustâ causâ, de qua proinde etiam axaminanda est, si quam legitimam habeat. Magis autem legitimæ videntur istæ.

Si mulier negat, quia vir est amens, vel ebrius; non enim humano modo petit, vt censet Laymanus, de *Matrim. p.3. cap.1*.

Similiter si ex præcedentibus puerperiis in quibus morti proxima fuit, probabiliter mortem timeat ex iudicio Medicorum, non enim cum tanto vitæ periculo debitum istud soluere tenetur.

Si infirma est, vel copulam viro infirmo nocituram sciat: eius enim sanitatem sapienter procurat. Si ex copulâ graue detrimentum sanitatis propriæ patiatur, vt puta quia vir morbo laborat quem contrahere possit.

Si certo sciat priorem maritum viuere quem mortuum esse putabat. Quod si tantum dubitet eum viuere, reddere potest, non petere, & si adhibitâ diligentiâ ad inquirendam veritatem, nihil certi inueniat, petere etiam potest, nec tenetur post matrimonium bona fide contractum vni testi etiam iurato credere, quod viuat prior maritus, ita Corradus 1. p. *quæsito* 50.

Si vir propter adulterium ius exigendi amisit, muliere manente pudicâ, & nollet illi reconciliari quia non seruauit ipsi fidem. Si autem vterque lapsus sit, ait Scotus, in 4. *distinct.* 32. *qu.* vnicâ, tunc paria crimina pari vindictâ sunt delendâ. Scilicet mulier non habet ius negandi. Et notat D. Augustinus *l.2. de adulterinis coniugiis.* Antoninum Imperatorem constituisse, non posse maritum vxorem de adulterij crimine accusare, *cui moribus suis non prabuit castitatis exemplum.* Porro si mulier casta permanserit, vt iure negandi debitum securè vtatur, non est probabilis eorum sententia qui volunt adulterium debere esse publicum & notum per sententiam iudicis: quos refellit Hiquæus ad hanc Scoti quæstionem; sufficit enim vt mulier ex parte suâ innocens viri adulterium & infidelitatem sciat. Qua vero certitudine id scire debeat aliquando reuocatur in dubium, cum desint hic testes oculati: probabile est autem sufficere coniecturas ita vehementes ex variis circumstantiis desumptas, vt prudentem fere cogerent ad id existimandum. Sed causas negandi debitum prosequamur, quales sunt etiam.

Si

Si vir exigat extra tempus & locum opportunum cùm commodè mulier reddere non poteſt.

Si vir exigat non tanquam debitum ex iuſtitia,ſed tantum ex amicitia, tunc enim vir non petit tanquam debitum iuris cum rigore & tenacitate, nec cenſetur velle tunc obligare mulierem ad culpam mortalem. Quemadmodum exactores pecuniarum non ſemper ea aſperitate petunt debitas pecunias,vt non ſoluendo crimen incurratur, quamuis aliquando intendant,ſi debitores ſoluere contemnunt.

Si mulier grauida & proxima partui timeat fœtus ſuffocationem.

Si menſtrua patiatur maximè primis diebus,cùm fons ſanguinis eius apertus eſt. Sic aſſerit Toſtatus in cap. 5. *Matthæi qu.245.* vir, inquit, petens tempore menſtrui, peccat venialiter, & reddens non peccat.

Si iam numeroſam prolem habeat, cui alendæ par non ſit, ſi iterum parturiat, ſemoto tamen incontinentiæ periculo, vt cenſet Laymanus, loco citato. Quid enim aget miſera mulier quæ labore manuum vix vitam infœlicem ſuſtentat, viro interim rem domeſticam nihil,aut parum curante? At ſi timeat virum in adulteria pollutioneſve voluntarias prolapſurum, tenetur obedire ad vitandum peccatum mariti,committens ſe interim prouidentiæ Diuinæ. Ita nobis videtur, donec iudicio ſapientum aliud conſtiterit.

Si mulier poſt Matrimonium ratum non conſummatum velit expectare per duos menſes, vt deliberet de ingreſſu Religionis: nam interim non tenetur reddere ex iure Eccleſiaſtico.

Quid verò ſi vir ſit in carcere detentus, petatque à muliere debitum,tenetur ne ipſa ingredi carcerem vt viro ſatisfaciat?tenetur ſi locus in cacere commodus ſit. Ita ſæpe reſponderunt viri doctiſſimi eâ de re conſulti.

Quod ſi mulier vouit caſtitatem inconſulto viro? Reſoluit hunc caſum D. Aug. epiſt.45. *ad Armentarium & Paulinam.* Vouenda talia non ſunt à coniugatis, niſi ex conſenſu & voluntate communi, & ſi præproperè factum fuerit, *Magis eſt corrigenda temeritas quam perſoluenda promiſſio.* Subditque *ambo Deo reddite quod ambo vouiſtis.*

Dico quartò, poſſe etiam interrogare num concedens debitum marito,cum iam inciperet pollui, ſtatim eum à ſe repulerit, vel retraxerit ſe vt funderetur ſemen extra vas, impediendæ prolis causâ; peccatum enim mortale eſt ex parte vtriuſque ſi ex mutuo conſenſu perpetretur. At ſi vir ſolus ſe

se retrahat, vt extra vas mulieris polluatur, timens prolem nascendam, inuitâ muliere quæ renititur & non consentit, præparata diuino beneplacito, peccatum est ex parte solius viri.

Dubium autem est an peccet mulier quæ debitum reddit viro quem nouit se statim retracturum, vt more Her, & Onam quos percussit Dominus, quia rem abominabilem faciebant Genes. 38. in partem negantem magis propendo, quia facit mulier quod licitum est ex parte sua, & cùm legamus punitionem Her, attamen Thamar punitio nulla fuit, quòd non consentiret marito, nec peccaret. Quæ prolem vehementer desiderabat ex benedicta à Deo stirpe Abrahæ & Iudę Patriarchæ cuius Her & Onam filij erant, Notent (inquit Cornelius à Lapide in hoc cap. Genesis) Confessarij hanc Dei vindictam in molles, inque coniuges se in actu coniugij retrahentes: eamque suis pœnitentibus inculcent: si enim hoc sæculo tam rudi, inculto & proiecto Deus ita puniuit Her & Onam, quomodo puniet in luce hac, & in lege Euangelij Christianos qui se polluunt.

Dubium rursus est si vir ex senio, vel debilitate naturæ copulam non possit perficere, eam tamen pertinaciter expectat à muliere; Quid perquiret Confessarius in ista muliere? Vnum video inquirendum esse, An ita vir sit impotens, vt nulla sit spes quod copulam perfectam possit habere, vt puta quia ab vno anno perfecta non sit, quamuis sæpe tentata, tuncque mulier tenetur omnino denegare. At si aliquando copula perficiatur, purà forsan semel in vno, aut altero mense, tenetur reddere. Qòd verò triennium non concedatur senibus ad experimentum sumendum de eorum impotentiâ, ratio est peculiaris, quia in dies debilitantur eorum vires. Imò nec triennium istud expectandum est, vbi constaret satis de impotentiâ in quauis ætate sint coniuges. Et quamuis iure antiquo concederetur in foro externo ad experiendam impotentiam quia præ pudore personæ non visitabantur: at nunc id necessarium non est, quia potest statim impotentia deprehendi ex visitatione & inspectione coïtus. *Senes.*

Dico quintò posse etiam interrogari coniuges, an in commixtione coniugali, alias personas, sibi in animo proposuerint, mulier alium virum, & vir mulierem. Peccatum enim istud est cùm imaginatio hæc voluntariè retenta fuerit, forsan voluptatis maioris captandæ causâ. Quod si obnitantur imaginationi, quæ se ingerat, tentatio est & tentationis victoria non peccatum. Vt autem peccatum sit mortale in cogitatione

tione alterius personæ, durante copula requiritur, vt persona illa sit carnaliter dilecta, vt aduertit Thomas Sanchez de *Matrim. lib. 9. disp. 18. num. 6.* post Diuum Antoninum, & alios.

Quid verò respondendum mulieri quæ petit an sibi liceat in ipso actu coïtus non coopetari, sed simpliciter pati actionem viri? respondendum est non peccare, si nihil aliud inde sequatur. Nec si tangatur manibus viri, aut seipsam tangat in ipso actu cum non aliter forsan perficeretur.

Si vero mulier viro tardior in decisione seminis, vt sæpe accidit seipsam tangat immediate postquam vir se traxit cùm iam fere disposita est ad pollutionem, quidam hoc excusant à peccato. Thomas Hurtado in *Præcursore Theologo disp. 5.* membro 4. §. 11. cum fœminæ, inquit, abundent sanguine menstruo ex quo eorum semen conficitur, aliquando salaciores sunt & ardent viros ex abundantia sui seminis imperfecti, quod descendens ad vuluam voluptatem causat: & quia concurrit vt materia ad formationem fœtus, optime docent Theologi fœminam posse se excitare ad sui decisionem seminis, si vir celeriùs seminet. Idem licitum asserit Carolus Bauccius in *practicis Miscellaneis quæsito* 103. & 104. asseritque esse communem opinionem, quia est complementum inchoatæ pollutionis quæ licita erat, cùm esset facta à viro, medio eius congressu.

Non est autem necesse interrogare, an voluptatis causâ commixti sint. Tum quod coïtus causa voluptatis sit solum peccatum veniale, secundùm D. Thomam in 4. *sent. dist.* 31. articulo 4. *ad Hannibaldum.* Aut veriùs nullum ibi est peccatū, vt censent plures, inter quos Palatius *in 4. dist. 31. disp. 2.* dicit id probatum esse, si obseruetur talem coïtum esse secundùm Dei institutionem, igitur inculpatum esse. Enim verò quod est secundùm Dei institutionem, à culpa vacat. Legimus, inquit, Aristotelem dixisse 7. *Eth. c. 9.* Non omnis qui facit aliquid propter voluptatem, est incontinens; sed qui facit ob voluptatem turpem, *&c. Eth. cap.* 2. Qui fugit omnes voluptates, agrestis est. Porrò voluptas coniugalis coïtus secundùm rationem naturalem, non videtur turpis, sed honesta. Quippe honestas vel turpitudo voluptatis ex actione ad quam necessario consequitur, est metienda, *&c.* Quæ moralem non habet turpitudinem, *&c.* Sunt enim duo quæ necessariam habent voluptatem; alimentum, & coïtus vsus. 6. *Eth. cap. 5.* Vt ergo qui ex alimento delectatur, non peccat, si alimentum non est ex furto acceptum, aut aliunde vitietur

vtitetur: ita qui delectatur coïtu coniugali, quippè qui delectatur ex vsu rei propriæ.

Quod si obieceris ex Tobia cap 6. *Accipies virginem cum timore Domini, amore magis filiorum quàm libidine ductus.* Respondeo ad meritum parandum coram Deo ita esse faciendum, vt monet Angelus; at verò hic modò non quæritur de merito, sed an qui intendit illam voluptatem ex coniugali coïtu, sit ob hoc culpandus. Quo modo etiam soluendam ait obiectionem ex D. Paulo 1. Corinth. cap 10. *Siue comeditis, siue bibitis, siue aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Hæc opinio eò magis probabilis videtur, quò infelicior esset coniugum conditio, cùm essent tota vitæ in periculo proximo venialiter peccandi in vsu Matrimonij. Nec enim quia tantum esset peccatum veniale, ideò illud pro nihilo habendum: & si enim peccatum veniale leue sit in comparatione ad mortale; at est in se quid grauissimum & maxime horrendum creaturæ rationali, vt nullum malum pœnæ huius vitæ sit illi æquiparandum. Deinde non inficiatur D. Thomas *in 4. distin.* 31. *quæst.* 1. *art.* 1. Diuinam prouidentiam apposuisse delectationem in actu illo, vt subueniretur defectui speciei & *art.* 3. ait: quod quamuis vtens Matrimonio propter delectationem illam, non referat actu in Deum, tamen non ponit vltimum in ea voluntatis finem: & iam non oportet, inquit, quòd creatura fruatur, sed vtitur creaturâ propter se: se autem habitualiter propter Deum, licet non actu. Quæ ratio æquè excusat à veniali ac mortali. Contrariam tamen sententiam sequitur quòd sit peccatum veniale propter opinionem quam tenet, quòd nullus in indiuiduo detur actus indifferens. Quam doctrinam qui sequitur, facilè attribuit malum peccati venialis quibuslibet imperfectionibus, propter defectum tendentiæ in vltimum finem. Sed hæc sententia sine causâ defectum illum accusat potius venialis peccati quàm mortalis; si enim est præceptum obligans omnia referre in Deum, cùm sit in materia grauis momenti, transgressio eius non esset solùm venialis, sed etiam mortalis. Quod cùm repugnet omnibus, tutius est, nec mortalem nec venialem habere illam omissionem, & admittere actus indifferentes in indiuiduo, qui nec boni sint, nec mali, qualis est actus ille coniugalis ob voluptatem licitus coniugibus, qui in oneribus Matrimonij satis inueniunt, vnde ingemiscant aliunde. Cætera Medicis relinquamus, nobis qui celibem vitam vouimus, decens non erit plura de his speculari, vel scribere. *Actus differentes.*

Quari

Quæritur septimo quid examinandum sit in pœnitente quem videt Confessarius esse in occasione proxima peccati de quo se accusat.

Incumbit primùm Confessario vt verè noscat quæ sit proxima occasio peccati pœnitentis. Quia quod vni est occasio proxima peccati, alteri non est, qui est animo fortior, vel qui est aliis qualitatibus prædicus, seu bonis, seu omnino malis, ex quibus inducitur in peccatum potius, quam ex eo quod apparet occasio proxima. Sic solito iurare in quolibet momento, ludus non videtur occasio proxima iurandi. Sed de hac quæstione mallem, inquit Nauarrus in *Manuali capit.* 3. *numer.* 3. Audire alium optimè respondentem, quàm respondere: quia nemo quem viderim, id pro dignitate definit, & sufficiens eius determinatio est difficilis. Ipse autem definit occasionem proximam à quâ pœnitens debet abstinere, atque statuere se numquam eâ vsurum, vt à Confessariis absolui possit, eam esse omnem & solam quæ est peccatum mortale: aut quæ est talis occasio peculiaris, qua credit vel debet credere Confessarius vel pœnitens nunquam, vel rarò se vsurum ea sine peccato mortali, benè perpensis eius circumstantiis. Vbi vocat illam occasionem peculiarem ad excludendam occasionem generalem peccandi, quam præbet ars aut exercitium alicuius ad peccandum aliquando mortaliter, vt malitia, negotiario, & alia officia quæ proptereà tamen non sunt necessariò deserenda.

Subiungit posteà Confessarium posse aliquando absoluere eum, qui est in occasione propinquâ, quando tales sunt circumstantiæ, quæ persuadent quòd nunquam aut rarò peccabit pœnitens propter eam, quamuis ab ea non se abstineat, & re, inquit, multum ruminatâ Spirituique sancto commendatâ, videtur, quòd tunc possunt hoc credere Confessarius, & pœnitens, quando quatuor concurrunt. 1. Vera pœnitudo præteritorum 2. Verum propositum, non peccandi, cùm se inuenit in eâ. 3. Credulitas quòd non peccabit, cùm se inuenerit. 4. Quòd subsit aliqua rationabilis causa non se separandi ab ea.

Quibus suppositis respondetur, hæc quatuor debere examinari à Confessario cum multa sollicitudine, etsi in pœnitente omnia simul concurrant, puto quod possit, cum tremore tamen, absoluere pœnitentem in eadem peccata relabentem, per spatium aliquod temporis, expectans cum patientiâ vt arbor quæ non modò sterilis est, sed malorum fructuum ferax, auxiliante Dei misericordia, & variis modis conuersionem

nem animarum operante, tandem aliquando bonos pœnitentiæ fructus afferat.

Attamen Ludouicus Lopez, nimis licentiosè locutum esse Nauarrum asserit, teste Corrado 1. part. *Respons. qu.* 15.° *in Additione*, vbi hanc grauē quæstionem ipse sic determinandā putat. Vt quæ sunt sui iuris è domo expellant personam cum quâ rem habuerunt, & si non possunt expellere, ipsæ abeant, quodcumque inde damnum oriatur: quæ verò non sunt sui iuris, non tenentur à domo abire, vt sunt puellæ, vxores: Debent tamen resistere, tollere quascumque occasiones, atque si opus fuerit, clamoribus se iuuare, exemplo Susannæ, & si hoc non fecerint, absolutione dignæ non sunt.

Ex his autem duabus sententiis seligere poterit Confessarius quam magis vtilem pœnitenti ad salutem iudicauerit, vt eum absoluat, vel remittat sine absolutione quo vsque cesset occasio. *Non deneganda absolutio.*

Dices si detur pluries absolutio, etiam concurrentibus istis quatuor, pœnitentem perseueraturum diutissimè in peccato, à quo se abstineret, si denegaretur ei penitùs absolutio.

Respondetur ad hoc, si Confessarius tantum sibi luminis à Deo infusum credat, vt denegatio absolutionis magis profutura videatur pœnitenti, quàm eiusdem benigna concessio, agat pro prudentiâ & conscientiâ. Sed si aliquando prosit nonnullis absolutionis denegatio, aliis valde nocet; & seu concedatur, seu denegetur, multi nihilominùs in eisdem peccatis satis, & nimis diu perseuerant, cum periculo interitus animarum perpetui, vt mihi difficillimum sit continuationem illam in peccato refundere, in Confessarium absoluentem, cùm si non absoluat, nihil melius speret à pœnitente, sed forsan aliquid peius.

Suppono enim hîc duos Confessarios, vnum post multam quatuor prædictorum inspectionem absoluentem, alterum denegantem absolutionem. Qui absoluit, potest prodesse pœnitenti. Primò differat absolutionem quoad vsque pœnitens, qui forsan heri aut nudius tertius lapsus est peccato in cuius occasione degit, per aliquod dies, puta tres aut sex abstinuerit se à tali peccato; nec enim ordinariè diuturniorem dilationem consulerem ob multas rationes, secundò redeuntem absoluat, cum iniunctione debitæ pœnitentiæ, tam satisfactoriæ, quam medicinalis, & cum mandato, vt accedat tantum ad communionem, postquam adhuc abstinuerit

à peccato in cuius occasione proxima degit, per tres, aut sex dies. Inde veniet, vt pœnitens per plures dies abstineat à peccato mortali, quod non est pauci habendum, cùm legamus de sancto Ignatio, eum aliquando conuenisse de pretio dando meretricibus, vt saltem vnam noctem sine peccato mortali ducerent, tantus erat S. Viri zelus, vt quoquomodo inoffensus esset Deus. Interim verò pœnitens est in statu salutis, multa pœnitentiæ opera exercet, vires animi corroborat, ac de dæmone triumphat, & aliquando etiam omnino emendatur, aut per multas hebdomadas innoxius viuit, si posteà relabitur tamen non in tot, nec in tanta crimina, vrgetúrque maioribus conscientiæ stimuli, vt recurrat ad remedium pœnitentiæ, quàm Christus instituit ad remittenda peccata toties, quoties peccatur.

Qui verò Confessarius denegat absolutionem, vix pœnitentem iterum coram se humiliatum inspiciet, vt det illi monita salutis: interim sæpe sæpius in idem peccatum relabitur, sine vlla intermissione, pœnitentiæ operibus nullis vacat, dæmonum tentationibus velut inermis relinquitur, nisi quod metum incutit aliquem Confessarius, ne absolutione careat. Qui metus, fatendum est, non mediocri virtute pollet erga aliquos vt à peccato penitus ad meliorem statum conuertantur. Attamen metus ille si ratiocinio hîc locus est aliquis, non æquipollet gratiæ Sacramentali Pœnitentiæ Communionis, operibus satisfactoriis & peccato aduersariis, frequentiæ Sacramentorum, piarum exhortationum, aut reprehensionum reiterationi, & aliis perfectæ resipiscentiæ auxiliis, quæ cum benigna absolutione subministrantur iis in quibus cum occasione peccati quatuor prædicta reperiuntur.

Adde verò istis id præsertim & facilius præstari posse à Confessario, cùm in pœnitente relapso animaduerterit extraordinarium dolorem & propositum fortius, quibus peccator armatus maiorem fiduciam præbet ipsi de victoria reportanda contrà tentationes à quibus antea vincebatur, vt ex vi istius doloris & propositi, censeri possit iam non esse ampliùs in proxima occasione. Quod idem censeri posset, cùm paratus est pœnitens & proponit noua aliqua remedia longè efficaciora adhibere quàm anteà, vt si occasio propinqua nata esset ex cohabitatione in eadem domo cum aliquâ muliere, proponeret numquam solus cum sola tantisper manere aut colloqui.

Quæ verò sit rationabilis causa in hac opinione, non se separandi, merito dubitari potest. Prima autem est moralis impossibi

impoſſibilitas, quæ eſt difficultas maxima; in moralibus quippe valde difficile habetur pro impoſſibili, qua ratione filius familias à complice peccati in eadem domo manente, quam aut quem expellere non poteſt, iuſtam habent cauſam non ſeparandi ſe, cùm paternam domum vix relinquere poſſit. Idem eſt de matre familias in cuius arbitrio non eſt expellere illum cum quo adulteriū perpetrat, vel quod vir eum retinere velit, vel quod ita rebus domeſticis neceſſarius ſit, vt aliàs non fortunæ ſubſiſterent. Secunda eſt graue detrimentum in rebus quale cenſeri non debet detrimentum earum rerum, quæ ex actu peccati ſperari aut obtineri poſſent. Nec detrimentum illud quod pati poſſunt ſeruus aut ancilla mutando domum domini, in qua habent peccati occaſionem proximam, quamuis bis, aut ter abſolui poſſent, ſi tantum caderent poſt multos famulatus annos, & breui expectarent honeſtam quandam laborum recompenſationem, ſi adhuc per aliquantulum temporis in obſequio perſeuerent. Tertia eſt grauis metus ſcandali, & infamiæ, qua ratione Summus Pontifex Lucius tertius, *De frigidis & maleficiatis*, cap. *Conſultationi*, conſultus quid agendum eſſet cùm fœmina impotens eſſet ad copulam, vtrum à viro ſeparari deberet. Reſpondet Rom. Eccleſiam in talibus iudicare conſueuiſſe, vt quas viri habere non poſſunt vt vxores, habeant vt ſorores. Vbi Gloſſa notat conſilium eſſe non præceptum: poſſet enim vir ſeparari, & cum alia contrahere, & Celeſtinus tertius eodem titulo, cap. *Laudabilem*. Reſpondet, de Frigidis qui coïre non poſſunt, ſi impotentia probari non poſſit, & ambo conſentiant ſimul eſſe: *Vir eam, & ſi non vt vxorem, habeat vt ſororem.* Vbi ad euitandum infamiam permittitur virum & mulierem ſimul habitare, non obſtante occaſione proxima plurimorum tactuum impudicorum, & aliorum etiam grauiorum peccatorum.

Obiici poteſt, teneri, qui eſt in tali occaſione peccandi, ad ferendum potius quodlibet detrimentum, quam in ea permanere cum periculo peccandi: *Quid enim prodeſt homini ſi vniuerſum mundū lucretur, animæ vero ſuæ detrimētum patiatur!* Matth. capite 16, Marc. cap. 8. Lucæ capite 9. Reſpondetur, inter ea quæ examinanda ſunt à Confeſſario, antequam tales poſſint abſolui, eſſe an habeant quamdam credulitatem quòd non iterum relabentur, etiam manente eadem occaſione. Deinde idem argumentum æquè probat de periculo peccati venialis, quod eſt peius omnibus huius mundi detrimentis. Vnde ex hoc mundo exeundum eſſet, & omnibus officiis ac ſtatibus renuntiandum, cùm nullus ſit ſtatus, quan-

tumuis sanctus, qui non præbeat occasionem peccandi saltem venialiter. Quid enim est in hominũ vsu bono ac licito, vnde non possit pernicies inrrogari? Sed & eodem argumento probaretur hominem de impudicitiâ reatatum debere sibi eruere oculos: quid enim prodest homini, si oculos habeat & alia corporis membra, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Vnde ex hoc loco tantùm infertur peccatum, quod est animæ perditio, esse summum omnium malorum, non verò periculum peccandi.

Obiicies iterum: Ergo posset aliquis remanere, per viginti & trigenta annos in eadem occasione eodem modo semper peccans, & sine vlla correctione, & sic semper absolui. Id concedit Ioannes Sancius in *Selectis*, *disp*. 10. *num*. 16. Dum asserit talem absolui posse toties quoties verè pœnitet. Quia qui esset in occasione peccatorum, tantùm venialium semper absolueretur: nec est potior ratio, cur reperiretur verus dolor ac verum propositum, respectu venialium quàm mortalium, aut cur præsumatur propositum esse fictitium, respectu mortalium, non venialium: Estque eadem opinio, licet alia ratio Cardinal. de Lugo de *Pœnitent. dist*. 14. *sect*. 10. cum aliis Theologis, quod quemadmodum potuit prima vice absolui, eò quod non teneretur cum tanto detrimento auferre occasionem: ita etiam poterit post multas absolutiones, & sine vllo profectu, supposito quod habeat dolorem & propositum. Sed nos iam diximus posse tantum per spatium aliquod pœnitentem talem absolui, quod spatium determinare non possumus, sed arbitrio prudentis confessarij relinquimus: qui maiores inducias poterit concedere pœnitenti, ratione maioris causæ, non se separandi à proxima occasione Cuius rei ratio est, quod iudicium pœnitentiale debet imitari aliquo pacto iudicium diuinum: Solet autem Deus nonnunquam post multa peccata, gratias magis speciales à peccatoribus substrahere, etsi nunquam omnino sufficientibus destituantur. Vnde vox Angelorum Ierem. 51. *Curauimus Babylonem, & non est sanata; derelinquamus ergo eam*. Deinde etiam videtur æquum, vt quando remedia ordinaria diu applicata nihil profuerunt ad sanitatem ægrotantis, tunc applicentur etiã extraordinaria ex quibus aliqui nonnunquã conualescunt. Conuenit enim nihil intentatum relinquere ex pharmacis quæ probabiliora iudicantur ad sanitatem ægrotantis. Sic enim medici cum præcepta artis suæ magis approbata à sapientibus nihil efficiunt contra vim morbi aut vulneris, extrema adhibent, etsi magis periculosa. Quanto magis

magis ad salutem animæ cum lenitiua misericordiæ nihil obtinent, seueriora & acriora tentari conuenit? In periculo tamen mortis, vel ob notabilem lapsum temporis, sine peccato, vel ob aliquas alias circumstantias, iterum absolui posset, remoto prius scandalo, si quod intercedat.

Quæritur octauò, quid examinare debeat Confessarius in pœnitente, vt illi permittat sacram Communionem.

Supponendum est incumbere Confessario, vt dignos admittat ad sacram Communionem, indignos verò repellat. Hac enim de causâ Christus instituit, vt præmittatur Confessio Sacramentalis receptioni Eucharistiæ, cùm quis se peccato mortali grauatum esse sentiret, iuxta illud 1. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Hoc est, præmittatur Confessio Eucharistiæ, vt cum iudicio Sacerdotis Christianus securiùs accedat ad Eucharistiam, ad quam impunè non acceditur in statu peccati mortalis. Vnde & tenetur pœnitens obedire Cõfessario, seu iniungat, seu prohibeat communionem: est enim Confessarius velut medicus, cuius decreto pharmacum istud immortalitatis sumere debet, vel ab eo abstinere, prout claue non errante, id est, sapienter magis æquum iudicauerit. Nec ordinariè posset tolerari, vt pœnitens in re tanti momenti priuatum iudicium suum anteferret illius sententiæ qui à Deo constitutus est iudex, & laicus minus peritus Confessori ac ministro Christi non subesset, sed contra monitum sapientis, *Prou.* 3. inniteretur prudentiæ suæ, aut contra iuris ordinem sibi ius vellet dicere. Hinc dicit quispiam apud S. Aug. lib. 1. *ad inquisitiones Ianuarij* cap. 3. si tanta est plaga peccati atque impetus morbi, vt medicamenta talia differenda sint: *authoritate antistitis debet quisque ab altario remoueri* ad agendam pœnitentiam & eadem authoritate reconciliari.

Quare frustrà contendit Ioannes Sanchez, dictus ab aliis Sanchius, in *Select. disp.* 28. Iurisdictionem Confessarij solum se extendere ad negandam absolutionem indigno, & impartiendam digno, non autem ad negandum Eucharistiam dignè disposito, hoc est, absque mortali inuento: est enim Confessarius iudex, Doctor atque medicus pœnitentis, cui proinde iustè & prudenter iubenti obedire debeat. Sed contendit ille iniustitiam committere Confessarium, si neget ei qui non est in peccato mortali: quia iniustus est qui dignum impedit à consequutione beneficij. 2. Quia denegatio Eucharistiæ medium est ineptum ad corrigenda, seu venialia, seu mortalia. Sed prima ratio non probat, quia ve-

Cõfessarius potest denegare Euchar.

get occasio præsentis beneficij vacantis, quæ forsan nusquam redibit, at Eucharistiæ percipiendæ occasio potest esse quotidiana. Secunda ratio inferiùs soluetur.

Cùm igitur pertineat ad Confessarios diligenter curare, vt cum debita reuerentia corpus Domini recipiatur illique proprij ministerij exercitio munda corda præparent ac puras animas, in quibus dignè, quantum fert humana fragilitas, recipiatur. Hinc dubium est, quidnam debeant discutere in pœnitentibus, vt vel illos arceant à communione, vel illos ad eam prouocent, & nutu suo admittant. Nisi enim prudentes sint Confessarij, facilè hîc errare poterunt, temerè amouendo pœnitentes ab Eucharistiæ perceptione, cuius fructus plures sunt, quàm cogitari nedum dici aut scribi possit.

Dubitatur autem primo an quando quis in magnis, & multis peccatis irretitus fuit statim peractâ Confessione debeat illi Confessarius permittere communionem.

Dico primò non peccare Confessarium, qui permittit, seu non prohibet communionem tali peccatori absoluto à peccatis, nec etiam ipsum pœnitentem qui acceptâ culparum remissione per absolutionem, accedit ad percipiendam Eucharistiam, tanquam æger ad medicinam salutarem, quâ magis conualescat ac corroboretur. Ratio est, quia dispositio requisita ex parte animæ ad communicandum sine pecato, imò cum fructu, est status gratiæ & intentio communicandi. Hanc dispositionem habet ille peccator, nec ampliùs requirit Apostolus 1. Cor. 11 *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Id est, confiteatur peccata sua, vt interpretatur Concilium, *& sic de pane illo edat*, ille Confessus & absolutus. Quid ergo ampliùs sub pœnâ peccati requiri potest? Præclarè D. Thomas in 4. sent. *ad Hannibald. d. 9. q. vnic.* [illegible] 4. *sed contrà.* Quilibet qui est sine mortali est membrum corporis mystici, membrum autem debet sustentari de alimento ipsius corporis: ergo quilibet talis de communione corporis Domini debet refici. Prætereà gratia & remissio faciunt dignum Ecclesiæ Sacramentis, ergo quilibet hoc habens dignus accipit.

Obiicies eum non communicare dignè, id est prout honestum decet, & pro dignitate, *Qui autem manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit*, inquit Apostol. 1. Cor. 11. est autem indignum & indecens, ait Perlinus *in sacro conuiuio*, Sanctum Sanctorum pectoris hospitio illius recipi quod vix stabulum esse desiit, vix egessit stercora? &c. cùm non deceat luto paulo ante fœdatum, imò & obrutum & spirantem

tem cœnum eructantemque turpitudinis crapulam, puritatis totius, necnon suauissimi odoris mensæ insinuare sese, inserere corpus virginum regi, quod vix à meretricis labiis auellit. Respondetur Apostolum per communicantem indignè, eum tantum intelligere, qui communicat sine probatione sui ipsius per Confessionem & absolutionem, cùm esset extra statum gratiæ. Cæterùm per absolutionem, & infusionem gratiæ sanctificatur anima, mundatur anima, fit niue candidior, sole splendidior, Angelis par, & diuinæ consors naturæ, *lauabis me*, inquit Propheta Regius Psalm. 50. *& super niuem dealbabor*, itavt nulla corporalis mundities valeat decori sanctæ animæ comparari, vt in hunc Psalmum ait Gregor. Mag. Vnde & post absolutionem non dedignatur Trinitas Sanctissima inhabitare animam anteà peccatricem, quæ erat prostibulum dæmoniorum & omnis volucris immundæ, iuxtà verba Saluatoris Ioan. 14. *& ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.* Quæ mansio non fit tantùm per virtutem aliquam, sed per intimam & realem inhabitationem personarum diuinarum, sicut explicauimus in nostrâ Theologiâ affectiuâ, seu Thoma mediante 1. *p. tract. de Trinit.* in meditationibus de missione personarum diuinarum. Itavt mirum non sit, si talis anima digna sit, dignitate præcepti quæ absolutè necessaria est, emundatis omnibus suis sordibus; vt humanitatem Christi recipiat, quæ diuinitatis eius iam facta est particeps: nec est par ratio de emendatione locorum sordidorum quæ diu post seruant terrum odorem fœditatis pristinæ: nam absolutio emundatio est animæ longè potentior & perfectior, vt nihil sit ampliùs damnationis iis qui per eam sunt in Christo Iesu, *si enim*, inquit Isaias c. 1. *fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Vnde comparationes istæ nihil concludunt apud æquos rerum æstimatores, qui norunt inter corporalia & spiritualia diiudicare. Est tamen præter illam primam dignitatem necessariam, alia ex decentia & honestate requisita, non tamen ex præcepto: Vnde loquendo de dignitate requisita ex decentia.

Dispositio ad Euchar.

Dico secundo post Corradum parte secunda. *Responsorum vltimorum quæstione* 211. non decere statim communicare post absolutionem, qui multis & magnis peccatis diù fuit irretitus, sed si tempus patitur, debet prius pluries confiteri & orationibus, & eleemosynis se mundum, & odoriferum reddere, quanto tempore ex causa videbitur Confessario, etiamsi

fuerit occultus peccator : quam sententiam docuit D.Thomas *in* 4. *sent. dist.* 9. *quæst.... art.* 4. Dicendum, inquit, quod non esset consulendum alicui., quod statim post peccatum mortale etiam contritus & Confessus ad Eucharistiam accederet, & nisi magna necessitas vrgeret, deberet per aliquod tempus abstinere propter reuerentiam. Eamdem opinionem videtur amplecti Guerricus Abbas Diuo Bernardo contemporaneus *serm.*1. in die Pentecostes, vbi explicans hæc verba ex epist. 1. ad Cor. cap.10. *Non potestis Calicem Domini bibere & Calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* An non, inquit, tibi videtur non modò potatus, sed & inebriatus calice dæmoniorum, qui libidinis, iræ, impatientiæ aut similium raptatur furore passionum? Ergo (vt loquar de his quæ magis iam in vsu, quam in crimine sunt) puto quod ille mensæ dæmoniorum particeps sit, & pascens eos pascatur ab eis, cuius os abundat malitia, & lingua concinnat dolos : qui sedens aduersus fratrem suum loquitur, & aduersus filium matris suæ ponit scandalum: qui etiamsi non detrahit, detrahentem libenter audit, qui scurrilitate stultiloquij cachinnantes dissoluit. Videat ergo qui huiusmodi est, an volutatus velut in cruore immolatitio & sordibus dæmonum, *mox admittatur ad mensam Christi & Angelorum.* Quæ verba satis indicant ad aliquod tempus posse priuari pœnitentem communione.

Obiicies non posse. Confessarium priuare pœnitentem meliori bono; at melius est pœnitenti cito participare Eucharistiam, quæ, vt dicit Concilium Tridentinum *sess.*13. *cap.* 2. est antidotum quo liberamur à culpis quotidianis. Respondet autem Perlinus in tract. præcitato, non semper alicui id melius esse quod est suapte naturâ bonum, sicut Sacerdotium melius est connubio, sed non huic & illi : itaque & si Eucharistia suaptè natura sit remedium peccatorum, sed non huic & illi, cui melior est priuatio Synaxis cum morum correctione, quàm eius vsus absque vitiorum extirpatione. Corrigit enim breuiùs anima quæ prius oscitanter abiicere à se mala suadebat, vt ablato bono restituatur. Vnde & Ecclesia contumacem à cõmunione segregat ad tempus vt resipiscat. Vnde priuatio ista medicina est, vt ea prudenter Confessarius peccatorem sanet. Sic Danielis 4. Nabuchodonosor priuatione Regni ad tempus à superbiâ sanatus est. Sic Cant. 5. priuata sponsa sponsi præsentia maiori studio quæsiuit: *Quis mihi det te fratrem meum*, &c. Super quæ verba legendus est

est Ludouicus à Ponte 8. *l. in Cant. p. 2. exhort. 24. §. 2. num. 2.*

Satis igitur constare videtur Confessarium posse priuare communione propter peccata mortalia, nec in hoc potest esse magna controuersia, sed tantum in modo & in diuturnitate temporis priuationis istius. Regulariter enim loquendo, ne insipienter agat Confessarius, ob peccata tantum, quæ heri aut nudius tertius commisit pœnitens, debet communione priuari, non pro iis quæ à decem aut quindecim & pluribus diebus. Nec pro quibuslibet peccatis, sed pro iis quibus pœnitens videtur magis assuetus, velut ex quadam habitudine, & inueterata consuetudine, vt tantisper saltem peccare desierit, antequam fruatur diuina mensa: ac præsertim pro peccatis carnalibus, quæ plus deprimunt animam, maioremque repugnantiam habent cum puritate, & sublimitate Sacramenti, eiusque effectibus. Deinde verò priuatio hæc sit pro tribus, sex aut decem diebus, quindecim non excedat, cùm desiderio desiderauerit pœnitens pascha suum manducare, & quod in se est fecerit vt pessimam peccati consuetudinem abrumpat. Nimia enim dilatio communionis periculosa est, infructuosa est ordinariè, nec est ista reuerentia bona, & laudabilis quæ à Deo separat tamdiu, cui vnire & approximare deberet. Vnde Patres vituperant dilationem nimiam communionis, vt D. Ioannes Chrysostom. Orat. 3. in *Philogonem*, quinque dies sufficere asserit, vt quis se præparet ad communionem. Eamdem dilationem vituperat Cassianus *collat.* 23. *capite* 21. D. Cyrillus Alexandrinus *libro* 3. *in Ioan.* & plures alij. Quare nisi hic circumspecti sint Confessarij, errare possunt periculosè, & grauiter peccare in Deum, retrahentes homines à sacrificio Domini. Nec sequitur abstinere vno, vel tribus diebus: bonum est ergo & pluribus, sicut de cibo corporali, à quo quis vtiliter abstinebit pro aliquor horis non pro multis. Et sæpe accidit quod dicitur, qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Tempus priuationis Euchar.

D. Chrysostomus tom. 1. homil. de *S. Philogonio*, exhortans ad sacram communionem ita ait. Neque mihi quisquam dixerit, vereor, habeo conscientiam peccatis oppletam, sarcinam circumfero grauissimam. Sufficit enim horum quinque dierum tempus, si sobrius fueris, si attentus, si vigilaueris, vt multitudinem peccatorum reddas contractiorem. Neque illud perpende quod breue tempus est, sed illud considera quod benignus est Dominus. Quandoquidẽ & Niniuitæ, tridui spatio tantam iram à se depulerunt, nec obstitit illis

temporis angustia, sed animi promptitudo amplectens Domini benignitatem, totum peragere voluit; & meretrix illa breui temporis momento, cum ad Christum accessisset, omnia probra diluit, & sermone *de proditione Iudæ* tom. 5. vnam diem sufficere asserit. *Sanctam animam præparemus: & hoc non multo tempore, non vna corrigitur die.*

Verba autem Cassiani sunt hæc: Nec tamen debemus nos à Dominica Communione separare, quia nos agnoscimus peccatores: sed ad eam magis ac magis est, propter animæ medicinam, & purificationem spiritus auidè festinandum: verumtamen ea humilitate mentis ac fide, vt indignos nos perceptione tantæ gratiæ iudicantes, remedia potius nostris vulneribus expectamus. Alioqui nec anniuersaria quidem dignè est præsumenda communio, vt quidam faciunt, qui in Monasteriis consistentes, ita Sacramentorum cœlestium dignitatem ac sanctificationem & meritum metiuntur, vt æstiment ea non nisi sanctos, & immaculatos debere præsumere, & non potius hanc, vt sanctos mundosque nos sua participatione perficiant; qui profectò maiorem arrogantiæ præsumptionem quam declinare sibi videntur, incurrunt: quia vel tunc cum ea percipiunt, dignos se eius perceptione diiudicant. Multo enim iustum est, vt cum hac cordis humilitate quâ credimus, & fatemur illa sacrosancta Mysteria, nunquam pro merito nos posse contingere, singulis ea Dominicis diebus ob remedium nostrarum ægritudinum præsumamus, quàm vt vana persuasione cordis elati, vel post annum dignos eius participatio nos esse credamus.

Magnus verò Cyrillus Alexandrinus Comm. in Ioann. lib. 3. ferè sub finem, vbi fructum sacræ Communionis eleganti oratione prosequutus est, ita infert: Quod cum ita sit, intelligant demum quicumque baptizati sunt, diuinamque gratiam gustarunt, si cunctanter & vix Ecclesias adeant, & longo temporum spatio Eulogiam quæ per Christum frequentare desinant, & ex eo quod nolunt ei mysticè cõmunicare, damnosum metum ac religionem prætexant, æterna vita seipsos excludere, dum viuificari renuunt, & recusationem illam tametsi à metu & religione profecta videtur, in laqueum cedere & scandalum: *Eniti quippe eos omni studio ac viribus deceret, vt à peccato statim emundarentur*; Honestumque ac probrum vitæ studium amplexi ad vitæ participationem demum magna cum fiducia & amore properarent. Sed cum Satanæ variæ ad decipiendum sint artes, ad saniorem mentem eos reuocare non finit: verum postquam malis

malis eos inquinauit, ipsam quoque gratiam cogit exhorrescere, *&c.* Ruptis igitur illius vinculis, & excusso iugo tyrannico, in timore Domino seruiamus, vt scriptum est, & carnis voluptatibus per temperantiam superatis, ad diuinam ac cælestem gratiam accedamus. Sic enim fraudem diabolicam superabimus, &c. Fallor si magnus ille Cyrillus alio nomine vocasset noua nostri temporis molimina contra frequentiam Communionis, ad quam vix sæculo integro paucos Christianos induxerat zelus & labor piorum Sacerdotum: fallor inquam, si aliis nominibus, istos conatus donasset, quam iis quibus eandem sui sæculi fucatam religionem appellabat. Quid enim aliud est tantùm exaggerare sanctitatem necessario prærequisitam ad Eucharistiæ participationem, quàm ipsam omni ferè virtute spoliare, ac nihil fere aut modicum relinquere quod præstet in nobis? Si vis omnino sanum esse hominem & in sanitate confirmatum cum Medicinam recipit, qui restat agendum Medicinæ? At agit aliquid in nobis Eucharistia, vt idem Cyrillus *l.* 4. *in Ioann. cap.* 2. ait Christus enim existens in nobis *sopit sæuientem in membris carnis legem* & pietatem in Deum exsuscitat. Morborum nostrorum expellendorum vi pollet.

Canones pænit.

Obiiciunt aliqui Canones antiquos Pœnitentiales quibus vsque ad septem annos, & aliquando vsque ad finem vitæ pœnitentes Communione priuabantur. Sed Canones istos tantum habuisse locum in foro exteriori Ecclesiastico, non in interiori pœnitentiali, in quo pœnitentiæ nunquam fuetunt determinatæ, sed arbitrio prudentis Confessarij relictæ, plures verè arbitrantur, Nauarrus in comment. de pœnit. dist. 5. in cap. *falsas*, Valerus *de differentiis vtriusque fori*, verbo *Pœnitentia*, differentiâ quart. & plures alij. Primò quia augebatur pœna horum Canonum, si quis ab alio accusaretur, quod denotat non fuisse institutos pro foro interiori, in quo nullus ab alio accusatur. Secundò quia Catechumeni, qui Sacramenti Pœnitentiæ participes non erant, his Canonibus subiiciebantur, vt patet in Concilio Nicæno Can. 14. Tertiò per hos Canones Confessio quæ debet esse secreta, fuisset euulgata. Quartò non nisi iniustè determinati possunt pœnæ peccatorum, non inspectis omnibus eorum circumstantiis, cùm duo homicidia quibus eædem præfigerentur longissimè à se distent in ratione criminis. Quintò vehementior pœnitentis contritio nihil profuisset ad diminutionem pœnarum in foro interiori. Sextò impossibilis pluribus fuisset huiusmodi pœnitentia propter numerum peccatorum.

torum. Quamuis autem aliquando obligati fuerint Sacerdotes ad discendos istos Canones, non ideo factum est, vt in foro secreto pœnitentiæ pœnas per eos peccatis decretas imponerent; sed magis vt grauitatem peccati pœnitentibus notam facerent, indicando eis quàm grauiter in foro mixto punirentur, sicut nonnunquam solemus in foro pœnitentiali gruitatem certorum peccatorum docere, dum dicimus hæc suspendio aut igne punienda fore, si in foro externo probarentur iuridicè. Quum igitur isti Canones ad Confessionem Sacramentalem non pertineant, non est quod Confessarij ex iis subsidium se habere prætendant, vt excludant Christianos vel per septem annos, vel per septem menses à participatione corporis Christi. Quid quod non obstantibus istis Canonibus, pœnitentes in feriâ quintâ ante Pascha ad communionem admittebantur, vt ex Epistolâ Innocentij I. ad *Decentium* deducitur? quare & hæc fuit sententia Bellarm. l.1. de *pœn.* sub finem. Quod nos aliàs non satis aduertebamus.

Veniale an impediat communionem.

Dubitatur secundo, an cum pœnitens mortalia confessus est, & ostendit se adhuc habere inclinationem; imò, & voluntatem ad aliqua venialia quæ non proponit emendare, an debeat illi Confessarius permittere communionem? Hæc quæstio non proponitur de venialibus quæ confessus est cum verâ attritione, aut quæ proponit emendare, quia satis manifestum est ista non obstare communioni, imo remitti & deleri per communionem. In præsenti autem difficultate considerandum est aliquod peccatum veniale esse aliquando circumstantiam communionis, vt est vana gloria, ostentatio, distractio voluntaria, tuncque ipsa communio est peccatum veniale, idcirco non debet permitti à Confessario, vt fiat tali modo. Aliquando vero peccatum veniale, non est circumstantia communionis, vt si quis esset in proposito mentiendi iocosè & officiosè, aut quid aliud agendi in quo malitia venialis reperiretur. Tuncque distinguendum est; vel enim pœnitens animo paratus est ad multa venialia, vel ad vnum aut alterum dumtaxat. In primo casu non debet illi permittere Confessarius, quia est irreuerentia venialis & notabilis, accedere cum consuetudine, & propensione ad multa venialia, sine proposito emendæ. In secundo casu permitti potest illi communio; iuxta ea quæ docet Suarez *tom.3. in 3. part. disp. 66. sect.* 1. Denique extra prædictos casus, inquit, si quis forsasse habeat peccatum veniale in habitu, licet sine dolore eius, & proposito emendæ ad Eucharistiam accedat,

vel

vel quia non recordatur, vel quia ob humanam aliquam fragilitatem, non potest voluntatem auertere ab illo leui affectu, non existimo peccare venialiter sic communicando; si alioqui procuret cum timore, reuerentia, & deuotione accedere. Et quoad hoc placet prior Theologorum sententia, & ratio est, quia culpa illa venialis non est circumstantia illius actus, neque ab homine fragili exigenda est summa diligentia, vel perfectissima dispositio.

Quia autem hic Suares meminit tantum vnius peccati, ad marginem ista verba notantur: Accedens ad Eucharistiam cum vno vel altero peccato habituali veniali, non peccat etiam venialiter: quæ additamenta, cùm sint authoris, satis mentem eius produnt.

Quis autem numerus peccatorum venialium requiratur ad hoc vt commnicans censeatur peccare venialiter, non potest certâ regulâ determinari, potest tamen dici numerum minorem peccatorum talium requiri, vt peccatet ille qui profitetur statum maioris profectionis, quàm alius. Quis requireret enim ab homine rustico, ab homine luteo & plumbeo tantam munditiam, quam à religioso aut à Theologo? non omnium est votum P. Eusebij lib. 3. cap. 11. de *Adoratione* vtinam ante hoc Sacramentum suscipiendum præcessisset purgatorium, aiebat ille. Namque sicùt in conuiuio humano, vt bene aduertit Card. de Lugo de *Euchar. disput.* 14. *sect.* 2. maior requiritur mundities; & nitor in vestibus & manibus, quàm ab agricola aut operatio, qui solum debet procurare munditiem suo statui conuenientem: sic est de Eucharistia. Vnusquisque secundùm suam capacitatem, & profectum in spiritualibus eniti debet, vt maiorem puritatem & præparationem procutet ad eam debitè suscipiendam. Vt propterea quidam peccent si minus præparationis ex decentiâ requisitâ habeant, cùm alij non peccent. Quemadmodum peccare posset nobilis in regem domum suam ingredientem, si non reciperet eum cum maiori honestate, & reuerentiâ quam rusticus qui pro suo statu & scientiâ eumdem regem reciperet. Plus enim in istis exigitur ab vno quàm ab altero.

Obiici potest eum qui communicat cum peccato mortali, peccare mortaliter: Ergo & eum qui communicat cum peccato veniali peccare venialiter: Ergo nunquam posse Confessarium tolerare Communionem in quoquam existente in peccato & proposito peccati venialis. Consequentia hæc nulla est. Vt enim ait Maior *in* 4. *dist* 9. *quæst.* 1. *in editione anni* 1519. Prohibemur sub mortali Eucharistiam sumere sub pœna peccati,

peccati, & hoc est rationabile; nam si pro terreno rege recipiendo domũ tapetibus ornates, multo magis debes domum conscientiæ bene ornare pro æterno Rege excipiendo in hospitium. Non est idem de veniali, à quo difficillimum est viro se præseruare; noluit enim nos Deus ad illud obligare sub pœnâ alicujus peccati. Veniale enim stat cum gratiâ, & hoc intelligo, inquit, de quocumque veniali commisso, etiam dato quod habeat propositum veniale committendi, dummodo sciat ipsum non transcendere limites venialis noxæ. Sed est bene imprudens ille qui actu proponit venialiter peccare, dum communicat. Vbi alij legunt, impudens.

Indeuotio an impediat cõmun. Dubitatur tertio, an possit Confessarius alicui consulere Communionem, nonobstante quod dicat se esse valde indeuotum, nullumque habere sensum deuotionis. Respondeo Communionem requirere non solùm statum gratiæ, vt recipiatur sine peccato mortali, & cum fructu, sed etiam aliquam attentionem & reuerentiam, vt recipiatur sine peccato veniali, quia hanc attentionẽ & reuerentiã ex naturâ suâ requirit actus cõmunicandi; qui est actus sacer ac valde religiosus, vt non possit excusari à veniali, qui aliter communicaret, nisi ex naturali quadam distractione, quæ nec voluntaria nec humana esset, omitteretur. Cùm igitur videt probabiliter, non defuturam illam attentionem & reuerentiam, non debet ordinariè Confessarius impediri à consulenda communione etiam frequentiori, propter illas tepiditates quæ sæpè dæmonis operâ accidunt, qui molitur fideles à Communione arcere. Vnde perinde tunc esset abscedere à Sacramento, ac si quis dum frigeret, ad ignem accedere recusaret, dicens, se esse frigidum, cùm ea de causa magis deceat accedere, vt per ignem repellatur frigus.

Hoc argumentum dignè versat Gerson tract. nono, super *Magnificat*, paritione 5. sub finem: Cogitas te, inquit, tantis indignum mysteriis? certè nec ex meritis tuis, etiam per mille millia annorum satagens digna fies. Dignificet te oportet qui te inuitat ad se, *&c.* audio quid respondeas, frigida sum, carnalis sum, exagitor curis, scrupulis inquietor, mordeor concupiscentiis, fides imbecillis est, nutat, spes, charitas refrigescit; quæ mihi conuentio cum hospite tanto? imò verò quæ tibi curatio nisi à medico tanto? si te sanam iudicares, opus medico non haberes, iure repelleres à te, *&c.* si te retrahit indignitas tua, maior alliciat considerata dignatio sua, charitas, misericordia, mititas atque benignitas, mititas atque

atque benignitas, accedere & dic: Misericordia & veritas tua semper susceperunt me. Ægrotus an non agit stultissimè, cui tantùm displicet deformitas ægritudinis suæ, quod adspectum, vel aduentum horret medicantis manus alienæ, dum medicus inuitat, offert, prouocat. instat vt suscipiatur & sanet, *&c.* Respondet anima pigritans; præparatum vult medicus corporalis infirmum suum heri per euacuationem humorum corruptorum, priùs quàm cibet eum antidoto salutari, scit illum aphorismum: ægra corpora quo plus nutries, eo magis lædes: consonat Apostolus quasi præconisans & arcens indignos. Probet autem seipsum homo, nihil planè contradixerim, verbis tuis istis, ô anima Christiana! non prohibeo, sed præcipio præparationem. sed talis sufficiat, vt plena nequaquam primitus perfectaque sanitas exigatur, compatitur secum vita spiritualis languores qui non sunt ad mortem. Tales non auget morbos; sed tollit Eucharistiæ gratiosa susceptio.

Hæc & plura pius Doctor Gerson, quæ libenter hîc attexuimus, vt non sint leues Confessarij in prohibenda communione pœnitentibus, quibus peccata mortalia remissa sunt, ne illos priuent innumeris bonis, quæ ex Eucharistiæ susceptione oriuntur. Quæ bona licet modo non appareant, cum gratia & gloria recondita sint ab oculis mortalium, & nondum appareat quid erimus, licet filij Dei simus, id tamen suo tempore manifestabitur; vbi sicut stella à stella differt in claritate, sic beati in gloriâ à se inuicem distabunt. Vnusque vel propter paulo frequentiorem Eucharistiæ susceptionem communalium simili excessu superabit, quo Rex magnificus pauperem subditum & quo stella super stellam refulget. Vt verè quidam Confessarij nunquam reparanda detrimenta pœnitentibus suis procreent, qui frequentius & diuturnius sine debitâ circumspectione eos à desideratâ Eucharistiâ propulsant, etiam accedere cupientes, & magnis precibus afflagitantes. Quibus propterea plus periculi est à medico quam à morbo. *Fructus communionis.*

Quod vero spectat ad frequentiam communionis, sufficit Confessario nosse quid de hac difficultate sentiat D. Augustinus lib. 1. *ad inquisitiones Ianuarij* cap. 3. Vbi expositis opinionibus variis tam eorum qui rarò accedendum putant vt dignius accedas, quam aliorum qui quotidianam esse istam volunt Medicinam in hunc modum concludit: *Rectius fortasse inter eos quis dirimit litem, qui monet vt præcipuè in Christi pace permaneant. Faciat autem vnusquisque quod secundùm*

ſecundùm fidem ſuam piè credit eſſe faciendum. Neuter enim exhonorat Corpus & Sanguinem Domini, ſi ſaluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Exemplificat in Zachæo. Luc. 19. & Centurione Matth. 8. &c. *Nam & ille honorando non audet quotidie ſumere: & ille honorando non audet vllo die prætermittere. Contemptum ſolum non vult ille cibus, ſicut manna faſtidium, &c.*

Atque hæc eſt, ait Matthias Hauzeurius in *Epitome doctrinæ Auguſtinianæ*, ſapientiſſima reſolutio, controuerſiæ practicæ de quotidianâ, aut rariore communione: cui nec repugnat quæ eidem B. Auguſtino tribuitur ex lib. de Eccleſ. dogmat. cap. 53. *Quotidie Euchariſtiæ communionem percipere nec laudo nec reprehendo, omnibus tamen Dominicis diebus communicandum, ſuadeo & hortor; ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit.* Confirmatur ex Concilio Trident. *ſeſſ. 22. cap. 6.* Optante vt fideles qui ſacrificio Miſſæ interſunt, etiam Sacramentaliter communicarent cum ipſo Sacerdote. Vnde infert omnes nō indignos habere à Chriſto & Eccleſia ius quotidie communicandi ex ipſo ſacrificio cui interſunt. Aliud eſt tamen ex conſcientiæ indagine diſſuadere: aliud prohibere, & præſumptâ quadam authoritate in pœnitentium conſcientias, eos hoc iure diuino priuare. Scilicet ad plures menſes, vt quidam faciunt indiſcretam tyrannidem exercentes, nec enim priuationem illam ad paucos dies, iuxta ſuperius dicta, improbatione dignam exiſtimamus, cum pœnitens extra ſtatum & voluntatem peccati inuenitur.

Quæritur nono, de examine mulieris viduæ.

Forſan mulier illa diu remanſerat ſeparata à viro quòd ipſam non aleret. Quæritur ergo primò an fuerit in ſtatu peccati mortalis. Examinandum an dos promiſſa fuerit & ſoluta viro, quia multi tenent virum non teneri alere vxorem, dote non ſoluta, & ſi per mulierem ſteriſſet quo minus ſoluta dos fuerit, non eſſet innoxia; etſi à viro domo expulſa fuerit, vt putant quidam illi licere in hoc caſu, contra quod Chriſtus docuit Matth. 5. vxorem non eſſe dimittendam *excepta fornicationis cauſâ*, quæ etiam hic examinanda venit; ſicut vir etſi ad paupertatem redactus fuerit ſine culpâ, quia tunc mulier ſi vtcumque aleretur, licet ægrè, & difficulter, tenebatur manere cum illo: vt enim ait Iuriſconſultus *l. ſi cum dotem 33. §. ſi maritus ff. ſoluto Matrimonio*, quid tam humanum eſt quam fortuitis caſibus mulieris maritum vel vxoris virum participem eſſe. Si vero manebat ſeparata à viro, quod ebrioſa eſſet, aut omnia bona familiæ negligeret, aut diſſiparet,

[..]ret suâ culpâ, certum est non fuisse tunc obligatam ad ieiu-[..]nium,& si tunc debitum negasset, dubitari posset an non licita illi fuerit negatio debiti in compensationem negationis alimentorum à viro ad quæ tenebatur. Quod tamen prudentiori adhuc indiget discussione.

Quid verò si mortuo viro sine liberis aliqua celauit mulier illa in inuentario; tunc diligenter attendendum erit ob quam causam, & si ob iustam aliquam compensationem, quod dotem verbi causa referre forsan non possit, quod defraudata fuerit à viro in aliquibus bonis, quod ipse propinquis suis multa elargitus sit, *&c.* quod in commessationibus & adulteriis multa bona dissipauerit iniquè, quicquid enim sit de foro exteriori, ius habet mulier in foro interiori vt eorum medietas sibi ab hæredibus mariti restituatur tempore partitionum, iniquum enim est vt vir sine obligatione restitutionis in malos vsus alienet bona vxoris. Et licet vir habuerit dominium istorum bonorum; attamen non curatur in foro animæ de ista subtilitate iuris, sicut in foro exteriori, in quo sæpe numero etiam apices iuris admittuntur. Ita Valerus de *differentiis vtriusque fori* verbo *vxor maritus differ.* 3. Vbi tamen excipit ludo amissa, in quibus vxor non potest se compensare, quia iste contractus est fortunæ & industriæ, & ita poterat in eo lucrari, sicut & perdere: Couarruuias l. 3. *variarum resol. cap.* 19. Quod si deest iusta ratio, obliganda est ad restitutionem, nec permittendum vt iuret se nihil surripuisse.

Dubitabis amplius an si vidua renuntiat communitati, propriis bonis contenta libera sit à solutione omnium debitorum quæ constante Matrimonio contracta erant. Visum est aliàs distinguendum esse, quia aut debita contracta sunt in commodum solius mulieris, puta ad illius forte vestitum, aut in commodum solius viri, vel vtriusque. Et quidem in primo casu non videbatur libera, cum ius naturale adstringat ad id reddendum quod quis ex bonis alterius consumpsit, quod iure ciuili non videtur posse destrui. In secundo casu & tertio libera videbatur. Sicut ille qui renuntiat hæreditati ne teneatur debitis. Attamen Thomas Sanchez lib. 6. *de Matrimon. disp.* 4. sine vllâ distinctione talem viduam absoluit ab omnibus debitis. Quia si quæ sunt debita, non fuerunt nomine vxoris contracta, & vxor habebat ius vt aleretur à marito & vestes ab eodem acciperet, sicut & filij.

Quid vero perpendendum est si mulier illa fruatur aliquibus bonis sibi à marito concessis, donatione inter vi-

uos, quam iura reprobant. Videndum est tunc, an fuerit donatio verè remuneratoria aliquorum obsequiorum valde insignium, ad quæ non teneretur mulier erga maritum: illa enim donatio à plerisque defenditur licita, vt cum maritus senex dat vxori iuueni, aut ignobilis nobili. Aut si mulier diutissime marito ægrotanti, famulæ instar inseruiuit: aut si maritus liberè fassus est scripto, se dotem accepisse, cùm non acceperit. In huiusmodi enim casibus non videtur in foro conscientiæ reprobanda donatio coniugum, quæ vetita est, ne coniuges mutuo amore se inuicem bonis spoliarent. Idem etiam dicendum, si coniux viro dederit ad assequendam aliquam dignitatem; quâ & ipsa illustrior redderetur, quod iure Romanorum permissum erat. L. *quod adipiscenda* 41. ff. *de donatione inter virum & vxorem*. Plures alios casus, in quibus donatio hæc licita, refert Carolus Baucius de *miscellaneis practicis*, *quæsito* 48. Vt inter alios, si vir esset prodigus & donet vxori quod inutiliter esset expensurus.

Donatio inter viuos.

Quid si bona illa furtiua erant & furto aut vsurâ acquisita? si potest restituere tenetur: illa verò quæ consumpsit constante adhuc Matrimonio, si vir poterat ex aliis bonis licitè acquisitis restituere non obligatur restituere; quia quando vxor aliunde alimenta non habet, quamuis maritus efficiatur impotés ad restituenda iniustè parta, excusatur parcè iuxta decentiam sui status illis vtens, vt ait Thom. Sanchez l. 10 de *Matrimon. disp.* 17. *n.* 9. quia maritus plus tenetur ad eam sustentandam quam ad restituendas vsuras, ait Nauarrus in *Manuali*, *c.* 17. *n.* 268. quod autem spectat ad cogitationes copulæ præteritæ cum marito non est quod hîc immoremur, cum sufficiant quæ dicta sunt circa nouum præceptum in secunda parte huius examinis.

Consolatio viduæ.

Porro si vidua accedat ad Confessionem amaritudine plena, ob mortem recentem viri, pium est vt eius animum soletur Confessarius, imitatione Christi Domini, qui viduæ lacrimantis ob mortem vnici filij sui fletus abstergit dicens, *noli flere.* Poterit illi demonstrare mortem hanc viri charissimi debere illi ingerere cogitationem mortis propriæ: si enim vir defunctus est & ipsam quoque parem sortem subituram, vt sic viuat in posterum quasi moritura & Deo rationem reddituta de omnibus vitæ momentis. Addat etiam, idcirco sponso cœlesti Christo Domino orbatam esse vt totam se in posterum cum maiori libertate addicat illi piis misericordiæ operibus, si facultates suppetant & Sacramentorum frequentiâ, inseruiendo. Subiunget illud dictum à D. Augustino lib de

verâ

verâ Religione, c. 47. *Qui toto animo diligit Deum, nouit nec sibi perire quod Deo non perit.* Quod si ampliori consolatione indigere videatur ob multitudinem luctus & doloris, poterit sibi Confessarius quas voluerit rationes seligere ex decem motiuis, ad leuius ferendam charorum mortem contentis in duobus versibus relatis à Roberto Holcot qui dictus fuit doctor moralissimus lect. 164. *in Sapientiam.*

Vult Deus, & suus est, lex liberat, omnia noscens.
Nec valet, imo nocet, ob, abit, surget, amabit.

Sed de his consolationibus nuper edidimus librum Gallici idiomatis prænotatum *consolatio cordis afflicti.* Non inutilem Pastoribus.

Quid si vidua velit per plures hebdomadas domi audire sacrum, vt fere moris est inter nobiliores quod iudicium ferre debet Confessarius de istâ morâ? Pro solutione huius casus nunc solum nobis occurrunt duo decreta Conciliorum Prouincialium in nouo orbe celebratorum, quę edi curauimus in nostra additione ad summam Conciliorum. Primum decretum est Concilij Limensis (est autem Lima ciuitas regia & metropolis regni Peruani in Americâ) an. 1531. celebrati & à Xisto V. summo Pontifice approbati, cap. 8. Viduæ quoque superstitiosum atque ambitiosum illum morem tamdiu post defunctum virum domi manendi Ecclesiæ religiosissimæ disciplinæ postponant, diuinaque officia ad consolationem suam opportunè adeant. Secundum decretum est Concilij Mexicani eodem anno celebrati & ab eodem summo Pontifice approbati, lib. 2. tit. de *ferijs* §. 6. vt introducta inquit, iam corruptela funditus tollatur, quâ relictæ viduæ per multos dies ab obitu maritorum missam non audiebant, Ecclesiæ præceptum transgrediens, iubet hæc Synodus, vt viduæ, elapso præsertim mense post mortem mariti, à iudicibus Ecclesiasticis per censuras & alias pœnas, ad sacrum audiendum compellantur. Vbi Concilium non indulget vt licitè per mensem abstinere possint à sacro audiendo, licet ante mensem non velit illas cogi per censuras ad illud audiendũ. Atque hæc pro his regionibus; pro aliis vero in quibus Episcopi nihil statuerunt, videtur consuetudine præceptum audiendi sacrum, relaxatum esse pro aliquot hebdomadibus, iuxta regionis consuetudinem, quâ domi se solent continere nobiles viduæ. Atque ita censet Nauarrus in *Manuali, cap. 1. n. 4.* Vbi tamen piè admonet laude dignam futuram viduam, quæ hac consuetudine posthabitâ, imitaretur nobiles illas & gloriosas Martham & Magdalenam Lazari sancti sorores

Pp 2

in eo quod illæ non obstante luctu quo fratrem mortuum lugebant, egressæ sunt ad excipiendum Christum Dominum adhuc mortalem: ita ipsa exiret ad videndum illum immortalem in Sacramento extantem & exorandum vt sicut Lazarum è sepulchro eduxit, sic sui mariti animam è purgatorio, si in illo est, educat. Addit etiam Episcopum regionis in qua hæc viget consuetudo, rem se dignam facturum, si suis suorumque parochorum concionibus persuaderet vt penitùs aboleretur, vel saltem ad octo aut quindecim dies restringeretur. Hæc Nauarrus. Iuxta cuius sententiam excusari possunt tales viduæ, quod consuetudo in his vim legis obtinuerit. Quòd verò etiam viri aliqui in Galliâ hanc velint consuetudinem pro seipsis introducere, non videtur ferendum, & res indigna est generositate virilis animi.

Quæritur decimò de quibusdam mulierculis quæ nouo modo se accusant de peccatis, dicentes sibi gratiam Dei ter quaterue defuisse, quo modo sint examinandæ.

Iansenismi fructus. Deprehendi aliquas mulieres, & aliorum etiam Confessariorum relatione didici, hoc modo se accusare de quibusdam grauioribus peccatis. *Pater, mihi defuit quinquies gratia Dei.* Qui quidem modus se accusandi profluit ex nouis opinionibus Baij & R. Iprensis, quæ in hoc sæculo grassantur & apud multos quotidie inualescunt. Scilicet quod non detur omnibus auxilium sufficiens, quod gratiæ Christi dum adest nunquam resistitur præsenti. Hinc enim consequens est, eos qui peccant gratiam sufficientem non habuisse, quia si habuissent, non illi restitissent nec peccassent.

Satius esset profectò quod seipsas accusarent se defuisse gratiæ Dei, iuxta vèrbum Apostoli ad Hebr. 12. *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei.* Sed contraria Apostolo ipsæ meditantur, gratiam Dei sibi defuisse. Deterioresque in hoc modo Confessionis matre communi viuentium Eua, quæ causam peccati non ausa in Deum reiicere, in serpentem retulit, dicens Genes. 3. *Serpens decepit me.* At ipsæ in Christum reiiciunt, quasi non esset mortuus pro omnibus, nullaque esset vtilitas in sanguine ipsius, respectu plurimarum animarum, contra id quod asserit D. Augustinus tract. 92. in *Ioannem.* Qua de re plura diximus in nostrâ Theologiâ affectiuâ, 3. part. tract. 1. medit. 39. quæ hîc repetere superfluum est.

Sed & illecebra magna est peccatum, si quis ob defectum gratiæ sufficientis impossibilem præcepti diuini obseruationem sibi imaginetur, cum fere se innocentem reputare soleat,

qui

qui aliud non poterat nisi peccare. Talis ille est, de quo à fide digno relatum est, quod primam partem diei in orationibus & piis exercitiis impenderet, posteriorem partem in sordibus & peccatis obscœnis; qua de re cum à piâ vxore reprehenderetur, respondit sibi mane gratiam Dei præsto esse qua rectè viueret & oraret, post meridiem eam sibi deesse, sine quâ rectè viuere non posset. Quasi non expresse asserat D. August. in *Psal.* 35. impiorum genus esse, *non quia non possunt, sed quia nolunt*.

Obiicies D. Augustinum in Epist. ad Vitalem scribere sic. *Scimus gratiam Dei non omnibus dari.* Sed D. Augustinus loquitur ibi de gratiâ proxima & immediatâ ad iustificationem, non de gratiâ remotâ. (Quas gratias qui non distinguunt multa confundunt in D. Augustino.) Seu de gratiâ ipsa iustificationis qua iustificamur, de quâ illi certamen erat contra Pelagianos vt sæpe meminit, *l.* 2. *retract. cap.* 33. *item cap.* 37. *item capit.* 42. & alibi quæ examinare ab Instituto alienum est.

Dices iterum videri sufficientem hunc modum se accusandi, quia defectus gratiæ non excusat à peccato, cum non à naturâ, sed à peccato originali & præcedentibus demeritis profluat.

Respondetur culpâ dimissâ, illa quæ ex eâ profluunt non debere imputari ad peccatum. Deinde frustra peccatoribus imponerentur præcepta sub interminatione inferni, si non suppeteret facultas ad ea seruanda, nec posset Deus hominibus iis qui propter peccatum originale in lucem emissi sunt sine pedibus & auribus imperare vt ambularent & audirent, solemque cæcus natus adspisceret, nec posset homini iniungere sub pœnâ damnationis vt nunquam moreretur, cum post peccatum aliter fieri non possit. Nec peccata & blasphemiæ insanientium illis imputantur quia euitare non possunt. Nec si ægroti non ieiunant, rei sunt, quia non possunt præ infirmitate; nec ergo criminis arguendæ erunt quæ præ infirmitate propriâ & gratiæ adiuuantis inopiâ, peccata carnis non euitarunt. Quare hoc modo confiteri, potius est excusatio sceleris admissi, quàm accusatio, & vt rectè ait D. Augustinus l. de duabus animabus. *Pœnitendi affectio illa quæ prodit male fecisse pœnitentem, & bene facere potuisse testatur.*

Cæterum non opus est vt diutius in hac discussione immoremur, quippe euanuit citò modus iste confitendi maximè post constitutionem Innocentij X. qua quinque proposi-

tiones damnauit plurium aliarum radices. Qua etiam factum est vt error serpens desineret, ac plures quoque sententiam corrigerent ne in illos quadraret quod scribit D. August. l. 2. *de Trinitate in proœmio. Duo sunt quæ in errore hominum difficillimè tolerantur, præsumptio priusquam veritas pateat: & cum iam patuerit, præsumpta defensio falsitatis.* Nec enim res istæ sunt adiaphoræ, vt licitum sit quodlibet opinari, ignorare aut errare sine creatoris iniuria, in quo enim proprie fides Christiana consistit, nisi vt ait Diuus Augustinus l. de peccato originali c. 24. *In causâ duorum hominum quorum per vnum vanundati sumus sub peccato per alterum redimimur à peccato.* At illud est quod agitatur in his quæstionibus. Quibus magis explicandis supersedemus, cum in libro de *Beneficio Crucis* seu in articulis disputatis. De gratia sufficienter responderimus præcipuis eorum argumentis. Sed & non inuidemus si ex prælio isto discedere velint non abiecta indecore parmula ac non inglorij, se nunquam adhæsisse V. propositionibus profitentes. Ita sit. Benè hoc est. In ea professione sincerè permaneant, nec turbetur amplius Ecclesiæ pax.

Quæritur vndecimo de examine mercatorum.

Vt etiam aliquid immisceamus quo relaxetur tantisper animus, inter difficillimas quæstiones, præsens quæsitum ordiemur à narratione historiæ cuiusdam duorum ciuium Coloniensium qui ambo mercatores erant, qui cùm se accusarent de mendacio ac periurio, dicerentque Confessario, se penè nihil emere posse ac vendere, nisi mentirentur, iurarent & sæpe periurarent, grauitatem istorum peccatorum illis ita demonstrauit, vt etiam illis persuaderet firmum propositum, ab iisdem imposterum cauendi. Quod cùm vno anno integro seruarent, procurante Satana, nihil prorsus vendiderunt. Reuersique post annum ad plebanum suum, dixerunt obedientiam illius anni sibi valde damnosam fuisse: homines quippe defluunt à nobis, & sine iuramento, nec aliquid vendere possumus. Quibus ille; Nolite timere, quia tentatio est, fixum tenere in corde vestro, quod nulla aduersitas, nulla etiam paupertas vos à tali proposito auertat, & dominus vobis benedicet. Vt dictum, sic factum est: corroborati hac exhortatione proposuerunt à mendaciis & periuriis abstinere, breuique factum est, vt confluentibus ad eorum officinas, emendi causa quamplurimis, supra cæteros mercatores ditarentur, quare ad Confessarium reuersi gratias

Exemplum mercatoris.

gratias egerunt, quod à magnis peccatis exonerati essent, & amplioribus diuitiis onerati sano eius consilio. Hæc Cæsarius Heisterbachensis *lib.3 histor. memorab. cap.37.* quod exemplum mercatoribus prædicari desiderat in Ecclesiis. Ex quo patet interrogari posse mercatores de mendaciis & periuriis, sed & insuper interrogandi sunt de monopolis si conueniant cum pluribus ne vendant, nisi supra iustum pretium. Si in societate fideliter se non habuerint. Si falsas monetas aut diminutas pro bonis scienter dederunt. Si diebus festis sine necessitate emerint aut vendiderint. Si vectigalia iusta fraudauerint. Si creditoribus soluerint, Si pretium monetarum publicatum primi adauxerint. Si ab vsura etiam palliata se custodierint: & huiusmodi in quibus plura sunt controuersa, quarum aliqua hic enucleabimus prout occurrerint in nostris annotationibus.

Venditor in aliquo casu non tenetur rei vitium patefacere emptori, scilicet quando vitium est manifestum. Vel si res vendita cum suo vitio æquè sit vtilis emptori ratione vitij seu defectus. Ita Corradus 1. *p. quæsito* 51. teneretur tamen reuelare vitiū si præsumeretur emptor rem venditurus alteri sine imminutione pretij propter defectum occultum. Quando verò in re venali aliqua specialis virtus latet, quæ communiter etiam à peritis illius artis ignoratur, peritissimus emptor qui hanc virtutem deprehendisset; non teneretur venditori manifestare, nec pretium augere, sed posset iuxta communem æstimationem illam emere. Idem *quæsito* 131. in *additionibus.*

Idem *quæsito* 158 excusat à peccato venditiones, & emptiones minori pretio, modo non sit vltra dimidium iusti pretij, & fint sine fraude & in loco publico ad vocem præconis. Pretia enim variantur à vario vendendi modo, & id reputatur in foro illo publico res valere, quod pro illâ fuerit repertum. Idem asserit Valerus de *differ. vtriusque fori, differentiâ 1.* verbo *venditio.*

Idem quæsito 157. excusat mercatorem vendentem merces & post redimentem minori pretio. Sed Couarruuias lib. 2. *variarum resolutionum* istud improbat vt latrocinium. Cuius sententia videtur præferenda, cum redemptiones illæ non fiant ordinariè sine fraude, & iniustâ intentione aut vsurâ palliatâ: si enim sine istis fiant apud Deum excusari poterunt, vbi lex ciuilis non prohibebit ad vitandas fraudes.

Quo verò pretio debet mercator merces suas vendere, explicat Idem Couarruuias eodem libro, *c.3.* Iustum enim pre- *Pretiū mercis.*

tium non consistit in indiuiduo puncto, sed in quadam mediocritate, vnde triplex est rerum pretium, infimum, medium & supremum. Laudat autem Pomponium asserentem licere naturaliter contrahentibus, inuicem se decipere, modò ea deceptio sit intra latitudinem iusti pretij.

Addit. Si communis æstimatio ad iusti pretij definitionem obseruanda est, non poterit iure asseuerari damnandos mercatores, qui in nundinis vendunt carius iusto pretio pecuniâ creditâ ad certum diem. Quod probat licitum, vbi venditor cessat acquirere lucrum quod haberet, si pecunia præsens ei numeraretur. Vnde Valerus de *differentiis vtriusque fori, differentia* 4. verbo *venditio*, non excusat vendentem supra iustum pretium, nisi quando est mercator, & habet expositam pecuniam ad luctandum cum ea & negotiandum. Contra Medina Codice de *restitutione*, tenet etiam id licitum non mercatori q.38. causâ 3. & 4. propter periculum cui capitale exponit, qui à Valero improbatur.

Idem Valerus ibidem *differentia sexta*. non excusat in foro conscientiæ vendentem rem pluris iusto pretio scienti verum eius valorem, si concurrant hæc quatuor vel vnum ex his. Videlicet leuitas, necessitas, nimia affectio & commoditas ex parte ementis. Vnde colligit periculosè venundari res iuuenibus egestate pressis, vel alias in necessitate aliquâ positis: vel econtrario emi ab iisdem, quamuis communiter gaudeant ementes ab iis qui necessitate premuntur ad vendendum. Sed hoc gaudium, inquit, vertetur in luctum, nisi resipiscant & rem emptam ad iustum pretium, quod aliàs valebat, reducant. Colligit etiam vendentes maiori iusto pretio domos, vel agros vicinis scientibus iustum pretium, quia bona ista propter vicinitatem illis commoda sunt, non esse tutos in conscientia, quia non potest commoditatem vicini vendere, quæ sua non est, in quo quotidie peccatur, secundùm Soto lib. 6. *de iustitia*, quæst. 3. art. 1.

Sunt tamen aliquæ res quæ non habent pretium legitimum, id est, lege taxatum, aut vulgare vt quædam gemmæ, quidam canes, quidam libri. Ista autem tanti venduntur quanti possunt. Lessius lib. *de iustitia & iure c.* 21. *dubit.* 3. quamuis alij contra sentiant. Sic alia minoris emuntur licitè, quam continent, vt sunt debita & chyrographa, tum quia merces vltroneæ vilescunt, tum quia minus est actionem habere quàm rem esto non sit difficilis solutio nec lucrum cessans, & si sit ambigua valde solutio poterunt emi etiam dimidio pretio. *Ibid.* dubio 8. & 9. similiter nonnulla sunt quæ supra iu-

stum pretium vendi possunt, propter affectum peculiarem quo ad illa dominus afficitur, & oblectationem quam in illis habet. Ita Carolus Baucius *de miscellaneis practicis quæsito* 510.

Idem Valerus ibid. *differentia secundâ*, non putat esse tutos in conscientia mercatores, qui non soluunt iusta vectigalia, etiam si non petantur à publicanis qui non aduertunt. Non enim, inquit, præsumi potest liberalitas vel donatio ex eorum parte, cum de hoc nihil minus cogitent. Eadem mens est Corradi I. *parte quæsito* 136. quem authorem sæpius laudamus, quod fuerit vir doctus ex ordine Prædicatorum, & ipse testetur de seipso se per quadraginta quinque annos casibus conscientiæ operam & studium impendisse. Asserit autem in prædicto quæsito, peccatum esse mortale non soluere iusta vectigalia, etiam ante condemnationem & si non deprehenditur, qui merces exportat aut vendit, inuehitque in eos qui contraria scribunt, quia nemo militat suis sti pendiis vnquam, rex autem communi omnium paci inuigilat. Quapropter illi iustè debentur vectigalia.

Quare si aliquando viri docti excusarunt aliquos à restitutione vectigalium, id forsan factum est, quod vectigalia plura imposita essent quam ferre posset populus & quod pessimè, publicæ pecuniæ insumerentur, non ad sustentationem familiæ regiæ, vel in vtilitatem publicam.

Quid verò si mercator debitis oneratus composuerit cum creditoribus pro parte debitorum, quid tunc aduertet confessarius? Si nulla vis, nulla fraus, nullus metus interfuerit. Si enim mercator finxit se nihil habere cum sufficientia bona haberet, tutus non est in conscientia, manetque obstrictus ad restituendum principale, & damna emergentia creditoribus. Idem Corradus I. p. *quæsito* 161.

Quid si exequutio fiat in bona mercatoris, poteritne aliquid abscondere? Poterit quantum sufficit vt tenuiter viuat secundum statum suum, & ad prouidendum extremæ necessitati suorum, ne vxor, aut filiæ propter egestatem se prostituant. Si verò cessionem bonorum faciat, cum actibus quibusdam ignominiosis secundum consuetudinem locorum, excusatur à restitutione, si ad pinguiorem fortunam venerit secundum quosdam, quamuis ab aliis probabilius non excusetur, quod hæc ignominia sit in pœnam culpæ quæ præsumitur in illâ cessione. Lessius de *iustitia & iure, cap.* 16. dubit. 3.

Quid verò si mercator plura exercuit mercimonia in qui-

bus fraudem non abfuisse suspicetur, quid consilij impendere debet Confessarius? moneat vt secum reputet vsque ad quantam quantitatem verisimilem proximis nocuerit: & si potest recordari quantum aliquibus certis personis nocuerit, iisdem restituat per se vel per alios ea quæ putat deberi incertis personis in opera pia impendat maximè in pauperes. Ita Nauarrus lib.3. *consiliorum* de empt. & vendit. *consilio* 15. videat tamen Confessarius num expediat vti opinione illa, quæ docet debita incertis personis non deberi ex iustitia pauperibus.

Quid si mercator ab alio interrogatus de pretio frumenti in quadam remota prouincia, veritatem dissimulauit & mentitus est, vt solus ibi frumentum suum transferret? Non videtur, inquit Lessius in *resolut.* verbo *contractus* casu nono, cogendus ad restitutionem, receptum est enim inter mercatores vt veritatem in huiusmodi non aperiant, quia id in eorum damnum cederet.

Quid de mercatore qui cum abundantissimè collegit pecunias, quibus se suosque honestè sustentare possit, potest ne ampliùs mercimonia exercere? dicit Nauarrus in cap. *qualitas* de pœnitentia *dist.* 5. prudenter facturum si tunc à negotiatione desistat: nisi mutato sui propositi fine, quod ante pro se suisque faciebat, nunc pro reipublicæ prouisione, aut pro pauperibus alendis, aut aliis operibus piis facere pergat, cùm enim negotiatio sit ex se indifferens, & tota illius laus ex intentione pendeat, quo melior erit finis, eò laudabilior erit.

Obiicies non videri absoluendos mercatores, nisi proponant non ampliùs mercari, quia se exponunt periculo peccandi, cùm vix sine mendacio, periurio, & aliis peccatis exerceantur mercimonium. Respondeo ista peccata non necessario annexa esse mercaturæ, sed magis sequi ex iniquitate mercatorum, qui ab iis abstinere possunt. Quod verò peccet is qui se periculo exponit, vltra ea quæ supra dicta sunt in hac parte examinis pœnitentium, addendum est ex eodem Nauarro, loco citato, eum peccare, qui se exponit periculo: si in specie, & in aliquo casu particulari periculum illud occurrat: non verò si in genere, & vniuersaliter siue in aliquo vniuerso id contingat, alioquin qui regnum, & aliquod officium reipublicæ, imò qui & Monachismum rem valde alienam à peccato acciperet, peccaret. Quis enim tantâ superbiâ est, qui putet artem aliquam etiam de se facillimam diu sine peccato se exerciturum: & dicebat Innocentius IV. in cap. *omnis* de pœnitentiâ, superbiam esse cuiusdam pœnitentis, credere se nunquam ampliùs capitaliter peccaturum.

Quæritur

Quæritur duodecimò, de Litigantibus quid in eis perpendendum, dum accedunt ad sacrum tribunal.

Et hic labor est non mediocris Confessariorum dum litigantes audiunt in Confessione: à quibus inquirendum primo, an cum iustitia litigent, habuerintque consilium à peritis, quod potioti causâ valeant. Secundò an iusto modo & viis rectis, quod iustum est prosequantur, id est sine dolo, mendacii & fallacia iuxta diuinum præceptum Deutero. 16. *Iustè quod iustum est prosequeris.*

Quoad primum caput, certum est tribunalia iudicum multitudine litigantium circumdari, qui sæpe non alio motiuo impulsi sunt, quàm eo quòd aliqua inordinata passio suscitauit, vel inuidiæ, vel auaritiæ, vel ambitionis, vel iræ, vel vindictæ & doloris, non simplex iustitiæ desiderium. Quippe propterea obcæcati vel indurati ad vltimum potentiæ iniustam causam promouere parati sunt cum detrimento proximi. Quod vbi constaret Confessario, eos non audire deberet, nisi prius ab iniustâ litè destitissent. Sed ad hoc oporteret Confessarios Iurisconsultos esse, & scientiam omnem iuris habere; quod aliqui in ipsis requirunt, sed cum id in ipsis sæpius desideretur, saltem requirant, si litigantes credunt se in iure potiores esse, & aduocatorum consilium adierint.

Dubitari autem meritò potest quanam certitudine debet ius suum cognoscere qui litem intendit alteri, aut contra alterum defendit. Cùm in dubio melior sit conditio possidentis qui dubius est de iure suo circa rem ab alio iam possessam, non potest illi litem intendere: dixi, qui dubius est, quia dubia distinguenda sunt ab opinione. Potest autem defendere se, donec dubium perseuerauerit, quia in dubio melior est conditio possidentis. *Litigantis de iure dubij.*

Si verò habet opinionem, ius suum præualere, ex opinione illa probabili poterit litem intendere, si cognoscat aduersarium nullum ius habere: at si aduersarius ex probabiliori opinione iure præualere videatur, licet militet pro se aliqua opinio probabilis, sed minùs probabilis, non videtur quòd possit litem intendere, multisque probationum difficultatibus & sumptibus proximum implicare: quia secundum rei veritatem debet causa cadere, cum iudices teneantur maximè in causis ciuilibus in quibus demitur vni quod tribuitur alteri sequi in iudicio probabiliorem opinionem sine acceptione personarum, *Deut.* 1. Aliter enim iudicarent pro amico, pro acceptione personarum sequendo minus probabilem opinionem in illius fauorem. Deinde debent iudicare secundum allegata,

legata,& probata, id quod iustius est, & melius l. illa *rem nouam c.de Iudiciis.* Est autem iustius & melius sequi sententiam in iudicio probabiliorem.

Atque hanc sententiam multis probat Bresserus, lib. 3. de *conscientia*, *cap.* 14. contra Ioannem Sanchez, qui putat in quæstionibus facti cum de eo partes non conueniunt, teneri iudicem sequi probabiliorem opinionem, non verò in quæstione iuris, cum circa legis interpretationem diuersæ sunt opiniones. Ita in *Select. disp.* 44. *num.* 50. nulla discriminis huius allatâ ratione: sed de hoc infra.

Iuramẽta litigantiũ. Quoad secundum caput de mediis quibus vtitur litigans in promouenda lite. Dubitatur primo an possit ad finiendam controuersiam exigere iuramentum ab eo quem scit falsò iuraturum, vt sæpe accidit; si enim exigat, videtur causa scandali, & præferre commodum suum temporale ruinæ spirituali proximi. Ad hoc respondet De Graffiis 2. parte. *decisionum aurearum, lib.* 2. *cap.* 4. Priuatam personam non posse exigere iuramentum ab eo quem scit iuraturum falsò. Quod tamen est impossibile., cùm sit de re futurâ: quam nemo certo cognoscit. Vnde concludit exigi posse iuramentum, cum hac opinione, quod proximus de animâ sollicitus erit. Debes mihi centum, inquit, petij à te, negasti, nec probare possum, tibi possum deferre iuramentum, licet videam te paratum ad iurandum, credens quod non eris immemor propriæ salutis. Quod confirmat ex cap. *sancimus* 1. *quæst.* 7. Vbi Imperatores Theodosius & Valerius ita loquuntur. *Et licet neminem diuini timoris contemnendo iure iureiurando arbitremur immemorem: vt saluti propriæ vllum commodum anteponat.* Huic tamen sententiæ communis opinio refragatur.

Obiicies: potest iudex exigere iuramentum ab eo quem certò sciret iuraturum falsum: ergo & priuata persona Respondetur discrimen esse, quòd iudex sit persona publica quæ ad instantiam partis ex officio obligatur exigere iuramentum: aliquid autem potest esse licitum personæ publicæ ex officio agenti, quod licitum non erit priuatæ personæ. Vnde licet Sacerdoti, occulto peccatori Eucharistiam publicè petenti, illam subministrare.

Dubitatur secundo, an ille à quo petuntur centum, cum debeat tantum quinquaginta, interrogatus à iudice an debeat centum, possit totum debitum negare. Affirmatiuè respondent Baldus, Decius, Imola & Alciatus apud Couarruuiam lib. 1. *variarum resolutionum c.* 2. *n.* 5. Quia id verum

cuiu

cuius contrarium est falsum. Licet autem Couarruuias putet teneri partem illam fateri quam debet ad faciliorem litis decisionem, tenet tamen non esse periurium, & mendacium si positionem negat, esse verò si expressè dicat nihil debere, quia implicitè interrogabatur de minori summâ quæ maiori inest.

Dubitatur tertio, si pars quæ falso iurauit accedat posteà ad Confessionem, an sit obliganda à Confessario ad retractationem. Ad hoc considerandum est, quod asserit præfatus Couarruuias l. 2. *variarum resolutionum c.* 13. Si testis, inquit, incontinenti contrarium dicat vltimo testimonio defertur: si ex interuallo primo creditur, puniendusque est falsi pœnâ. Excipe nisi ad secundum testimonium tormenta præcesserint. Ex quibus infero vix posse Confessarium adigere falsum testem vt retractet, cum posteriori testimonio non crederetur. Quia tamen addit Vsellus in notis ad hoc caput Couarruuiæ, credi etiam posteriori testimonio, si vi monitoriarum factum sit, adigi poterit post monitoria publicata ad hunc finem, vel ad reparandum omne damnum quod ex falso testimonio accidit.

Reus agitur qui offendit proximum & in ius vocatur, vt pœnam offensæ ex rigore legum subeat: ille, vt cum minori difficultate ex hoc negotio se expediat petit veniam à parte læsâ, offert illi omnem satisfactionem iustam ratione offensæ, omniumque expensarum solutionem: Quæritur an pars læsa teneatur acceptare illam satisfactionem ac à lite desistere, et si nolit acquiescere, an absolutio illi danda sit à Confessario. Respondetur probabilius esse quod teneatur acceptare satisfactionem & à lite desistere: homo enim Christianus tenetur condonare iniuriam inimico, vbi viribus satisfacit, & si quid vltra exigit, plus à debitore exigit quam sibi debitum est. Deinde non potest stare quod quis ex corde remittat iniuriam inimico satisfacienti pro viribus, & quod agat coram iudicibus vt illum vita fortunis aut honore spoliet, illique malum omne quod potest procuret. Quare sæpe hallucinantur confessarij dum credunt tales litigantes charitatem Christianam retinere, & parum intelligunt in quo Christiana charitas consistit, quæ postulat vt si quis sine contentione possit totum quod sibi debetur recuperare, à petitione iuridicâ & contentiosâ abstineat. Et est contra ius naturæ cum iudicij strepitu expensis ac difficultatibus innumeris reparare tibi velle detrimentum, cuius reparatio tibi quantum fieri potest ab homine pacifice

Acceptatio satisfactionis.

&

& quietè offertur. Nec obstat quod sic delicta remanerent impunita non sine boni publici iactura, non enim propterea tenentur iudices deesse officio suo, & quamuis debitas pœnas non sumerent de reo in aliquo casu, non propterea periret Respublicâ, cui expedit vt personarum pro offensâ satisfacientium habeatur aliqua ratio, cùm non deceat æquali supplicio in omnes animaduertere. Hinc determinat Ludouicus Beia *de iniuriarum remissione casu* 5. Mulierem quamdam non debere absolui, quæ interfectori viri sui bannito pro iniuria & pro damnis omnem satisfactionem congruentem offerenti pacem scriptis dare nolebat. Refertque inter plura hoc Decretum Concilij Agathensis in Galliâ celebrati, quod refertur *dist.* 90. placuit. *Quicumque odio aut longinquâ inter se lite dissenserint & ad pacem reuocari diuturna obstinatione nequiuerint, à Sacerdotibus ciuitatis primitus arguantur, qui si inimicitias deponere perniciosâ intentione noluerint, de Ecclesiæ cœtu iustissima excommunicatione pellantur.*

Huic resolutioni affinis est quæstio, an liceat pro vna parte litigantium intercedere apud iudices, quia sæpe precibus amicorum impelluntur ad fauendum vni ex partibus contra æquitatem. Respondetur in causis criminalibus non esse tantam difficultatem. Sic sæpe D. Augustinus Epistolas misit ad iudices quibus pro reis rogabat. Vnde *epist.* 158. ad Marcellianum intercedit pro Donatistis, dicens. *Soleo audire in potestate esse iudicis mollire sententiam & mitius vindicare quàm iubeant leges.* Quod hoc maxime locum habet cum constat de emendatione reorum, & quod ex hinc nullum proximo damnum inferendum est, vt obseruat Alphonsus à Castro l. 2. *de potestate legis pœnalis c.* 13. *conclus.* 4. idem D. Augustinus epist. 54. ad Macedonium. *Compellimur humani generis charitate interuenire pro reis, ne istam vitam sic finiant per supplicium vt ea finita non possint finire supplicium Noli ergo dubitare hoc officium nostrum ex religione descendere, cum Deus, apud quem nulla est iniquitas, facit tamen sicut Euangelium loquitur, solem suum oriri super bonos & malos & pluit super iustos & iniustos: cuius mirabilis bonitatis vt simus imitatores, Dominus Christus exhortans* (ait Matth. 5.) *Diligite inimicos vestros, & benefacite eis qui vos oderunt, & orate pro eis qui vos persequuntur, &c.* Quam in rem multa alia adducit tum in hac epistolâ, tum etiam in aliâ ad Bonifacium comitem. In causis autem ciuilibus vbi iudex nihil potest concedere vni parti, quin detrahatur alteri, magis dubitationi locus est, vbi non liquet de iustitiâ causæ, cooperari enim

Intercessio apud iudicem.

precibus

precibus & interceſſionibus ad iniquum iudicium, non caret iniquitate. Ne conſulendum id putarem perſonis iis quæ multa pollent authoritate apud iudices, niſi ſcirent prius ſe rem iuſtam poſtulare.

Obiicies pœnam infamiæ imponi per Imperatores Honorium & Arcadium *l. quiſque cum militibus c. ad legem Iuliam* interceſſoribus coniurationis contra principem ac vitam virorum illuſtrium ac Senatorum. Citaturque à Gratiano VI. *quæſt.* 1. Reſpondet Alphonſus à Caſtro ibidem valere tantum legem pro foro externo. Si enim Deus vult ſe orari pro his à quibus offenſus eſt, cur non Imperator? ſed & ſi lex iſta obliget in foro interiori, non poteſt tamen inde trahi conſequentia ad alia crimina, cum non ſit eadem ratio de omnibus.

Dubitatur vlterius, ſi falſis titulis & cartis litigans vtitur in proſequenda lite, an poſſit abſolui antequam lis finita ſit. Hæc difficultas torquet Confeſſarios: non enim videntur diſpoſiti ad gratiam abſolutionis ſuſcipiendam, qui ſunt in voluntate proſequendi litem cum mediis iſtis iniuſtis, licet putent ſe iure præualere. Ideo conſiderandum erit, ſi lis in proximo ſit vt terminetur à iudicibus, & ſi nihil ſuperſit agendum pœnitenti in proſequutione litis, niſi vt expectet ſententiam aut arreſtum iudicum: in illo enim caſu abſolui poterit, ſi habeat voluntatem & propoſitum reparandi damna, quæ parti aduerſariæ contingerent ex illa falſitate: & ſi non poſſit ſine ſcandalo, & infamiâ illa inſtrumenta à ſacco extrahere ante litis deciſionem. Si verò illi aliquid ſuperſit agendum in litis conteſtatione, abſolui non poteſt. Ita doctiſſimus Chartonius antiquior Pœnitentiarius Parienſis, agendum eſſe cenſuit cum huiuſmodi litigantibus, ea de re ſicut & de multis aliis à me conſultus.

Appellatio.

Aduerte autem non peccare litigantem ſi appellet à ſententia iudicis in caſu in quo habet pro ſe opinionem probabilem, licet probabilior eſſet ſententia Iudicis. Et niſi ita eſſet, ait Diana *p.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 104. innumera committerentur peccata, & væ reis aduocatis & procuratoribus: cum enim ſint diuerſæ opiniones probabiles, non eſt cur priuetur reus iure recurrendi ad ſuperiorem vt iuſtam ferat ſententiam ſecundum opinionem probabilem tam in cauſâ ſanguinis, quam in cauſa ciuili. Quod tamen vltimum limitandum eſt, ſi res non ſit ab alio poſſeſſa.

Quid ſi pœnitens confiteatur ſe mala fide hactenus litigaſſe vel ex odio; vel ob fiduciam quam haberet in diuitiis,

aut

aut potentia ad vincendum in lite? Proculdubio Confessarij est illi iniungere, vt à lite abstineat expensasque omnes refundat, ac damna omnia reparet: quod si nolit, nullo modo debet absoluere. Et sanè omnibus Confessariis debet hæc res in primis cordi esse, vt litigantes sine iusta necessitate (est enim lis malum quandoque necessarium) compescant. Nec minus, inquit Balduinus Iurisc ōsultus super. Instit. Iustiniani ad titulum 16. de *pœna temerè litigantium*. Id curare par est ipsos Ecclesiæ præfectos. Certè Isaïas Propheta grauiter inuehitur in mores litigatorum. Paulus Apostolus acerbè suos Corinthios eo nomine obiurgat. D. Iacobus non minori seueritate suum populum litigatorem increpat. Hæc si hodie esset cura principium leges ferentium, religio magistratuum, moderatio & consilium Iurisperitorum, cautio & seueritas Episcoporum: non adeò forensibus iudiciis concuterentur nostræ Respublicæ. Peccant frequenter actores qui temerè alios litibus vexant, sed non raro peccant quoque ipsi rei improba peruicacia, qui bonam fidem vltrò agnoscere nolunt.

Sed quod istis remedium quibus plures familiæ sumptibus litium quæ vix vnquam finiuntur, ad extremam rediguntur inopiam. Si minus per seipsos Confessarij iura partium examinare valeant; at cùm perplexa sunt iura, adhortentur vt viris prudentibus, æqui ac boni amantibus se summittant. Sanè ipsi reges & supremi principes in controuersiâ difficili antequam bellum indicent, tenentur se submittere iudicibus, & arbitris ex vtraque parte eligendis, vt docet Nauarrus in *Manuali*, *cap.5.* & Ioannes Sanchez in *Selectis disp.* 44. & plerique alij. Cur non ergo & priuatæ personæ in lite mouendâ & promouendâ, quæ belli quoddam genus est, in quo sanguis etiam effunditur, cum melior substantia familiæ dissipatur.

Quæritur decimo tertiò, de examine Iudicum.

Dubitatur primò, an iudex potuerit emere officium sine peccato. Ad quod respondet D. Thomas in Opusculo *de regimine Iudæorum* ad Ducissam Brabantiæ, considerandum esse quod dicit Apostolus, quod multa licent quæ non expediunt. Cum autem Bailliuis & Officialibus nihil aliud committatur nisi temporalis officium potestatis, non video, inquit Sanctus Doctor, quare huiusmodi officia non liceat vobis vendere, dummodo talibus vendatis, de quibus possit præsumi, quod sint vtiles ad talia officia exercenda & non tanto pretio vendantur officia quod recuperari non possit sine grauamine vestrorum subditorum, &c. Ex quibus colligere licet

Emptio Officij.

cum

cum emere & vendere sint reciproca, emptionem officij licitam esse, dummodo tamen fiat ab eo cui facultates sufficientes ad hoc competunt, ne si debita plura contrahat ad acquirendum officium, exponat se periculo plura à litigantibus extorquendi, aut etiam contra iura aliquos vexandi ad conseruationem sui status, quod nonnulli faciunt non sine grauissimo peccato. Nec ab ea venditione ac emptione alienus est D. Augustinus serm. 94. de tempore. *Iudex esse vis*, ait, *potes pecuniis vel meritis: fortasse enim emis vt prosis: prius propter te esto Iudex in te: vt de penetrali conscientiæ securus procedas ad aliorum.*

Scientia Iudicis.

Qui vero de scientia Iudicis peccat, procul dubio qui suscipit officium administrandæ iustitiæ sine sufficienti scientia, quæ maior requiritur quam plures existiment, ne ex defectu illius plura damna partibus obueniant: idcirco dicit Scriptura Psal. 2. *erudimini qui iudicatis terram.* Et ex regula 29. iuris *in sexto*. Non est sine culpa qui rei quæ ad ipsum non pertinet se immiscet: sicut qui imperitus est Medicinæ & de curando vulnere se immiscet, & qui inexpertus militiæ ducem agit. Vnde peccant iudices quibus incumbit de multis difficillimis controuersiis iudicium ferre per singulos dies, si abiectâ librorum curâ soli familiæ vacent aut scientiam adaugere non curent, cum iudicis ignorantia sæpe sit innocentis calumnia & certa pernicies. Dicit Alpharabius in Opusculo *de scientiis cap. vlt.* scientia legum est *illa in qua potest homo adinuenire modum cuiusque rei in illis quæ legislator non propalauit, sed per illa quæ iam propalata sunt cum determinatione & modo, in quo oportet hominem subtilem esse & circumscriptum*, &c. Dicit Baldus in l. *hac lege, C. de sententia ex periculo recitanda*, duos sales seu duo grana salis iudicem debere habere ad sui muneris exequutionem, scientiæ ne sit insipidus, conscientiæ ne sit diabolicus.

Quid si iudex ante debitam ætatem per leges definitam ad assumendum iudicis officium velit ad illud admitti, producto ad hoc falso natalitij testimonio? Nec istud tolerandum à Confessario, qui taliter disposito debet denegare absolutionem. Lex enim æquissima est, vt certam ætatem attigerint qui de bonis fortunæ, honore ac vita hominum cum potestate censent. Et consuetudo est iniqua per mendacium & falsitatem adscendere ad thronum veritatis & iustitiæ.

Accusat se iudex in sacro Tribunali quod causam aut causas aliquas iudicauit, non secundùm rigorem legis, sed secun-

dùm epieicheiam & æquitatem. Quid ad hoc Confessarius? perpendet primo an sit iudex in supremo aliquo Tribunali, quia suprema Tribunalia potestatem habent recedendi à summo iure & præferre æquitatem etiam non scriptam, quæ est iustitia naturalis, rigori scripto. Si vero sit iudex inferior, cui incumbit leges ad amussim sequi maior est difficultas. Videtur tamen eum etiam potuisse iudicare ex æquitate, cum in lite tales essent circumstantiæ quod secundùm litteram iuris scripti iniustum detrimentum alicui inferret; vt si obligaret ad restitutionem aut ad pœnam, omninò innocentem. Non est enim iudex merus legum scriptarum exequutor, sed habet etiam cognitionem causæ, vt nihil iniquum iubeat. Habet autẽ locum maximè epieicheia in imminutione pœnæ à lege statutæ, cum ad hoc subest iusta causa, qualis censetur. 1. Ætas, puta senectus vel pueritia, quæ ætates non sunt tam atrocibus pœnis puniendæ. 2. Paupertas cum pœna pecuniaria imponenda est, tunc enim æquum est legem temperare. 3. Est doli defectus, vt quia crimen commissum est ex quodam impetu ac subitâ animi perturbatione ex dolore concepta non ex præmeditato consilio iuxta leg. *absentem §. vltimo ff. de pœnis*, vbi Vlpianus. *Refert an in maioribus delictis consultò aliquid admittatur an casu, &c.* 4. Consuetudo quæ inualuit vt aliquod crimen esset impunitum. 5. Est defectus potestatis in iudice ad infligendam pœnam ex terminis legis. 6. Ingnorantia de quâ dubium est fueritne vincibilis an inuincibilis. De quibus videri potest Alphonsus à Castro, *de potestate legis pœnalis, cap* 13. & 14.

Epieicheia.

Dubitat iudex ex duabus opinionibus probabilibus circa ius aliquod, an potuerit sequi minus probabilem. Plures negatiuam sententiam tuentur cum Thoma Sanchez *in Summa tom.1.lib.1.cap.9.num.*47. Quia agitur de iure suo cuique reddendo secundum merita causæ, & videretur acceptio personarum, si non ita iudicaret: sicut si minùs digno conferret quis beneficium posthabito digniori. Illud tamen temperat Vasquez 1. 2. *quæst.*19. *art.*6. *disp.*64. *cap.*2. *num.*6. Nisi esset iudex inferior, qui posset sequi opinionem minus probabilem, eo quod esset praxi magis recepta, crederetque se vt minus prudentem notandum fore à iudice superiori ac corrigendum, si iuxta probabiliorem sententiam iudicasset, quia cum tantâ sui honoris iacturâ ac tam modico fructu munus suum obire non cogeretur.

Attamen Ioannes Sanchez in *Selectis disp.*44.*num.*50. Liberum esse putat iudici minus probabilem sententiam sequi, cui

cui adhæret Diana, *parte 2. tract. 13. resolut. 3.* Adductis pluribus authoribus, quos asserit à se diligenter conquisitos. Ac inter cæteros Martinus Delrio ex iudice Iesuita, *disq. magic. lib 5. quæst. 1. §. quotiescumque.* Asserit esse communem sententiam Casuistarum, nec iudicem teneri probabiliorem sequi.

Aduerte hanc secundam sententiam non pati magnam difficultatem in causis criminalibus, in quibus non solum potest, sed etiam debet iudex in fauorem rei sequi minus probabilem opinionem, relicta etiam probabiliori, quia iudicem magis commendat misericordia quàm seueritas, & reo potius fauendum est quàm actori, vbi iura sunt obscura.

Aduerte etiam non videri posse habere locum vbi ageretur de exturbando aliquo à possessione alicuius rei, quia in pari causa melior est conditio possidentis.

Aduerte etiam limitationem Valeri *de differentiis vtriusque fori differ. 1.* in varietate opinionum æquè probabilium, licitum esse in foro exteriori iudicare pro amico, secluso scandalo: & sic sequi opinionem fauorabiliorem, iuxta illud vulgare: In dubio pro amico consuli potest ac iudicari. Quod refert Nauarrus in cap. *si quis autem, num. 130. de pænit. dist. 7.* Ita Tiraquellus *de primogen. cap 17.*

Aduerte demùm non leuiter iudicandam esse quamlibet opinionem esse probabilem ex vnius, aut alterius doctoris authoritate, sed iuxta ea quæ diximus sup. 1. *parte* huius examinis *quæsito* 13. imò & turba Doctorum cum apparet eos falso niti fundamento, aut in lege quæ non est ad propositum, aut in nominis alicuius æquiuocatione deceptos, parui habenda est.

Confitetur iudex se à partibus colitigantibus munera accepisse; quid tunc discuriendum est? non dubium quin id vehementer improbet scriptura, Deut. 16. *Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum.* Isa. 1. *Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributionem,* Eccles. 20. *Xenia & dona excæcant oculos iudicum.* Et ratio est quia cum iudex bonum vtriusque partis secundum iustitiam intendere debeat; nihil debet accipere quo inclinetur ad fauendum alterutri parti contra eamdem iustitiam: in quo differt ab aduocato, qui cum vni tantum parti sit addictus, ab eadem potest stipendium accipere. Multis autem videtur, acceptionem munerum à iudice adhuc pendente lite, si fiant in magnâ quantitate esse contra ius naturæ, cum humano modo sit impossibile quin

bus fraudem non abfuisse suspicetur, quid consilij impendere debet Confessarius? moneat vt secum reputet vsque ad quantam quantitatem verisimilem proximis nocuerit: & si potest recordari quantum aliquibus certis personis nocuerit, iisdem restituat per se vel per alios ea quæ putat deberi incertis personis in opera pia impendat maximè in pauperes. Ita Nauarrus lib.3. *consiliorum* de empt. & vendit. *consilio* 15. videat tamen Confessarius num expediat vti opinione illa, quæ docet debita incertis personis non deberi ex iustitia pauperibus.

Quid si mercator ab alio interrogatus de pretio frumenti in quadam remota prouincia, veritatem dissimulauit & mentitus est, vt solus ibi frumentum suum transferret? Non videtur, inquit Lessius in *resolut.* verbo *contractus* casu nono, cogendus ad restitutionem, receptum est enim inter mercatores vt veritatem in huiusmodi non aperiant, quia id in eorum damnum cederet.

Quid de mercatore qui cum abundantissimè collegit pecunias, quibus se suosque honestè sustentare possit, potest ne ampliùs mercimonia exercere? dicit Nauarrus in cap. *qualitas* de pœnitentia *dist.* 5. prudenter facturum si tunc à negotiatione desistat: nisi mutato sui propositi fine, quod ante pro se suisque faciebat, nunc pro reipublicæ prouisione, aut pro pauperibus alendis, aut aliis operibus piis facere pergat, cùm enim negotiatio sit ex se indifferens, & tota illius laus ex intentione pendeat, quo melior erit finis, eò laudabilior erit.

Obiicies non videri absoluendos mercatores, nisi proponant non ampliùs mercari, quia se exponunt periculo peccandi, cùm vix sine mendacio, periurio, & aliis peccatis exerceatur mercimonium. Respondeo ista peccata non necessario annexa esse mercaturæ, sed magis sequi ex iniquitate mercatorum, qui ab iis abstinere possunt. Quod verò peccet is qui se periculo exponit, vltra ea quæ supra dicta sunt in hac parte examinis pœnitentium, addendum est ex eodem Nauarro, loco citato, eum peccare, qui se exponit periculo: si in specie, & in aliquo casu particulari periculum illud occurrat: non verò si in genere, & vniuersaliter siue in aliquo vniuerso id contingat, alioquin qui regnum, & aliquod officium reipublicæ, imò qui & Monachismum rem valde alienam à peccato acciperet, peccaret. Quis enim tantâ superbiâ est, qui putet artem aliquam etiam de se facillimam diu sine peccato se exerciturum: & dicebat Innocentius IV. in cap. *omnis* de pœnitentiâ, superbiam esse cuiusdam pœnitentis, credere se nunquam ampliùs capitaliter peccaturum.

Quæritur

Quæritur duodecimò, de Litigantibus quid in eis perpendendum, dum accedunt ad sacrum tribunal.

Et hic labor est non mediocris Confessariorum dum litigantes audiunt in Confessione : à quibus inquirendum primo, an cum iustitia litigent, habuerintque consilium à peritis, quod potiori causâ valeant. Secundò an iusto modo & viis rectis, quod iustum est prosequantur, id est sine dolo, mendaciis & fallacia iuxta diuinum præceptum Deutero. 16. *Iustè quod iustum est prosequeris.*

Quoad primum caput, certum est tribunalia iudicum multitudine litigantium circumdari, qui sæpe non alio motiuo impulsi sunt, quàm eo quòd aliqua inordinata passio suscitauit, vel inuidiæ, vel auaritiæ, vel ambitionis, vel iræ, vel vindictæ & doloris, non simplex iustitiæ desiderium. Quippe propptereà obcæcati vel indurati ad vltimum potentiæ iniustam causam promouere parati sunt cum detrimento proximi. Quod vbi constaret Confessario, eos non audire deberet, nisi prius ab iniustâ litè destitissent. Sed ad hoc oporteret Confessarios Iurisconsultos esse, & scientiam omnem iuris habere; quod aliqui in ipsis requirunt, sed cum id in ipsis sæpius desideretur, saltem requirant, si litigantes credunt se in iure potiores esse, & aduocatorum consilium adierint,

Dubitari autem meritò potest quanam certitudine debet ius suum cognoscere qui litem intendit alteri, aut contra alterum defendit. Cùm in dubio melior sit conditio possidentis qui dubius est de iure suo circa rem ab alio iam possessam, non potest illi litem intendere : dixi, qui dubius est, quia dubia distinguenda sunt ab opinione. Potest autem defendere se, donec dubium perseuerauerit, quia in dubio melior est conditio possidentis. *Litigantis de iure dubij.*

Si verò habet opinionem, ius suum præualere, ex opinione illa probabili poterit litem intendere, si cognoscat aduersarium nullum ius habere: at si aduersarius ex probabiliori opinione iure præualere videatur, licet militet pro se aliqua opinio probabilis, sed minùs probabilis, non videtur quòd possit litem intendere, multisque probationum difficultatibus & sumptibus proximum implicare : quia secundum rei veritatem debet causa cadere, cum iudices teneantur maximè in causis ciuilibus in quibus demitur vni quod tribuitur alteri sequi in iudicio probabiliorem opinionem sine acceptione personarum, *Deut.* 1. Aliter enim iudicarent pro amico, pro acceptione personarum sequendo minus probabilem opinionem in illius fauorem. Deinde debent iudicare secundum allegata,

legata,& probata, id quod iustius est, & melius l. illa *rem nouam c.de Iudiciis.* Est autem iustius & melius sequi sententiam in iudicio probabiliorem.

Atque hanc sententiam multis probat Bresserus, lib. 3. de *conscientia*, *cap.* 14. contra Ioannem Sanchez, qui putat in quæstionibus facti cum de eo partes non conueniunt, teneri iudicem sequi probabiliorem opinionem, non verò in quæstione iuris, cum circa legis interpretationem diuersæ sunt opiniones. Ita in *Select. disp.* 44. *num.* 50. nulla discriminis huius allatâ ratione:sed de hoc infra.

Iuramẽta litigantiũ. Quoad secundum caput de mediis quibus vtitur litigans in promouenda lite. Dubitatur primo an possit ad finiendam controuersiam exigere iuramentum ab eo quem scit falsò iuraturum,vt sæpe accidit; si enim exigat, videtur causa scandali, & præferre commodum suum temporale ruinæ spirituali proximi. Ad hoc respondet De Graffiis 2. parte. *decisionum aurearum,lib.2.cap.*4. Priuatam personam non posse exigere iuramentum ab eo quem scit iuraturum falsò. Quod tamen est impossibile, cùm sit de re futurâ: quam nemo certo cognoscit. Vnde concludit exigi posse iuramentum, cum hac opinione, quod proximus de animâ sollicitus erit. Debes mihi centum,inquit, petij à te,negasti,nec probare possum,tibi possum deferre iuramentum, licet videam re paratum ad iurandum, credens quod non eris immemor propriæ salutis.Quod confirmat ex cap. *sancimus* 1. *quæst.* 7. Vbi Imperatores Theodosius & Valerius ita loquuntur. *Et licet neminem diuini timoris contemnendo iure iureiurando arbitremur immemorem: vt saluti propriæ vllum commodum anteponat.* Huic tamen sententiæ communis opinio refragatur.

Obiicies: potest iudex exigere iuramentum ab eo quem certò sciret iuraturum falsum: ergo & priuata persona. Respondetur discrimen esse, quòd iudex sit persona publica quæ ad instantiam partis ex officio obligatur exigere iuramentum: aliquid autem potest esse licitum personæ publicæ ex officio agenti, quod licitum non erit priuatæ personæ. Vnde licet Sacerdoti, occulto peccatori Eucharistiam publicè petenti, illam subministrare.

Dubitatur secundo, an ille à quo petuntur centum, cum debeat tantum quinquaginta, interrogatus à iudice an debeat centum, possit totum debitum negare. Affirmatiuè respondent Baldus, Decius, Imola & Alciatus apud Couarruuiam lib. 1. *variarum resolutionum c.* 2.*n.* 5. Quia id verum, cuius

cuius contrarium est falsum. Licet autem Couarruuias putet teneri partem illam fateri quam debet ad faciliorem litis decisionem, tenet tamen non esse periurium, & mendacium si positionem negat, esse verò si expressè dicat nihil debere, quia implicitè interrogabatur de minori summâ quæ maiori inest.

Dubitatur tertio, si pars quæ falso iurauit accedat posteà ad Confessionem, an sit obliganda à Confessario ad retractationem. Ad hoc considerandum est, quod asserit præfatus Couarruuias l. 2. *variarum resolutionum c.* 13. Si testis, inquit, incontinenti contrarium dicat vltimo testimonio defertur: si ex interuallo primo creditur, puniendusque est falsi pœnâ. Excipe nisi ad secundum testimonium tormenta præcesserint. Ex quibus infero vix posse Confessarium adigere falsum testem vt retractet, cum posteriori testimonio non crederetur. Quia tamen addit Vsellus in notis ad hoc caput Couarruuiæ, credi etiam posteriori testimonio, si vi monitoriarum factum sit, adigi poterit post monitoria publicata ad hunc finem, vel ad reparandum omne damnum quod ex falso testimonio accidit.

Reus agitur qui offendit proximum & in ius vocatur, vt pœnam offensæ ex rigore legum subeat: ille, vt cum minori difficultate ex hoc negotio se expediat petit veniam à parte læsâ, offert illi omnem satisfactionem iustam ratione offensæ, omniumque expensarum solutionem: Quæritur an pars læsa teneatur acceptare illam satisfactionem ac à lite desistere, et si nolit acquiescere, an absolutio illi danda sit à Confessario. Respondetur probabilius esse quod teneatur acceptare satisfactionem & à lite desistere: homo enim Christianus tenetur condonare iniuriam inimico, vbi viribus satisfacit, & si quid vltra exigit, plus à debitore exigit quam sibi debitum est. Deinde non potest stare quod quis ex corde remittat iniuriam inimico satisfacienti pro viribus, & quod agat coram iudicibus vt illum vita fortunis aut honore spoliet, illique malum omne quod potest procuret. Quare sæpe hallucinantur confessarij dum credunt tales litigantes charitatem Christianam retinere, & parum intelligunt in quo Christiana charitas consistit, quæ postulat vt si quis sine contentione possit totum quod sibi debetur recuperare, à petitione iuridicâ & contentiosâ abstineat. Et est contra ius naturæ cum iudicij strepitu expensis ac difficultatibus innumeris reparare tibi velle detrimentum, cuius reparatio tibi quantum fieri potest ab homine pacifice *Acceptatio satisfactionis.*

&

& quietè offertur. Nec obstat quod sic delicta remanerent impunita non sine boni publici iactura, non enim propterea tenentur iudices deesse officio suo, & quamuis debitas pœnas non sumerent de reo in aliquo casu, non propterea periret Respublicâ, cui expedit vt personarum pro offensâ satisfacientium habeatur aliqua ratio, cùm non deceat æquali supplicio in omnes animaduertere. Hinc determinat Ludouicus Beia *de iniuriarum remissione casu* 5. Mulierem quamdam non debere absolui, quæ interfectori viri sui bannito pro iniuria & pro damnis omnem satisfactionem congruentem offerenti pacem scriptis dare nolebat. Refertque inter plura hoc Decretum Concilij Agathensis in Galliâ celebrati, quod refertur *dist.* 90. placuit. *Quicumque odio aut longinquâ inter se lite dissenserint & ad pacem reuocari diuturna obstinatione nequiuerint, à Sacerdotibus ciuitatis primitus arguantur, qui si inimicitias deponere perniciosâ intentione noluerint, de Ecclesiæ cœtu iustissima excommunicatione pellantur.*

Huic resolutioni affinis est quæstio, an liceat pro vna parte litigantium intercedere apud iudices; quia sæpe precibus amicorum impelluntur ad fauendum vni ex partibus contra æquitatem. Respondetur in causis criminalibus non esse tantam difficultatem. Sic sæpe D. Augustinus Epistolas misit ad iudices quibus pro reis rogabat. Vnde *epist.* 158. ad Marcellianum intercedit pro Donatistis, dicens. *Soleo audire in potestate esse iudicis mollire sententiam & mitius vindicare quàm iubeant leges.* Quod hoc maxime locum habet cum constat de emendatione reorum, & quod ex hinc nullum proximo damnum inferendum est, vt obseruat Alphonsus à Castro l. 2. *de potestate legis pœnalis c.* 13. *conclus.* 4. idem D. Augustinus epist. 54. ad Macedonium. *Compellimur humani generis charitate interuenire pro reis, ne istam vitam sic finiant per supplicium vt ea finita non possint finire supplicium Noli ergo dubitare hoc officium nostrum ex religione descendere, cum Deus, apud quem nulla est iniquitas, facit tamen sicut Euangelium loquitur, solem suum oriri super bonos & malos & pluit super iustos & iniustos: cuius mirabilis bonitatis vt simus imitatores, Dominus Christus exhortans* (ait Matth. 5.) *Diligite inimicos vestros, & benefacite eis qui vos oderunt, & orate pro eis qui vos persequuntur, &c.* Quam in rem multa alia adducit tum in hac epistolâ, tum etiam in aliâ ad Bonifacium comitem. In causis autem ciuilibus vbi iudex nihil potest concedere vni parti, quin detrahatur alteri, magis dubitationi locus est, vbi non liquet de iustitiâ causæ, cooperari enim

Intercessio apud iudicem.

precibus

precibus & intercessionibus ad iniquum iudicium, non caret iniquitate. Nec consulendum id putarem personis iis quæ multa pollent authoritate apud iudices, nisi scirent prius se rem iustam postulare.

Obiicies pœnam infamiæ imponi per Imperatores Honorium & Arcadium *l. quisque cum militibus c. ad legem Iuliam* intercessoribus coniurationis contra principem ac vitam virorum illustrium ac Senatorum. Citaturque à Gratiano VI. *quæst.* 1. Respondet Alphonsus à Castro ibidem valere tantum legem pro foro externo. Si enim Deus vult se orari pro his à quibus offensus est, cur non Imperator? sed & si lex ista obliget in foro interiori, non potest tamen inde trahi consequentia ad alia crimina, cum non sit eadem ratio de omnibus.

Dubitatur vlterius, si falsis titulis & cartis litigans vtitur in prosequenda lite, an possit absolui antequam lis finita sit. Hæc difficultas torquet Confessarios: non enim videntur dispositi ad gratiam absolutionis suscipiendam, qui sunt in voluntate prosequendi litem cum mediis istis iniustis, licet putent se iure præualere. Ideo considerandum erit, si lis in proximo sit vt terminetur à iudicibus, & si nihil supersit agendum pœnitenti in prosequutione litis, nisi vt expectet sententiam aut arrestum iudicum: in illo enim casu absolui poterit, si habeat voluntatem & propositum reparandi damna, quæ parti aduersariæ contingerent ex illa falsitate: & si non possit sine scandalo, & infamiâ illa instrumenta à sacco extrahere ante litis decisionem. Si verò illi aliquid supersit agendum in litis contestatione, absolui non potest. Ita doctissimus Chartonius antiquior Pœnitentiarius Pariensis, agendum esse censuit cum huiusmodi litigantibus, ea de re sicut & de multis aliis à me consultus.

Aduerte autem non peccare litigantem si appellet à sententia iudicis in casu in quo habet pro se opinionem probabilem, licet probabilior esset sententia Iudicis. Et nisi ita esset, ait Diana *p.3. tract. 5. resol.* 104. innumera committerentur peccata, & væ reis aduocatis & procuratoribus: cum enim sint diuersæ opiniones probabiles, non est cur priuetur reus iure recurrendi ad superiorem vt iustam ferat sententiam secundum opinionem probabilem tam in causâ sanguinis, quam in causa ciuili. Quod tamen vltimum limitandum est, si res non sit ab alio possessa. *Appellatio.*

Quid si pœnitens confiteatur se mala fide hactenus litigasse vel ex odio; vel ob fiduciam quam haberet in diuitiis,

aut

aut potentia ad vincendum in lite? Proculdubio Confessarij est illi iniungere, vt à lite abstineat expensasque omnes refundat, ac damna omnia reparet: quod si nolit, nullo modo debet absoluere. Et sanè omnibus Confessariis debet hæc res in primis cordi esse, vt litigantes sine iusta necessitate (est enim lis malum quandoque necessarium) compescant. Nec minus, inquit Balduinus Iurisc̄ōsultus super. Instit. Iustiniani ad titulum 16. de *pœna temerè litigantium*. Id curare par est ipsos Ecclesiæ præfectos. Certè Isaïas Propheta grauiter inuehitur in mores litigatorum. Paulus Apostolus acerbè suos Corinthios eo nomine obiurgat. D. Iacobus non minori seueritate suum populum litigatorem increpat. Hæc si hodie esset cura principium leges ferentium, religio magistratuum, moderatio & consilium Iurisperitorum, cautio & seueritas Episcoporum: non adeò forensibus iudiciis concuterentur nostræ Respublicæ. Peccant frequenter actores qui temerè alios litibus vexant, sed non rarò peccant quoque ipsi rei improba peruicacia, qui bonam fidem vltrò agnoscere nolunt.

Sed quod istis remedium quibus plures familiæ sumptibus litium quæ vix vnquam finiuntur, ad extremam rediguntur inopiam. Si minus per seipsos Confessarij iura partium examinare valeant; at cùm perplexa sunt iura, adhortentur vt viris prudentibus, æqui ac boni amantibus se summittant. Sanè ipsi reges & supremi principes in controuersiâ difficili antequam bellum indicent, tenentur se submittere iudicibus, & arbitris ex vtraque parte eligendis, vt docet Nauarrus in *Manuali, cap. 5.* & Ioannes Sanchez in *Selectis disp.* 44. & plerique alij. Cur non ergo & priuatæ personæ in lite mouendâ & promouendâ, quæ belli quoddam genus est, in quo sanguis etiam effunditur, cum melior substantia familiæ dissipatur.

Quæritur decimo tertiò, de examine Iudicum.

Dubitatur primò, an iudex potuerit emere officium sine peccato. Ad quod respondet D. Thomas in Opusculo *de regimine Iudæorum* ad Ducissam Brabantiæ, considerandum esse quod dicit Apostolus, quod multa licent quæ non expediunt. Cum autem Bailliuis & Officialibus nihil aliud committatur nisi temporalis officium potestatis, non video, inquit Sanctus Doctor, quare huiusmodi officia non liceat vobis vendere, dummodo talibus vendatis, de quibus possit præsumi, quod sint vtiles ad talia officia exercenda & non tanto pretio vendantur officia quod recuperari non possit sine grauamine vestrorum subditorum, &c. Ex quibus colligere licet

Emptio Officij.

cum

cum emere & vendere sint reciproca, emptionem officij licitam esse, dummodo tamen fiat ab eo cui facultates sufficientes ad hoc competunt, ne si debita plura contrahat ad acquirendum officium, exponat se periculo plura à litigantibus extorquendi, aut etiam contra iura aliquos vexandi ad conseruationem sui status, quod nonnulli faciunt non sine grauissimo peccato. Nec ab ea venditione ac emptione alienus est D. Augustinus serm. 94. de tempore. *Iudex esse vis*, ait, *potes pecuniis vel meritis: fortasse enim emis vt prosis: prius propter te esto Iudex in te: vt de penetrali conscientiæ securus procedas ad aliorum.*

Qui vero de scientia Iudicis peccat, procul dubio qui suscipit officium administrandæ iustitiæ sine sufficienti scientia, quæ maior requiritur quam plures existiment, ne ex defectu illius plura damna partibus obueniant: idcirco dicit Scriptura Psal. 2. *erudimini qui iudicatis terram.* Et ex regula 29. iuris *in sexto*. Non est sine culpa qui rei quæ ad ipsum non pertinet se immiscet: sicut qui imperitus est Medicinæ & de curando vulnere se immiscet, & qui inexpertus militiæ ducem agit. Vnde peccant iudices quibus incumbit de multis difficillimis controuersiis iudicium ferre per singulos dies, si abiectâ librorum curâ soli familiæ vacent aut scientiam adaugere non curent, cum iudicis ignorantia sæpe sit innocentis calumnia & certa pernicies. Dicit Alpharabius in Opusculo *de scientiis cap. vlt.* scientia legum est *illa in qua potest homo adinuenire modum cuiusque rei in illis quæ legislator non propalauit, sed per illa quæ iam propalata sunt cum determinatione & modo, in quo oportet hominem subtilem esse & circumscriptum*, &c. Dicit Baldus in l. *hac lege, C. de sententia ex periculo recitanda*, duos sales seu duo grana salis iudicem debere habere ad sui muneris exequutionem, scientiæ ne sit insipidus, conscientiæ ne sit diabolicus. *Scientia Iudicis.*

Quid si iudex ante debitam ætatem per leges definitam ad assumendum iudicis officium velit ad illud admitti, producto ad hoc falso natalitij testimonio? Nec istud tolerandum à Confessario, qui taliter disposito debet denegare absolutionem. Lex enim æquissima est, vt certam ætatem attigerint qui de bonis fortunæ, honore ac vita hominum cum potestate censent. Et consuetudo est iniqua per mendacium & falsitatem adscendere ad thronum veritatis & iustitiæ.

Accusat se iudex in sacro Tribunali quod causam aut causas aliquas iudicauit, non secundùm rigorem legis, sed secun-

dùm epieicheiam & æquitatem. Quid ad hoc Confessarius? perpendet primo an sit iudex in supremo aliquo Tribunali, quia suprema Tribunalia potestatem habent recedendi à summo iure & præferre æquitatem etiam non scriptam, quæ est iustitia naturalis, rigori scripto. Si vero sit iudex inferior, cui incumbit leges ad amussim sequi maior est difficultas. Videtur tamen eum etiam potuisse iudicare ex æquitate, cum in lite tales essent circumstantiæ quod secundùm litteram iuris scripti iniustum detrimentum alicui inferret; vt si obligaret ad restitutionem aut ad pœnam, omninò innocentem. Non est enim iudex merus legum scriptarum exequutor, sed habet etiam cognitionem causæ, vt nihil iniquum iubeat. Habet autẽ locum maximè epieicheia in imminutione pœnæ à lege statutæ, cum ad hoc subest iusta causa, qualis censetur. 1. Ætas, puta senectus vel pueritia, quæ ætates non sunt tam atrocibus pœnis puniendæ. 2. Paupertas cum pœna pecuniaria imponenda est, tunc enim æquum est legem temperare. 3. Est doli defectus, vt quia crimen commissum est ex quodam impetu ac subitâ animi perturbatione ex dolore concepta non ex præmeditato consilio iuxta leg. *absentem §. vltimo ff. de pœnis*, vbi Vlpianus. *Refert an in maioribus delictis consultò aliquid admittatur an casu, &c.* 4. Consuetudo quæ inualuit vt aliquod crimen esset impunitum. 5. Est defectus potestatis in iudice ad infligendam pœnam ex terminis legis. 6. Ingnorantia de quâ dubium est fueritne vincibilis an inuincibilis. De quibus videri potest Alphonsus à Castro, *de potestate legis pœnalis, cap.* 13. & 14.

Epieicheia.

Dubitat iudex ex duabus opinionibus probabilibus circa ius aliquod, an potuerit sequi minus probabilem. Plures negatiuam sententiam tuentur cum Thoma Sanchez *in Summa tom.*1.*lib.*1.*cap.*9.*num.*47. Quia agitur de iure suo cuique reddendo secundum merita causæ, & videretur acceptio personarum, si non ita iudicaret: sicut si minus digno conferret quis beneficium posthabito digniori. Illud tamen temperat Vasquez 1. 2. *quæst.*19. *art.*6. *disp.*64. *cap.*2. *num.*6. Nisi esset iudex inferior, qui posset sequi opinionem minus probabilem, eo quod esset praxi magis recepta, crederetque se vt minus prudentem notandum fore à iudice superiori ac corrigendum, si iuxta probabiliorem sententiam iudicasset, quia cum tantâ sui honoris iacturâ ac tam modico fructu munus suum obire non cogeretur.

Attamen Ioannes Sanchez in *Selectis disp.*44.*num.*50. Liberum esse putat iudici minus probabilem sententiam sequi, cui

cui adhæret Diana, *parte 2. tract.13. resolut.3.* Adductis pluribus authoribus, quos asserit à se diligenter conquisitos. Ac inter cæteros Martinus Delrio ex iudice Iesuita, *disq. magic. lib.5. quæst.1. §. quotiescumque.* Asserit esse communem sententiam Casuistarum, nec iudicem teneri probabiliorem sequi.

Aduerte hanc secundam sententiam non pati magnam difficultatem in causis criminalibus, in quibus non solum potest, sed etiam debet iudex in fauorem rei sequi minus probabilem opinionem, relicta etiam probabiliori, quia iudicem magis commendat misericordia quàm seueritas, & reo potius fauendum est quàm actori, vbi iura sunt obscura.

Aduerte etiam non videri posse habere locum vbi ageretur de exturbando aliquo à possessione alicuius rei, quia in pari causa melior est conditio possidentis.

Aduerte etiam limitationem Valeri *de differentiis vtriusque fori differ.* 3. in varietate opinionum æquè probabilium, licitum est in foro exteriori iudicare pro amico, secluso scandalo: & sic sequi opinionem fauorabiliorem, iuxta illud vulgare: In dubio pro amico consuli potest ac iudicari. Quod refert Nauarrus in cap. *si quis autem, num.*150. *de pœnit. dist.*7. Ita Tiraquellus *de primogen. cap* 17.

Aduerte demùm non leuiter iudicandam esse quamlibet opinionem esse probabilem ex vnius, aut alterius doctoris authoritate, sed iuxta ea quæ diximus sup. 1. *parte* huius examinis *quæsito* 13. imò & turba Doctorum cum apparet eos falso niti fundamento, aut in lege quæ non est ad propositum, aut in nominis alicuius æquiuocatione deceptos, parui habenda est.

Confitetur iudex se à partibus colligitantibus munera accepisse; quid tunc discutiendum est? non dubium quin id vehementer improbet scriptura, Deut.16. *Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum.* Isa.1. *Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributionem,* Eccles. 20. *Xenia & dona excæcant oculos iudicum.* Et ratio est quia cum iudex bonum vtriusque partis secundum iustitiam intendere debeat; nihil debet accipere quo inclinetur ad fauendum alterutri parti contra eamdem iustitiam: in quo differt ab aduocato, qui cum vni tantum parti sit addictus, ab eadem potest stipendium accipere. Multis autem videtur, acceptionem munerum à iudice adhuc pendente lite, si fiant in magnâ quantitate esse contra ius naturæ, cum humano modo sit impossibile quin

tunc multum propendeat in eius fauorem. Quod licet aliquibus non contingat: at communiter ita accidet, vnde ante finitã litem obligabitur iudex ad ea munera restituenda, eadẽ obligatione qua tenebatur non acceptare: ideóque ad vitandum periculum subuersionis iudicij, tam debebit restituere post acceptionem, quàm debuit non accipere. Valde autem probabile est post finitam litem non teneri ad restitutionem nisi ad hoc condemnaretur per alterum iudicem superiorem. Quia non aliter tenetur iudex ad restitutionem munerum, quàm ad solutionem pœnæ aut ad dimittendum officium, de quibus loquuntur leges munerum acceptionem prohibentes: at ad ista quæ durissima sunt, non obligantur ante condemnationem. Et aliunde finitâ lite nullum restat periculum subuersionis iudicij, nec fit vlla iniuria parti aduersæ in retentione muneris, cum illi iam nullum periculum immineat. Ita Cardinalis de Lugo *de iustitia & iure*, *disput.* 37. *sect.* 11.

Torquetur iudicis conscientia quod fraudibus & mendaciis ac ficta promissione impunitatis vsus fuerit ad eliciendam veritatem à reis, quos postea mortis sententia mulctauit. Sinceritate enim delectatur iustitia, non fraudibus, ac mendaciis. Quid ad hanc accusationem iudex spiritualis? Non desunt qui id licitum esse iudicibus affirment ne delicta maneant impunita, ac sicut impium est bonos decipere, ita pium putant malos decipere, nec dolum existimant si fides prædonibus non seruetur, maximè cum venia licitè dari non possit à iudice, ideoque promissioni suæ stare non possit. Hæc permittit iudicibus Bodinus l. 4. *de dæmo. c.* 4. Gomesius *c.* 1. *de constitutionibus* in 6. *num.* 143. Hanc autem sententiam quoad primam eius partem impugnat Cardinalis de Lugo *disput. citata sect.* 15. quia mentiri est intrinsecè malum: atque adeo nunquam licebit iudici ad detegenda & punienda delicta, mendaciis ac fictis veniæ promissionibus vti, aut dicendo denuntiatos iam esse ab iis à quibus non sunt. Et si ex animo non fictè impunitatem promisisset, postquam delictum legitimè confessus esset, promissis stare non teneretur, eo quod rem illicitam promisisset: si tamen esset iudex supremus qui pœnam relaxare poterat, tenetur adimplere promissum aut resarcire omnia damna. Vt tamen non liceat iudici mendaciis vti, poterit tamen, inquit, amphibologia aliqua vel æquiuocatione eum decipere, vt aperiat reus veritatem, ad quam extorquendam ius habet etiam per vim tormentorum, cur non ergo etiam per dolum, dummodo

Fraus iudicis.

sit

sit dolus iustus & sine mendaciis? sic qui iniustè vexatur à latrone, potest licitè vti verbis æquiuocis præferentibus promissionem ad ipsum decipiendum, nec tenetur postea implere promissum fictè per illa verba, vt multis citatis docet Thomas Sanchez *de Matrimonio disput.* 11. *lib.* 1. *numero secundo.*

Sed parum probabile est æquos iudices hanc sententiam probaturos, cum enim ipsi valde abhorreant responsa æquiuoca in reis de quorum vita agitur si sine fuco & retentione aliquâ secretâ ad interrogata respondeant, quanto magis in seipsis debent æquiuoca verba circa reos abominari, ne ipsi præbeant illis exemplum eludendi per æquiuocationes eorum interrogata. Vnde simplex & aperta debet esse facies iustitiæ: non fraudulenta, non dolosa, & si propterea aliquod crimen maneat impunitum, quod in futuro sæculo punietur. Nec potest iudex aliud crimen punire quam quod est notum secundum iuris ordinem, qui ordo mendax esse non debet.

Sed nodosior est difficultas si timeat iudex Laïcus ne vsurpauerit Iurisdictionem Ecclesiasticam in ciuilibus & criminalibus Clericorum causis; ac traxerit Ecclesiasticos ad alienum tribunal, contra plurimas Ecclesiæ prohibitiones sub grauibus censuris. Facile enim iudices possint sibi fingere causas, cur Ecclesiasticos tribunali suo ac potestati suæ subiiciant, nisi aliquo metu ducantur, ne violent iura matris suæ Ecclesiæ. Non potest autem regula aliqua generali istud determinari, quia in variis regionibus non eædem sunt leges circa iurisdictionem Ecclesiasticam, & ipsorum est iudicum nosse quousque se exporrigat accepta eorum Iurisdictio, & quas personas & causas iudicare possint, nec fingere sibi priuilegia quæ non possint probare. Licet autem aliquid amplius in Gallia iudicibus laïcis, forsan ob eam rationem, quod Reges Galliæ sæpius Ecclesiam armis tutati sint, ob quam rationem magis illis indulserunt iuris summi Pontifices. Ac primò aduertit Doctor Seuerrius *in summa omnium excommunicationum ac casuum reseruatorum parte* 1. §. 3. in regnis Galliæ & Hispaniæ non esse culpam nec censuram in iudicibus propter iudicia litium Ecclesiastici possessorij, quæ sunt reales atque ciuiles. Proindéque, inquit, circa hos vix sibi conscios non laborabit Sacerdos, refertque post Feraldum in *lib. Priuileg.* ex stilo curiæ Parlamenti Martinum Papam V. Carolo septimo, Regi Christianissimo ad annum 1428. priuilegium concessisse, atque regios Franciæ Senatores in veteri

Vsurpatio iurisdictionis.

ſuo more reliquiſſe atque confirmaſſe circa omne genus Eccleſiaſtici poſſeſſorij, dummodo in contemptum iuriſdictionis & libertatis Eccleſiaſticæ, vt partes diutius perturbarent, hoc non fecerint. Scilicet vt id præſtent litigantium potius iuuandorum gratia, & maximè res ideo legitima eſt, quia illo fine Clerici plerique in Senatibus aliiſque prætoriis ſtatuuntur conſiliarij ac nonnulli præſides. Atque hanc conſuetudinem pro Hiſpaniâ defendit Couarruuias *in pract. quæſt. c. 35.*

Appellatio tanquam ab abuſu.

Tolerant alij vſum appellationum tanquam ab abuſu, vt vocant, à Iudicibus Eccleſiaſticis ad Laïcos, eo titulo quod ſi iudex Eccleſiaſticus iudicare vult ſubditum regis non ſeruato ordine iuris, eum cenſeatur opprimere. Eſt autem ius regis ſubditum ſuum oppreſſum liberare. Fauent iſtis verba Rebelli *l. 3. de obligat. iuſt. q. 11.* Iuſtitiæ miniſtros obnoxios eſſe reſtitutioni, ſi contra ordinem iuris hominem quantumuis facinoroſum occidant, hoc eſt, antequam iuridicè dignus morte eſſe probetur, cum iudex non habeat authoritatem publicam ad ferendam ſententiam, niſi ſecundùm ordinem iuris, quo prætermiſſo, priuatâ authoritate ac proinde non vt iudex, ſed vt homicida procedit. Ex quibus inferes iudicem Eccleſiaſticum ſi prætermittat ordinem iuris in causâ Clerici, non agere contra eum vt iudicem, ac proinde appellationem tanquam ab abuſu, non eſſe à iudice Eccleſiaſtico, vt iudex eſt. Verum eſt tamen in iſtis appellationibus eſſe abuſus ac peccata iudicum ſi eos leuiter admittant, aut ſub earum prætextu iudicium rei ipſius cum ad eos non pertineat ad ſe trahant. Qua de re videnda ſunt Decreta vltimi Concilij Turonenſis in additione noſtra ad ſummam Conciliorum, vbi ſtatuitur rogandum eſſe Chriſtianiſſimum Regem vt tales appellationes, quibus omninò præpeditur Iuriſdictio Eccleſiaſtica, non admittantur. Sed noſtri inſtituti non eſt hîc diſſoluere omnes contentiones quæ tractantur de vtráque iuriſdictione, malè ceſſit quibuſdam ſe nimium in iſtis explicaſſe, ipſimet iudices conſcientiam ſuam conſulant.

Innocens reus probatus.

Minus periculoſum erit vulgarem quæſtionem breuiter agitare, an liceat iudici damnare eum qui ſecundùm allegata & probata apparet reus, licet probè nouerit eius innocentiam. Putant enim quidam id licitum, quia quamuis ſcriptum ſit in *Exod. 23. iuſtum & innocentem non occides*, attamen qualiſcumque ſit à parte rei, at reus eſt in iudicio, & talis eſſe prudenter præſumitur qualis probatur, aliàs poſſet quicumque iudex pro ſuâ libidine prætendere, reum etiam conuictum

conuictum esse innocentem:& verba illa Exodi, intelligenda sunt de eo qui manifestè est innocens, qui non potest probari reus. Atque hanc sententiam tuetur D. Thomas 2. 2. *qu.* 64. *art.* 6. vbi iudicem excusat à peccato ferentem sententiam contra innocentem secundùm allegata & probata, si non possit eum liberare vel diligentius testes examinando, sicut fecit Daniel in causâ Susannæ, vel superiori iudici relinquendo iudicandum: quia inquit tunc ipse non occidit innocentem, sed illi qui eum asserunt nocentem. Additque de ministro iudicis, non debere tunc obedire iudici si sententia errorem intolerabilem contineat: aliàs excusarentur carnifices qui Martyres occiderunt. Non peccare vero si sententia non contineat manifestam iniustitiam, quia ipse non habet, inquit, discutere superioris sententiam, neç ipse occidit innocentem, sed iudex cui ministerium exhibet.

Displicet autem multis hæc sententia, in primis Doctori Lyrano in *c.* 21. *Exodi*, vbi agens contra D. Thomam, Miror inquit quod dicat. Si non potest eum superiori relinquere iudicandum, tenetur ne laqueis?& an vsque tenetur hominibus seruire, vt non possit consulendo suæ saluti cedere officio & discedere cum gloriâ à suo magistratu? nullius siquidem principis supplicio nullisque hominum minis terreri debet, vt quod non est iustum, imo quod non licet, agat, conniuebitne hominum vitiis & lucrabitur totum mundum, vt iacturam animæ suæ faciat? Deinde, dicit vir ille doctissimus, quod non occidit innocentem: quomodo is dicitur innocentem non occidere, qui aliquâ ex parte morti innocentis consentit, & qui cum potest, imo debet eripere de manibus sceleratissimorum hominum innocentem, non eripit? magis mihi iudex ille videtur timere homines quam Deum. Fauet autem Lyrano quod dicit D. August. l. 1. de libero arbitrio cap. 5. *Quomodo*, inquit, *apud diuinam Prouidentiam à peccato liberi sunt, qui pro his rebus quas contemni oportet, humanâ cæde polluti sunt.* Deinde nullæ sunt leges iustæ quæ velint trucidari hominem iustum ob mendacissima quorumdam hominum nebulonum testimonia. Vnde Isayæ 10. *Væ qui condunt leges iniquas & scribentes iniustitiam scripserunt vt opprimerent in iudicio pauperes vt vim facerent causæ humilium.* Amplius lex quæ vult iudicem pronuntiare secundum allegata & probata, fundatur in præsumptione veri quia ius præsumit testes vera dicere: lex autem talis non obligat, cum præsumptio est in contrarium. Neque quisquam est, ait Valerus *de differentiis vtriusque fori, verbo*

iudex differ. 1. inter Christianos; qui Pilatum excuset à peccato grauissimo, eo quod secundum allegata & probata condemnauerit Christum humani generis vindicem quem aliàs sciebat innocentem, quamuis magnas diligentias eum fecisse, ad ipsum liberandum ex Euangelio constet. Addit aliam probationem contra D. Thomam Vibanus *ab Ascensione* in Theologiâ Morali *tract.* 3. *cap.* 10. Quia quemadmodum vir non potest cognoscere eam vxorem, quæ iuridicè probatur sua, cum certo ipse cognoscat non esse suam ob aliquod impedimentum dirimens, quia cognoscere alienam est intrinsecè malum: ita non licet iusto homini vitam adimere, quamuis reus probetur iuridicè, quia res ex se mala est occidere iustum. Potius ergo debet cedere officio, si aliter se expedire nequeat. Legi potest Arboreus l. 9. *Theosophia c.* 11.

Cæterum plura sunt alia de quibus iudex examinari posset, vt de negligentia in officio, de morosis procrastinationibus ad iudicandum, partibus interim ad multas expensas & incommoda obligatis. De odio & inuidiâ quâ feruntur erga aliquos vt sub prætextu iustitiæ supra modum grauent. De somnolentiâ & distractione dum examinantur momenta & probationes causarum. De seueritate nimia ad torquendos reos, itaut graui mortis periculo exponantur & reddantur inutiles, cum tortura non ad puniendum, sed ad veritatem dumtaxat moderatè ab inuitis extorquendam introducta sit, nec in lege diuinâ authoritatem habeat. De fauore erga proximos & sanguine iunctos, ac de inclinatione nimia circa alteram ex partibus, cum vtriusque partis bonum secundùm iustitiam intendere debeat. De præcipitatione in litibus maioris momenti, De facilitate erga pauperes vero iure priuatos, cum scriptum sit Exod. 23. *pauperis quoque in iudicio non misereberis.* Et cum etiam multi paupertatem maiorem simulent ad illaqueandos iudicum animos. De suffragio lato contra aliquem accusatum magis ex opinione quam sibi formauit ex coniecturis, quàm ex rigorosis probationibus: non enim sufficit propria opinio nisi sit etiam probatio iuridica, quâ deficiente tutius est aliqua iudicio Dei dimittere. De illicitis probationibus, vt si in aquam immergantur veneficæ quæ possent ibi à dæmone sustentari. De quibus Delrio *disquis. mag. l.* 4. *disq.* 4. *sect.* 4. de incuriâ circa damnatos ad mortem, ne desit illis tempus sufficiens ad pœnitentiam Sacramentalem. Sed quis finis horum omnium, si exactè omnia discuterentur? ipsorum est iudicum iudicare se ipsos priusquam iudicio Dei subiiciantur, qui iudicata omnia iterum diiudicabit, nam

Iudicabit

Iudicabis iudices iudex generalis
Neque quicquam poterit dignitas Papalis,
Siue sit Episcopus, siue Cardinalis,
Reus condemnabitur, nec dicetur qualis,
Ibi nihil poterit quicquam allegare
Neque quid excipere, neque replicare,
Neque ad Apostolicam sedem appellare,
Neque codicillos Cæsaris citare.
Reus condemnabitur nec dicetur quare.
Cogitate miseri quid vel quales estis,
Quid in hoc iudicio dicere potestis,
Hic non erit Codici locus nec Digestis
Idem erit Dominus iudex, actor, testis.

Quæritur decimo quartò, quid examinare debeat Confessarius in pœnitentibus perfectioris vitæ, qui sæpe confitentur per hebdomadam.

Non est ita facile pœnitentium perfectiorum Confessiones excipere, ac nonnulli imaginantur, quasi nihil aliud requireretur quàm ipsorum Confessiones audire & absoluere, iniunctâ eis quinquies oratione Dominica, aut rosarij parte. Circà tria potissimum laborare debet Confessarius. Primo, vt ne pro peccatis virtutes narrent in Confessione. Secundò, vt afferant materiam sufficientem, qualis est saltem verum peccatum veniale. Tertiò, quodque difficillimum erit, vt habeant legitimum dolorem de præteritis peccatis legitimumque propositum ad ea in futurum præcauenda. Si enim ista desint, manca erit eorum Confessio, & sæpe sacrilega: quò enim perfectiores sunt animæ, eò incapaciores sunt pœnitentiæ: quapropter & Christus, & Beatissima Virgo incapaces erãt Sacramenti Pœnitentiæ suscipiendi propter eximiam sanctitatem.

Quod autem spectat ad primum caput, rectè aduertit Ioannes Sanchez in *Selectis, disp. 1. n. 2.* Plures pœnitentes se accusare de virtutibus, vt ij qui se accusant de irascentiâ in inferiores & subditos, iustâ existente causâ, & ad finem correctionis, est enim potius actus charitatis quàm vitium aut peccatum. Eodem ferè modo procedunt, qui inter confitendum narrant ferè omnia sua bona opera, tantumque in iis annotant leuiculam quamdam imperfectionem, quæ verè peccatum non est, itavt ea de quibus se accusant, in aliis personis insignes quædam virtutes essent, & eximiæ perfectiones. Sic dicunt aliquæ religiosæ Pater, accuso me quòd aliquo tempore sine Dei præsentiâ fuerim: quòd aliquam reflexionem in cogitationes meas habuerim: quod omnia verba quæ protuli pro-

ximum non promouerint ad salutem: quod non semper omnia perfectiora opera compleuerint: & alia huiusmodi in Confessione peccatorum inutilia. Aliquando vsque ad triginta capita cum à duobus fermè diebus se accusent. Dicebam alicui superfluas esse istas accusationes, & perfectiorem fore Confessionem, si non ita prolixa foret, resecatis istis accusationibus. Pater, respondit illa, mihi prius cogitandum de corrigendis meis imperfectionibus, deinde cogitabo de breuiandâ Confessione. Quid facetes istis? Zelum pium habent, sed non secundùm scientiam nec secundùm obedientiam. Et incidunt sæpe in directores nouos, quorum auidæ sunt, qui destruunt totum quod alter ædificat. Scribo hæc expertus. Sed aliæ se excusant, quod fecerint suam propriam voluntatem. Quibus opponi potest dictum D. Augustini serm. contra *Arrianos cap.* 7. si volentes faciamus, quomodo voluntatem nostram non facimus, nisi quia illa dicitur voluntas nostra, quando scriptura ita loquitur, *quæ intelligitur esse propria contra voluntatem Dei.* Denique non sine causa Posseuinus *de officio Curati, cap.*7. Conqueritur quod aliquando in excipiendâ Confessione alicuius personæ religiosæ, tantùm temporis insumendum sit, quantum in Confessione vnius perditi latronis: & multum dant, inquit, adstantibus quod loquantur.

Prolixa accusationes.

Quod spectat ad secundum caput, qui sæpius confitentur, & perfectioni vitæ seriò student congerunt sæpe imperfectiones quarum catalogum benè longum texunt; & nihil præterea quibus parum cauti Confessarij absolutionem Sacramentalem, sacrilegè, vt putamus impendunt, nisi excusentur, per istam clausulam, *inquantum possum & indiges.* Iam monuimus suprà, prius confiteri, qui omissis imperfectionibus, sola peccata, venialia saltem, affert ad pœnitentiæ Sacramentum remittenda. Quam nostram sententiam egregiè vidimus postea corroboratam à prædicto Sanchez, *disp.* 1. *in Selectu, num.*4. Quòd Sacramentalis Confessionis iurisdictio ad sola peccata se extendat, iuxta Christi institutionem, Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Cùm verò error hic sit, inquit, æquum erit Confessarios pœnitentes monere, ne Sacramentaliter, velut absoluendas imperfectiones quæ peccata non sunt, narrent. Atque etiam ne peccata putent, ne in posterum ex conscientia erroneâ peccent, id agentes quod neutiquam facinus est. Vnde, inquit, immerito Alphonsus Rodriguez, ait consilium esse virorum spiritualium confiteri imperfectiones, quæ peccata non sunt in materia castitatis. Nec nego consilium esse aliquorum

rum spiritualium, aut ignorantium, non literatorum.

Quod satis prudenter animaduertit Author iste, nam & Doctor Angelicus, & castissimus, D. Thomas Opusc. 64. non approbat ea omnia quæ tradit Rodriguez in Praxi suæ perfectionis, *part. 3. tract. 4. cap. 4.* Nec enim vult tales cogitationes, in quibus nec mora, nec consensus interuenit, exponendas esse in Confessione, cùm in illis non solum homo non offendat, sed multum mereatur, tanquam pugil, propugnator, & victor; Sed hodie, inquit, quidam tales cogitationes confitentur potius ad laudem & vanam gloriam, vt Confessor reputet eos spirituales, cùm tamen talia essent occultanda & in Confessione tacenda, quia solùm confitens debet se simpliciter ostendere peccatorem. Vnde tales sunt thesauri Dei latrones, quia vanæ gloriæ appetitores, & ideò pœnâ latronum sunt puniendi. Vbi spectanda est ratio hæc, *Quia solum confitens, &c.*

Hoc sanè monitum non inficiabitur quisquis benè discusserit, quæ asserit Martinus Bresserus lib. 6. *de Conscientia cap.* 7. vbi contra scrupulos de frequentiâ venialium exortos, primum esse remedium ait, credere, quòd studiosi perfectionis non peccent singulis horis, vt plures putant, imò nequidem diebus, neque fortè perfecti septimanis: vix ausim dicere mensibus de valde perfectis. Tridentinum enim tantum definit omnes quandoque in vitâ peccare venialiter. Cui conformis est Doctrina Theologorum, quod iustus ordinariè non potest abstinere ab omni veniali, longiori tempore: longum autem tempus non debet restringi ad vnam septimanam, medium diem, aut horam. Satis mirum & miserum est iustos & amicos Dei, tot gratiis confirmatos, debere aliquando in vitâ offendere Deum. Confirmat autem istud, quod nullum committatur peccatum etiam veniale, nisi ante præcognitâ expressè eius malitiâ.

Ex quibus facile intelligi potest quòd plures ex perfectis accusant se de iis in quibus nulla est malitia venialis, quod ex præcipitatione acta sint sine vllâ malitiæ perpensione. Vt si tantillas distractiones habuerint, aliquas superiorum actiones tacitè apud se improbarint, aliqua verba paulo seueriora in proximum protulerint & huiusmodi. Quare tutum est, vt aliquod verum peccatum vitæ anterioris repetant in Confessione cum nouo actu doloris, ne absolutio Sacramentalis irrita sit, non habens materiam sufficientem. Refert autem defectum hunc Haurinus de *Sacramento amoris l.* 1. *num.* 465. in ignorantiam Sacerdotum, quorum plures grauiter peccare

peccare asserit & paucos ex iis id expendere. Hinc, inquit, nonnulli miseras sanctimoniales scrupulis enecant, dum quaslibet naturæ deprauatæ affectiones peccari damnant, nec sensum possunt discernere à consensu: & optimè rem gerere se putant, si conscientias arctissimè ligent, atque obligent, & quod indignitatis caput est alios peritiores consuli vetant, ne ipsorum ignorantia, & si suo & animarum bono, deprehendatur; hinc etiam alij contra temerè & inconsideratè de rebus grauissimis & perplexis ferunt iudicium, &c.

Monialium confessio.

Quam rem valde debent considerare Confessarij monialium in quibus floret cum pace regularis obseruantia, quamuis difficillimè illas corrigent & emendabunt, quæ ex modo antiquo confitendi & inueterato ad manifestandas sigillatim tenuissimas etiam imperfectiones assueræ sunt: non enim semper acquiescunt Confessariis suis, qui & propterea prudenter agent, si aliquando non pronuntient verba Sacramentalia absolutionis. Dixi aliquando, quia ea omittere vltra quindecim dies, non approbarem, ne diutius careant fructu Sacramentalis absolutionis, ideóque vt huius sine periculo sacrilegij participes esse possint, repetant aliquod certum peccatum ex præteritis.

Tertium caput circa quod laborandum est Confessariis pœnitentium vitæ perfectioris, est de dolore & proposito emendandi se. Quod eò magis difficilius est quò peccata eorum leuiora sunt & à quibus difficillimè humana infirmitas immunis esse potest. Non ita mihi suspectus est dolor magni peccatoris, ac dolor perfectorum. Enormitas quippe peccati per se horrorem, & dolorem incutit, vt mirum esset aliquem eâ non percelli. Quæ ratio non inuenitur in leuissimis peccatis. Atque in ea difficultate, attendenda est Suaris sententia *de pœn. disp.* 4. *sect.* 3. vbi sufficere asserit propositum omnem diligentiam adhibendi ad vitanda vel imminuenda in posterum peccata venialia quæ fiunt ex surreptione, & imperfecta deliberatione.

Placet verò maximè quod scripsit Ioannes à Iesu Maria tomo tertio, in arte *viuendi spiritualiter* parte secunda, capite quarto, vbi magis probat, vt viri spirituales, si nullâ obligatione constringuntur, moderatum Confessionum & Communionum numerum sibi præstituant. Quia, inquit, constat viros spirituales sæpe laborare, vt dum heri confessi sunt, hodie rursus confiteantur, materiam absolutionis ad sacerdotem afferant. Nam tametsi præsupponendum sit aliquod veniale

Frequẽtia confessionũ modera-

veniale peccatum interuenisse; sæpe tamen determinatè ac certo quale sit nescitur, & vt plurimum quando determinatè id constat, est aut verbum aliquod otiosum, aut nimia quædam in oculorum coniectu licentia, vel quid simile, quorum non adeo facile est detestationem & odium ac firmum illud non ideo in res adeo minutas prolabendi propositum. Vt enim hæc parum voluntarij in se habent, cumque adeo exiguæ sint, nec tantam deformitatem includant, vt piam quamdam mentem ad cordialem sui detestationem excitent, *&c.* Cùm verò dispositio hæc quotidiana non sit, multò videtur salutarius non assuescere continuo & coniunctim, sed aliquot intermissis diebus confiteri. Hæc & plura author ille eximium decus Carmelitarum Discalceatorum, & cui præter antiquitatem, nihil deest, vt inter patres Ecclesiæ annumeretur, tam solidè, tam piè & eruditè plura scripsit opera. Ex cuius testimonio satis corroborata videtur nostra assertio, sufficienterque moniti Confessarij de cautelâ quam debent adhibere circa hunc articulum.

Ingerit tamen difficultatem quòd pœnitentes illi vel illæ perfectioris conuersationis in hoc sæculo, sæpius etiam soleant se accusare de defectu amoris erga Deum, dicentes se non toto corde aut satis feruidè Deum dilexisse. De qua difficultate iam pronuntiauit Beatus Salesius in *Introductione ad vitam deuotam*, seu in Philotheâ, parte 2. c.19. vbi improbat istas accusationes superfluas quas multi ex insitâ consuetudine afferunt: tantum quantum debui Deum non amaui, nec Deum oraui tantâ cum deuotione cum quantâ debui. Proximum non dilexi vt debui: nec Sacramentum Eucharistiæ eâ reuerentiâ quâ debebam suscepi. Ratio est, inquit, quia ista enunciando, nihil affers singulare quo status conscientiæ tuæ pateat Confessario. Quia sancti omnes qui beatitudine paradisi fruuntur, omnèsque homines qui in terrâ habitant, de iisdem si confiterentur, accusare se possent.

Quia vero specialis est difficultas in amore diuino ex toto corde iuxta verba præcepti, in quo multi se peccasse autumant, quia non satis benè verba ista interpretantur, & multi inde ansam errandi aliosque in errorem iniiciendi arripiunt, vt materia charitatis sit plerisque materia hæresis & diuisionis, iuuat annotare hîc esse opus intelligere phrasim Scripturæ sacræ, quando dicit aliquid facere ex toto corde aut ex totâ animâ. Totalitas enim de quâ dicitur *in toto corde, in tota anima* dupliciter accipi potest. Altero modo vt significetur intendendam esse omnem vim animæ ad dilectionem Dei, itaut

præter

præter Deum homo nihil diligat & tantum diligat quantum est diligibilis; altero modo, vt totus accipiatur vulgari modo, quo dicimus aliquem totum esse in studiis & toto corde studiis addictum esse, quia scilicet præcipua eius occupatio & cogitatio est in studiis, nec aliud quid præter studia magnoperè amat & curat, solis studiis intimè afficitur, reliquis vero frigidè & obiter. Hoc autem posteriori modo intelligitur præceptum de diligendo Deo ex toto corde, iuxta modum loquendi Scripturæ sacræ. Sic dicit Dauid Psal. 118. *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo. Confitebor tibi Domine in toto corde meo.* Sic dicitur de Iudæis tempore Asæ 2. Paralip. 15. *in omni corde suo iurauerunt, & in tota voluntate quæsierunt eum.* Sicque multi ex perfectioris vitæ Christianis satisfaciunt præcepto de diligendo Deo ex toto corde, & si non sentiant feruores internos erga eum. Quare sæpe scrupulis diuexantur plures sine causâ. Quod aduertendum erit à Confessariis. Sicque interpretati sumus hoc Dei mandatum in *Theologia affectiua seu Thoma meditante*, 2. 2. tract. 2. medit. 24. puncto 2. post Alphonsum à Castro aduersus hæreses l. 12. verbo *præceptum.* Post Iansenium Gandauensem, *concordantia Euangelica c.* 81. & Cardinalem Bellarminum l. 2. de *Monachis c.* 3.

Quæritur decimo quinto de personis religiosis, quid in iis discutiendum circa statum religionis.

Ex innumeris quæ quæri possent, aliqua tantum obiter attingemus.

Ingressus Relig. cū pecunia.

Primo aliquæ personæ religiosæ patiuntur scrupulos & molestias animæ, quod pro dore pecunias dederint in ingressu religionis, quasi simonia esset. Quòd si semel admitteretur, nihil perniciosius Ecclesiæ Dei accidere posset, cùm flos omnis virginum piissimarum condemnandus esset de peccato simoniæ. Quod absit vt sentiamus. Etsi enim pleraque Concilia Generalia & Prouincialia ingressum huiusmodi vt simoniacum damnauerint, maximè verò Concilium Lateranense IV. quod est duodecimum generale, quo statutum est, vt religiosæ omnes sic admissæ è Monasteriis excluderentur, possentque iteratò emissis iterum votis in religionem admitti. Considerandum est simoniam hanc esse tantum iuris positiui, quia pecuniæ dantur non pro ingressu ipso, sed pro sustentatione. Quare potuit desinere contrariâ consuetudine quæ iam ferè vbique viget, imo & contraria lege: summus enim Pontifex approbat statuta & regulas quarumdam religiosarum quæ determinant summam quam

pro

pro dote ipsæ daturæ sunt sufficientem esse debere pro sustentatione suâ in religione, iudicio Episcopi. Sic habetur in constitutionibus matrum Ordinis sanctæ Annunciationis Genuæ inchoati anno 1604. quæ Bullâ Pauli V. & Vrbani octaui, parte 1. cap. 2. dictarum constitutionum approbantur. Legi potest de istis Bonacina tom. 3. qui est de censuris in particulari *disp. 2. quæst. 2. puncto* 19.

Secundo aliquorum regularium animo inhæret dubium propter obligationem qua tenentur tendere ad acquirendam perfectionem, nunquam enim huic obligationi se putant satisfecisse, & inde metu terrentur ne sint in statu perditionis, Quibus respondendum est, eo ipso satisfacere huic obligationi quod regulis suis & constitutionibus se morigeros exhibent: nam eo ipso tendunt ad perfectionem sui status, eo quod sic agendo acquirunt aliquem habitum ad facilius & veluti modo quodam connaturali ea adimplendi quæ propria sunt religioni quam profitentur. De qua pluries iam scripsimus tum in Catechismo *Consiliorum*, seu in Opusculo de *principiis Christianæ perfectionis* 2. parte Philosophiæ affectiuæ tum secundâ secundæ Theologiæ affectiuæ toto tractatu 4. qui est de perfectione. Talis autem habitus est ipsa perfectio religiosa, ad quam acquirendam eniti debent per frequentiam & multiplicationem actuum. Atque vtinam hoc sæpe inculcarent Confessarij ipsis monialibus, quæ nescio quam perfectionis idæam in hac vitâ extra obseruationem mandatorum & consiliorum per regulas & constitutiones præscriptorum sibi fingunt.

Tertio, alij sunt anxij de regulis & constitutionibus, num peccent in earum transgressione, cum expressè feratur, eas non obligare ad peccatum mortale & veniale. In quibus perpendendum erit, illas regulas non obligare ad peccatum, nisi contineantur in aliquo ex tribus aut quatuor votis, quæ ab ipsis emittuntur, & nisi violentur ex inordinatâ aliquâ affectione aut contemptu formali. Quamuis autem constitutiones vel regulæ obligarent sub peccato mortali aut veniali, si sit apposita pœna vel pœnitentia regularis transgressoribus, regularis qui eam pœnam subit, excusatur à peccato. Sic determinat Henricus à Gandauo *quolibeto* 3. *q.* 22. vbi loquens de statuto pœnali de non loquendo, sic ait. Dico ergo quòd si loquamur de huiusmodi statuto pœnali referendo ipsum ad intentionem statuentis: quod obligat transgressorem ex rationabili & probabili causâ solummodo ad pœnam & nullo modo ad culpam: immo cum talis causâ occurrit, *Obligatio cessit.*

potius

potius meretur quàm demeretur, si loquatur & pœnam legitimè persoluat, quam etsi in hoc casu sustinet sine culpâ, non tamen sine causâ. Transgressorem vero passim & temerariè sine causâ rationabili, æstimo quod non solum obligat ad pœnam sed etiam ad culpam. Quia statutum ex intentione statuentis rationabiliter implicat, ne temerariè quis loquatur omnino & sub hac pœnâ: sed tunc solummodò cum rationabilis causa occurrit, vt dictum est: & sic transgressor temerarius talis statuti pœnalis, non potest ipsum transgredi absque omni culpa soluendo pœnam. Et simile est de statutis principum & prælatorum in consimili materiâ. Ita ille: ex quo pater semper debere aliquam causam rationabilem interuenire, vt immunis sit à peccato, qui regulas non obseruat. Puta non surgit ad matutinum quia insomnem ferè egit noctem & die sequenti laborare debet plurimum, non peccat se pœnæ regulari submittendo. Quod aliqui ita explicant, quòd statutum pœnale æquiualeat duplici consilio, aut fac hoc, aut pœnam illam subi; quorum consiliorum neutrum determinatè obligat; sed alterutrum pro liberâ voluntate religiosi, qui non satisfacit si neutrum faciat. Sic intelligendus est D. Bernardus de præcepto cap. 14. *Illum sanè dico securum qui etiamsi interdum obedientiæ limites præterit, consilium non respuit pœnitentiæ.* Nota quod ait, *interdum.* Qui etiam addit. *Regulares namque terminos non euadit qui censura quæ ex regula est, disciplinam non subterfugit.*

Quando autem superior præcipit aliquid leue vel indifferens in virtute obedientiæ, dubium est an regularis peccet mortaliter non obediendo. Quidam putant peccare tantum venialiter, quia præcepta humana, vt ait Henricus de Gandauo *quodlib.* 3.*q.*21. non magis obligant quam præcepta diuina, quæ in rebus parui momenti non obligant ad mortale: nisi constaret de intentione statuentis præceptum qui vellet obligare ad peccatum mortale. Sicut Deus præcipiens Adamo abstinentiam à fructu vetito, intendebat illum obligare ad mortalem culpam, si inobediens esset, proferens illa verba, *in quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Genes. 2. vnde si superior intenderet obligare sub pœnâ peccati mortalis, inobedientia esset mortalis: videtur autem ita obligare, cùm vtitur his verbis; quamuis non rectè frequentius sic imperet.

Sed difficultas est vtrùm possit cum intentione obligandi ad mortale, seu in virtute sanctæ obedientiæ præcipere superior

rior religionis aliquid leue subdito. Respondetur grauitatem & leuitatem materiæ rei præceptæ non tam peti ex ipsa re quæ præcipitur, quàm ex fine ob quem præcipitur; qui finis aliquando in regula ipsa continetur, aliquando non. Multa ergo præcipiuntur quæ ex se leuia & indifferentia videntur; attamen sunt materia grauis præcepti propter finem quem sibi superior proponit in præcipiendo, puta vt seruetur castitas, paupertas, conuersio motum & huiusmodi. Sic recessus à tali loco religiosi conseruat castitatem, ideò est materia grauis præcepti in ordine ad hunc finem intentum à superiore. Sic præceptum Adamo impositum in ordine ad finem quem Deus sibi proponebat, vt creatura suo creatori seruitutem suam & dependentiam testatetur, erat in materia graui, vt notat Bresserus l. 6. *de conscientiâ cap.* 10. Dico igitur quia multa quæ apparent leuis momenti, valde tamen conducunt ad ea quæ sunt expresè in regula, potest ea præcipere superior in virtute S. obedientiæ, & tenetur inferior obedire, licet finem ob quem ea imperat non manifestet; at si constaret manifestè ista leuia præcipi ob finem, qui esset extra regulam non teneretur in conscientia. Vel si essent contra regulam quæ præciperentur ob finem qui esset in regula. Non ita si essent tantum extra regulam quæ præciperentur ob finem in regula contentum: peccaret enim inobediens grauiter vel leuiter secundum quantitatem materiæ, in ordine ad finem qui esset grauis vel leuis. Ita satis acutè resoluit ista Ioannes Caramuel in *Regulam D. Benedicti num,*720. & sequentibus. Ex quibus habet Confessarius vnde discutiat grauitatem, leuitatem aut nullitatem peccati in obedientia regularium, ex qua non minimi nascuntur scrupuli. Ex iisdem discet superior regularium, se nihil debere præcipere nisi in ordine ad regulam, si quod præcipit est extra regulam aut præter eam: nihilque absolutè debere præcipere quod sit contra regulam.

Obicies inde sequi, non posse præcepta rerum indifferentium prætermitti à regularibus, quin peccent mortaliter, si dentur in virtute sanctæ obedientiæ: nam erit semper materia grauis in ordine ad finem contentum in regula qui est obedientia quam in istis requirit superior. Respondeo etsi obedientia sit materia grauis, si generatim spectetur: attamen si spectetur vt est obedientia in rebus leuibus, est materia leuis. Ideóque peccabit tantum venialiter in istis.

Dubitatur etiam sæpe à regularibus an peccent contra votum paupertatis, cùm aliquid in vsus proprios refer- *Votum paupertatis.*

Rr

uant. In quo dubio considerandum est an illa habeant cum scientia & permissione Superioris, & non excedant statum modestum religiosi. Potest enim aliqua habere in vsus proprios ex scientia & voluntate Superioris, sed non potest, si sint aliqua valde pretiosa quæ dedecent religiosum qui mundo & vanitatibus nuntium remisit. Similiter potest Superior permittere bursarium vel thesaurarium in monasterio, qui seruet pecunias quas quisque religiosus vel ab amicis dono acceperit, vel laboribus adquisierit, modò eæ non tribuantur religioso, nisi ad vsus licitos & de licentiâ Superioris. Item poterit permittere quòd religiosus pensionem annuam percipiat, quam in vsus honestos impendat, ita tamen vt Superior ad nutum reuocare possit illam pensionem. Idem Caramuel in *regulam D. Benedicti, n.* 898. qui ait *n.* 887. Non peccare religiosum contra paupertatem qui recipit pecunias ab aliquo, vt eius nomine in pauperes distribuat. Quia non accipit dominium nec vsum, sed solum est instrumentum causæ principalis, cooperans ad actum charitatis. Et *n.* 880. non peccare monachum qui inscio Prælato celebrat missas pro amico, modò non recipiat eleemosynas, & non teneatur pro communitate celebrare, quia nihil dat amico nisi spirituale.

Quæres quænam quantitas requiratur vt regularis censeatur peccare mortaliter, eam subtrahendo à conuentu & sine licentiâ impendendo in vsus inutiles. Iam communis & recepta sententia est, illam esse sufficientem materiam ad violationem grauem voti, quæ sufficit ad peccatum graue furti contra iustitiam. Quod intelligendum est de furto graui ex grauitate materiæ, non ex aliis circumstantiis, quia furtum acus aliquando est mortale de se, sed non ex grauitate materiæ. Ita limitat Cardinalis Lugo *de iustitia & iure, disp.* 3. *sect.* 8. Sed & grauior quantitas requiritur in esculentis & poculentis ad constituendum peccatum mortale; & quando datur fratribus aut sororibus eiusdem monasterij. Sed & considerandum quòd tales sunt aliquando circumstantiæ, quòd Superior si sciret, non esset inuitus, vt si vir magnus peteret à religioso rosarium, quod honestè recusare non posset, doleretque Superior, si vir ille magnus repulsam passus fuisset. Sed & Superior ipse potest aliquid amplius dare ex bonis communibus sine peccato, vt plures scriptores annotauerunt.

Quid verò de voto castitatis. Resoluit idem Caramuel *nu.* 282. regularem tantum vouisse castitatem propriam non alienam nec vouisse se facturum, vt alij essent casti. Vnde *n.* 986. concludit

concludit religiosum qui in aliis est occasio fornicationis eos inducendo, si ipse non fornicetur, non peccare contra proprium votum castitatis, licet peccarit mortaliter ob scandalum. Sic monialis cooperando vt Ioannes polluatur, non peccat contra proprium votum castitatis, si ipsa sit sine delectatione sensuali, licet peccarit mortaliter ob scandalum: ratio est euidens quia ipsa non vouit castitatem alterius: *Num.* 996. hæsitat an sit discrimen inter pudicitiam & castitatem, quamuis asseruerit, *num.* 980. ex D. Thomâ quod pudicitia sit circa signa venereorum, vt sunt tactus, oscula huiusmodi: castitas verò circa veneream commixtionem & pollutionem ad eam reprimendum & impediendum. Quæ est distinctio valde notanda & vtilis ad plurium difficultatum solutionem, cum regularis vouerit castitatem expresse, non pudicitiam. Vnde multa determinari possunt dubia circa peccata carnis in regularibus. Hæc autem, licet impura, dicenda sunt vt scias pœnitentes, dirigere, gubernare, monere. Addit *num.* 1016. tactus impudicos factos in Ecclesiâ non habere diuersam malitiam in specie, quia Ecclesia tantum violatur effusione seminis & sanguinis, quia tantum casus isti sunt iure expressi. Subiungitque circumstantiam loci sacri non necessariò exponendam in Confessione fornicationis, aut pollutionis, si secretè facta fuerint. Quia actus exteriores secreti participant naturam actuum interiorum qui liberi sunt à directâ gubernatione Ecclesiæ, quæ eos nec cognoscit, nec potest interdicere, quia nequit cognoscere. Pro qua sententiâ referuntur ab ipso, Vasquez in *p.* 1. *tom.* 1. *disp.* 98. *c.* 5. & Basilius de *Matrim. lib.* 10. *c.* 10. notatque viros illos fuisse ex maximis; itavt securissimè, inquit, sequi illos possis. Ex his satis multa discernere poterit Confessarius: nam omnes casus exprimere qui innumeri sunt, nostri non est instituti. Porro Vasquez ibi tantum loquitur de pollutione non de fornicatione. Redditque rationem cur blasphemia, vel turpis sermo non habeat peculiarem malitiam ex loco sacro: ratio enim facilis est, inquit quia nimirum lege humana non est ita statutum, vt blasphemia vel turpi sermone locus sacer prophanetur, sicut de pollutione definitum est. Obseruandum est etiam, inquit, satis probabile videri non esse peculiare peccatum sacrilegij, cùm effunditur semen & sanguis occultè in Ecclesiâ, quia secundum sententiam communem, quam sequuti sumus in tractatu de violatione Ecclesiarum, tantum violatur locus pollutione, & sanguinis effusione notoriâ, quâ tollitur consecratio, & benedictio ipsius loci sacri. De fornicatione autem

nullum habet sermonem. Existimamusque circumstantiam loci sacri in fornicatione etiam occulta, semper esse manifestandam in Confessione, quia fornicatio talis est casus reseruatus; circumstantiæ autem propter quas aliquis casus reseruatus est, semper sunt aperiendæ, quomodo enim inferior Confessarius, qui non habet potestatem absoluendi à reseruatis, remitteret ad Superiorem, si non nosset quâ ratione casus est reseruatus?

Officium diuinũ. Præter illa autem dubia quæ oriuntur religiosis occasione votorum, alia sunt de recitatione officij diuini in choro vel extrà chorum. Si autem regulares sint Subdiaconi eodem modo philosophandum erit de illis ac de cæteris Subdiaconis, nisi aliquid peculiariter statutum sit in regulâ, vel in constitutionibus. Dubitatur an moniales vel religiosi Choristæ nondum prouecti ad sacros Ordines, teneantur ad recitandum officium diuinum priuatim, si choro, prout præscribit regula, non adfuerint, seu ex causâ iustâ, seu absque excusatione legitimâ.

Teneri vt priuatim recitent communior est sententia, vt asserit Lessius de *iustitia & iure, lib.2.c.37.* dubitatione 9. vbi asserit mortiferè peccare si horas vel semel omittant absque causâ: est communis sententia Doctorum, vt docet Nauarrus *de Oratione, c.7.num.5.* excipio Angelum *verbo* hora §.10. & Richardum quem ille citat. Hi dicunt non esse peccatum mortale eas omittere, nisi quis consuetudinem habeat eas omittendi, vel ex contemptu id faciat: quam sententiam non ausim dicere probabilem, quia est contra torrentem Doctorum. Imo Nauarrus, cap. 7. *de Orat. num. 6.* & alij docent esse peccatum mortiferum, si vel vna hora negligatur v. g. tertia, sexta, &c. Dicit etiam Henricus de Gandauo obligari religiosos ad horas Canonicas eodem titulo quo beneficiarij, qui ex beneficio percipiunt, vnde viuant. Dico de religiosis, inquit, *quodlibeto vndecimo*, *quæst.* 29. Quod ratione qua religiosi sunt simpliciter, quia possunt esse puri Laïci, non plus ex tali statu obligantur quàm Laïci non religiosi. Si autem sunt Clerici, & in sacris Ordinibus constituti, tenentur ratione ordinum. Si autem non sunt in sacris, & habet religio bona Ecclesiastica sibi deputata vnde viuunt, tenentur sicut Clerici beneficiati, non existentes in sacris ratione iuris percipiendi beneficium.

Contra hanc tamen rationem excandescit prædictus Caramuel. *num.* 1350. *in Regulam D. Benedicti.* Tædet me legere, inquit, & audire aliquos de religiosis minùs ingenuè

disputan

disputantes, & legendi obligationem eruentes ex precio alimentorum. Hoc si foret verum, satis vili pretio & misero præmio monachi summum onus susciperent. Ostendant tamen aduersarij, in quo archiuo viderint talem monasterij & fundatoris conuentionem: & quousque hanc ostendant, non tenemur acquiescere. Quapropter vult author ille regularem accipere alimenta, quia est filius familias cui dari debent, imo quia professus est solemnem paupertatem quam seruare non poterit, si præcisè necessaria non subministrentur, reuocatque illam obligationem ad solam consuetudinem, quam tamen non vult esse obligatoriam sub graui culpâ, nisi Superior præciperet alicui determinatè.

Attamen non est omnino improbanda ratio Henrici, quia certum est multa monasteria amplissimis redditibus locupletata fuisse à fundatoribus, eâ intentione vt participes essent orationum, & laudes assiduè Deo decantarentur vel dicerentur à religiosis: non secus ac plura beneficia ob eumdem finem instituta sunt: & licet mox aliquis excipere possit de monasteriis mendicantium, iis tamen alimenta subministrantur à populis ob eumdem finem: quare verisimile est consuetudinem, qua tenentur religiosi omnes choro destinati onere breuiarij perfungi, originem traxisse à prima intentione eorum, qui domos eorum erexerunt ac redditibus ditauerunt.

Quamuis autem sint septem horæ canonicæ, non committuntur septem peccata, ab iis qui omnes omittunt, sed vnicum dumtaxat. Ita Emanuël Sa verbo *hora canonica*.

Nec peccat religiosus, si dum missæ assistit, recitet aliquas horas priuatim. Non enim indecens tunc alloqui Deum labio, & oratione totius Ecclesiæ, qualis est recitatio horarum canonicarum.

Nec plusquam venialiter peccat, si omittat horas beatæ Virginis, vbi cum magno officio dici solent, quia consuetudo paruas horas recitandi, non videtur recepta sub graui culpâ: sicut obligatio recitandi Psalmos graduales, septem Psalmos, & officium defunctorum in diuersis temporibus, non obligat sæculares Sacerdotes sub culpâ mortali.

Nec crediderim peccare mortaliter regularem aut alium, qui semel aut iterum in curriculo vnius anni officium omitteret, quia deesse semel aut iterum est quid leue. Quod recordor me aliàs audiisse ex ore grauissimi ac sapientissimi Doctoris Philippi Gamachæi, cuius extant scripta posthuma in Theologiam duobus tomis conclusa. Est autem opinio An-

geli in summâ quæ dicitur Angelica, verbo *hora canonica.* §.10.

Obiicies quod semel fit sine peccato graui, si sæpius repetatur eo modo quo prius, non erit culpa grauis. Respondeo negandum esse istud principium in rebus moralibus, in quibus pleraque excusantur à mortali, si semel aut iterum fiant, non verò si pluries repetantur, quarum rerum in antecedentibus aliqua produximus exempla. Vt enim gutta cauat lapidem sæpe cadendo, sic aliquæ actiones sæpius repetitæ sauciant animam lethali vulnere. Sic verbum aliquod contumeliosum toties repeti posset, & leuior ictus, quòd pro iniuria notabili & atrocissima reputaretur.

Visitatio. Quæres ampliùs quæ sit obligatio regularis tempore visitationis, si visitator iubeat, vt crimina singulorum à scientibus sibi aperiantur. Respondet Corradus 1. *p. quæsito* 327. Nullo modo licet peccatum fratris ante admonitionem quantumcumque cordatissimo, aperire vt illum corripiat. Optarem ergo peccata mea potius esse nota tribus quam vni mihi coniunctissimo. Et Prælatus, inquit, in visitatione debet monere, vt peccata occulta non denuntientur, nisi præuia admonitione. Qua facta si sit correctus, & non sit periculum recidendi, illic sistendum est quicquid alij dicant.

Quid si visitator seu Prælatus iubeat subdito vt reuelet sibi secretum commissum, non debet, vt resoluit Henricus de Gandauo *quodlibeto* 9. *quæst.* 27. quia religiosus in nulla religione voto ad alia se adstringit quàm ad licita, & honestate secundum regulæ quam profitetur, statuta, quia si illicita & inhonesta præcipere præsumpserit, maximè diuinæ legi & virtutibus & bonis moribus contraria, nullatenus in illis obediendum est hominibus sed Deo, dicente Bernardo *in Epistolâ ad Adam.* Valdè autem peruersum est profiteri te obedientem in quo noueris superiorem propter inferiorem. 1. Diuinam propter humanam soluere obedientiam. Quod enim iubet homo prohibet Deus: & ego audiam hominem surdus Deo? Non. Quia ergo secretum reuelare contrarium est virtuti, nullomodo tenetur subditus præcepto superioris obedire, vt fideicommissum illi reuelet.

Quæres an præter secretam admonitionem teneatur etiam adhibere secum duos, aut tres testes iuxta præceptum Euangelicum, antequam prælato crimen detegatur. Sic enim habet regula D. Augustini. Respondeo, si solus sciat, non debet coràm testibus reuelare; sic enim non esset tam criminis corrector quam proditor, inquit idem

idem Henricus *eodem quodlib. quæst.* 18. Distingue tempora & concordabuntur scripturæ. Vnde si te non audierit, & sic sit secretum vt nullus alius sciat, non debeo vltra procedere, sed expectare quousque fuerint aliqui inuenti alij, qui sciant quod ego scio, quemadmodum proposuit facere Ioseph qui noluit Virginem Mariam traducere, cùm solus nosset vterum eius intumescere, &c. Vnde dicit D. Augustinus *serm.* 15. de *verbis Domini*, corripe ipsum inter te & ipsum, studens correctioni, parcens pudori. Fortè enim præ verecundia incipit defendere suum peccatum: & quem vis facere meliorem, facis peiorem, *&c.* igitur non habens testes post secretam admonitionem, nulli debet peccatum reuelare, nec verbo, nec signo alios adducere, vt simile peccatum in proximo possint comprehendere, sed negotium debet Deo committi, cui de occultis committenda sunt iudicia.

Notandum insuper quod dicit Humbertus super *Regulam D. Augustini cap.* 13. *parte* 7. si regularis sit proclamatus coram superiore, seu denuntiatus sine præuia infamia quæ induceret inquisitionem, non est cogendus ad respondendum de veritate: neque enim durius debet agere Pater spiritualis cum subdito quàm princeps Sacerdotum; vel Pilatus egerit cum Christo. De quorum vtroque legitur, quod, Christo accusato coram se, neuter inquisiuit de veritate dicendâ: sed præses dixit *Matth.* 26. *nihil respondes ad ea quæ ipsi aduersum te testificantur.* Pilatus quoque dixit ibid. 27. *Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia.* Est autem ad hoc argumentum ex eo quod dicunt Iuristæ, quod quando proceditur contra aliquem de crimine, per modum inquisitionis quam aliquis promouet, non est imponendum iuramentum de dicendâ veritate illi, contra quem est inquisitio, ne ex hoc aduersarius instruatur: à fortiori nec in isto casu. Eadem autem est vis quoad Deum in iuramento & in verbo simplici, & ideo non est secundùm Deum quòd cogatur aliquis in hoc cursu dicere vel negare: sed potest dicere iudex sic proclamando: ecce vos auditis quid dicatur de vobis: quid dicitis vos ad hæc? estque relinquendum voluntati suæ vt vel deneget, vel concedat, vel dicat: non recognosco quod dicitur: vel paratus sum audire probationem & similia. *Denuntiatio.*

Quod si forte prælatus præcipiat subdito vt dicat veritatem de crimine, de quo sine infamia est proclamatus coram eo, non tenetur obedire: sicut non teneretur obe-

dire, si præciperet quod diceret ei peccata sua extra forum confessionis: quamuis hoc facere sine peccato posset. Multa enim sunt quæ non sunt peccata, in quibus tamen non tenetur religiosus obedire prælato: vt sunt aliqua, quæ sunt supra regulam & votum suum & annexa his: cum ipse non promiserit obedientiam simpliciter, sed secundùm regulam & statuta aliqua. Quis enim auderet dicere, quòd subditus teneatur confiteri peccata sua omnibus Sacerdotibus de conuentu suo, si Abbas hoc ei præcipiat. Hæc Humbertus quintus minister generalis Ordinis sancti Dominici.

Aduertendum verò ad id quod dictum est, non teneri subditum reuelare crimen fratris sui prælato, si sit correctus ex priuatâ admonitione: quidam etenim vt non denuntientur coram prælato, facile simulabunt se dolere de præterito, nec in posterum se relapsuros: qui elapso tempore visitationis, nihilò meliores erunt: Ideóque in his qui huiusmodi essent indolis ac ingenij, non esset supersedendum, nec forte etiam opus esset admonitione secretâ quæ sæpius adhibita nihil profuisset, nisi ad liberandum à pœnâ debitâ illum qui subire illam deberet. Maximè cùm agitur de aliquo peccato quod vergat in detrimentum & ruinam monasterij, vt in furtis & dissipatione bonorum ipsius, vel in luxuriâ & fornicatione, ob quam communitas integra diffamatur.

Aduertendum etiam id dici de crimine secreto, nam si publicum est coram tribus aut quatuor perpetratum, cum non sit inter te & ipsum solum, non habet locum correctionis fraternæ præceptum.

Quid verò existimandum si visitator plures leges seu constitutiones ediderit, quasdam cum verbo hortamur, quasdam cum verbo mandamus aut præcipimus, quasdam adiunctâ iis pœnâ seu pœnitentia, quasdam nulla adiuncta pœna & in fine subiunxit visitator se præcipere, vt omnia ista seruentur in virtute sanctæ obedientiæ: inde verò nascuntur scrupuli inter regulares quibus verbum istud *in virtute sanctæ obedientiæ*, sicut fulmen est aut excommunicatio; an omnia ista seruare teneantur sub pœnâ peccati mortalis? Respondet Caramuel in *regulam S. Benedicti num.* 798. præceptum hoc vltimum nouum esse præceptum quod imponitur communitati & maximè superiori, vt curet omnia obseruari puniendo transgressores secundùm peccati qualitatem, nec permittendo vt aliquid omittatur. Non enim imponitur singulis: quare obligabuntur tantum singuli secun-

dum

dum tenorem particularium constitutionum. Aliter dicendum esset, si dixisset, *Volumus vt singula præcepta obligent in virtute sanctæ obedientiæ.*

Dubitabis quanto tempore obligent leges visitationis ? ordinariè obligant vsque ad aliam visitationem , in qua debent examinari à visitatione , si adhuc vtiles sint , vt iterum easdem seruari iubeat , vel eas immutet , prout opportunum iudicabit. Est enim discrimen non leue inter regulam & constitutiones;quòd regula sit aliquid fixum in religione , quod immutari non debeat , constitutiones verò mutari aliquando possint. Docet enim , inquit B. Salesius in Præfatione *Regularum pro Religiosis sororibus Visitationis* , regula quid faciendum;at constitutiones docent quomodo regulæ sint executioni demandandæ. Vnde sæpe mutantur secundum loca & tempora,maximè illæ quæ non sunt primæuæ, sed illis superadditæ sunt, ad prouidendum malis moribus ex quibus bonæ leges enasci solent.

Quid si regularis professus dicat se dolere quod vouerit, an reus peccati mortalis habendus sit ? solatio hic indiget,; & responderi potest propter ea non esse in statu peccati mortalis , modò proponat se perseueraturum in obseruanria debita , non obstante illo dolore , qui sæpe tentatio est Satanæ. *Pœnitentia voti.*

Qui vouit religionem, sed non acceptatur ob impedimentum aliquod perpetuum in illo , remanet liber. Anxius est an ingredi debeat post votum , quia videt monasterium non esse reformatum. Dicitur autem monasterium non reformatum, vbi vnusquisque viuit pro sua voluntate. Si essentialia seruarentur ; sed non adeò strictè circa accidentalia vt regula exigit;& viuitur sub prælati obedientia , tenetur ingredi qui vouit. Ita Corradus 1. p. *quæsito* 283.

Quid si nouitia infirma desideret vota solemnia emittere, sed præ infirmitate constitutiones non poterit seruare , an poterit illi Confessarius permittere vt profiteatur ? Plurima de hac difficultate habita sunt consilia , quia prudenter Deo non promittitur quod non potest seruari. Attamen quia proponebatur istam infirmam posse tria vota seruare, & superiorem monasterij posse dispensare ex causa à seruandis constitutionibus religiosas illas quæ impedirentur , præualuit tandem eorum opinio, qui censuerunt admitti posse aliquam inter multas , sic infirmam.

Anxia est monialis Abbatissa , an possit inducere communitatem ad intendendam litem vicino qui altius domum

attollebat ac fenestras aperiebat, ex qua adſpiciebantur religioſæ non ſine detrimento quietis. Conſiderandum ad hoc quod ſcribit Couaruuias l.3. *variarum reſolutionum c.* 14. vt quoties qui prope monaſteria ædificans aliquid conſtruxerit quod ſibi minimè proſit: Eccleſiæ vero aut monaſterio noceat; prohibendus ſit id ædificium altius attollere, cum præſumatur facere ad alterius iniuriam, grauamen & æmulationem. Præſertim ſi honeſtati monialium ex proſpectu præiudicetur. Docet Antonius Padilla in D.L.*altius* num. 19.

Reformatio. Quid ſi monaſterium relaxatum ſit, an teneantur religioſi aut moniales ad priſtinum ſtatum regredi in quo florebat magis pietas & perfectio. Perſpiciendum eſt an relaxatio fuerit probata authoritate ſummi Pontificis, qui aliquando diſpenſat in aliquibus primæ regulæ capitibus: vel ex ſola conſuetudine vel corruptela introducta ſit relaxatio. Si ex primo capite relaxata ſit religio, poſſunt religioſi ſtare diſpenſationi ſummi Pontificis: ſi ex ſecundo capite, non poſſunt reluctari ſuperiori, cùm voluerit eos ad priſtinum ſtatum reducere, ſicut tenetur facere ſi facultas exequendi illi ſuppetat. Illius enim officium eſt prauas tollere conſuetudines & monaſterium ad veterem diſciplinam reducere, vt ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap.*1. de *reformatione.*

Quid ſi regularis velit exire è monaſterio prætextu pietatis ad ſubueniendum patri vel matri in grauiſſimâ neceſſitate degentibus. Quid hîc diſcutiendum Confeſſario? multum refert, inquit Nauarrus commentario tertio de *regularibus*, an huiuſmodi neceſſitas præceſſerit profeſſionem an ſubſequatur; quia præcedens obligat ad non intrandum, & ingreſſum ad non profitendum, imò & profeſſum ad exeundum, non autem ſi ſubſequatur. Ratio differentiæ eſt, quòd in priore caſu præceſſit debitum, & debitor ante & poſt ingreſſum tenetur ſoluere debita præcedentia, ſubſequentia verò profeſſionem minimè. Vbi autem teneretur exire, deberet fieri cum licentiâ ſuperioris & ſummi Pontificis, ac habitum retinere, cum etiam factus Epiſcopus non deberet illum deſerere, niſi talis generis eſſet neceſſitas, vt non poſſet ei, habitu retento, commodè ſubueniri. Cùm autem ſuperiores non concedunt iſtud niſi habitu dimiſſo, quia ſæpe ſunt graui ſcandalo Ordinis qui ſub huiuſmodi prætextu egrediuntur, & Papa nolit concedere, niſi habitu retento, inutiliter egreſſus iſte tentatur à religioſis.

Quidam regularis diſpenſationem voti obtinuit à ſummo Pontifi

Pontifice, cum hac clausulâ, si non ratificauerit. Prædictus autem aliquando renouauit sua vota. Quid ad hoc? si cum renouauit conscius erat nullitatis suæ professionis, ac renouando iterum voluit votum emittere, vt se omninò obligaret, nullâ est dispensatio. Secus si renouauit putans suam professionem validam fuisse. Non enim tali renouatione censetur votum confirmatum.

Quid si rgularis iustè coniectus est in carcerem authoritate superioris, poteſtne licitè aufugere, & si fugerit an obligari debeat ad redeundum? Respondetur non potuisse fugere, & teneri ad redeundum; tenetur enim subire iustas pœnas regulares, ad quas condemnatus est, æquo animo patiendo & non resistendo. Si tamen exequutio esset iniusta & crudelior, vt si custos carceris cibum illi necessarium substraheret, vel in hyeme solam tunicam permitteret absque igne, vel in loco humidissimo sine stragulo humi dormire cogeret, aliaque huiusmodi ferocia & inhumana, parum Christianè & religiosè pati adigeret, cuiuscumque motu, tunc religiosus ille posset aufugere tutâ conscientiâ, ne mors inde sequeretur. Ita Nauarrus commentario quarto *de regularibus*: nec dicendus esset Apostata, nec teneretur deferre habitum, si illo per iustam sententiam superioris priuatus fuisset. Imò homicidæ & irregulares reputandi essent exequutores tantæ ferociæ & crudelitatis, insuper etiam & mandantes. *Incarceratio religiosi.*

Restat dubitatio de casibus reseruatis regularium, præcipuè verò de monialibus iurisdictioni Episcoporum subditis, an casus aliqui sint pro ipsis reseruati, à quibus solus Episcopus possit absoluere, non verò Confessarij earum ordinarij, cum de his casibus & peccatis nullum statutum particulare existat; nisi quod in quolibet Episcopatu designantur aliqua peccata reseruata, id est, quorum absolutio non est concessa Confessariis qui non sunt Pœnitentiarij, aut magni Vicarij, aut speciali priuilegio ad hoc donati. Quæ quidem peccata non videntur locum habere respectu monialium, tum quia pleráque ex his, minimè conuenire ipsis possunt, tum quia licentiam extra septa monasterij exeundi non habent vt Episcopum, vel Pœnitentiarios conueniant ab ipsis absolutionem consequuturæ. *Casus reseruati.*

Videri posset cuipiam istud absurdum esse de casibus reseruatis monialium, quod ipsæ feruentiori pietate Deo addictæ in grauiora illa peccata non labantur, quæ reseruari solent maioribus Confessariis, sicut grauiorum morborum cura peritioribus medicis. Attamen non rarum est, vt & ipsæ grauio

grauiore lapsu quandoque ruant è sublimi statu perfectionis; seu propter infirmitatem quæ verè magna est, seu in pœnam occultæ cuiusdam superbiæ, quâ ipsæmet quæ in paradiso pedem vnum iam posuisse videbantur, dum sibi nimis confidunt, discant metuere, atque ex casu enormioris peccati humilius viuant. Itaut illis quandoque dici possit, sicut Angelis præuaricatoribus Isaiæ 14. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer qui manè oriebaris.* Dubium ergo est an peccata quædam pro illis monialibus debeant censeri reseruata, cùm nihil Episcopus statuit pro ipsis. Quidam arbitrantur peccata omnia reseruata in Episcopatu ad ipsas pertinere æquè ac ad cæteros si in quoddam illorum incidant. Quæ opinio non mihi videtur probanda tum propter rationes allatas, tum propter decretum Clementis octaui 26. Maij 1595. quo vetat ne regularium superiores præter vndecim casus quos enumerat, alios sibi reseruent, nisi in Capitulo generali, aut Prouinciali, aut omnes, aut eorum aliquos. Sunt autem hi casus.

I. Veneficia, incantationes, sortilegia.

II. Apostasia à religione siue habitu dimisso siue retento, quando eò peruenerit, vt extra septa monasterij seu conuentus fiat egressio.

III. Nocturna & furtiua è monasterio seu conuentu egressio, etiam non animo apostatandi facta.

IV. Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.

V. Iuramentum falsum factum in iudicio regulari seu legitimo.

VI. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortiuum faciendum post animatum fœtum etiam effectu non sequuto.

VII. Falsificatio manus, aut sigilli officialium monasterij aut conuentus.

VIII. Furtum de rebus monasterij seu conuentus in ea quantitate quæ sit peccatum mortale.

IX. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.

X. Occisio aut vulneratio, seu grauis percussio cuiuscumque personæ.

XI. Malitiosum impedimentum aut retardatio aut apertio literarum à superioribus ad inferiores & ab inferioribus ad superiores.

Addit Pontifex istis casibus duo decreta quæ inseruire possunt in praxi Confessariis regularium. 1. Non liceat superioribus

rioribus regularium Confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet sponte, aut proprio motu id ab ipsis petierint. 2. Tam Confessarij pro tempore existentes quam Confessarij, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligenter ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationẽ vtantur. 3. Licebit tamen superioribus determinare pœnitentias graues quibusdã peccatis, etiam non reseruatis, à Confessariis imponendas, quæ subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint.

Hæc quia instruunt Confessarios regularium, inserta hîc esse voluimus. Ex quibus colligitur, stante hoc decreto Clementis VIII. non posse alios casus reseruatos esse pro regularibus quam omnes supradictos aut aliquos ex ipsis, prout visum fuerit prouinciali, vel generali regularium. Quod si verò omnes casus Episcopales spectarent ad moniales, peioris essent conditionis quam ipsi regulares, cum casus Episcopales vix pauciores sint quam viginti, & aliquando accedunt ad triginta, vt videre est in summâ omnium excommunicationum Doctoris Seuertij. Quid quod in fauorabilibus moniales comprehenduntur sub nomine regularium. Quare si circa illas Episcopi nihil statuant, videtur, saluo meliori iudicio, nullos casus respectu ipsarum reseruatos esse. Ideoque expediret vt Episcopi circà ipsas aliquid singulare definirent, ad amouendos scrupulos, & dubia in istis resecanda.

Exurgit aliud dubium de Pœnitentiariis electis in Monasteriis ex vi eiusdem constitutionis Clementis VIII. pro absolutione fratrum. An possint absoluere à reseruatis. Respondet illuminatus Moronus in *respons. 77. ad centum quæsita*, illos à iure nullam habere potestatem pro absolutione à reseruatis, pro quibus vult Clemens VIII. vt recurratur ad superiores, qui possent facultatem absoluendi delegare. Nec quicquam releuat nomen Pœnitentiarij, quia, inquit, neque Pœnitentiarius potest absoluere à reseruatis, nisi illi ab Episcopo concedatur. Hæc ille, de cuius tamen vltimo dicto non leuis est controuersia.

Quæres an obligari possint regulares vel moniales ad certum numerum Confessionum per singulos menses vel hebdomadas, itavt teneantur toties confiteri, etiam si sola venialia habeant non mortalia. Respondeo posse & teneri ad confitendum venialia saltem aliqua, etsi non sint necessitate præcepti diuini in Confessione aperienda. Ratio est quia regula-

res

res possunt vouere se illa facturos quæ non sunt à Deo præcepta, si licita sint. Possunt etiam se obligare ad statum, in quo plures sunt huiusmodi rerum constitutiones: ergo etiam ad confitendum toties, etiam si sola habeant venialia, quia bonum est illa confiteri.

Ceterum quia transitus vnius religionis ad aliam speciales habet difficultates, aliquot assertionibus eas dissoluimus.

Transitus ab vna religione ad aliam.

1. Assertio. Transitus ab vna religione ad aliam perfectiorem non est intrinsecè & ex naturâ suâ malus, licet fiat inuitâ religione à qua transitur. Ratio est quia laudandum est semper tendere ad maiorem perfectionem: & licet professus tradat se religioni, illa tamen traditio non fit principaliter propter bonum religionis, sed religiosi.

Dices per professionem religio acquirit ius & dominium in professum: ergo inuita non potest priuari illo professo.

Respondetur in illa traditione religiosi qua se donat religioni, includi quamdam conditionem, nisi aliud consulat maior perfectio. Vnde sicut materia voti mutari potest in meliorem & Matrimonium ratum per quod acquiritur ius sponso in sponsam dissoluitur ob meliorem statum religionis, quia obligatio voti & Matrimonij rati, includit tacitè illam conditionem: idem dicendum erit de professione religiosi respectu religionis cui se donat & tradit. Suarez *tomo 4. de religione, lib. 3. cap. 8. n. 2.*

2. Assertio. Multi inueniuntur qui hunc transitum exemplo suo confirmarunt. Patet ex Abbate Pynuphio, apud Cassianum *lib. 4. de instit. renuntiantium, cap. 30.* Qui videns se nimium honorari vitandi honoris causâ secessit in vltimas partes Thebaïdis. Idem legitur de S. Machario *in prato spirituali, c. 6.* Quin & D. Benedictus prius mutauit monasterium licet ad illud postea redierit apud D. Gregorium *l. 2. Dialogor. c. 3.* & idem D. Benedictus in sua regula, cap. 61. Peregrinos monachos vult esse admittendos, si stabilitatem suam firmare ac perseuerare voluerint, quod licet de monasteriis eiusdem ordinis intelligat: attamen non parum stabilitur transitus cum vnaquæque domus in ordine D. Benedicti ab aliis distinctum habeat dominium.

Non expedit mutare religionē

3. Assertio. Ordinariè non expedit talis transitus, nec consulendus erit nisi ob aliquam grauem causam. Patet ex D. Thoma 2. 2. *q. 189. art. 8.* transire de religione ad religionem nisi propter magnam necessitatem non est laudabile, tum quia ex hoc plerumque scandalisantur illi qui relinquuntur,

tur, tum etiam quia facilius proficit aliquis in religione quam consueuit, quam in illa quam non consueuit, cæteris paribus. Confirmatur ex sententia Abbatis Nesterotis, apud Cassianum *collat.* 14. *cap.* 5. & ex illo Apostoli, 1. Cor. 7. *Vnusquisque in qua vocatione vocatus est in ea permaneat*, notat quoque Vrbanus ab Ascensione *Theolog. Moral. tract.* 2. Summos Pontifices temporibus labentibus expertos hos transitus vergere sæpius in ruinam ordinum nec multum proficere saluti transeuntium iure speciali ac nouis priuilegiis adhibuisse restrictiones in hoc transitu.

4. Assertio per arctiorem religionem ad quam licet transire controuersum est quid intelligendum sit, an illa religio quæ est asperior & durior, an illa quæ est perfectior & fructuosior. *Arctior religio quid.*

Vnde notant quidam excessum vnius religionis supra aliam in arctitudine & perfectione esse controuersum; quia pendet ex multarum circumstantiarum comparatione.

Probatur autem quia sunt duæ opiniones quæ suos authores & suas habent rationes. Prima intelligit per arctiorem religionem illam quæ plures habet austeritates; hancque magis probat Thomas Sanchez, *in summa, lic.* 6. *cap.* 7. §. 21. Tum quia iura videntur id significare, *causa* 20. *q.* 4. *cap.* 1. Dicitur ex Concilio Tribuliensi. *Virgines sacræ si pro lucro animæ suæ propter districtiorem vitam ad aliud monasterium transire disposuerint, Synodus concedit.* Tum quia transitus iste maximè licitus est ob maiorem securitatem, est autem securitas maior in asperitatibus pluribus.

Secunda opinio intelligit religionem perfectiorem & fructuosiorem, quia etiam iura id videntur denotare *cap. licet* de regularibus, vbi cum hic transitus conceditur, fit mentio sanctioris *vitæ & melioris frugis. Libere*, inquit, *potest sanctioris vitæ propositum adimplere*, &c. *ad frugem melioris vitæ valeat transmigrare.* Tum quia descensus reputatur & non progressus, si à perfectiori vita transitus fiat ad imperfectiorem, omnibus expensis. Fauet Emanuel Sa v. *religio, num.* 37. ad strictiorem religionem, id est, sanctiorem, vel fructuosiorem, vel asperiorem potest quis transire, licentia petita & si non obtenta, non obstante priuilegio sui ordinis de non transeundo, nisi priuilegium dicat, vt neque obtutu perfectioris vitæ id liceat. Vbi promiscuè vsurpat asperiorem & sanctiorem religionem.

5. Assertio. Probabilior est illa opinio qua asseritur arctior religio quæ perfectior est & maioris sanctitatis, ac meriti

&

situm ad talem religionem, non esse ex instinctu S. Sancti. Hocque pondetatur in cap. *sanè* de regularibus.

8. Assertio. Non licet tamen ille transitus ex minus perfecta religione ad perfectiorem sine licentiâ Prælati saltem petita, licet non obtenta & iniustè negata. Ita Suarez *tom.* 4. *l.* 3. *cap.* 9. *num.* 4. Quia Prælatus pro eo tempore habet ius custodiendi & regendi religiosum. Et res ista adeo grauis & lubrica fieri non debet sine prudenti consilio quod regulariter subditus à Prælato debet accipere quem Dei loco habet. Sed & probandi sunt spiritus si ex Deo sunt. Licet vero Panorminatus in cap. *licet.* licentiam, ante factum peti debere doceat, idem tamen in cap. *illorum* de sententia excom. ait quod vbicumque fuerit monachus dummodo sit sub obedientiâ Abbatis semper fingitur esse in claustro.

9. Assertio: si fiat sine licentia illa petita aut iniustè negata, religiosus non censetur Apostata, quia ait Lessius lib. 2. *de statu relig.* dubit. 13. Non deserit absolutè statum religionis sed commutat. Imo ait idem, non incurrit excommunicationem, cum non faciat causa euagandi, quæ fuit ratio tam seuerè id prohibendi. Sic Angelus v. *religiosus.* §. 36. post Ioannem Andream. Non est recedendum, ait Thomas Sanchez *in Summa* lib. 6. cap. 6. *n.* 8. à frequentissima sententia asserente hunc propriè non esse Apostatam, cum non simpliciter à religiosæ vitæ instituto decedat, & in qualibet religione tria vota instituti religiosi substantialia emittantur: citatque magnam authorum turbam.

Assertio 10. In aliquo casu liceret ille transitus sine licentia petita à superiore, modo habeatur ab alio qui sit supra illum superiorem immediatum. Ita Thomas Sanchez *in summa*, lib. 6. cap. 7. numero 16. In dubio, inquit, boni animi, aut an religio ad quam fit transitus sit strictior, non integrum erit religioso transire denegatâ licentiâ, sed ad licitum transitum oportet vt ab eo vel ab alio superiore ad quem prouocatur obtenta licentia sit. Adde etiam dissentire authores de illo superiore, à quo est petenda licentia, quis sit, an prouincialis, an generalis. Nauarrus de *regularibus* lib. 3. *consil.* 54. etiam à Papa peti posse licentiam asserit.

Asserio 11. Quando transitus est ad æqualem religionem nempe ita strictam, conueniunt Doctores communiter solius Ro. Pontificis esse licentiam dare transeundi. Ita idem Sanchez lib. 6. *in summa* c. 7. num 41. Quando nulla causa legitima transitus subsistit. Affertque in eam rem decem authores. Quamuis inter se dissentiant an tunc licitus sit tran- *Licentia trãseundi.*

situs pro vtroque foro an solum pro externo. Ex quo deduci potest illum religiosum qui sine vlla legitimâ causa ad æqualem religionem transire volebat, non obligatum fuisse ad petendam illam licentiam ab alio quam à summo Pontifice, quippe cum ad illum solum pertineret illam concedere: & necessaria tantum videatur ex præscripto iure petitio illa à superiore cum transitus esset ad strictiorem: tunc enim tantum habet ius illa concedendi. Non autem cum religio est æquè stricta. In quo casu ad quid peteretur ab eo quod concedere non potest? frustra niti sapientis non est. Quod magis haberet locum, si religiosus sciret licentiam illam malitiosè denegandam à superiore & ob hanc rem malè se habiturum & durè puniturum.

Assertio 12. Poterit religiosus ad laxiorem regulam transire ex licentia Prælati data ob iustam causam. Et quando vetat Concilium Trident. *sess.* 24, 25. *cap.* 19. *de regularibus*, illum transitum ad laxiorem intelligendum est, si id fieret sine iustâ causâ. Iustæ autem causæ illius transitus sunt hæ 4. Prima si disciplina est collapsa in strictiorem. Secunda si odia & simultates ibi vigeant. Tertia si religiosus sit ibi exosus. Quarta si ob corporis infirmitatem non possit ferre rigidiorem. Ita Kraesbeek *in regulam D. Benedicti, cap.* 29.

Assertio 13. Quando transitus iste factus est contra regulas & instituta prioris religionis quæ transitum istum prohibent, non potest ex hoc reuocari religiosus professus in alia religione ad priorem, nisi illæ regulæ & instituta validè irritent professionem, & non tantum inhibeant, possunt enim valida esse vota contra solam prohibitionem.

Assertio 14. Transiens à religione lege permittente recuperat omnia bona sua indistinctè, c. *quod ad te.* de Clericis coniugatis. Ita Angelus v. *religiosus* §. 37. Hoc tamen caput non loquitur de religiosis, sed glossa extendit ad Monachum. Aitque id tantum esse de benignitate non de iure stricto.

Quæritur de religioso non dimisso & extra monasterium morante, nec quæ spectant ad regulam obseruante quid cum in extremis fuerit cum eo agat Confessarius vel Curatus in cuius parochia decumbit æger, maxime cum non appareat spes quod religiosus in posterum vitam acturus sit.

Religiosus moriens extra clastru

Certum esse debet si monasterium illius erat in bono statu regulari, talem religiosum non posse aliter absolui, nisi sincerè proponat redire ad monasterium, ac sub obedientiâ prælati regulariter viuere ibidem.

At

At si monasterium erat difformatum, dubium est num obseruari possit sententia Breti Lauallensis *in 2. sent. l. 2. dist. ult.* sub finem: non enim ratiocinatione probabili caret. Sed quid inquit de religiosis difformatis. Dico quod non sunt religiosi sed mere sæculares quoad Deum. Habent tamen habitum & bona temporalia sui ordinis & in hoc tolerantur ab Ecclesiâ & faciunt quædam statuta quæ promittunt in suis cœnobiis obseruare, sicut antiquitus ibidem facere viderunt, sed talis modus faciendi non est regula sancti Benedicti, nec sancti Francisci, &c. Ergò non sunt de eorum regulis & per consequens non de eorum ordinibus, alias damnarentur, quia vouerent quod non facere proponerent. Hæc ille quæ si vera sunt dubitur ius confessariis in multis casibus valde difficilibus & perplexis admittendi ad Sacramenta tales religiosos, habendo eos quasi seculares, habita ratione decreti Concilij Lateranensis circa necessitatem approbationis à summo Pontifice ad instituendam veram religionem & illius quod vulgo dicitur, *vestimenta ptum non faciunt monachum*. In hac tamen Breti resolutione propter grauitatem & difficillimas consequentias, Doctorum & peritorum desiderarem deliberationem maturiorem.

Quæritur decimo quintò, de examine cuiusdam Clerici beneficiarij.

1. Accepit tonsuram ab alieno Episcopo sine litteris dimissoriis proprij Episcopi; quæritur quod consilium debet illi dare Confessarius. Supponimus hic quod pluribus docet probatque doctissimus Sausaius Officialis ac magnus Vicarius Parisiensis in *Panoplia Clericali lib. 4. cap. 2.* constanti more in Ecclesiâ obseruari vt regulariter, & absque priuilegio speciali nemo possit ab alio quàm proprio Diœcesano Clericalem suscipere tonsuram, nisi de eiusdem proprij Episcopi licentia data in litteris: adeovt qui hanc permissionem iactat absque litterarum huiusmodi suffragio, fidem nullam mereatur. nec censeatur clericus, sed incapax fit beneficiorum Ecclesiasticorum & priuilegiorum exsors; quod, vt ait D. Hilarius *comment. in Matth. cap. 26.* in fine, *Episcopi sint Ecclesiæ principes, &c. quorum arbitrio in aulâ regis æterni gradus & officia singulorum diuiduntur.* Dico igitur hoc prætupposito Confessarium debere illi iniungere, vt supplex adeat proprium Episcopum ab illo impetraturus litteras quibus collationem tonsuræ ab alieno Episcopo factam, ratam habeat. Quod idem seruandum erit si alios ordines ab alieno Episcopo sine dimissoriis suscepit. Sic probabile esse asserit Thomas

Sanchez *consiliorum moralium lib. 7. cap. 1. dubio 27. num. 8.* quod tamen intelligendum est de susceptione tonsuræ & minorum ordinum, quia qui sine dimissoriis maiores ordines suscepisset, esset suspensus per extrauagantem Pij secundi, & deberet per Summum Pontificem absolui antequam beneficia susciperet, vel ordinationis munere fungeretur. Non ita si solum tonsuram vel minores, quia non esset suspensus. Ibidem Thomas Sanchez.

Clericus non recitans horas.

2. Beneficiis simplicibus, vt vocant, curâ & solicitudine parentum donatus est ille clericus, sed inuitus ac reluctans, quia non habebat animum adscendendi ad alios ordines, idcirco cum studeret in Collegio metu parentum quibus displicere non audebat, breuiarium non recitauit per plures annos: an Confessarius debet illum obligare ad restituendos fructus beneficiorum, quos perceperunt parentes illius, & quibus ipse in studiis enutritus est.

Dico talem non esse adstringendum ad fructuum restitutionem, sed magis illius parentes & proximi ad hanc restitutionem tenentur. Sic Lessius *de iustitiâ & iure, lib. 2. cap. 34. dubitatione* 31. Modò tamen fructus ipse non perceperit, & animum habeat resignandi, quamprimùm poterit commodè liber à parentum metu.

3. Clericus ille grandior iam factus audiit pecuniam datam fuisse à patre suo pro beneficiis quæ obtinet, quare dubitat an illa debeat resignare eâ de causâ quod simoniacè ea habeat. Respondeo cum non consenserit contractui patris simoniaco quem ignorabat, non teneri propterea ad resignandum illa beneficia: & licet gratum habeat quod egit pater se inscio, hoc tamen non potest inficere collationem beneficij sibi antea factam sine culpâ ex parte suâ. Si tamen nondum esset soluta pecunia, sed tantum promissa, Clericus ille non posset eam soluere patrono aut resignanti, quia esset exequutio simoniæ propter quam obligaretur ad cedendum beneficiis. Sed si soluta esset iam à cognato, aut à quodam amico qui sperabat illam sibi restituendam esse à Clerico cui beneficia acquisiuit. Tenet Nauarrus *conciliorum lib. 5. de simonia* concilio 10. reddi illam posse à Clerico benè, nobiliter & meritoriè & etiam malè & vitiosè. Benè scilicet si ob eum finem reddat ne cognatus afficiatur damno ob amorem illius, malè verò, si vt approbet simoniam ab ipso commissam: quorum actuum diuersitas ex eo profluit, quod sint diuersi fines principales. De istis autem sic statuit Synodus Claromontensis anno millesimo nonagesimo quinto, sub Vrbano

Simonia patris.

secundo

secundo in Gallia celebrata. *Nullus sibi prabendam emat, quod si emerit vel parentes eius, in manum, & dispositionem Episcopi sui reddat.*

4. Clericus ille habet beneficia simplicia, nec habet animum status Ecclesiastici. Quæritur an possit absolui habens animum beneficia illa retinendi, & non suscipiendi ordines. Respondetur posse absolui, si proponat ea omnia exequi ad quæ adstringitur titulo beneficiorum. Non enim est lex aliqua per quam obligetur ad ea dimittenda, & si nolit ad ordines maiores promoueri, supposito quod beneficia illa non requirant ordines maiores in possidente: quin etiam poterit sic frui fructibus talium beneficiorum cum animo Matrimonium ducendi, modo animum habeat subeundi omnia illa onera quæ sunt beneficiis annexa tempore quo possederit. Aliud dicendum est de beneficiis curatis quæ aliquis non potest accipere, nec retinere non habens animum intra annum gradum Presbyteratus recipiendi: idem quoque dicendum de quibusdam capellaniis Sacerdotalibus, vt vocant, quæ requirunt, vt per seipsum missas celebret, qui eas obtinet. Sic Thom. Sanch. *de Matrimonio, lib. 7. disp. 45. n. 13.* & sequentibus. *Beneficia.*

5. Clericus ille beneficiis Ecclesiasticis ditatus non defert tonsuram Clericalem, sed cincinnatus incedit, & in modo se vestiendi à Laïcis hominibus non discernitur. Quæritur an sic absolui possit si non proponat mutare habitum in modestiorem, & statui Ecclesiastico magis congruum, atque etiam cincinnos abradere, & coronam in summo capitis gestare. Respondetur, qui legerit secundam partem *Panopliæ Clericalis* eruditissimi Saussaij, qui septem libris de habitu Clericali doctè ac eleganter disputauit, nunquam consensurum vt talis absoluatur, cùm in libro primo istius secundæ partis, videamus per omnia sæcula sanctorum Patrum monitiones, nec non Conciliorum sanctiones, quibus Clerici omnes obligantur ad modestiam habitus supra cæteros Laïcos.

Mirum est si quis istâ catenâ se non sentiat constringi. Quin & audio ab aliquot annis curiones Parisienses, in suis congregationibus statuisse, vt tales priuarentur absolutione, nisi se corrigerent à modo se vestiendi sæcularium. Dicebat pius quidam Doctor, ista capillatura est præludium veneris. Dicebat alius, breuior vestis est licentia stupri. Obligatio illa specialius confirmatur ex *clementina* quoniã *de vita & honestate Clericorum* ex Concilio Tridentino, sessione 14. cap. 6. de reformatione, bullisque summorum Pontificum Pij IV. & Pij V. si tamen Clericus in solis esset minoribus consti- *Habitus Clericis.*

turus, nec haberet beneficia, non peccaret dimittendo habitum & tonsuram; & ad ea ferenda cogi non posset nisi quatenus vellet vti priuilegio clericali, docet Bonacina *de Sacram. disp.*8.*quæst. vnica, puncto vltimo.*

Sexto præfatus Clericus deflorauit virginem cum promissione illam in vxorem ducendi antequam subdiaconatum suscepisset. An teneatur cedere beneficiis vt illam ducat Respondeo teneri, nisi satisfaciat fœminæ vt eum liberum dimittat. Obligatur enim ex iustitiâ ad eam ducendam, non ad retinenda beneficia, quare maior obligatio debet præualere. Si tamen fictè Matrimonium promisisset & excederet notabiliter conditionem fœminæ quæ id non ignoraret, non teneretur, sicut nec quiuis alius in hoc casu, quia tunc præsumitur fœminam vilem decipi voluisse.

Quid si vt ab obligatione contrahendi Matrimonium promissum liber sit, voueat se ingressurum religionem, aut ordines sacros suscepturum. An liber erit à dicto Matrimonio ineundo? non erit liber, quia vinculum prius iustitiæ quo tenetur illam ducere, fortius est vinculo illo religionis quo per votum adstringitur, nec cum iniuriâ alterius cui prius obligabatur, poterit statum perfectiorem assumere. Sicut debitis oneratus si possit creditoribus satisfacere, manendo in vitâ sæculari, non potest ingredi religionem. Adde quod poterit per Episcopum dispensari de voto suscipiendi ordines, quod non est propriè votum castitatis, quamuis non indigeat dispensatione, cum votum ipsius nullum sit. Personam enim propriam iam alteri obstrictam, non potest alteri obligare cum damno & iniuriâ alterius. Vnde quod dicunt aliqui promittentem Matrimonium posse religionem ingredi, intelligendum est, si non sequatur damnum & infamia fœminæ. Thomas Sanchez l.1. de *Matrim. disp.* 44.

Septimò ille Clericus cum importunè vrgeretur à propinquis vt sacris Ordinibus initiaretur, suscepit ordinem Subdiaconatus, sed cum animo Matrimonio se coniungendi cum aliquâ fœminâ, ideoque in ipsâ ordinatione habuit intentionem actualem non suscipiendi Subdiaconatum, ne priuaretur concupitis nuptiis. Hinc dubitat an possit postea Diconatum suscipere. Respondetur hunc non tunc verè ordinatum esse in Subdiaconum & eius ordinem irritum esse, propter defectum essentialem intentionis eum suscipiendi: quare quemadmodum si quis adultus renitens & inuitus baptizaretur, non esset verè baptizatus & iteratò baptizari deberet: sic iste antequam ad superiores ordines Diaconatus & Presbyteratus

adscen

adscendat, debet iterum ordinationem Subdiaconatus suscipere, aliter enim per saltum fieret Diaconus vel Presbyter. Lessius in *resolutionibus* verbo *Ordines sacri* casu 2.

Octauo Clericus ille cum Subdiaconatum iterum suscepisset velletque Diaconatum suscipere ignorantiæ suæ conscius metu examinatorum quos seueriores iudices esse audierat, supposuit alium examini qui nomine suo & litteris vsus admissus est, ipse vero in propriâ personâ se obtulit ordinandum Episcopo, qui antequam ordinationem inciperet, clarâ voce coram omnibus significauit se non intendere eos ordinare qui cum supposito titulo aut sine examine legitimo sese ordinandos offerrent. Inde tormentis conscientiæ laceratur, ne forte non sit verè ordinatus in Diaconum. Quid illi dicet Confessarius? Et si maximo crimine se infecerit, credo tamen illum verè & validè esse ordinatum, nam non obstante illâ declaratione generali Episcopi ordinantis, cùm ad illum peruenit, intentionem habuit actualem illum ordinandi, quamuis si nouisset, ordinare non intendisset. Quod non impedit quo minus ordinatus fuerit. Quot enim sunt ordinati validè quorum deprauatos ab ineunte ætate mores, si nosset Episcopus, nunquam ordinaret. Itaque absolui poterit nec propterea suspensus est ab executione ordinis, quamuis etiam cum falso titulo ordinatus sit, saltem in Galliâ, in qua talis suspensio non habet locum, nec publicata Bulla Vrbani VIII. quæ incipit *secretus æternæ prouidentiæ*, 11. Decembris 1624. & qua suspenduntur in perpetuum promoti cum falso titulo, aut cum fiduciario, cum quis pollicitus est se restiturum bona contenta in titulo, etiam beneficio non adepto, quia sic non esset fiduciarius si pollicitus esset se restiturum adepto beneficio. Mira autem est diuersitas authorum in hac controuersiâ & Emanuel Sa verbo *suspensio* tenet ordinatum non esse suspensum etiamsi patrimonio careat, citat decretum congregationis quod quale sit, & quando & sub quo latum non allegat.

Examen suppositum.

Titulus.

Quid si debitis oneratus est supra valorem tituli qui ordinatur? Nec sic censendus est carere titulo, modò debita non sint hypothecata super titulum, non enim cogi poterit ad vendendum titulum quem non potest alienare, ex Concilio Trident. sess. 21. c. 2. & cuius habet dominium. Bonacina de *Sacram. dist. 8. q. vnicâ, puncto 5.*

9. Præfatus Clericus ordinem Presbyteratus suscepit ante legitimam ætatem, nec seruauerat interstitium vnius anni ab vltimo ordine, de quo non fuerat dispensatus à proprio

Episcopo. Quod erit tunc munus confessarij? Respondetur debere Confessarium inquirere an etiam celebrauerit ante vigesimum quintum ætatis annum inchoatum. Si sic, non tantum suspensus est, sed etiam irregularitatem contraxit de quâ dispensari non potest cum eo per Episcopum, sed per solum summum Pontificem, quia nota est talis irregularitas. Quod autem non seruauit interstitia, ex hoc capite nullam suspensionem incurrit quia nulla à iure adhuc statuta est.

Ætas.

10. Præfatus Clericus Presbyter factus cum sese altari consecrare deberet ac piis exercitiis vacare, totum se beneficiis accumulandis impendit. Quidam autem canonicus resignauit illi canonicatum suum simulque domum vendidit, sed multo maiori pretio quàm si solam vendisset absque resignatione canonicatus, propter quam parum curabat si supra iustum pretium domum illam emeret. Addebat se à quodam audiuisse, licere dare pecuniam pro beneficio, modò datetur non vt pretium beneficij, sed vt motiuum quo incitaretur resignans ad cedendum beneficio. Se autem plus iusto pretio domum voluisse emere, vt ex hoc magis moueretur resignans ad præbendam illi resignandam. Quid ergo aget tunc Confessarius? Respondetur, talem resignationem hoc modo factam esse simoniacam, & licet insignis Theologus Gregorius de Valentia *de iustitia & iure disp.6. q.16. puncto* 3. asserat dari posse pecuniam pro beneficio, modò detur vt motiuum non vt pretium: non tamen in hoc probari potest, quin via latissima aperiatur ad emenda quælibet beneficia, solius voluntatis leuissimâ inflexione. Deinde non semper distingui potest motiuum à pretio, cùm pretium maius sit ipsum motiuum quo venditor determinatur ad vendēdum. Talis igitur monendus est à Confessario vt resignet canonicarum istum inter manus summi Pontificis, vt dictum est de simoniacis in *examine Confessariorum*. Vtrum verò possit absolui ab alio quam à summo Pontifice, dubium esse potest, si euidenter constet & fama est domum supra iustum prætium ab illo emptam esse, præsumitur enim publicè simonia in foro exteriori. Oporteret autem ad hoc excessum iusti pretij notabilem fuisse.

Resignationes suspecta.

11. Clericus ille resignauit quoddam beneficium, sed quia sumptus fecerat in acquirendo illo beneficio ac in reparandis quibusdam ædificiis quæ pertinebant ad illud, pactionem iniit cum resignatario, vt illos omnes sumptus sibi restitueret, An Confessarius debet habere huiusmodi pactionem simoniaçam? Respondetur, videndum esse si ex fructibus

ipsius

ipsius beneficij recuperauerit hos sumptus qui illud resignauit; si enim sic, non licuit illi hos sumptus à resignatario accipere. Nam sic beneficiis obligatio quædã perpetua annecteretur, ad refundendos illos & alios sumptus, per nouos resignatarios. Idque magis probatur quod cum beneficium ipsum obligatum sit ad hos sumptus; vbi semel ex primis suis fructibus eos veluti reddidit beneficiario, non potest illos amplius exigere, ne bis idem debitum exigeret. Si verò non recuperauit, cum non sit æquum aliquem sumptus & expensas multas fecisse in solam vtilitatem alterius, id vtcumque tolerandum censebat Doctor Andræas Duuallius eâ de re à me consultus, vir dono Consilij præditus, ad facile dissoluendos quoscumque casus conscientiæ magis perplexos. Atque quoad expensas causâ concordiæ aliquid dare, probat Valerus *de different. vtriusque fori verbo* pensio *different.* 4. Non esse simoniacum ex Hieronymo Paulo, Gomesio, Nauarro contra Felinum. Quod tanquam quotidianum, ait non est obliuioni tradendum. Hoc tamen extendi non potest ad eum qui ex quadam leuitate aut ex malâ fide litem intendisset, cum potius teneatur resarcire damna suæ parti, non ab illâ quicquam accipere.

12. Clericus ille possidet plura beneficia quorum vnum sufficeret ad moderatam & honestam eius sustentationem, nec confitetur eâ de re, an Confessarius debeat illi mouere scrupulum. Quia multi docent vt inter cæteros Dionysius Carthusianus Opusc. eâ de re edito, peccatum esse mortale plura possidere beneficia, cum vnum sufficiat. Fatendum est difficillimam esse Confessariorum sortem, qui de tot difficultatibus iudicium æquum ferre debeant. Notet primo Confessarius decretum Concilij generalis duodecimi, quod est Lateranense quartum, vbi c. 29. habetur posse dispensari per summum Pontificem de pluralitate beneficiorum circa sublimes & litteratas personas quæ maioribus sunt honorandæ beneficiis. Notet insuper quædam dicta Gersonis in *regulis moralibus* tomo 2. si teneat, inquit, quis plura beneficia ex dono superioris in casibus non excusantibus hanc pluralitatem, peccare potest vterque, conferens per indiscretionem, recipiens per ambitionem: nihilominus occupans restituere percepta non tenetur: sed nisi pœniteat & pro futuro præuideat, non erit ei salus. *Idem Gerso.* quantumcumque multa beneficia aliquis teneat auctoritate superioris, illa possunt dici vnum beneficium (sicut plures tunicæ in magnis frigoribus vna tunicâ) & hoc vnitate morali, si illa omnia non sint nisi ad suffi-

Pluralitas Beneficiorum.

cientem decentiam ſtatus occupantis, ſecluſo ſcandalo & impoſſibilitate officiandi per ſe vel alium non exiſten. *Ibidem* beneficium datur propter officium non quidem in dicendis horis ſolum (alioquin duplex beneficium ad duplices horas non obligaret)ſed officium eſt quicquid Eccleſiæ & proximo prodeſt., ſecundum quod magis beneficiatus eſt magis obligatus. Hæc Gerſo.

Poteſt inſuper conſiderare aphoriſmos Emanuelis Sa verbo *beneficium*. Qui habet, inquit, beneficium ad ſuſtentationem, non poteſt tutâ conſcientiâ aliud accipere,quod ſi à Papa in eo diſpenſetur, quis audeat tantæ auctoritatis factum condemnare? aut verò cauſæ ob quam eſt diſpenſatum,æquitatem diſcutere?poteſt quidem Confeſſarius acquieſcere diſpenſationi Papæ etiam in duobus beneficiis curatis:ipſe qui poſſidet, an debeat, viderit, *&c.* quamquam me auctore, nemo non modò curata duo,ſed nec ſimplicia habebit, ſi vnum ſufficiat. Quin etiam optarem, vt iuxta Panormitanum Papa iis qui duo habent beneficia, quorum alterum ſufficit, alterum adimeret,hæc ille.

Denique aduertat Confeſſarius an beneficia ſint compatibilia vel incompatibilia, & ex his omnibus attentè perſpectis iudicet de caſu propoſito. Memineritque non deeſſe qui negent diſpenſationem ſummi Pontificis, ſi ſit ſine cauſâ ſufficienti, liberare omninò in foro interiori & coram Deo, ſed magis in foro exteriori, cum non ſit abſolutus Dominus bonorum Eccleſiaſticorum, ſed magis diſpenſator. Quod idem plures putant de penſionibus, quæ ex legitimâ cauſâ conceſſæ eſſe debent. Quare, inquit Valerus de *differ. vtriuſque fori differ.* 3. caueant & proſpiciant ſibi qui nulla aliâ ex cauſâ reſignant ſua beneficia cum reſignatione penſionis, niſi ob cupiditatem & auaritiam facientes in hoc negotiationem: maximè quando id faciunt poſt breue tempus poſt obtentum beneficium. Fauet Card. Toletus *inſt. Sacerd. l* 5 *c.* 83.

Idem de reſignatione beneficij cum retentione omnium fructuum. Beneficia ventoſa vocant Iuriſconſulti. Quidam excipiunt Cardinales ob ſtatum tuendum.

14. Clericus ille tenuit quamdam capellaniam quâ obligabatur ad celebrandam miſſam quotidie. Omiſit tamen celebrationem Miſſæ aliquot diebus, nec in determinato loco per fundationem, ſed alibi aliquoties celebrauit. An tenetur ad aliquam reſtitutionem? Reſpondetur ſi per ſe & non per alium tenebatur celebrare, potuit vnam Miſſam in ſingulis hebdomadibus omittere, non vt aliud ſtipendium ad aliam Miſſam

Missam celebrandam acciperet, sed vt melius disponeretur & cũ maiori deuotione ad celebrandum aliis diebus. Ita Carolus Briuccius de *Miscellaneis practicis quæsito*.88. si vero sine causâ necessariâ in alio loco celebrauit, non tenetur ad restitutioně quamuis peccasse mortaliter asserat, *quæsito* 87. Idem author qui fuit Pœnitentiarius Neapolitanus. Quod vltimum non admitterem si tantum aliquot vicibus ob maiorem aliquam commoditatem fractitatum fuisset, cum nihil depereat fundatori ex illâ loci mutatione, nec humanum sit imponere sub mortali talem legem Sacerdoti in re fere adiaphorâ & indifferenti si in se spectetur semotâ imaginatione hominum. *Omissio sacrificij.*

Dubitauit vero & anxius fuit an posset celebrare si præmissâ Confessione Sacramentali, recordetur alicuius peccati mortalis, non reiteratâ Confessione ante Missam pro eodem peccato omisso, etiamsi non desit copia Confessarij.

Resp. satisfactum fuisse præcepto Apostolico quod forsan etiam est diuinum, 1.Cor.11. *probet autem seipsum homo & sic de pane illo edat*. Ille enim confessus est integrè formaliter, nec accedet iam sine reuerentiâ & sanctitate, cum per talem Confessionem, iustificationem adeptus sit, nec eum grauet conscientia peccati. Quod si vero Sacerdos est scrupulosus & putat sæpe sæpius se peccatum aliquod mortale omisisse ex obliuione, non puto quod sit intentio D. Pauli vt ter quaterue ante celebrationem confiteatur, cum sæpe accidit vt nec quarto repetita Confessio sedet eius animam. Sed nec Patres Trident. *sess*.13. *c*.7. Aliud decernunt quam quod erat de consuetudine Ecclesiasticâ circa præmittendam à Laïcis Confessionem communioni: at vix probabitur ex Ecclesiasticâ consuetudine multiplicatas fuisse Confessiones ante Communionem aut celebrationem, cum ante Concilium Trident. multi Sacerdotes peccati mortalis conscij satis haberent si contritos se præsumerent. Quod voluit prohibere Concilium prohibens ne quis quantumuis sibi contritus videatur absque præmissâ sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. *Quod Sacerdotibus etiam iis quibus ex officio incubuerit celebrare perpetuo seruandum esse decreuit modo non desit illis copia Confessoris*. Quod si necessitate vrgente Sacerdos absque præuia Confessione celebrauerit, quam primum confiteatur. Id est ante aliam celebrationem, vt interpretatur Binsfeldius *in Ench. Theol. Past. cap*.5. vel non differendo per longum tempus confessionem, vt alij.

Sed & perpendendum est in istâ difficultate quicquid ibi statuit Concilium Tridentinum (excepto statu iustificationis

ante

ante communionem aut celebrationem qui status est de iure diuino) esse de iure nouo Ecclesistico Concilij Tridentini. Quare cum decreta iuris noui Tridentini non vbique publicata sint, nec æqualiter omnes adstringant, non est mirum quod in Italia aut Hispania resolutiones Theologorum sint seueriores, quam forsan alibi.

Deinde valde est probabilis opinio Dianæ *de celebrat. Miss. p.2. resol.* 48. Sacerdotem qui præmisit celebrationi Confessionem, si inter celebrandum recordetur peccati mortalis obliti, cum sit iam per virtualem pœnitentiam iustificatus, non teneri de illo confiteri pro tunc. Cum contritio requiratur propter iustificationem adipiscendam. Nam vbi in scriptura diuina pœnitentia asseritur necessaria, fit sermo de peccatoribus, & *Luc.* 15. dicitur iustum non indigere pœnitentia. Cur ergo magis requireretur iterata Confessio expressa de peccato oblito quam iterata Contritio de eodem peccato.

15. Clericus ille multa fecit concordata in permutationibus variis beneficiorum: curauit tamen omnia confirmari per summum Pontificem, & si aliqua sint quæ simoniam redoleant, an debeat illi moueri scrupulus? respondetur; Vbi pactiones sunt tunc tantùm simoniacæ simoniâ iuris positiui & quæ ex legibus Ecclesiasticis introducta est, summum Pontificem purgare concordata ista ab omni simoniâ propter authoritatem quam habet dispensandi de legibus Ecclesiasticis, quæ sic vel sic disponunt ordinari de beneficiis. Vnde & simonia solius iuris positiui non subiacet restitutioni & pœnis simoniæ, vt si quis mediatori beneficij dedisset pecunias, non teneretur dimittere beneficium. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 155. At si essent simoniacæ simoniâ iuris naturalis, puta Pontificem nihil posse in istis, nec posse tutos reddere in Conscientia eos quos euidenter constat talem simoniam admisisse. Præsumere tamen potest Confessarius summum Pontificem non dispensasse nisi de simonia iuris positiui. Talia enim concordata Romæ solent examinari à viris sapientissimis.

16. Dictus Clericus cum per aliquot annos non teneretur publicè celebrare, omninò abstinuit ab offerendo sacrificio, quare dubitat Cõfessarius an teneatur illi iniungere vt in posterum celebret, ne inutilis in eo permaneat potestas consecrandi quam in ordinatione suscepit. Ad solutionem huius dubij occurrit primo D. Thomas 3. *p. q.*84. *art.*10. vbi asserit irrationabiliter quosdam dicere posse Sacerdotem licitè abstinere omnino à celebratione. Quia vnusquisque tenetur

oppor

opportunè vti gratiâ sibi datâ, cùm fuerit opportunum, secundùm illud, 2. Cor. 6. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Opportunitas autem sacrificium offerendi non tantum attendi per comparationem ad fideles, sed maximè ad Deum, cui per consecrationem offertur sacrificium. Vnde Sacerdoti non habenti curam animarum incumbit necessitas celebrare in præcipuis festis & maximè in illis diebus in quibus fideles communicare consueuerunt. Et hinc est quod 2. *Machab.* 4. contra quosdam Sacerdotes dicitur, quod non iam circa altaris officia dediti erant; contempto templo *& sacrificiis neglectis.* Hoc tamen dictum D. Thomæ & quorumdam aliorum rigidum dicit Suarez *in* 3. *p. tom.* 3. *disp.* 86. *sect.* 1. nec posse sufficienter probari. Hancque obligationem vult, diiudicandam esse prudentum iudicio ex principiis extrinsecis, qualia sunt aliorum scandalum, proprium spirituale detrimentum, aut periculum liberius peccandi omisso sacrificio, vel quod grauius est si omittatur vt liberius peccetur & peccati licentia non impediatur: si autem hæ rationes extrinsecæ non intercedant, vix credo, ait, accidet casus moralis in quo aliquoties Sacerdos non sacrificet, quod licet rarò faciet, non peccabit mortaliter, & si bonâ intentione id faciat excusatur à veniali. Ad hæc Michaël Palatius in 4. *sent. dist.* 13. *disp.* 2. mihi admodum, inquit, est probabile dogma, Sacerdotes ex Sacerdotio non teneri ad celebrandum nisi ex curâ animarũ ad id adstringantur, vel ex Episcopi authoritate cõpellente. Et Gabriel, inquit, lect. 87. in *Canonẽ Missæ* mecũ facit. Respondensque argumentis, dicit quod is in vacuum gratiã Dei recipit, qui non consequitur ex illâ vitam æternã, quod in præsentiâ non est necesse, cùm insuper caracter Sacerdotalis sit illi insigne ornamentum in omnem æternitatem. Addit non peccare qui recipiunt minores Ordines, & sine culpa se priuare perpetuo functionibus Ecclesiasticis, si nubant. Quod idem dici potest de Sacerdote qui nunquam audiret confessiones & potestatem absoluendi ad actum non reduceret. Hanc autem sententiam hic afferimus, quod alias absoluerimus quendam antiquum Sacerdotem, qui nunquam celebrauerat & quem inducere non potuimus ad celebrandum in posterum, quod diceret se metu & horrore quodam reuerentiæ concuti ad tam venerandum sacrificium offerendum, quo se indignissimum reputabat. Quem in sua bona fide reliquimus, memores huius opinionis Gabriëlis Biel & Michaëlis, quorum ille Parisiensis Doctor, hic Salmanticensis extitit, vt eorum authoritas pro minima non habeatur.

17. Præfa

Omissio horarū. 17. Præfatus Clericus multoties horarum Canonicarum penso non est perfunctus, licet multa & diuersa habuerit beneficia. Quod erit tunc officium Confessarij? Supponimus peccasse mortaliter toties quoties sine impedimento legitimo huic obligationi defuit. Sed dubium est de restitutione faciendâ quo modo illam Confessarius ordinabit.

Aduertendum censere Binsfeldium *Enchiridij p.4. cap.3.* habentem plura beneficia, peccare mortaliter cùm onere restitutionis, si non toties recitat Officium canonicum, quot habet beneficia, sicut habens duas capellanias cùm onere celebrandi Missam non satisfacit per celebrationem vnius Missæ: & qui duobus creditoribus deberet centum scuta, non satisfacere ambobus vna solutione centum scutorum. At vnicuique beneficio annexum est onus diuini Offic'j. Hoc tamen limitat Beia, p.2. *de pluritate beneficiorum*, nisi cum iustâ dispensatione quis haberet plura beneficia quia tunc non haberent rationem plurium, sed vnius ob necessitatem pietatem vel vtilitatem. Est tamen huius sententiæ D. Thomas *quodlibet.1. art.13.* vt excusetur propter consuetudinem si licitè & ex dispensatione possideat. Hoc igitur excusso, non obligabit ad vllam restitutionem pro sex primis mensibus quibus beneficium primo obtinuit, nec pro tempore quo beneficium litigiosum erat antequam illud pacificè possideret, & fructus perciperet, nec pro horis indeuotè & sine attentione pronuntiatis. Secundo non obligabit ad restitutionem omnium fructuum, cum redditus beneficij non dentur solum propter officium horarum Canonicarum, sed etiam propter alia officia, idcirco sufficiet pro beneficiis non curatis iniungere restitutionem tertiæ partis fructuum, pro beneficiis curam animarū habentibusquintā partem. Quæ restitutio fiat vel fabricæ Ecclesiæ vel pauperibus. Si per spatium vnius anni aliquis semel aut bis tantum defuisset non est absolutè necessarium quicquam iniungere: eo quod nec famulus alicuius nobilis Domini si parum deficeret à debito seruitio, non propter ea tam acerbè puniretur, quanto minus puniet Deus tam magnus Dominus? quidam pro omisso solo matutino mediam partem istius restitutionis assignant: pro aliis horis aliam partem, adhibent alij alias modificationes quas alij respuunt. Legi potest de istis Bernardinus Posseuinus *de officio Curati*, cap 1. & Toletus l.2. instit. moral. cap.12. & alij plerique.

Quod si toties defuerit horis recitandis, vt inde conflari possit summa ingens quam pœnitens restituere non possit debet

debet Romam mittere, vt eam moderetur summus Pontifex. Quod multis consuluimus; Ordinariè enim beneficiarij qui horas non recitant, expensis pluribus addicti sunt, ex quibus spoliantur bonis suis vt pares non sint restitutioni, ideo nisi summus Pontifex indulgentior sit erga illos cum pœnitere incipiunt, morientur sine vlla restitutione.

Obiicies quod habet Valerus de *differentiis vtriusque fori*, verbo *hora canonica*, Beneficiatium non recitantem horas sine causâ rationabili non puniri amissione fructuum, sed alia pœna, vt in cap. *si quis in clero*, 8. q. 1. & licet in foro conscientiæ tenendum esse contrarium doceat, allegat tamen ibidem Siluestrum verbo *Clericus* 4. q. 21. dicentem post alios à se relatos, nec in conscientia teneri beneficiarium propter omissionem recitationis horarum ad fructuum restitutionem: ea præcipuè ratione, quod non eos percipit beneficiarius ratione tantùm præfatarum horarum: sed etiam ratione tituli, & aliorum diuinorum officiorum, & ministeriorum Ecclesiæ. Et licet addat prædictus Valerus hodie difficultatem istam sublatam esse per Concilium Lateranense sub Leone decimo celebratum, sess. 9. §. *statuimus*. Vbi statuitur vt beneficiarius, qui post sex menses ab obtento beneficio, cessante iusto impedimento, horas canonicas non recitauerit, fructus non faciat suos, sed eos restituat vel ipsi Ecclesiæ, seu fabricæ vbi beneficium fundatum vel pauperibus. Addatque insuper motum proprium Pij quinti determinantis fructuum restitutionem faciendam esse pro ratâ horarum quæ omissæ fuerunt. Ad ista tamen dici potest Concilium Lateranense sub Leone decimo non esse receptum in Gallia, in qua non obligat, nec publicatum esse motum istum Pij V. Idcirco obligatio ista in his regionibus Galliæ magis videri posset fundata in consuetudine, quam in vllo iure positiuo, aut naturali, nisi post iudicis sententiam.

18. Iste Clericus indeuotè recitauit. Quod iudicium de hoc ferri debet? qui in recitando officio nullam habet deuotionem nec in principio, nec in medio, nec in fine peccat mortaliter, quia debitum non soluit. Non tenebatur autem vitare quædam opera quæ non erant incompatibilia cum oratione, puta se vestire, lauare manus, deambulare, & alia eius generis quæ magnum non exigunt attentionem. Quod si ita indeuotè recitarit vt peccarit mortaliter, eodem loco habendum est ac si nullatenus dixisset, & tenetur reiterare ac restituere fructus ex D. Thoma 2. 2. q. 83. art. 13. & Caietano ibidem. Si tamen in recitando sæpius ad se redierit à reiteratione

Dictum Abbatis. tione absoluendus est. Quam bene vetus quidam Abbas Cisterciensis *Malagranat, parte* 2. Docet quosdam recitare horas ex toto corde, alios ex medio corde, alios ex nullo corde. Primi sunt qui intellectum & affectum habent aduersus horarum. Secundi sunt qui intellectum habent sed non affectum. Tertij qui nec intellectum nec affectum habent. Quam multi sunt huius postremæ classis. Hæc obiter. Quod autem spectat ad situm corporis sufficit ad mouendos scrupulos D. Augustinus l. 2. ad Simplicianum, quæst. 4. *Non esse præscriptum quomodo corpus constituatur ad orandum, dum modo animus Deo præsens peragat intentionem suam. Nam & stantes oramus sicut* Luc. 18. *& fixis genibus sicut.* Act. 7. *& sedentes, sicut David & Helias. Nisi autem etiam iacentes oraremus non scriptum esset* Psal. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum.*

19. Antedictus Clericus cum litigaret de quodam beneficio, cessit parti collitiganti beneficium solutis sibi ab eo expensis litis, & litterarum prouisionis aliisque sumptibus. Dubitat autem an tutus sit in conscientia, quia collitigans dicit se hæc soluisse ad redimendam iniustam vexationem, pro iniusta autem vexatione nihil ille prætendere poterat. Debet in hac difficultate Confessarius considerare quasdam conditiones cum quibus huiusmodi pactiones & transactiones licitæ sunt. De quibus tractat Valerus de *differentiis vtriusque fori*, verbo *pensio* differentia quarta. Prima est vt talis transactio fiat pro bono pacis ad litem extinguendam, vt sic non videatur fieri pro pretio sibi dato. Secunda est vt is qui remanet cum beneficio litigioso habeat ius, & possessionem beneficij vel si non habeat possessionem, ab ea impeditus fuerit per potentiam aduersarij. Tertia est vt qui redimit vexationem, sciat, vel credat aduersarium ius non habere. Quarta est vt qui recipit pecunias vel pensionem probabiliter dubitet de suo iure. Addit quædam alia prædictus author, vt quod transactio ista fiat per eum qui habet potestatem conferendi beneficium alteri parti, & recipiendi alterius renunriationem, quod tamen non erit necessarium si partes collitigantes verè habeant titulum, & litteras præsentationum aut prouisionum à legitimis collatoribus, itavt vno cedente alter de facto remaneat in possessione pacifica. Per hæc autem examinari poterunt à Confessariis transactiones istæ an sint simoniacæ nec-non. Solent enim aliquando claudicare circa aliqua requisita, vnde sunt illicitæ. Certè in istis dubitationibus soluendis periculosæ plenum opus aleæ tractat Confessarius & plerumque huiusmodi conuentiones collitigantium simonia

Lis in beneficio

Redemptio vexationes

nia

carent, quod annotasse sufficit, vt suspectæ habeantur.
20. Præfatus Clericus cum redditus amplissimos haberet beneficiis & pensionibus, parcus est erga pauperes & thesaurisat, inceditque cum pompâ, cum ostentatione & magnificentia, vt diuites seculares. Quid ad hæc Confessarius? Dicat redditus omnes beneficiorum Christum promeruisse pretio suo sanguine: nec debere clericos de illis thesaurizare, cum patruus non teneatur dotare sobrinos, id est, filios sororis suæ, nec auunculus filios fratris sui, nec consanguineos ditare, nec in delitiis & voluptatibus ea bona consumere: sed ex his moderatè viuere, & superfluum piè in manus pauperum & Christi fidelium elargiri. Clamant nudi, inquit D. Bernardus in *Epistolâ ad Henricum Senonensem*, clamant & famelici, conqueruntur & dicunt, nobis fame & frigore laborantibus, quid conferunt tot mutatoria seruata in domibus vestris? Nostrum est quod effunditis: nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis: nostris necessitatibus detrahitur quicquid accedit vanitatibus vestris: duo denique mala de vnâ prodeunt radice cupiditatis, dum vos vanitando peritis, & nos spoliando perimitis, *&c.* hi omnes in futuro *stabunt in magna constantia aduersus qui se angustiauerunt*: stante pro eis patre orphanorum, & iudice viduarum & dicente, *Quid non fecistis vni ex minimis meis, nec mihi fecistis.*

Obserua tamen, inquit Valerus *de differentiis vtriusque fori*, verbo *beneficiatus* differentiâ quartâ; reseruare fructus vnius vel duorum annorum ad futuras verisimiliter contingentes necessitates ægritudinum, litium, annorum infructiferorum, & id genus aliorum, licitum esse & prudenter factum: vt consuluit sanctus Ioseph. Pharaoni *Genes.* 41. & docet D. Thomas 2.2. *quæst.* 32. *art.* 5. potest etiam cumulare paulatim id quod necessarium est Matrimoniis aliquot piis contrahendis, aut fabricandis collegiis & hospitalibus aliisque piis operibus. Quæ procedunt in eo qui verisimiliter potest efficere, quod mente concepit & firmiter facere proponit, nec cum aliâ intentione superflua congerit, nec sibi longam vitam statuit cum hora mortis sit incerta, vt ante mortē id exequatur.

21. Prædictus Clericus cum infirmaretur, testari voluit desiderauitque sequi consilium docti Confessarij ne erraret in damnationem animæ suæ. Poterit autem illi Confessarius suggere tunc, ea quæ docet Lessius de *iustitia & iure, cap.* 12. dubitatione. 4. licet Nauarrus in tractatibus perdoctis de redditibus Ecclesiasticis seueriorum sententiam propugnet. Visa

Restitutio bonorum Eccles.

autem vt facilior sic probabilior Lessij doctrina, scilicet quod omnes clerici beneficiarij testari possunt etiam ad causas prophanas de patrimonio, de congregatis labore & industria, atque etiam de substractis congruæ sustentationi, ex prouentibus beneficiorum. De his verò quæ supersunt congruenti sustentationi, testari non possunt nisi ad pias causas, & si testentur ad causas prophanas peccant mortiferè, cum etiam peccarent si de iis ita disponerent inter viuos. Talis tamen dispositio illicita non est irrita & inualida, cum sint domini horum redditaum, licet cum obligatione elargiendi superflua pauperibus, vel in pia opera, cui obligationi si desint, tunc cedit illis in ruinam animæ, quamuis hæredes non peccent, nec teneantur restituere pauperibus vel in pias causas, quia obligatio illa personalis erat beneficiario, nec transit in heredes qui valide succedunt, ab eo accipientes qui valide disponere poterat, licet non licitè. Vnde mirum est, ait ibidem Lessius, in quibusdam Ecclesiasticis tantam esse salutis suæ incuriam & futurorum securitatem, vt etiamsi mox ad Christi tribunal rapiendi sint, ea tamen negligant quibus facile salutem consequi possent; & insuper rem adeo periculosam, vt amicos suos locupletare possint audeant attentare, verum hæc est huius sæculi fascinatio & principis huius mundi, corda mortalium excæcantis potestas.

Atque si viri Ecclesiasticis beneficiis graues & opulenti peccant adeo, si superflua pauperibus non erogent, quid de illis censendum erit qui non modo superflua pauperibus non impertiuntur, sed etiam à pauperibus quod habent auferunt, vt superflua sua augeant, & hæredes satis diuites ditiores efficiant? Quam crudelia talium hominum viscera, qui non modo pauperibus alimenta denegant, sed etiam miseris ab ore auferunt quibus ægrè aluntur patrimonia, quæ ab Spiritu sancto aptissimè vocantur pauperum labores illis verbis Sap. 5. *& abstulerunt labores eorum.* Tota enim res familiaris quantulacumque illa sit, nihil aliud est quam labores ac sudores miserorum. Plane diuino consilio pauperum vitæ atque vtilitati consultum est, vt aër, aqua, lux, ignis, cœlum quod magis mortalibus necessaria essent communia nec à potentia fraudibusque diuitum possent tanquam propria vindicari. Si enim, inquit D. Chrisostomus hom. 2. ad populum Antioch. non essent communia hæc necessaria, forte diuites sola vsi auaritia pauperes suffocassent.

Sed dicet aliquis hæc aptè dici posse de eo qui per vim ac fraudem patrimonia pauperum abstrahit ab ipsis, non de illo

illo qui vt suæ consular famæ ac etiam saluti, nihil agit quod non conueniat Canonibus iuris humani ac politicæ iustitiæ quam implorat vt sua debita repetat à miseris creditoribus: si enim inde fame ac nuditate teneantur, quid ad ipsum? politici iudices id decreuerunt: at tu, vir locuples, ex bonis crucifixi si tua superflua tenebaris erogare indigentibus quibus eo ipso quod egerent & tu abundares debebantur, quanto magis tenebaris quæ erant illis propria intacta dimittere ne aliquando egerent & tu superflua tua adaugeres, quæ adhuc pauperibus elargiri teneberis vsque ad mortem tuam. Non erat sane necessarium vt pauperum gregem adaugeres, quibus eo magis subuenire teneberis quod à te in hanc sortem redacti sunt. Quid lucratus es hac tuâ duritie pallio iustitiæ contecta? putas te idcirco euasurum iudicium Dei, si aliis dispenses hæc superflua; melior certè erat conditio iam possidentium, & iustius erat te eorum pauperiem impedire ne accideret. Tribue iam quantum volueris ad fouendum vtcumque pauperes, nunquam exæquabis tantum facinus quod commisisti in causando pauperiem aliorum & si iustus sis in foro exteriori: at hæc iustitia te immundum coram Deo relinquit.

Denique Clericus ille mortuus est receptis prius Sacramentis cum talicumque dolore, & magna est quæstio vbi sit eius anima, in inferno an in cœlo.

Quæritur decimo septimo. De examine Pastorum Ecclesiæ.

Quæstionem factam per exploratores Danitarum ad quemdam Leuitam (Iudic. 18.) non abs re applicat Sacerdotibus Hugo Cardinalis super hoc caput. *Quis te huc adduxit? quid hic agis? quam ob causam huc venisti?* Ecce inquit triplex quæstio quæ fit prælatis in die iudicij. *Quomodo intrasti? quomodo vixisti? quomodo rexisti.* Quæ alij paulò aliter explicant; quia enim de quodam Pontifice dicitur ab eius æmulis. *Intrauit vt vulpes, regnauit vt leo, mortuus est vt canis*, volunt tria quæri à Pastoribus quomodo ingressus est in curam aut Episcopatum, quomodo rexit ac functus est officio? Denique quo modo egredietur ac in quo statu. Ad quæ tria capita reducentur casus conscientiæ hic elucidandi.

Ac quo ad primum caput attinet, dubitatur an liceat Episcopatum aut curam pastoralem desiderare ac sibi ipsi procurare. Syluester verbo *Episcopus* putat esse mortale, si fiat, specialiter propter ambitionem vel cupiditatem principaliter. Antoninus vero in *Summâ part. 2. titul. 3. c. 5.* moderatius resoluit hoc grauissimum dubium, quo multi torquentur. Appe- *desiderium Beneficij*

tere, inquit, & petere secundùm quid, hoc est si superiori videatur expediens, cognoscendo se indignum, cum timore & tremore, committendo negotium Deo, pro cuius amore & Ecclesiæ salute agit, non est perniciosum nec damnabile: imo potest esse meritorium, si ex merâ charitate procedat. Cum per hoc non intendat se ingerere, sed Deo se offerre, & in clero seruire non propter diuitias & honores maiores consequendos, sed quia status iste melior est quam sæcularis, cum diuinis sit continuè applicatus, quod Deo sibique gratius est, vt sic viuere possit & secundum suam conditionem sustentari, petit Ecclesiasticum beneficium, non applicando an sit pingue, vel nobile, vel curatum, dum modo per id viuere possit non in pompa, sed in decenti Clericorum statu.

Dicendum est cum beneficium curatum secundum se non sit quid malum, desiderium illius ex se malum non esse, sed tantum ex circumstantiis, quæ septem vulgò numerantur. Igitur qui exoptat beneficium Pastorale non præditus scientia sufficienti, & amore Dei ac proximi, ac aliis conditionibus requisitis, nec sibi rectum finem proponens, nec media licita assumens, peccat, vnde cum Apostolus dixisset 1. Timot. 3. *Qui Episcopatum desiderat bonum opus desiderat*, statim subiungit, *oportet autem Episcopum irreprehensibilem esse*. Illud vero desiderium eo magis tolerabile est pro iis qui digni sunt, quo Ecclesiæ regimen est corruptius in distributione beneficiorum, de quibus sæpe accidit, vt equi post ea currant, asini ea obtineant, illique qui magis præesse quam prodesse satagunt, vt nisi probi viri ea aliquando procurent, derelicta videantur in prædam ignaris, ambitiosis, vulpibus, canibusque latrare non volentibus nec valentibus. Nec obstat quod in illo desiderio inueniatur etiam appetitus aliquis bonorum temporalium. Quia illa sunt de iure diuino debita laborantibus in vinea, quia qui altari seruit de altari debet viuere 1. *Cor.* 9. ideo licet ea expetere ex moderato affectu. Licet perfectius sit expectare vocationem prælati superioris aut illius cui incumbit alios ad beneficia curam animarum habentia promouere. Sic sponsæ non semel dictum est Cant. 4. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano veni coronaberis*. Ægrè ita ad prælationem. Vide ait Gillebertus Abbas serm. 29. in Cantica, si non morosè egreditur de Libano quæ toties vocatur, & forsitan sponsæ mora festinationem nostram sugillat, qui nimis prompte & parum providè vires nostras minus pensantes festinamus ingredi in

in labores prælationis, in sollicitudinum molestias & materiam lapsus, *Non expectantes vel semel vocari vltro nobis ipsis honorem sumimus, vocationem vel præuenientes vel arte procurantes.* Nec puto displicebit omnibus breuis excursus ex Ioanne Cluniacensi, in sermonibus Quadragesimæ. Ac primo *serm.* 35. allegoricè curiam Prælati aut principis designari ait per piscinam quæ dicitur Bethsaidis id est, pecorum, quia ibi multi viuunt bestialiter. Habet quinque porticus id est, multas dignitates & officia. Ibi sunt multi languentes ambitiosi indeuoti, &c. vbi per Angelum fit motus & per Dei iustitiam aliquis tenens locum moritur, omnes quidem currunt sed vnus accipit brauium 1. *Cor.* 9. multi sufficientes hominem non habent qui eos promoueat nec possunt currere. *serm.* 49. Probat hominem capacem posse prælationem accipere ex illo loco Isai. c. 6. *Ecce ego mitte me.* comparatque superbos Prælatos qui vix aliquid boni operantur ad vtilitatem animarum quibusdam paruis statuis ridiculi nominis, quia videntur totam Ecclesiam portare & nihil portant. *Serm.* 50. Aaron fecit vitulum conflatilem quem populi adorarent, tales sunt qui indignum promouent. In alio sermone comparat iuuenes promotos ad beneficia homini, qui reciperet pecuniam pro curando aliquo morbo, sed diceret oportet primùm me ire montem Pessulanum vt studeam & postea curabo te. Et serm. 97 occasione verborum illorum. 4. Reg. 5. *Cæcus & claudus non intrabunt in templum.* Et olim, inquit, cæci erant tantum ad ostium, nunc ignorantes vsque altare perueniunt Vnde & prælati moderni videntur dicere familiaribus, *exi cito per vicos & plateas & quoscumque inueneris cæcos & claudos introduc huc,* cum tamen Dauid Ierusalem intrare volenti dictum sit, *non intrabis huc nisi abstuleris cæcos & claudos.* Sed & D. Augustinus l. 2. ad Hieronymum. *Quis enim ferat eligi diuitem ad sedem honoris Ecclesiæ contempto paupere instructiore atque sanctiore.*

Indign benefi-ciarij.

Pastor per simoniam accipiens beneficium, seu habens talem defectum vt verè non sit Pastor, existimatur tamen communiter Pastor nec quisquam illi contradicit, validè ne absoluit, ac matrimonio assistit, aliosque actus iurisdictionales an exerceat dubitatur & an, reiterandæ sint Confessiones sub tali falso Pastore, ac matrimonia iterum contrahenda, & quid tali Pastori dicendum erit, si se de hoc peccato tam graui reum se pronuntiet. Quidam idem putant esse de tali Pastore, ac de iudice qui ex communi errore habetur iudex, cuius acta rata habentur, republicâ supplente in illo

Iurisdictionem ad vitanda incommoda quæ ex illo communi errore orirentur. Sed si sic Ecclesia suppleret iurisdictionem in falsis Pastoribus, non minora sequerentur incommoda, vt si quis legatum Papæ falsis litteris se ostentaret, si hæreticus se fingeret Episcopum & rudes deciperet, imo daretur locus pluribus intrudendi se in possessionem alicuius iurisdictionis sub aliquo apparenti prætextu. Ideo non sufficit communis error & quod defectus sit occultus nec in dubium reuocetur à pluribus, sed oportet insuper vt habeat titulum saltem coloratum à vero superiore, qui eo ipso quod dat illi titulum tacitè hortatur populum ad illum recipiendum, suppletque defectus occultos in illo qui suppleri possunt, quantum sufficit ne plebs decipiatur ex eius vitio occulto.

Probaturque ex *L. Barbarius Philippus ff. de officio Prætoris.* Vbi hæc redditur ratio, cur valeant gesta per iudicem qui erat seruus, quia scilicet *populus Romanus etiam seruo potuisset discernere hanc potestatem.* Vnde patet gesta per Pastorem à sola potestate Laïca institutum, aut incapacem iurisdictionis Pastoralis, quia forsan non est Sacerdos aut alio defectu laborat, valida censeri non posse maximè in actibus Sacramentorum, quæ cum agant ex opere operato & ex institutione Christi, non variantur propter opiniones hominum, quicquid inde eueniat. Multa de his Thomas Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 22.* & Cardinalis de Lugo de *iustitia & iure disp. 37. sect. 3.* Quare obligandus est talis Pastor ad cedendum beneficio inter manus summi Pontificis.

Tamen post triennalem pacificam possessionem cum bona fide & titulo, si postea tantum cognoscat collationem fuisse inualidam, aut iniustam sententiam iudicis vi, cuius beneficio potitus est, non tenebitur in conscientiâ resignare, cum enim Pontifex post triennium *ex regula 33. Cancellariæ*, nemini amplius concedat actionem ad illud beneficium, videtur etiam reddere possessionem securam in conscientia, & triennali vsucapione factum est istud beneficium possidentis proprium, vt docet Lessius cum Nauarro, Rebuffo, Emanuele Sa, & aliis *de iustitia & iure l. 2. c. 6. dubitat. 10.* Itemque Vrbanus ab ascensione *Theologiæ Moralis* tract. 3. *declaratione 1. regula iuris Canonici*, inductumque hoc ait in fauorem animarum vt non remanerent diu incertæ iurisdictiones, & Sacramenta exposita nullitati defectu iurisdictionis. Vnde nec illis opus est habere nouas prouisiones post triennium, sed solùm pœnitere. Excipe tamen violenter intrusos, absque titulo saltem colorato, atque confidentiarios post Bullam

Pij II. receptam in Galliâ in Comitiis Aurelianensibus. Quia isti non tenent propriè beneficium, sed alius sub eorum nomine. Item simoniacos completa ac reali simonia. Malæ autem fidei possessor vllo tempore non præscribit ex regula iuris in sexto. Non desunt tamen qui etiam malæ fidei possessorem post pacificam possessionem triennio continuatam securum in conscientia, putent. Quod in præiudicium alterius qui iure prævaleret & ob animi modestiam aut difficultates fori externi non litigaret aut iniquè lite cecidisset, nullo modo admittendum est, scribente D. August. Epist. 54. ad Macedonium. *Non remittetur peccatum nisi restituatur ablatum.* Atque aliter non agi sed fingi pœnitentiam.

Dubia multa nascuntur circa residentiam quæ sic resolui poterunt. 1. *Propositio.* Canones Ecclesiæ omnino mandant Episcopis & Curatis vt personaliter resideant in propriis Ecclesiis. Probatur ex Concilio Carthaginensi quarto, *Can.* 5. & allegat Gratianus *causa* 7. *quæst.* 1. *c. placuit.* Item ex Concilio Meldensi, *cap.* 16. Item ex Concilio Senonensi vltimo sub Antonio à Prato Cancellario Galliæ S. Archiepiscopo. *Rectores Ecclesiarum quorum singularis est electa industria compellantur quoad fieri poterit ad personalem residentiam neque cum illis de non residendo, nisi causa probabili intercedente, dispensetur.* Quibus addi potest Concilium Trident. *sess.* 6. *c.* 1. *&* 2. *de Reformatione.* *Residentia.*

2. *Propositio.* Multæ rationes inducunt Episcopos & Pastores ad hanc personalem residentiam. 1. quia tenentur Parochi ex præcepto diuino oues suas agnoscere, verbi Diuini prædicatione ac Sacramentorum administratione, nec non bonorum operum exemplo pascere. Quæ omnia non potest per substitutum Vicarium exercere. 2. quia beneficium datur propter officium. 3. quia Parochi est electa industria, vt constat ex rigore examinis, cui antea subiici solet. 4. quia sine illa personali residentia multa detrimenta spiritualia gregi inferuntur sicut patet ex populo Israëlitico, qui in idololatriæ peccatum circa vitulum conflatilem prolapsus est, propter absentiam Moysis. 5. Multis priuatur bonis spiritualibus, vnde, sicut Petri vmbra infirmos curabat, sic sola Pastoris præsentia sanitatem subditis conciliat. 6. quemadmodum ianitor ianuæ assistere debet, ait Baptista Corradus, 1. *p. responsorum quæsito* 317. & nauis gubernator in puppi, ita etiam præsul adesse debet suæ Ecclesiæ. Sic Christus non per alios sed per seipsum mortuos resuscitauit, & sanitatem restituit, singulis manus imponens. Et Iacob reddens rationem quo-

singulis manus imponens. Et Iacob reddens rationem quomodo oues Laban custodierat dixit. *Noctu diuque æstu vrgebar & gelu, fugiebàtque somnus ab oculis meis.* Qui non residet, inquit Barbosa, *de officio & potestate episc. p. 3. alleg. 53.* ostendit se sponsum non esse sed peregrinum: non patrem sed extraneum: non pascentem oues sed seipsum: non ædificantem sed fere destruentem.

Dices alium à te esse substitutum qui rectè omnia curet & administret te absente. Quæro à te: & si tibi tanquam digno beneficium collatum est, & tu indigniorem substituis, nonne oues tuas manifesta afficis iniuria? &c. concionabatur quondam de talibus Doctor Clictouæus vt refert Espencæus, *l. 3. digress. in priorem ad Timotheum, cap. 22.* adibunt per Vicarios paradisum in persona inferos.

3. *Propositio.* Episcopi aliique inferiores Prælati & Pastores iure diuino tenentur ad personalem residentiam: cum ex iure diuino teneantur pascere gregem sibi commissum. Ita Couarruuias *l. 3. variarum resolut. cap. 13. num. 9.* nam & decimæ dantur Christianis ab ipsis Sacerdotibus: vt eis spiritualia ministrent & sint in hac Domini vinea operarij digni mercede *Matth. & Lucæ cap. 10.* Præterea personæ industria in his eligitur, quod apertissimum est. Qui igitur fieri poterit, vt is cuius ad negotium arduum eligitur industria, alterum substituat? quibus equidem rationibus & aliis iure firmioribus, probant hanc personalem residentiam iure diuino institutam esse Caietanus 2. 2. *quæst. 185. artic. 5.* & Ioannes Driedo *de libertate Christiana* pagina 204. &c.

4. *Propositio.* Illa tamen personalis residentia est de iure diuino non strictè & propriè sumpto, sed large, vt explicat Antonius Corduba, *q. 19.* Quatenus scilicet ea magis congruit cum iis oneribus quæ requirit Deus à Pastoribus. Hoc autem probatur quia Scriptura sacra id expresè non asserit & satis intelligi possunt Pastores sua munia in scripturis expressa obire, cùm ex eorum authoritate curâ ac directione partim per se partim per alios exercentur. Iuxta regulam iuris 72. in sexto. Qui facit per alium perinde est ac si faciat per seipsum. Vnde & sæpe summus Pontifex dispensauit de residentia ob varias rationes & Concilium Tridentinum permisit Pastoribus abesse per aliquot menses ab Ecclesiis substituto Vicario. Quod vtique licitum non esset, si esset de iure diuino in rigore. Quæ fuit causâ cur tot controuersiæ in Concilio Tridentino moræ fuerint inter Theologos & Episcopos, cum ageretur de determinandâ quæstione de residentia an esse:

esset de iure diuino. Multi enim contendebant multum imminurum iri authoritatem summi Pontificis, qui deinceps multa non posset circa dispensationes concedendas in veniendis aut transferendis sedibus Episcoporũ ac Parochorum iuxta antiquum prædecessorum vsum & abstinuit Concilium ab hac decisione. Vnde idem Corduba ibidem asserit eum qui propter aliquas causas extra suum curatum residentiam suam habet, ita tamen diligenter & frequenter visitat suas oues eisque sufficienter prouidet vt oportet per se & per substitutum ac si ibidem moraretur assiduè, quantum ac si ibidem moraretur assiduè, quantum attinet ad ius diuinum censeri personaliter residere, nisi quoad hunc modum & tempus residendi Ecclesia aliud ordinaret.

5. *Propositio.* Illa autem residenria Pastoralis non intelligitur de solâ habitatione Pastoris intra limites suæ Parochiæ, nisi etiam pastor ministerium suum per se exerceat in quantum moraliter potest. Debet enim iis Sacramentis administrandis operi dare quæ ex æquitate potest. Quamuis non teneatur noctu nisi nominatim & instanter desideretur. Ita Ioannes Sanchius in *Selectis disput.* 47. & Antonius Diana post ipsum 3. *parte tract.* 4. *resolut.* 156. Itaque residentia illa debet esse cum effectu. Requirit autem præfatus Sanchius vt maximè assiduum se præbeat Parochus in excipiendis Confessionibus quas ex æquitate excipere potest. Quod ita intelligit, vt teneatur vt plurimum per se audire subditum, si cognoscat illum nolle adire alium Confessarium, petatque se audiri tempore opportuno, non horâ prandij aut somni aut grauiorum negotiorum. Inde infertur quosdam Parochos non esse nisi vmbras Parochorum qui omnia sua munia aliis relinquunt, vixque quidpiam per se exercent.

6. *Propositio.* Censeri potest probabiliter residere Parochus qui substituto Vicario idoneo prope Parochiam ita habitat vt præsentem se exhibeat diebus Dominicis ac in Festis solemnioribus, cum Parochia non est ita ampla ac populis abundans vt quotidie fere requiratur eius præsentia. Quod vltimum additur, quia in numerosâ plebe vix posset aliter satisfacere suo muneri propter instantiam casuum quotidianorum. Probatur quia sic Pastor per seipsum exercet maiorem partem officiorum curialium, Missam solemnem celebrando, audiendo Confessiones eorum à quibus desiderari posset, Sacramentum Eucharistiæ administrat, aliaque quæ occurrunt. Potest insuper visitare plures ex infirmis, qui

non solent tam cito mori. Et si verò aliis diebus hebdomadæ quispiam infirmetur ad mortem adest Vicarius qui necessaria Sacramenta suppeditet, nec longius abest ipse Pastor, si eius præsentia expotetur & quamuis aliquando non possit adesse nec ita liberum sit in aliquo casu Parochianis eius præsentiâ frui ob difficultatem aliquam itineris: Attamen ob hos casus rarò accidentes, non debet censeri non residere, cum iidem casus accidere possint, cum per aliquot horas, aut dies extra Parochiam licitè degit ob varia negotia, propter quæ tamen non habetur non residens, quia non obligatur Pastor qui habet Vicarium ad omnia Parochiæ munia per se subeunda nec istud in praxi est, cum Vicarij soleant ipsi cooperari ac magnam oneris partem sustinere ad Pastoris leuamen. Probatur autem hęc assertio ab iis authoribus quos proxime citabimus, contra alios qui contendunt requiri vt intra limites Parochiæ habitet continuò, exceptis forsan duobus aut tribus mensibus ex Priuilegio per Concilium Tridentinum concesso *sess.23. cap.1. de Reform.* Fauet Goffridus de Fontibus lib.11. art.9. cuius manuscriptum est in Bibliotheca Sorbonæ. Si Curatus sit in studio vel in seruitio magni alicuius viri aut Prælati ad vtilitatem maiorem Ecclesiæ,

7. *Propositio.* Locus tamen in quo habitat ordinariè Parochus extra dies Dominicos ac Festorum solemnium non debet distare à Parochia secundum resolutionem Collegij sacri Bononiensis quam affert Beia 4 p. casu 21. supra vnum milliare Italicum, aut supra duo milliaria secundum Bonacinam in disputatione *de onere & obligatione Beneficiariorum ad residendum puncto* 1. quia qui parum distat nihil distare videtur. Tum quia huiusmodi distantia in notabile subditorum detrimentum aut incommodum vrgere non videtur per se loquendo. Et parum pro nihilo reputatur. Tum quia sequeretur Parochos non residere dum in vrbe existunt extra fines propriæ Parochiæ. Secus si tribus aut quinque miliaribus à Parochiæ finibus absit, nam fieri potest vt subditi ob huiusmodi distantiam, graue detrimentum patiantur & salutis periculum, dum tantum itineris peragitur. Vbi hi authores videntur id concedere non substituto Vicario de quo mentionem non habent, vt id magis concessuri essent substituto Vice-curato idoneo, pro casibus fortuitis occurrentibus.

Obiicies quod dicit Barbosa *de potest. Episc.p.3. allegat.53.* quamuis Parochialis tribus aut quatuor miliaribus tantum distet à ciuitate non habebitur residens manendo in ciuitate &

& tantum Dominicis ac Festiuis diebus ad Parochiam accedens, vt decisum refert Garcia per D. Cardinales Concilij interpretes. Resp. nec nos hic admittere distantiam trium aut quatuor miliarium, sed minorem. Obiicit Basæus verbo *residentia* contra Beiam & Bonacinam, accessum istum esse magis visitationem quam residentiam. Respondetur esse vtrumque, est enim visitatio quâ inspicit & considerat si rectè agantur cuncta circa oues, & est rursus residentia in quantum commoratur tantum intra limites Parochiæ quantum necesse est in minoribus Parochiis ad oues suas agnoscendas, ad sacrificium pro his offerendum, ad instruendum inter Missarum solemnia & alia munera Pastoralia obeunda: quæ in huiusmodi locis non requirunt ita assiduam ac fixam Pastoris præsentiam, ne detrimentum grex patiatur aut aliquâ sui parte vastetur defectu instructionis aut administrationis Sacramentorum. Vnde sicut in Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 1. de Reformat.* quod est de residentia dicitur, qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse, quia statim reuersuri sunt: sic non videntur abesse, qui tam parum distant à Parochia, vt in ea statim adesse possint, si vrgeat necessitas aliqua quæ eorum præsentiam requirat. Sunt enim ista moraliter intelligenda, nec in rigore verborum, & Bonacina vbi supra absurdum putat, curatum non censeri residere, si habitet in vrbe in qua sita est Parochia, & si extra limites Parochiæ domicilium habeat ordinarium. Idem quoque eadem disputatione *puncto 5.* putat excusari posse Cardinales qui Romæ eliguntur ad Episcopatum Albanensem vel Tusculanum vel Ostiensem vel similes. Cum enim ab Episcopatibus parum distent, & non solum per Vicarios sed quandoque per seipsos negotiis propriæ Diœcesis operam nauent, illamque aliquando visitent, ipsorum absentia non reputatur absentia, saltem adeo perniciosa vt illis in Curiâ Romanâ commorari non liceat. Citatque pro hac sententia Vasquez, Layman, Sotum & alios contra Sanctarellum. Idem sentit Ambrosius Gauffrius in *Synopsi decretalium* ad titulum *de Clericis non residentibus.* Vbi post Ostiensem & Panormitanum ius veniam facere assiduitatis & residentiæ sex Episcopis qui summo Pontifici solent assistere, asserit.

8. *Propositio.* Possunt superiores ob graues aliquas causas dispensare Pastores inferiores de residentiâ. Probatur ex Concilio Tridentino loco citato in quo afferuntur istæ causæ. *Nam tum Christiana charitas vrgens necessitas, debita obedientia,*

obedientia, ac euidens Ecclesiæ vel reipublica vtilitas aliquos nonnunquam abesse postulent & exigant, decernit eadem Sacrosancta Synodus, has legitima absentia causas à Beatissimo Rom. Pontifice aut à Metropolitano, &c. in scriptis esse approbandas, &c. vbi quatuor causâs non residendi affert quæ totidem causæ sunt dispensandi Episcopos à residentia. De Curatis vero subiungit idem Concilium. *Discedendi autem licentiam in scriptis gratisque concedendam vltra bimestre tempus nisi ex graui causâ non obtineant.*

Probatur ex Diuo Thoma 2.2. q.185. art. 5. vbi resoluit si subditorum saluti possit sufficienter in absentiâ Pastoris per alium prouideri: tunc licet Pastori vel propter aliquod Ecclesiæ commodum, vel propter personæ periculum corporaliter gregem deserere, &c.

Probatur ex Suario *de Legibus lib.2. cap.14.* vbi defendit posse humanâ potestare Papæ Episcopum dispensari de residentiâ prouidendo eius Ecclesiæ alio modo & onus illius in se suscipiendo ex rationabili causâ. Et inde consequenter fit vt proprius Episcopus liberetur personali obligatione.

Probatur insuper exemplis aliquarum dispensationum, quæ sunt inter declarationes Cardinalium adiunctas capite primo de reformatione *sess.23.* Concilij Tridentini, ex vltimâ recognitione Gallemart. Vbi inter cætera refertur, Parochum non habentem commodam habitationem in Parochiâ fuisse dispensatum vt degere possit in loco vicino. Additurque inter causas excusantes à residentia connumerari infirmitatem incurabilem, aërisque intemperiem certo anni tempore.

Obiicies inter easdem declarationes haberi licentiam obtentam ab Episcopo de non residendo, non excusare à residentia, cum eam Episcopus concedere non possit. Respondetur declarationem hanc intelligendam esse de licentia concessâ sine causa sufficenti.

9. *Propositio.* Etsi Episcopus per trimestre non resideat absque causâ & Curatus per bimestre attamen non peccat. Quia Concilium Tridentinum concessit istud spatium Episcopis ac Curatis ad relaxandum animum. Sic Barbosa *in Concil.Trid.sess.23.c.1. n.16.* & Sanctarellus *variarum resol. q.4.n.5.* Relati à Diana, *parte 9. tract.6. resolut.* 22. quorum sententiis ipse adhæret contra Texedam in Theol. Morali, *tom. 1. lib. 2. controuersia 10. num. 22.* qui hanc licentiam tantum inseruire Episcopis censuit ad non amittendos fructus

ctus beneficij pro illo tempore absentiæ. Quia cum residentia sit de iure diuino naturali, non potuit Concilium in eâ dispensare ad trimestre aut bimestre. Sed ad Texedam responderi potest satis patere ex contextu verborum Concilij mentem fuisse quod absque peccato abesse possent hoc temporis spatio : alias siquidem peccato illorum consentiret concilium ac illud approbaret. Quod sentire nefas est. Potuit autem Concilium saltem ius diuinum & naturale interpretando hoc spatium absentiæ indulgere.

10 *Propositio.* Potest Episcopus trimestre vnius anni continuare cum trimestri alterius anni, sicque abesse per sex menses quod itidem de Curato respectu bimestris admitti potest. Sic Diana loco citato. An vero sic possent plura trimestria simul iungi, non facile assererem , quia longior absentia plus gregi affert detrimenti.

11. *Propositio.* Fieri potest vt aliquis Parochus non teneatur iure diuino habitare assiduè intra limites Parochiæ, qui tamen iure humano , puta id expresse decernente Episcopo , tenebitur. An autem expediat ita omnes arctare, iudicandum erit ex fructu quem affert in Parochia Parochus, & ex detrimento si quod accidat ex habitatione non ita assiduâ. Peccatum enim non residentiæ assiduæ petitur ex detrimento quod per illum gregi infertur secundum Caietanum in *summula* verbo beneficium. Ita vt propter paruitatem damni sit tantum veniale. Fieri autem potest vt certus Parochus vtilior sit gregi, etsi non tia affixus sit loco Parochiæ, quam plures alij , vt experientia ita prodit.

Cætera breuius perstringemus ne moles huius libri excrescat. Ac primo quod spectat ad regimen curæ Pastoralis rectè aduertit Ludouicus Beia , part. 2. *de irregularitate & absol. ab ea casu 6.* Parochum si sciat aliquem furem velle furari non peccare contra legem iustitiæ aut esse restitutioni obnoxium si id non impediat vel prohibeat, cum ex officio illi non incumbat cura boni temporalis publici aut priuati , sed cura animarum : nec est minister ad iustitiæ vindictam , sed ad spiritualis salutis acquisitionem , agereque debeat pro deducendis ouibus ad cœlum, quarum est Pastor , idque prædicando ac Sacramenta administrando non autem accusando aut denuntiando. Ex qua doctrina collige zelum quorumdam curatorum qui procurant accusari coram iudicibus ac etiam incarcerari quosdam Parochianos vitæ improbæ vt emendentur , esse supra obligationem Curatorum qui non habent forum externum. Tenentur enim consulere eorũ animabus per doctrinam *Officium Curati.*

doctrinam, quando laborant, ignorantia eorum quæ necessaria sunt ad salutem & per administrationem Sacramentorum quando illa petunt, nec tenentur ex officio ad impedienda omnia mala suorum subditorum, sed illa solum quæ proueniunt aut ab errore aut à carentiâ Sacramenrorum, tenetur enim ex officio tantum docere & Sacramenta ministrare & exemplo pascere, vt habetur in Concilio Tridentino, *sess*. 23. *cap*. 1. Posseuinus tamen de *officio Curati, cap*. 12. *num*. 59. Docet illum teneri non tamen ex iustitia, sed ex charitate arctius quam alij ad habendam curam miserabilium personarum ac pauperum, adhibita moderatione tali, vt non veniat in suspicionem contra castitatem, dum mulierum aut puellarum pauperum negotia promouebit.

Matrimonium tantisper poterit differre, tantum donec contrahentes addiscant magis doctrinam Christianam, non tamen impedire poterit, cum pertineat ad summum Pontificem Matrimonio impedimenta constituere non Parocho. Ioan. Sanchius *disp*. §. 8. *selectarum n*. 9.

Non potest dare potestatem absoluendi Sacerdoti non approbato ab ordinario, iuxta Decretum Concilij Tridentini, *sess*. 25. *cap*. 15. quia Ecclesia potest limitare iurisdictiones Pastorum ordinariorum; ac cum debeat ouium vtilitatem ac salutem procurare, exponit eos ruinæ spirituali, dum in Sacramento pœnitentiæ priuantur remissione peccatorum ac gratia sanctificante. Nec vellent Parochiani tali Confessario peccata detegere si scirent tam mancam esse eius iurisdictionem: adeóque peccant Parochus, & Confessarius sic absoluens cum defectu approbationis & consequenter iurisdictionis. Nec excusantur propter opinionem paucorum quorumdam contra sententium, quia agitur de re necessariâ & essentiali in Sacramento, in quâ non licet recedere à magis vera & probabili sententiâ, iuxta dicta superius, *parte* 1. *quæstio*. 13.

Monet Posseuinus cap. 2. *de officio Curati*, Curatum toties teneri ad Missam celebrandam, quoties tenetur illam populus audire. Non tamen semper obligari curarum sub mortali illam Missam populo applicare, quia de ea obligatione non constat: & aliud est celebrare, vt populus audiat & vt pro populo applicetur, & vnum non infertur ex alio. Quoties autem applicare debeat populo id relinquendum esse prudentis iudicio: pluries enim applicare debebit si beneficium sit pinguius. Non desunt tamen authores qui liberant ab omni obligatione applicandi Sacrificium pro populo: itavt etiam possit

possit,eleemosynam consuetam seu salarium accipere : & si optimè fact... unt si ab hoc abstineant, vt suspicionem turpis lucri effugiant. Ratio est quia iura iuribus expedit concordare, nec noua obligatio inducenda est,nisi de eâ manifestè constet. At non constat de ista obligatione ad applicandum. Ita Illuminatus Moronus *respons.93.*& apud eum Bonacina de *Sacram.disp.4.q.vlt.part.7.* & apud ipsum Vasquez 3. *p.disp.234.art.6.cap.6.* prior tamen sententia Posseuini æquior est.

Cap.3.Idem notat disputatum fuisse in Concilio Tridentino an munus prædicandi deberet curatis iniungi, sed à determinatione Concilium supersedisse.Monuisse tamen *sess.§4. cap.7.de reformatione*,vt Parochi exponerent eloquia sacra & in lege Domini populum erudire studerent. Ad quos vult illos esse obligatos Toletus, sufficere tamen si faciant per alios. Excusant tamen alij cum per se non possunt nec habent redditus sufficientes. Quòd autem plures non possunt aduerto Papirium Massonum in historia regum Galliæ, id attribuisse mendicantibus,qui cùm onus curatorum suscepissent, desierunt ipsi studere concionibus elaborandis & ad populum habendis. Sed hoc per transennam dictum sit. Cæterùm inter prædicandum neminem priuatim lædere debent, & magis cum breuitate & facilitate sermonis quàm declamatorio modo populum erudire. Nec tenentur contra peccata suorum prædicare,si nulla sit spes emendationis, nec ea docere quæ populus scire non tenetur, nisi sint in damnum tertij. Nec debet admonere de peccatis nisi certo sciat esse peccata mortalia, non de his quæ sunt sub variis opinionibus, nisi admoneat certa pro certis, dubia pro dubiis. Redarguere autem peccata quæ non sunt communia, sed in vno dumtaxat aut altero reperiuntur, imprudentiæ est sæpe, cum non sit spes emendationis, & prudentius priuatim moneretur,

Cap. 4. docet teneri curatum instruere suos in doctrinâ Christianâ,per quam intelliguntur rudimenta fidei, quæ sunt Symbolum Apostolorum, decem præcepta & oratio Dominica, Quæ scire necesse est,cùm reliqua sint tantum ad bene esse. Si quis autem tam hebes sit, vt non possit omnes articulos capere,sufficit si capiat aliquos clariores, reliquos credat vt Ecclesia credit. Est autem opinio probabilis quod quis non teneatur ea omnia scire memoriter, sed eorum substantiam. Ita Azotius *instit.1.p.l.8.c.7.q.5.& 6.*quamuis Nauarrus velit esse obligationem sub veniali, in *Manuali cap.* 11. Debet

bet autem eniti vt nullus adultus ignoret quid sit Iesus Christus & vt nullus dicat tres esse Deos, sicut solent plerique respondere.

Parochus si vocetur ad mulieres grauidas non impiger esse debet quia sæpe citius extinguntur, absque Sacramentis. Dubium autem est de fœtu. Consuluit ea de re Posseuinus peritos Medicos qui putant eum sæpe viuere vna horâ post extinctam matrem. Consuluit antiquas obstetrices, quæ censuerunt fœtum extingui simul cum matre vel paulò ante aut paulò post *de offic. Curati c.6.* dub. Monere potest curatus vt aperiatur latus matris demortuæ vt extrahatur infans & baptizetur. Sed sæpe desunt periti Chirurgi, & præ mœrore abest sapientia & consilium.

Tempus pestis. Dubitatur tempore pestis an teneatur administrare Sacramenta Eucharistiæ & Extremæ-vnctionis, quia qui sani erunt nollent amplius cum ipso conuersari si iret ad infirmos peste, certum est posse per alios si inueniantur qui hæc Sacramenta velint ministrare iis qui ea expetunt. An vero per seipsum teneatur deficientibus aliis qui ministrent. Certum est teneri iis administrare qui sunt in peccato mortali, *bonus enim Pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Ioan. 10. Attamen multis visum est, si Pastor probabiliter timeret periculum mortis ex infectione pestilentium, excusari si integram Confessionem non exciperet, sicut ipse pœnitens excusaretur ab integrâ Confessione, quando ex illa sibi timeret damnum notabile, quod sibi iniustè à Confessario inferendum esset. Quod noto, ait Chapeauilla, *de Sacramento pœnitentia q. 26.* in solamen Pastorum & eorum qui necdum tantâ ardent charitate vt periculum vitæ corporalis pro maiori quiete spirituali proximi adire audeant. De Eucharistiâ, negant Rodriguez *p.1. c.* 77. cum Tabiena obligationem esse cum periculo vitæ: asserunt Suarez de *pœnit. disp.* 44. *sect.* 3. & Posseuinus de *officio Curati c.8. n.* 34. estque pro animâ Curati tutior hæc sententia quicquid sit de eius corpore, etiamsi peste infectus haberet votum Eucharistiæ, quod illi satis esset si Pastor deesset.

De extremâ-vnctione non videtur magis obligari Pastor ad administrandam, quam Parochianus ad recipiendam. Postquam absolutus est hocque probabilissimum asserit Diana *p.* 3. *tract.* 4. *resolut.* 174. post Villalobos & Molphesium. Licet aliqui id dicant falsum & impium.

Quid si ingruant hostes an poterit fugere Pastor vt vitæ consulat? minimè. Quia tunc multi confugiunt ad Ecclesiam

ſiam Sacramenta petentes, vt multis explicat D. Auguſtinus *epiſt.* 180. an non cogitamus cum ad iſtorum periculorum peruenitur extrema, nec eſt vlla poteſtas fugiendi, quantus in Eccleſiâ fieri ſoleat ab vtroque ſexu atque ab omni ætate concurſus, aliis baptiſmum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis atiam pœnitentiæ ipſius actionem? *Vbi ſi miniſtri deſint quantum exitium ſequitur eos, qui de iſto ſæculo vel non regenerati exeunt vel ligati, &c.* & Nicolaus Papa in *c. ſciſcitaris 7. q.1. ſi pernicioſum eſt, nautam in tranquillitate nauem deſerere, quanto magis in fluctibus.*

Dubitatur an Parochus teneatur ſequi vſum ſui prædeceſſoris. Reſpondet illuminatus Moronus conſultor S. Inquiſitionis, in reſponſis ad centum quæſita reſponſo 94. ex eo quod ab immediato prædeceſſore aut ab omnibus aliis aliquid ſit præſtitum non poſſe ex hoc colligi quod ſit inducta obligatio, quia nemo poteſt ſuâ auctoritate alium obligare niſi habeat ius id faciendi, nec Parochus poteſt ſe ſolo imponere onus ſuo beneficio reſpectu ſucceſſorum propria authoritate, ex facto enim alieno nemo obligatur, & obligatio ſine claris probationibus non eſt inducenda, excipe tamen ab hac regula fundationes pias, & quæ fieri ſolent ex conſuetudine vniuerſali Diœceſis, & quæ ſcandalum inferrent ſi non obſeruarentur. *Cautio. Curati.*

An poſſit Curatus vti veteri oleo & Chriſmate illo anno non benedicto? extat præceptum de Chriſmate veteri comburendo, & nouo adhibendo de Conſecratione diſt.3. c.litteris. De oleo vero non extat præceptum in iure. Vnde quidam reformidant lethalis culpæ damnare non adhibentem nouum oleum, ſi fiat ſine ſcandalo & contemptu. Cenſet etiam Layman probabile eſſe vnctionem infirmi renouandam non fore ſi per errorem cum Chriſmate facta fuiſſet, ſed rem Deo eſſe commendandam. *Ita in Theolog. Morali l.5. Tract.8.c.2.* Seruanda tamen conſuetudo, & præcepta ritualis propriæ Diœceſis quod Curatus debet computare pro vtiliori ac doctiori libro, quem poſſit nanciſci ad muneris ſui exercitium, illiuſque præceptionibus quantũ poterit in omnibus ſe conformare ad vitanda multa peccata, tenetur enim obedire Epiſcopo. Vnde & præter illa omnia quæ continentur in rituali, ſi mandat Epiſcopus aliqua denuntiari, tenetur ſub mortali obedire. Docet Poſſeuinus de *offic. Curati cap.2. num.* 31.

Quid ſi eſt in peccato mortali cum petitur ab eo Sacramentum? non poteſt conferre niſi prius confiteatur ipſe

aut saltem conteratur verâ contritione. Nec potest celebrare si adsit copia Confessarij sine peccato mortali. Censetur autem non adesse si longius distat & instante necessitate sacrificandi grauis & vera adsit incommoditas adeundi Confessariũ ex pluuiâ, niue, discursione hostiũ ac similibus causis. Sufficit enim tunc vt conteratur. Toties autẽ peccat, quoties in peccato mortali administrat Sacramenta, iuxta quod dicit D. August. l. 2. contra epist. Parmeniani cap. 10. *Omnia Sacramenta cum obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus*. Excipit Vasquez in 3. parte tom. 2. disp. 136. cap. 3. administrationem Eucharistiæ, quia non conficitur tunc cum administratur, quia non consistit in vsu & actione sola, vt supra dictum est *in examine Sacerdotum*.

Quid si est in peccato mortali, qui petit Sacramenta? Dubium non est de Sacramentis mortuorum Baptismo & Pœnitentia, quæ existentibus in peccatis administrantur, si habeant cæteras dispositiones. Sed dubium est de aliis. Ac primo de Eucharistia hæc regula seruari debet, vt peccatori petenti in publico non denegetur, sicut nec Christus Iudæ denegauit, petenti autem in occulto denegari potest & debet, quia tunc non subest periculum infamiæ, sicut quando petit in publico. Atque idem iudicium est de Confirmatione & Extrema vnctione. De Matrimonio vero, speciale est quod Parochus non sit Minister, sed tantum testis assistens, vnde multi docent eum posse assistere Matrimonio publici etiam peccatoris, modo non sit excommunicatus, nominatim denuntiatus, aut notorius percussor Clerici. Ita Præpositus *in 3. p. quæst. 7.* de impedimentis Matrimonij *dubio 24.* & Layman *tom. 1. l. 5. tract. 10. p... cap. 4.* quos refert & sequitur Card. de Lugo de Sacramentis in genere *disp. 8. sect. 13.* quia cum Parochus sit Minister publicus non debet negare suam assistentiam: sicut nec Notarius alicui volenti legitimum contractum inire, licet ex praua intentione: nec mulier debitum negare viro petenti post votum castitatis. Deberet autem ex charitatis lege monere & remouere ab indigna Sacramenti perceptione, volentibus autem sic contrahere & instantibus ad hoc assistentiam debitam subtrahere non posset. Quia hæc Sacramenta tempore & loco sunt pascua debita ouibus à Pastoribus & Parochis. Si tamen posset probari impedimentum occultum, non deberet Parochus assistere etiamsi vnico teste probaretur. Vide Thomam Sanchez de *Matrim. l. 3. disp. 15. num. 13.*

Ordinatio. Aliter dicendum est de ordinatione quam Prælatus ex iure recusa

recusare potest indigno, siue in occulto, siue in publico petat, atque ad hoc inquirere potest in vitam & mores ordinandi, vt indignum repellat etiam cum infamiâ. Quod sibi ipsi debet imputare, quod sese ingerat, & velit non vocatus, sumere sibi honorem, ad quem ex se ius non habet. Nec collatio ordinis est verus actus pascendi, sed est actio iuridica principis ad quā pertinet pro publica vtilitate constituere ministros idoneos. Excipiendus tamen ille, qui haberet beneficium requirens, ordinem, qui non deberet repelli ob defectum occultum, si publicè peteret iuxta responsum Alexandri 3. *de temporibus ordinat. cap. ex tenore*, iuncta glossâ ad illud responsum Alexandri datum Archiepiscopo Turonensi.

Quæ dispositio requiratur in eo qui suscipere debet Extremam-Vnctionē cum confiteri non potest. Debet tunc Curatus inducere ad actum contritionis maiorem quem potest. Quid si nihil audit nec exhibet signa contritionis? Nec sic neganda erit Extrema-Vnctio si perierit antea vel si Christianè vixerit. In hanc autem sententiam adducor, quod forma istius Sacramenti sit deprecatoria: & præsumi soleat bonus qui non probatur malus. Quod etiam asserit Mæratius *de Extremâ Vnct. disp. 9. sect. 2.* de eo qui in amentiam cecidisset.

Quoad tertium caput principale quæstionis, quomodo Pastor exibit à Pastorali regimine, an per dimissionem, an per resignationem, an per mortem quæ diuinam quamdam reuocationem continet non est leuiter considerandum. Multos vexat tentatio quædam mutationis status & inconstantiæ, cui cedentes tentationi dimittunt beneficia intempestiuè, incidunt que in manus de quibus non possunt postea surgere, quibus dicas istud propheticum Zachar. 11. O *Pastor, ô idolum derelinquens gregem tuum.* Lepidè Abbas quidam dicebat se per viginti annos didicisse cum multo labore duas primas litteras alphabeti A. B. sibi totidem opus esse ad discendas duas sequentes litteras C. D. vt temerè non cederet. Hinc porro lites pro regressu ad beneficium & aliquando mœror per reliquam vitam, quem aliquibus otium infert, cui nunquam possunt assuefieri. Si beneficium crux est, in eâ perseuerandum quantum vires possunt, & quamdiu vtiliter agis, nec ex eâ descendendum nisi deponaris. Aureola quædam dabitur bonis Pastoribus tanquam Doctoribus gregum suorum si perseuerantes, & vigilantes inuenti fuerint, cum Dominus in horâ mortis aduenerit. Alios vero immoderatus amor nepotum, id est, caro & sanguis sui iuris esse non sinit, quibus vt aliquando fœliciter cedit talis resignatio cum consan-

Exitus à cura Pastor.

guinei studiosi extiterint, sic non rarò in pernitiem Ecclesiarum, quibus inepti perficiuntur, neglectis aliis virtute & prudentiâ maiori pollentibus. Innocentius exeunt ex cura Pastorali qui cum sibi vires imminui vident ob senectutem, aut ob infirmitatem corporis, successorem probum sibi deligunt. Qui etiam si id faciant pensione retenta, cum reliquum sufficit sustentationi successoris, non est quod vituperentur, cum ob id institutæ sint primo pensiones. Modo tamen summus Pontifex eam ratam habeat, quia cum sit diminutio beneficij sine illius authoritate non valet. Qui etiam non tenebitur restituere fructus pensionis si aliquando breuiarium non expleat, vbi Bulla Pij V. obligantis pensionarios ad recitandas horas, non est recepta, sicut in Gallia non est.

Quantum autem metuere debent Rectores Ecclesiarum indignum successorem sibi subrogare atque ad hoc cooperari, prodit satis exemplum D. Augustini, qui cum quemdam Antonium iuuenem Presbyterum promouisset in Episcopum apud Fussalenses quos à suo Episcopatu distraxerat, audiretque eum populos istos ab Ecclesia Catholica dimouere ad Donatistarum partem. *Me* inquit Epistol. 292. ad Cœlestinum Papam, *tantus mœror excruciat, vt ab officio cogitem gerendi Episcopatum abscedere, si per eum, cuius Episcopatui per ignorantiam suffragatus sum vastari Ecclesiam Dei conspexero. &c. Iudicabo meipsum* 1. Cor. 11. *vt parcat mihi qui iudicaturus est viuos & mortuos.*

Quaritur decimo octauo de examine Doctorum.

Quæsitum hoc latius patet quam prima specie appareat, sunt enim multi docti & Doctores, quidam litterati tantum, alij insuper & bullati iique in variis facultatibus, de quibus, ne de aliis tractantes nosmetipsos prætermisisse videamur, aliqua dubia vacat dissoluere.

Primo autem circa homines huiusmodi, anxius fuit quidam etsi non minoris scientiæ & ingenij quam alij, an ad Doctoratum deberet adspirare, credens se non esse adeo idoneum & satis magnæ capacitatis. Cui responsum est, quoniam in illa facultate, satis exactè tentarentur vires & studia candidatorum priusquam admittantur, posse tuta conscientia eorum Iudicio stare, vt si ab iis post examen admitteretur, ad lauream pergeret.

Dubium hoc satis rationabile, quo vtinam plures vexarentur, excitat Card. Caietanus *in summula peccatorum*, verbo *Doctor*, vbi ait Doctorem fieri, aut facere insufficientem notabiliter

biliter peccatum est, quia actus voluntarius caret debita sibi materia & quia iniuria per hoc fit omnibus quibus ille propter Doctoratum præponitur, & quoad honorem & quoad locum. Ex his tamen quia notabiliter alij non læduntur(non multum enim homines videntur æstimare hoc) non video peccatum mortale. Sed grauis materia videtur peccatum mortale si de medicinæ, aut Theologiæ Doctoratu sit sermo: quia est factum pernitiosum quantum est de se. Quoniam eo ipso quod aliquis constituit aliquem Doctorem in Medicina, approbat & præponit illum vniuerso mundo in medicum. Doctorare enim est approbare publicè scientiam in illa facultate, ac per hoc mendacium pernitiosum facto committit exponendo periculo vitæ corporalis omnes recurrentes ad illum ignorantem, & simile est de Doctore in Thologia, qui est velut medicus animarum, & sic non solum populares, sed etiam Presbyteri habentes curam animarum confidunt de scientia illius Magistri, & inde deciduntur erroneè casus conscientiæ, inde docentur falsa & dicunt pro auctoritate, Magister in Theologia dixit, &c. *Doctorare quid.*

De Doctoratu vero in iure, raro videtur periculum, quia nisi aliter sciatur esse doctus non facilè credit quis illi suam causam medicum autem propter ingentem sanitatis spem ægrotus statim rogat,

Suffragatur huic sententiæ Nauarrus *in Manuali, cap.25. num.55.* Dicendum quod peccat mortaliter primo qui errat aliquo ex quindecim modis relatis ab Aluaro Palagio *de planctu Ecclesiæ, lib. 2.* quorum vnus est petere aut accipere lauream Theologiæ, aut canonum quam non meretur. Et qui licet sit ideoneus tamen principaliter petit illam propter honorem & vtilitatem propriam secundum S. Antoninum. Quod non probamus post Syluestrum verbo *Doctor.*

Quid vero censendum sit de Doctore si doceat scripturam sacram in statu peccati mortalis, quia eadem ratio de est prædicatore, dictum est in *supplemento 3. Theologiæ Affectiuæ cap.2. absu 12.*

Augustinus de Ancona monet aliquot dubia de Doctoribus maximè in Theologia, in quorum resolutione patere poterit in quibus maximè deuiant à recto tramite. Quærit 1. *in summâ q.108.* An dignus Magistrari in Theologia teneatur scire humanas scientias, ad quod affirmatiuè respondet, quia ad Magisterium diuinæ scripturæ assumptus tenetur ipsam declarare intelligibiliter, docere eloquenter & contra impugnantes defendere fideliter, ad quæ tria plurimum valent humanæ scientiæ. *de Ancona.*

Quæritur secundo, art. 2. An dignus Magistrari in Theologia teneatur scire omnium gentium linguas. Ad quod respondet non teneri ex necessitate, sed teneri ex congruitate propter infidelium conuersionem, scripturæ sacræ pleniorem intellectionem & propter docentis fructificationem, Doctor enim efficitur vniuersalis scientiæ quæ omnibus est cõmunicata. Ex qua congruitate prouidè ordinatum est *extra*. de Mag. per constitutionem Clementis, vt Parisiis, Oxoniæ, Bononiæ, Salmantiæ & in Ro. curia teneantur aliqui habentes Græcæ, Hebraïcæ, Arabicæ, Chaldaïcæ & linguarum notitiam per quos alij instructi in huiusmodi linguis fructum speratum possint Deo autore producere.

Quærit art. 3. An etiam teneatur dignus Magistrari in Theologia scire ius canonicum. Cui affirmatiuè respondet quia eadem quæ tractantur in iure canonico & recipiuntur, vel reiiciuntur, etiam in Theologia tractantur, recipiuntur & reiiciuntur, licet diuersus sit modus sciendi & considerandi in vtraque scientia vt inter cætera quod à Theologo res magis determinantur vniuersaliter & in foro conscientiæ in quo agitur causa inter hominem & Deum. A canonistis vero magis particulariter applicando ad particularia negotia in foro exterioris Iudicij in quo agitur causa inter hominem & hominem. Et quia sermones vniuersales in materia morali parum sunt vtiles vt dicitur 1. *Ethic.* ideo puto quod prouida ordinatio esset vt dignus Magistrari in Theologia post lecturam Magistri sententiarum libri, teneretur legere librum Decretorum, quatenus magis tritus & expertus assumeretur in his quæ sunt necessaria ad consulendum saluti animarum fidelium. Hæc ille propter quod statutum est facultatis Parisiensis in viridi adhuc obseruantia, vt Baccalaurei admittendi ad primam licentiam interrogentur etiam de Conciliis quæ sunt fontes Decretorum. Hinc porro disces, si dixit Nauarrus vbi supra, rara itaque auis est in terra perfectus Canonista & si vtrique foro pernecessarius, quid de Theologo censendum sit.

Difficilior est de censurâ librorum quæstio quo pacto se immundus à peccato in hoc iudicio seruabit.

Respondetur adhibendas esse aliquas regulas in hoc iudicio. Prima est. *Alienorum operum censores liberi turbidis motibus sunto*, ac affectibus odij præsertim aut inuidiæ. Facile enim intellectus per voluntatem inclinatur, nihilque procliuius est quam vt voluntas intellectum deprauet. Vnde omnes plane contentiones omnesque hæreses ac fidei lacerationes ex eo fonte

fonte profluere tradit D. Hilarius initio l. 10. de *Trinitate.* Non est ambiguum, inquit, omnem humani eloquij sermonem contradictioni obnoxium semper fuisse, quia dissentientibus voluntatum motibus dissentiens quoque fit animorum iudicium, *&c.* immoderata enim est omnis susceptarum voluntatum pertinacia & indeflexo motu aduersandi studium persistit, vbi non rationi voluntas subiicitur, nec studium doctrinæ impenditur, *sed his quæ volumus rationem conquirimus, & his quæ studemus doctrinam coaptamus,* & D.Chrysost,hom.14.in epist. ad *Ephesios.* Disceptantes habent inimicitias non iudicantes veritatem. Et quomodo si sit amicitia, etiam falsa videntur vera, alia est mens aliud iudicium, non ex æquo audiens, sed cum magnâ inclinatione & in alteram partem propensione. *Quomodo enim in libra plumbum additum totum trahit, ita etiam hic pondus inimicitiarum cum sit plumbo grauius.* Legendus D. Thomas q. 3. *Prologi* super sententias ad *Hannibaldum*, vbi docet quo pacto diuersitas voluntatum inducat diuersitatem opinionum.

2. Regula *lente festinanto.* Præcipitationem auersantur ne volentes quidem ad configendum veniunto. Hinc Zozimus epist. 4. Tolerabilius est enim innocentem quemdam tardius inueniri, quam cito pro nocente damnari, & Gerson in protestatione quadã facta Parisiis pro exclusione schismatis, testatur quandoque in vnius dicti Theologici discussione, priusquam ad censuram veniretur, impensum tempus solidi anni quandoque biennij, aliquando vero post longam consultationem & comperendinationem nihil fuisse conclusum. Legendus Maior in 2.dist.2.qu.8.

3., Regula *inauditum neminem damnanto. Damnationis causam ne celanto, purgationis tempus ac facultatem conceduntο.* Siquidem summà iniustitia est damnare aliquem inauditum si audiri possit. Hoc omnibus repugnat iuribus. Proinde determinatè authori indicandum est quid in libro eius improbetur in specie, tempus quoque ac facultatem ad purgationem concedere, oportet sicut fit in secularibus iudiciis ex legum præscripto: perinde enim esset ac indicta causa & inauditum damnare. Sic actum est cum Baio cui exhibitæ sunt propositiones 79. sic cum Luthero ex cuius libris excerpti primum sunt articuli 41. sub Leone, sic in Concilio Constantiensi ex libris VViclefi articuli 45. ex libris Hussi articul. 36. tantum interest reo copiam defensionis non denegare vt defectus hic diuini humanique iuris confusio sit.

4. Regula, *iusti nimium ne sunto, seueritatem benignitate*

coniuncto quantum licuerit. Non enim debent censores esse nimium iusti in configendis aliorum defectibus, qui enim hoc faciunt cum tribulis simul & triticum euellunt. Circa iam conuictas hæreses alia ratio est, nam earum fraus non sinit vt qua simplicitate Catholicorum dicta agnoscimus sana, similiter cum eis agamus, & obtinere debet regula iuris in 6. *cum sunt partium iura obscura reo potius fauendum est.*

5. Regula, *in alienis dictis ne tricantor, amfractus ad nocendum dimittunto.* Sunt enim quibus auctor exosus est & siue benè siue malè scripserit volunt videri lapsum. Itaque in plano quærunt salebras. D. Hilarius l. 2. *de Trinitate* Optimus lector est qui dictorum intelligentiam expetit in dictis potius quam imponat, *& retulerit magis quam attulerit*, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante actionem præsumpserit intelligendum. Sic ille. Itaque cum plana & clara est mens authoris, vt quid putorem subodorari in sanâ & incorrupta materiâ vellis. Hoc est tricari, & artificiosè malignum esse.

6. Regula, *de Scriptoris mente non ex plagulis detruncatis, sed ex textura scriptionis pronuntiato.* Hinc D. Eulogius apud Photium *cod.* 225. constituit Legem & Canonem scripta diiudicare non oportere ex parte: neque fragmenta quædam sumendo ex his de tota scriptoris mente iudicium ferendum in l. *contra Seuerianos & Tritheitas.* Et certè Hæreticorum est partem aliquam scripturæ arripere & hanc deprauare & propter hanc cætera condemnare. Opportunissimè Philippus Abbas *epist.* 5. ad condemnandum quemuis librum non est prætendenda duarum vel vnius scrupulositas dictionis, sed consideranda totius series lectionis. Nusquam enim omnia simul possunt dici; & sunt nonnulla quibus singularibus potest merito contradici, sed cum omnia pariter attenduntur quæ videbantur respuenda, plerumque præsidio circumiacentium muniuntur. Apuleius *sub Apologia finem.* Cuiusuis oratio insimulari potest, si ea quæ ex prioribus nexa sunt, principio sui defraudentur. Si quædam ex ordine scriptorum ad libidinem supprimantur. *Dixit insipiens in corde suo non est Deus*, si vltima verba separes à prioribus, de atheismo insimulabis Dei adoratorem maximum.

7. Regula. *De alienis sententiis, ne ex gustu proprio aut suorum censento. Probabilitatem doctrinæ à quâ ipsimet abhorreant agnoscunto.* Sunt quædam enim adeo angusta pectora, vt quicquid extra sententias, quibus se addixerint, audire contigerit, improbandum putent. Quare prudens censor agnos-

ca-

cat probabilitatem sententiarum quæ verè sunt probabiles nec eam vel ex suorum vel ex proprio sensu metiatur. Ac proinde ne sit vnius vel alterius quantumuis grauis authoris lectione contentus, sed varios ac si fieri posset eruditos omnes scriptores peruolutet, priusquam de puncto quopiam durius aliquid statuat: meminéritque probabile aliquid esse reuera posse, quamuis nobis iuxta nostra principia & præconceptiones videatur falsum. Ochamus in tract. *de Corpore Christi* c. 36. detestanda est aliquorum modernorum præsumptio, qui se supra se extollentes, cupientes soli vocari Rabbi, omnem opinionem à suis dogmatibus dissentientem agitati inuidia damnantes, quia per rationem nesciunt improbare, tanquam periculosam & hæreticam caninis latratibus lacerant incessanter. Optime obseruat doctissimus Bannes 1. p. q. 1. art. 6. dubio vlt. conclusione 1. quosdam ea omnia, quæ eorum iudicio non consonant grauioribus censuris inurere, idque tanta facilitate, vt merito irrideantur.

8. Regula. *Nihil non intimè ac penitissime intellectum & persuasum, configunto.* Miserabile omnino ac miserandum iudicium quod ab eo fertur, qui rem de qua iudicat non habet perspectam. Sic Ioannes Picus Mirandulanus in *Apol. c.* 4. refert quemdam in sui ipsius opera excanduisse ad nomen *cabala*. Qui interrogatus quid esset cabala respondit Cabalam esse perfidum quemdam & diabolicum hominem qui multa contra Christum scripsisset, ac eius sequaces dictos cabalistas. Heulamiæ turres & pectines solis. Non enim absimili ratione multi improbant in alienis libris, quæ si intelligerent probarent, à censura certè abstinerent. Qui igitur iudicant meminerint se iudicandos, & iudicem incorruptissimum metuentes, ne statuant oculos suos declinare in terram.

9. Regula. *Si peccatum est in duabus aut tribus propositionibus ne ferias decem aut viginti propositiones.* Est enim afflicto dare afflictionem contra sapientes monitum. Et aperire latus tuæ censuræ vt confodiatur facile.

10. Regula. *Mitius agendum in saluando honore cum eo qui humiliter culpam agnoscit & corrigere paratus est sine dolo, quam cum contumaci & proteruo.* Sic Romanis rerum Dominis statutum erat parcere subiectis & debellare superbos.

Hæc fere omnia Theophilus Rainaudus inter doctos non ignotus, in libro *de bonis ac malis libris part.* 3. *Erotomate* 4. vbi & istud non perperam addit.

Qui in alienos libros temerariè & absque sufficienti ratione per censuras grassatur, grauissimum peccatum admittit. Pater quia aufert famam authoris qui aliquando potest esse magister orbis & innumeris prodesse hominibus; quibus ipsa censura redditur inutilis & indignus cui fides habeatur, refrigescit inde studium scribendi in multis. Inde hæretici calumniantur Ecclesiam quod in ea perpetua sint dissidia, nullaque in doctrinâ consentio, maximè si qui damnantur sint doctores aut Episcopi. Nec desinunt istas censuras suis auditoribus exponere, vt inde totam Ecclesiæ Catholicæ partem nihil habere in fide & doctrinâ certum concludant, esseque Babylonem confusione plenissimam, in qua nullus proximi sui linguam intelligat. Quapropter lethalem culpam admittit censor qui vel vt iniuriam ab authore quopiam cœtuue cui is conseritur, irrogatam vlciscatur, vel vt tempori seruiat, aut vt alteri eam à se gratiam exposcenti. velificetur, librum innoxium quæsitis prætextibus ex iniuriâ contexerit. Materia enim grauis est & damnum quod infertur autori est longè maximum. Agnosciturque verissimum quod dixit Adrianus 1. Can. 66. ex 72. pro Ingelramno collectis. *Magis periculum est iudicantis quam eius qui iudicatur.* Vnde vnicuique prouidendum est, ne aliquem iniuste iudicet aut puniat. Idem docet Suarez disp. 29. *de fide* sect. 6. Vnde existimo inquit & moneo posse facile grauiter peccari exaggerando proprias opiniones & contrarias conuiciis vel censuris sine delectu afficiendo. Sed & Gerson de *examine doctrinarum* consulendus.

Quæritur amplius an liceat Doctori à quo petitur consilium & resolutio alicuius difficultatis, consulere secundum minus probabilem sententiam. Affirmant licere qui relictâ opinione magis probabili minus tutam & probabilem sequi licitum asserunt, vt Diana p. 2. tract. *de opin. probabili* cum satis magna catervâ auctorum, qua circumuallat se contra Antoninum Peres, Comitolum, Gabrielem Biel, D. Antoninum, Syluestrum, Caietanum, Corradum, Sotum & alios id nefas arbitrantes. Sed id resoluendum est iuxta ea quæ diximus 1. p. huius examinis quæsito 13., sub finem vbi de probabilitate opinionis. Certè Cardinalis Richelius in suo libro *de perfectione* vehementer improbat quod Theologi consulti, id quod minus perfectum est, relicto perfectiori consulant.

Agitat aliam quæstionem non minoris forsan momenti Henricus à Gandauo *quodlib.* 1. q. 25. an melius sit ire ad. salutem

salutem animarum, quam stare in studio. Nam quod dicitur Eccles. *quodcumque potest manus tua operari instanter operare*, hoc maximè dicitur de salute animarum procurandâ. Dicente Augustino, ille magis in amore Dei constituitur, qui plures ad amorem Dei trahit. Hoc potest facere qui sufficienter est instructus. Contra, est communis consuetudo. Hanc quæstionem variis distinctionibus exagitat, eo tamen videtur tendere eius solutio, quod cum homo sit Doctor non propter se, sed propter alios, variaque sint dona gratiarum nec quisque ad singula officia rite peragenda dispositus sit & variis modis possit consuli saluti animarum, vnusquisque debet consulere in quo statu valeat magis ad proficiendum animabus: quare non potest dari pro omnibus eadem regula.

Quæritur decimo nono, de examine habentis casus reseruatos Episcopo.

Aliquis confessus est bonâ fide peccata reseruata & non reseruata Sacerdoti inferiori non habenti iurisdictionem in casus reseruatos, qui tamen dedit absolutionem omnium, remittens eum ad superiorem pro casibus reseruatis, dubium est an valida fuerit talis absolutio, & vtrum teneatur reiterare confessionem omnium, tam reseruatorum, quam aliorum.

Attendenda hîc primum doctrina Concilij Tridentini sess. 14. c. 7. *Piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat in eadem Ecclesiâ Dei semper custoditum fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis & censuris absoluere possunt. Extra quem articulum Sacerdotes cum nihil possint in casibus reseruatis, id vnum pœnitentibus persuadere nitantur, vt ad superiores & legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant.* Ex quibus verbis colligendum est huiusmodi pænitentem si fuerit sic absolutus in articulo mortis (quo etiam intelligitur morbus valde periculosus) valdè absolutū fuisse: at extra illum casum non fuisse valdè absolutum, quia nihil poterat Sacerdos in illo casu, nec erat legitimus iudex, & tenebatur ei persuadere vt ad alios accederet legitimos iudices: ergo sententia fuit nulla & lata à non iudice: idcircò pœnitēs tenetur confessionem integram reiterare coram superiori Sacerdote. Licet autem inter antiquos plures aliter censuerint, tamen post expressa verba Concilij non datur locus probabilitati aliarum opinionum, iuxta quod dicit Baldus in l. *ancill. C. de furto.* Omnis dubitatio cessare debet cum habeamus textus expressos. Confirmatur ex eo quod dicat Concilium

lium nullam esse reseruationem in atticulo mortis , *ne hac ipsa occasione aliquis pereat*, si nempe non absolueretut ab habentibus potestatem in reseruatos, ergo est in statu perditionis, qui extra hunc articulum absoluitur tantum exterius à non habente iurisdictionem.

Hanc autem sententiam vocat admodum duram Lessius ad supplementum D. Thomæ *q. 9. art. 2. dubio* 4. & docet cum multis aliis, validam esse propter bonam fidem pœnitentis, explicatque verba Concilij nihil posse Sacerdotem, nisi Ecclesia tacitò consensu det illi iurisdictionem per modum transeuntis. Secundo inquit & melius, *nihil posse* licitè & eo modo vt tollat reseruationem. Sed neutra solutio valet. Non prima, quia exceptio firmat regulam: Hic autem Concilium solum excipit articulum mortis in quo Sacerdos inferior habeat potestatem in casus reseruatos: ergo non intelligit comprehendere casum in quo pœnitens bona fide confitetur, ne ignorentia multis valde vtilis foret. Nec secũda quia est manifesta corruptio sensus Concilij, intelligere non posse de non posse licito, cum statim addat, accedendum esse pœnitenti ad alios legitimos iudices pro beneficio absolutionis consequendo. ergo non potuit validè absoluere. Nec tamẽ inutilis fuit bona fides pœnitentis, quia ad hoc illi profuit vt excusaretur à peccato petens à Sacerdote absolutionem quam non poterat nec licitè nec validè concedere.

Obiicitur Sacerdotem hunc directè potuisse absoluere à non reseruatis & indirectè à reseruatis, ideoque fuisse validam absolutionem. Sed occurrit statim difficultas, quia eodẽ modo quilibet Sacerdos absolueret ab omnibus peccatis mortalibus, cum possit ex vsu Ecclesiæ absoluere directè à venialibus & consequenter indirectè à mortalibus, est enim eadem ratio & proportio. Suarez de Pœnitent. *disp.26.sect.6. & disp.31.sectione secunda* putat tam illationem quam consequens valde probabilia, cum pœnitens sola venialia confitetur oblitus mortalium, sic enim putat eum posse sanctificari à quolibet Sacerdote. Quam opinionem defendit absque illa modificatione si peccata mortalia fuerint oblita, Thomas Sanchez in *summa, lib.1. cap. 9. num.* 35. sed simili modo etiam induceretur, in casu in quo pœnitens mortalia cum venialibus confitetur, validè absolutum iri à quolibet Sacerdote, cum in vtroque casu pari polleret potestate, si de validitate solâ sermo sit, sicque euerteretur omnis doctrina de necessitate iurisdictionis ad posse validè tantumque esset ad posse licitè, quod sanæ doctrinæ repugnat. Quare inhærendo

do verbis Concilij ſtatuẽdum eſt in caſu propoſito Sacerdotẽ nihil potuiſſe in caſibus reſeruatis nec directè nec indirectè.

Aduerto tamen hic Illuſtriſſimum Archiepiſcopũ Pariſienſem Franciſcum de Gondy, cuius animæ bene ſit, tacito conſenſu approbaſſe abſolutiones ab omnibus peccatis, cum obligatione ad adeundum aliquem ex Pœnitentiariis pro reſeruatis. Quare in Pœnitentiariâ non adigebamus Pœnitentes ad reiterandas Confeſſiones ſic bona fide factas, ſed tantum ad reſeruata propter illum conſenſum, quo dabatur iuriſdictio ſic abſoluentibus Confeſſariis.

Quid ſi pœnitens abſoluatur ab Epiſcopo, vel Pœnitentiario illius à ſolis reſeruatis, & remittatur pro aliis ad alium Sacerdotem iuriſdictionem ordinariam aut ſubdelegatam in illum habentem; poterit ne ille inferior Sacerdos à ſolis non reſeruatis abſoluere?

Dicendum eſt id nec poſſe nec debere fieri, quamuis multi authores id licitum eſſe putent. Ratio eſt quia non licet dimidiare Confeſſionem cuius integritas coram vno Sacerdote, eſt de iure diuino. Poſſet quidem ſuperior abſoluere à ſolis cenſuris, remittendo ad inferiorem vt daret abſolutionem à ſolis peccatis omnibus: aut auditis peccatis reſeruatis ſi habeat iuriſdictionem ordinariam remittere ad inferiorem concedendo illi iuriſdictionẽ in illum pœnitentem vt ab omnibus abſoluat, ac ſic tollendo reſeruationem: at abſoluere à ſolis reſeruatis non ab aliis, id non poteſt, cum in abſolutione ab aliquo peccato conferatur gratia ſanctificans, quæ excludit omnia peccata mortalia, & impium ſit dimidiam à Deo ſperare veniam. Aliter enim homo eſſet dignus Paradiſo & inferno ſimul, & in eum partem haberent Deus & diabolus.

Verum non leue dubium eſt an ſolus ſuperior qui habet poteſtatem ordinariam poſſit, ſic in aliquem pœnitentem remittere vt cenſet Suares *de pœnit. diſp.... ſect.* 4. *n.* 3. An non etiam id competere poſſit illi qui delegatam in caſus reſeruatos authoritatem habet pro tota Diœceſi, videtur enim id non poſſe propter illud vulgare axioma. *Delegatus non poteſt delegare.* Atque in hac ſententia vixi per multos annos, donec legendo & voluendo varios authores, in eos tandem incidi qui adhibendam diſtinctionem ad iſtud axioma cenſuerunt. Vt ſcilicet delegatus non poſſit totam ſuam iuriſdictionem alteri committere, ſed aliquod illius miniſterium reſpectu vnius vel alterius. Ita cenſet Ludouicus Beia, parte 1. *de Miniſtro Pœnitentiæ, caſu* 7. vbi quærens de Parocho cui Epiſcopus dedit iuriſdictionẽ ad abſoluendum ſubditos à caſibus reſeruatis

ſtatis an poſſit illam committere alteri. Hanc tamen commiſſionem, inquit, ſeu authoritatem abſoluendi non poterit Parochus committere alteri generaliter, itaut quotieſcumque occaſio ſe obtulerit, illâ vtatur, ſed ſolum particulariter reſpectu vnius aut alterius: quia illud eſſet ſubdelegare non ſimplex miniſterium tantum, quod fieri poſſe diximus, ſed iuriſdictionem ipſam quæ non eſt delegabilis; vt aduertit Corduba, *ſuper regulam, c.7.q.29.p.2.* & Emanuel Rodericus *qu.regul.*10.*tom.1.q.21. art.9.* Vnde colliges quod quando iura dicunt quod delegatus ab inferiore à principe non poſſit ſubdelegare, niſi ſit delegatus ad vniuerſitatem cauſarum, vel niſi hoc ſibi ſpecialiter concedatur, vt Ioannes Andreas & alij notant in *c.is cui de offic. delegati l.6.* intelligendum hoc non eſſe de ſimplici miniſterio abſolutionis, quod conceditur ſine aliâ iuriſdictione, vt bene aduertit gloſſa communiter recepta in *c. finale de officio ordinarij.* Atque illud ipſum docet quoque Nauarrus in *manuali cap.27. num.45.* & omnibus addimus, inquit, quod ſimplex miniſterium abſoluendi poteſt delegari etiam à delegato Ordinarij & à ſubdelegato delegati Papæ, quamuis non poſſint delegare ſuas iuriſdictiones, ratione quarum id eis competit. Fauetque huic opinioni D. Thomas *quodlib.12.art.32.* etſi non careat difficultate & contradictoribus. Nec illam cuiquam vellemus conſulere, nec tali authoritate vnquam in praxi vſi ſumus, & ſi ante viginti ſeptem annos ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Pariſienſi immediatè delegati fuerimus ad onus Propœnitentiarij, vt certa in nobis eſſet iuriſdictio, & non tam cito extingueretur ſcintilla hæc legitimæ poteſtatis poſt eius occaſum & in nocte illius Eccleſiæ.

Atque hinc ſenſim delabimur in quæſtionem de iuriſdictione Pœnitentiariorum cum Præbendâ annexâ in Cathedralibus, an ſit ordinaria aut tantum delegata ab Epiſcopo, aut ſede vacante à capitulo. De aliis autem Pœnitentiariis qui ſunt ex nutu ordinariorum & ſine titulo non ſolet tractari ab authoribus, quia extra dubium eſt eorum iuriſdictionem non eſſe niſi Vicariam nec nomine proprio à reſeruatis abſoluere: ideoque nec poſſe ſubdelegare, niſi ad hoc expreſſam ab Ordinario facultatem haberent, cum præſumatur vnuſquiſque ius ſuum velle integrum ſeruare, donec illud expreſsè ceſſerit. Nolo autem hic aut aſſertorem, aut iudicem, agere, ſed tantum aliqua quæ, mihi occurrunt ex antiquis & recentioribus compendio exſcribere ad gloriam Dei qui non vult perire animam.

Summa

Summa est quod D. Thom. in 4. *sent. dist.* 17. *quæst.* 3. *art.* 3. dicat Papam & Episcopum vice sui suos Pœnitentiarios constituere. Et in alio scripto super sententias ad Hannibaldum 4. *l. disp.* 17. *quæst.* 2. *art.* 2. expressius loquens. Proprius Sacerdos est duplex vel ex iurisdictione ordinariâ sicut Parochialis Sacerdos vel Episcopus vel Papa: vel ex iurisdictione delegata sicut ille cui committit potestatem aliquis horum trium vel etiam legatus Domini Papæ. D. Bonauentura *in* 4. *dist. eadem q. art.* 1. Dicit non licere alicui Sacerdoti mittere falcem in messem alienam & absoluere subditum Parochi, nisi sit superior vel vicem habeat superioris, vt, inquit, Pœnitentiarij Domini Papæ & Pœnitentiarij Episcopi legati & priuilegiati, qui faciunt hoc authoritate superioris. Gerso *serm. de Pœnitentia in Cœna Domini.* Iudex in Pœnitentia est Papa vel Episcopus, vel Curatus, vel aliquis legitimè ab aliquo illorum delegatus, *& serm. contra Bullam mendicantium*, idem confirmat, asserens Episcopum debere committere vt audiantur casus illi reseruati. Item Nauarrus consiliorum *l.* 5. *de Pœnitentia & remiss. consilio* 20. Negat Pœnitentiarium electum ad formam Concilij Tridentini quemquam absoluere posse à reseruatis nisi aliunde ea sibi facultas fiat, cum Canon Concilij nihil de hoc de nouo statuat: & à iure antiquo non est recedendum nisi quatenus nouè id statuitur *l. præcipimus C. de appellationibus.* Item Barbosa de potestate Episcopi *p.* 2. *allegat.* 55. *num.* 25. idem docet, nisi Episcopus hanc speciatim dederit facultatem. Ac munit se authoritate sex authorum. Item Michaël Palatius *in* 4. *dist. disp.* 7. idem confirmat. Pœnitentiarij Episcoporum, si quos deputant Confessionibus audiendis non sunt proprij Sacerdotes, quia solum ex deputatione Episcopali sunt Confessarij, non quia sunt Pastores ex officio aut quia oues per se habent. Thomas Sanchez in Summâ *l.* 4. *c.* 38. *num.* 10. negat Pœnitentiarios cuiusque Prælati sine speciali commissione illius dispensare posse in votis quia non sunt Pastores ordinarij: laudatque pro hac sententiâ Paludanum D. Antoninum & Saytum. Item in Concilio Coloniensi sub Adolpho III. anno 1549. celebrato, titulo *de Pœnitentiariis Episcopalibus* legitur Archiepiscopum omnes Pœnitentiarios constituere ac nominatim quatuor addere in maiori Ecclesiâ. Item Bonacina de Sacramentis *disp.* 5. *q.* 7. *puncto* 5. §. 2. Superior qui reseruauit & Superior ipsius reseruantis habet facultatem ordinariam & directam absoluendi à casibus reseruatis. Ratio est quia qui potest ligare potest etiam soluere

&

& res per quas causas nascitur per easdem dissoluitur. Idem docet illuminatus Meronus in *centum responsis ad centum quæsita*, responso 76. Sed nemo copiosius hoc argumentum tractauit in vtramque partem quam Antoninus Diana *p.9. tract.* 8. in duabus resolutionibus 11. scilicet & 12. cum mota esse controuersia inter Pœnitentiarium Cathedralis Ecclesiæ & Archiepiscopum in cuius defensionem allegat duodecim authores. Exemplum S. Caroli Borromæi qui Pœnitentiarios Ecclesiæ Mediolanensis facultatem dedit absoluendi à casibus sibi reseruatis. Decisionem sacræ rotæ Romanæ in Neapolitanâ Pœnitentiariâ die 5. Iulij 1637. coram Merlino & declarationem Sacræ Congregationis die 2. Maij 1648. respondentis Decanum Ecclesiæ Cathedralis Cusentinæ præbendam Pœnitentiariæ obtinentem non posse absoluere à casibus per ipsum Archiepiscopum reseruatis, nisi eidem dictus Archiepiscopus concesserit facultatem non obstante prætensâ consuetudine allegata. Porro omittit ille aliam declarationẽ 17. Iulij an. 1597. quam inuenio inter alias declarationes ex vltima recognitione I. Galemart in hæc verba: *Pœnitentiarius non potest abluere quemquam à casibus quos Episcopus sibi expresse seruauerit, nisi ipsemet Episcopus hanc illi speciatim dederit facultatem, nec sufficit quacumque præsumptio.* Refert autem idem Diana sex authores contra opinantes quosdam ex vi institutionis, ac illius fine, quasi finis media debita excluderet, aut non esse modus in rebus sicut sunt certi fines, quosdam ex vi consuetudinis. Quos omnes multis refellit cum in Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 8. de de casuum reseruatorum absolutione* nouo iure nihil decretum sit. Et consuetudo illa si probaretur esset irrationabilis, cũ in ordine ad absolutionem à reseruatis constitueret in vna Diœcesi duos Episcopos æqualis iurisdictionis & independenter vnum ab altero, itaut quod vnus ædificaret alter destrueret. Et factum Episcopi prædecessoris non posset alteri nocere, & in pluribus Italiæ ciuitatibus tribuitur Pœnitentiario potestas absoluendi à quibusdam tantum casibus reseruatis non ab omnibus. Legi potest author ille, qui numerat 42. auctores à quibus citatur, cum nominis commendatione.

Cæterum Chapeauilla Pœnitentiarius Leodiensis *tract.* de casibus reseruatis *cap.* 3. qui primus videtur ordinariam iurisdictionem asseruisse in Pœnitentiariis titulatis in Ecclesiâ Cathedrali, de quibus solis controuertitur, hanc tantum asserit vt probabilem & concludit in hunc modum. Consulto tamen Pœnitentiariis Ecclesiarum Cathedralium quam

quamdiu certò non constat illos habere ex officio ordinariam iurisdictionem circa casus Episcopales non subdelegare, nisi expressam ad hoc ab Episcopo commissionem habeant. Nec vero Paludanus Antoninus ex quibus colligit suam opinionem, expresse loquuntur cum aliud sit aliquid agere ex officio aliud independenter ab Episcopo, vt patet in Vicariis magnis & paruis: atque in Archidiaconis, quorum officium est examinare & probare ordinandos: Licet id non possint aliter quam voluntate Episcopi, cui liberum est aliorum vti operâ, vt sæpe sæpius fieri solet, cum examen ad suos fontes & ad sua principia volunt reuocare.

Hæc vero insinuamus vt benè omnia perpendant, omnesque eius controuersiæ sinus aperiant, qui de eâ ferent iudicium. Res est enim grauioris momenti, quam aliis diiudicandam relinquimus, ex his aliorum dictis, quæ pro vtraque parte nobis occurrerunt, aceruatim coactis, atque etiam ex aliis quæ imperitiam nostram latent, & maiori studio ab aliis perquiri poterunt, eo fine, vt consideratis considerandis animarum saluti prouideatur, earum maximè quæ maioribus culpis obnoxiæ, maiorem excitant compassionem, iuxta quod scribit D. Augustinus in Psal. 98. *Quanto maior charitas tanto maiores plagæ de peccatis alienis.* Aliter autem iudicandum videbitur si quis priuilegiis extraordinariis à summo Pontifice donatus sit, quæ an exuant Episcopum antiquâ suâ iurisdictione, & quid ad hoc requiratur, disci poterit ex Sanchez consil. *l. 6. c. 9. dub.* 1. ex similitudine eorum quæ ibi tractat. Rem enim tantum generatim in vtramque partem ventilamus, iure particulari cuiuslibet saluo in omnibus.

Quæ vltima verba nostra Anonymus scriptor, cum perperam intellexisset, sugillauit nos quasi causæ. R. & Illustriss. Episcoporum parum suffragaremur. At nequaquam hæc est mens nostra, cum potius visum nobis fuerit aliquos nec suæ, nec proximorum saluti consulere, qui circa hanc controuersiam hallucinari nobis videbantur.

Vt nihil tamen dissimulemus quod alterutri parti fauere possit, ipso anno quartæ editionis huius examinis prodierunt ex Typographio Romano Commentaria Prosperi Fagnani canonistæ eruditi in Decretalium libros: vbi ad cap. *graue* de Præbendis, num. 10. 11. in fauorem Raphaëlis Miralles Canonici Pœnitentiarij in Ecclesia Ilerdensi, quem Episcopus à Synodo Diœcesana excluserat, asserit Pœnitentiariū institutum in vim Concilij Tridentini in Ecclesia Cathedrali

ordinarium censeri debere, nec absoluere ex speciali Episcopi commissione, quid iurisdictio quæ defertur à lege ordinaria est l. *& quia* ff. de iurisdictione omnium iudicum: notatque Innocentius in cap. *cum ab Ecclesiarum* de officio ordinarij. Quod absque dubio procedit cum iurisdictio datur ad Vniuersitatem, causarum.

Huic tamen sententiæ refragati sunt hactenus Episcopi tum Hispaniæ, tum Italiæ, resque pluries per sacram congregationem diiudicata est pro Episcopis, & ex antea dictis patere potest, nec non magis patere poterit ex quibusdam resolutionibus Bartholomæi Gauanti Mediolanensis S. Rituum Consultoris in Enchiridio, seu Manuali Episcopi verbo Pœnitentiarius.

Num. 20. Non potest sibi alium substituere in audiendis Confessionibus. Congreg. Episc. 2. Octobris 1584.

Num. 21. Neque videtur posse delegare suam potestatem, nec generaliter, nec particulariter, D. apud Barbosam allegat. 5. num. 22. affirmat post Nauarr. cap. 27. n. 45.

Num. 22. Non potest absoluere à casibus Episcopo reseruatis expresse, nisi speciatim Episcopus dederit illi facultatem, decisum refert Garcia loc. cit. num 115.

Num. 7. absente Episcopo capitulum ad quod collatio spectat, non potest se intromittere in electione Pœnitentiarij, sed expectetur electio ab Episcopo. Decisum refert Garcia, supra num. 143. nempe p. 5. cap. 4.

Quæ omnia cum locum habeant vbi Concilium Tridentinum receptum est. Quanto magis vbi non est receptum, nec in eius vim instituti sunt pœnitentiarij, sed & forsan ante illud, vt in aliquot ciuitatibus. Sed & cum Concilium Trident. *sess.* 24. *cap.* 8. Prius institui statuat Pœnitentiarium quam præbenda vacet quæ illi tribuatur, vt etiam ibidem aduertit Prosper Fagnanus, & consentientibus omnibus quos legerim, aut audierim Pœnitentiarius sine beneficij titulo institutus non sit ordinarius, sed purè Commissarius Episcopi, cum non illi plus attribuat Concilium post vnitam præbendam ac ante illam, iure potuit congregatio dicti Concilij suas definitiones pro iure Episcopi pronuntiare. Sicut & Antoninus Diana post multum agitatam hanc difficultatem pro eorum iure Episcopali concludere, quem & nos sequimur eo lubentius quod contraria opinio, maximè vbi capitula sunt exempta, maximum afferat detrimentum iurisdictioni Episcopali, & vbi non est satis certa iurisdictio non tuta absolutio & animarum salus in periculum adducitur.

Confessa

Confessarius obtinuit à Pœnitentiario aut Episcopo facultatem absoluendi quemdam pœnitentem quo non redeunte, alter accessit habens casum etiam reseruatum, dubitat an possit vti illa facultate erga hunc de quo non cogitauerat dum peteret facultatem, respondendum est si nullas explicauerat qualitates pœnitentis quibus specialiter moueatur Pœnitentiarius ad concedendam facultatem, aut si illas explicauerat quæ erant vtrique communes, posse vti illâ facultate erga hunc vltimum, habito magis respectu ad intentionem concedentis qui non magis vnum quam alterum pœnitentem respexerat, etiam si pro Carolo petiisset. Ita resoluit Moronus *in centum quæsitis responso* 25. Vbi etiam addit, Confessarium obtentâ facultate pro vno pœnitente quem nō designauit, posse illā sibi applicare, itavt si ipse casumhaberet reseruatum, posse virtute illius facultatis ab altero absolui.

Sacerdos absoluit incautè quemdam pœnitentem qui habebat casus reseruatos ad quorum absolutionem iurisdictionem non habebat, discessitque ille pœnitens bonâ cum fide putans se legitimè absolutum. Quidam putant debere ipsum monere si redeat, aut obtentâ licentiâ eum tunc absoluere etiam à reseruatis illis. Videtur tamen tutius esse, vt sic dimittatur, nec sermo illi ingeratur de præterita Confessione, quia vix sine aliquo scandalo id fieri posset. Quare omnibus benè perpensis, nihil melius agere potest Confessarius quam pœnitere de culpa à se commissa & in posterum ab eadem cauere. In idque tamdem magis inclinat Antoninus 1. p. *Confessionalis*, cap. 12. cum ex hoc timeretur scandalum vt committatur Christo summo Sacerdoti.

Dubitatur si Sacerdos habens casus reseruatos & distans à Pœnitentiario possit celebrare non præmissâ Confessione aliorum non reseruatorum, aut omnia simul teneatur confiteri, vt directè absoluatur à non reseruatis indirectè à reseruatis, an satis, habebit vt tunc contritionis actum eliciat, tanquam carens Sacerdote à quo possit absolui. Hoc vltimum videtur probabilius. Confessio siquidem reseruatorum in hoc casu ad nihil vtilis esset quam ad se diffamandum coram tali Confessario qui non posset absoluere & graue onus esset bis idem peccatum grauè confiteri. Imò, dices, absolueretur indirectè à reseruatis, dum directè à non reseruatis absoluere- tur. Sed vt omittam illum esse posse in statu alicuius peccati, propter quem incapax esset absolutionis, distinctio illa absolutionis directæ & indirectæ, parum solida videtur, cum ex eâ sequatur perturbatio iurisdictionis, quilibet enim Sa- *Absolutio directa & indirecta.*

cerdos quodlibet in quemlibet posset, cum enim directè possit absoluere à venialibus, indirectè posset à mortalibus quibusque seu non reseruatis seu reseruatis. Cur æquè non dicamus Confessarium non posse indirectè absoluere à reseruatis, cum vbi sunt reseruata Concilium determinet nihil illum posse? Potest aliquis leuare lapidem ponderis decem librarum; sed si illi iungatur lapis adhuc grauior, itavt vnus sine altero moueri non possit, iam non potest lapidem illum ponderis decem librarum leuare propter obstaculum quod vires superat: idem dicendum de peccatis, cum eis alia grauiora addita fuerint. Denique quid interest quâ viâ captiuus elabatur viâ rectâ an obliquâ modo elabatur tamdem? atque hanc sententiam magis approbat Ioan. Sanchius in *Selectis disp.* 32. *n.* 10. aut si tibi libet inquit liberare pœnitentem habentem casum reseruatum à Confessione etiam reseruatorum habes patronos Richardum 4. *dist.* 17. *art.* 2. *q.* 8. *ad* 2. Adrianum, *q.* 4. *de Confessione.* Durandum *in* 4. *dist.* 17. *q.* 19. Plures vero alios laudat Diana *parte* 1. *tractat.* 14. de celebratione Missarum, *resolut.* 65. quibuscum hanc sententiam probabilem & tutam in praxi esse existimat.

Casus reser. omissus ex obliuione.

Quid vero si pœnitens casus reseruati oblitus est in Confessione facta coram Pœnitentiario, aut tempore Iubilæi, illo iam elapso, an tenebitur ad superiorem Sacerdotem redire, cui illud exponat. In illo casu reseruationem tolli est sententia valde communis apud Suarem de *pœnit. disp.* 31. *sect.* 4. *n.* 12. ac Magister Canus de *pœnit. dist.* 5. disputat contra Adrianum dicentem in illo casu posse cuilibet simplici Sacerdoti illum casum reseruatum & ex obliuione omissum confiteri. Quod equidem, inquit, nullâ ratione probarim, quoniam absolutio requirit iurisdictionem in absoluendo. Simplex autem Sacerdos iurisdictionem nunquam habuit. Quemadmodum si ego oblitus sum confiteri aliquod peccatum mortale proprio meo Sacerdoti, non possum deinde cum in mentem venerit confiteri cuilibet Sacerdoti, sed solum habenti facultatem ac iurisdictionem. Sufficit ergo in illo casu illud confiteri Sacerdoti inferiori iurisdictionem habenti, qui etsi non possit à reseruatis absoluere, id tamen intelligendum venit quamdiu superior non absoluerit, cum enim reseruatio pœnalis sit & odiosa restringi debet non ampliari. Absoluit autem iam superior non quidem indirectè, sed concomitanter cum aliis peccatis confessis etiam oblita, quæ ideo non obstant absolutioni quin conferat gratiam; & cum illa gratia non possit esse cum vllo peccato mortali, necesse est ad illius ingressum in

animam

animam peccata omnia deleri, vt non inueniatur tunc vllus illis locus in animâ. Ad id autem vt tolleretur reseruatio per talem Confessionem requiritur vt pœnitens habuerit intentionem omnia pœnitus confitendi, ac sit inculpabilis omissio reseruatorum quorum non recordabatur post diligens examen suiipsius.

Quid si obtenta licentia absoluendi aliquem pœnitentem à casibus reseruatis iterum in eosdem ante absolutionem? Præpositus in 3. *p. D. Thomæ quæst. 9. de reseruatione casuum dubio* 3. putat valere concessionem etiam pro iis casibus. quia petitio & concessio tacitè intelliguntur de similibus casibus, qui post concessionem bona fide clauibus subiicerentur.

Quid vero iudicandum de pœnitente casus reseruatos habente post mortem Episcopi, nullo adhuc in eius locum substituto. Respondetur remitti posse ad Pœnitentiarium pro consequenda absolutione, quia quamuis eius iurisdictio supponatur tantum esse delegata, non exspirat morte delegantis, aut eius suspensione, vel quacumque à beneficio amotione. Estque hæc probabilior sententia quam cum multis authoribus defendunt Thomas Sanchez de Matrimonio, *lib. 8. disp. 28.* Suarez de *Pœnitent. disp. 27. sect. 3.* de Lugo de *Pœnitent. disp. 19. sect. 2. §. 2.* Bonacina de *restitut. in genere*, *disputat. 1. quæst. 2. puncto 6. numero 25.* Vrbanus *ab Ascensione.* Theologiæ Moral. *tractat. 2. cap. 4.* Quia est differentia inter iurisdictionem contentiosam, & iurisdictionem fori gratiosi, quod illa expirat morte delegantis: vnde mortuo Rege iudices omnes in Galliâ nouas litteras sub nomine Regis noui accipiunt: hæc vero postquam semel acceptata est, radicatur ac perseuerat in Confessario quousque reuocetur ab Ordinario delegante vel eius successore. Ac de Pœnitentiariis Papalibus id decreuit Clemens V. *de electione, cap. 2. §. 1.* Pius verò IV. in sua constit. 53. Declarauit eam exspirare circa nonnulla fori exterioris apud Cherubinum in compendio Bullarij *Scholio 2.* ad *Bullam* 23. Sixti IV. Sic Sacerdotes in Parochiis inscripti mortuo Curato adhuc absoluunt validè. Et si incœptâ Confessione moreretur delegans, absolueretur nihilominus pœnitens. Nec in hoc fit iniuria successori quia potest reuocare si velit, iurisdictiones à prædecessore suo concessas.

Iurisdictio quã diu durat.

Non est autem idem de Vicario ac de Confessario. Quia Vicarius facit vnum & idem tribunal cum Episcopo: ideo in morte Episcopi perit tribunal Vicarij, Confessarius

autem delegatus habet aliud tribunal à tribunali Delegantis, vnde hoc euerso illud subsistere potest. Quid si peccato reseruato iuncta est excommunicatio. Non potest prius absolui à peccato quam soluatur ab excommunicatione, quæ impedit absolutionem.

Quidam autem minus probabiliter censuerunt mortuo Episcopo casus reseruatos exspirare, itavt quilibet Confessarius ab illis possit absoluere si habeat iurisdictionem absoluendi pœnitentem. Ita Emanuel Sa verbo absoluto *num.*20. Gauantus vero in manuali Episcoporum verbo casus reseruatio *num.*16. ex Zerola, asserit casus reseruatos in Synodo esse perpetuos. Quod idem alij asserunt de casibus reseruatis per statutum cum enim statutum duret post mortem c. *finali* de officio Legati, reseruatio quoque durabit & absolutio petenda erit à successore seu capitulo sede vacante. Quod etiam extendunt ad casus reseruatos Episcopis à iure. Quamuis satis non constet an dentur tales casus quia quamuis antiquiores Casuistæ tales casus admittant, recentiores tamen contradicunt.

Peregrinus. Quid si peregrinus habeat casum reseruatum sed in propria Diœcesi non in eâ in quâ est? Poterit absolui à quolibet Confessario qui eum possit audire, conformando se legibus loci in quo est, sicut in obseruatione festorum ac ieiuniorum, iter enim habens in alieno Episcopatu se gerere debet vt subditus illius Episcopi. Caietanus in summulâ verbo absolutio num. 2. Philippus Faber in 4. *dist.*17. *disp.*27. *qu. vnica c.*2. contra Dominicum Soto in 4. *dist.*18. *q.*2.*art.*4.

Quid si pœnitens absolutionem casus reseruati consequutus sit à Confessario de cuius potestate satis non constat, quia nititur tantum consuetudine vel priuilegio dubio, quod forte nunquam fuit concessum, vel si fuit concessum, reuocatum est per Vrbanum VIII. an 1628. vt legitur in fine Manualis Parisiensis, & non constat postea an fuerit restitutum. Vel putat reseruationem non habere locum propter multitudinem casuum quàm sine causa factam aliqui putant non obligare regulares & Parochos. Et licet in his plumbeo pede incedendum esset & recurrendum potius ad superiorem, quam vt quis se exponat magnis periculis in detrimentum animarum, præsertim cum in dubiis iuris in reseruatione facilis sit multitas absolutionis, vt monet probè illuminatus Mororus *responsio* 76. tamen quidam quod volunt facilè putant licitum. Denique expensis omnibus etsi probabile videatur ali-

quo

quo modo quod iurisdictionē habeat in casus reseruatos, multo tamen est probabilior contraria opinio. An legitimè absolutus censeri debeat talis pœnitens? Respondetur, si in rei veritate nulla erat iurisdictio talis Confessarij, nullam censeri eius confessionem & si nesciuerit pœnitens reiterandam esse. Quamuis quoad Deum excusatus censeatur ob bonam fidem cum quâ accessit. Ratio est quia cum iurisdictio vera sit substantiâ Sacramenti ex institutione Christi, illud non aliter effectum suum sortietur quam eo modo administratum quo à Christo institutum est, quicquid opinentur homines, propter quorum imaginationes aut commoditates Sacramenta non variantur, iuxta superiùs dicta 1. *p. q.*11. quæ hic non reperimus. Imo talis pœnitens si notum habeat illam incertitudinem iurisdictionis antequam confiteretur, peccatet contra charitatem sibi ipsi debitam, exponens se periculo. Quin etiam talis Confessarius peccat & contra charitatem & contra iustitiam, incertam absolutionem impendens, sicut ille qui soluit debitum in monetâ dubiâ de quâ metuit ne inutilis futura sit creditori, defectu valoris & potestatis. Tenetur enim Confessarius quilibet seu regularis, seu Parochus, seu alius certâ viâ administrare Sacramentum, & hoc intendunt pœnitentes, quibus propterea deberet minister aperire defectum opinionis suæ, vt possint si placeat alium ministrum quærere: vel sibimet imputent irritam absolutionem si opinio quâ vtitur Confessarius in administratione Sacramenti, à parte ei falsa sit. Hinc laudantur tres maximæ Doctoris subtilis circa dubia in essentialibus Sacramentorum. Prima est ista. *Si possibilitas adest, via tutissima est eligenda.* Secunda. *Si non adest possibilitas, via tutissima proxima est eligenda.* Tertia est ista. *Cessante impossibilitate, cautè est supplendum, quod impossibilitas prohibebat.* in 4. sent. dist. 3. quæst. 3.

Iurisdictio vera.

Scotus.

Nec iuuat hic afferre consuetudinem, quæ si fuerit contraria veritati eo magis reprobanda est quo plures animæ per eam damnabiliter decipiuntur. Vnde Suares *de pœnit. disp.*30. *sect.*2. ex consuetudine nunquam credimus introductum esse vt acquiratur iurisdictio ad absoluendum à reseruatis, quia talis consuetudo directè esset contraria reseruationi, eamque eneruaret: tum etiam quia supra ostensum est contra voluntatem Superioris non posse acquiri iurisdictionem in hoc foro. Vbi autem facta est reseruatio, satis est declarata voluntas Superioris, vt scilicet nemo à tali peccato absoluat sine suâ facultate. Idem asserit Philipp. Faber in 4.

Consuetudo in casibus reser-

*sent.dist.*17. *disp.*27. *q.vnica c.*2. & expresè definitur de Pœnitente, quod nullâ consuetudine possit introduci vt sine licentia sui Superioris confessorem sibi eligat de *pœnit. & remiss.* c. si Episcopus *in sexto.* Valetque tantum consuetudo, tanquam testis licentiæ implicitæ in Confessore quem soleret Episcopus videre aut Parochus audientem Pœnitentes & taceret ex Caiet. in summulâ verbo *absolutio.* Confirmatur hoc, quia reseruatio est substractio iurisdictionis, quæ quamdiu manet eumdem semper operatur effectum. Quomodo ergo fieri poterit vt absolutiones nullæ irritæ ac sacrilegæ primis decem annis, aliis decem sequentibus validæ sint, cum semper duret substractio iurisdictionis, quæ semper eiusdem est potestatis?

Ecclesia an suppleat iurisdictionem.

Dicunt alij Ecclesiam supplere iurisdictionem vbi Confessarius agit ex probabili opinione aut vbi est error cõmunis de iurisdictione. Sed qui hoc extendunt vltra casum de quo supra diximus in quæsito antecedenti, de examine Pastorum, vix dici potest quantum infringant omnem iurisdictionem, cum enim aliqui doceant eum qui absoluit à venialibus indirectè posse absoluere à quibuscumque mortalibus, quæ fuit opinio vtriusque Sanchez, omnia licebunt quibuslibet in quoslibet, sub hoc prætextu quod Ecclesia bona mater supplebit omnia, fauebit illa omnium erroribus & ambitionibus. Deberet afferri canon aliquod vbi hoc contineatur. Nam potius Ecclesia id prohibet, & sunt in contrarium Cardinalium declarationes quas refert & sequitur Garcia 1. tomo *de beneficiis p.*5. *cap.*8. *num.* 87. & 131. cum multis aliis authoribus quorum nomina & libros recenset Ionnes Sanchez in *select. disp.* 44. *num.* 10. quam multi deberent reformidare illud Ezech 13. *Vt interficerent animas quæ non moriuntur & viuificarent animas quæ non viuunt.*

Consideraui hoc sæpius & expaui vehementer, cum ex his mihi satis exploratum esset bonam partem Confessionum inanem esse ac irritam, vel ex solo defectu iurisdictionis; quam plures prætendunt & si ab ordinario loci non sint approbati, vel titulò legitimo careant. Sic multa sunt flagella peccatorum & tremenda sunt diuinæ Iustitiæ secreta iudicia, id eorum peccatis exigentibus. Cum enim indigni sint quos Deus per se illuminet, permittit etiam hoc vt in malos Doctores incidant, à quibus decipiuntur. De quo dicit Apostolus 2. *Pro eo quod charitatem veritatis non receperunt vt salui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio.* Sic pessimo Achab. 3. *Reg.* 22. in pœnam

nam suorum pecccatorum, dedit Deus spiritum mendacem, qui deciperet quadringentos Prophetas, quos ipse consulturus erat. Sed & si bonos fortasse Doctores consuluerit peccator permittit Deus eos non vera dicere, doctrinæ sermonem ab illis subtrahens, iuxta illud Ezech. 3. *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo & eris mutus nec vt vir obiurgans eos.* Denique si virum bonum, doctum & rectè respondentem peccator consulat, sæpe permittit Deus vt in sui peccati pœnam illum aut malè aut nullatenus intelligat: Psal. 68. *Obscurentur oculi eorum ne videant.* Quibus omnibus illud quandoque accidit peccatori, vt cum rectè intellexerit statum suum ac Medicum animæ suæ quæsierit, in eum incidat qui non est Medicus & à quo sanari non potest, iuxta illud Isaiæ 3. *Non sum Medicus & in domo mea non est panis neque vestimentum, &c. Væ animæ eorum quoniam reddita sunt eis mala.* Nequaquam ab eis ablata sunt peccata. Quam terribilia sunt iudicia tua Domine! *Quam tu secretus es habitans in excelsis in silentio Deus, lege infatigabili spargens pœnales cæcitates super illicitas cupiditates.* Aiebat D. August. l. 1. *conf.* c. 18.

Quod spectat ad casus summo Pontifici reseruatos vix potest certo canone definiri, maxime in his locis in quibus bulla quæ die Iouis sacro in hebdomadâ sacrâ publicari Romæ consueuit non est vsu recepta multaque alia decreta summorum Pontificum non obligant. Communiter tamen reseruatur summo Pontifici homicidium, vel à Clerico commissum, vel in Clerici personam, atque etiam atrocior eiusdem percussio vel mutilatio. Incendiariorum publicè denunciatorum peccatum, itemque Simoniacorum publicorum. Dispensatio quinque votorum maiorum scilicet perpetuæ castitatis, religionis, peregrinationisque triplicis ad limina Apostolorum ad sanctum Iacobum Compostellanum, & peregrinationis Hierosolymitanæ si quis eam vouerit non solius deuotionis gratiâ, sed pro succursu Terræ Sanctæ seu Christianorum subsidio. Item dispensatio impedimentorum Matrimonij, excepto eo quod est criminis occulti, de quo in aliquo casu dispensat Episcopus eiusve Pœnitentiarius iuxta superius dicta. Item dispensatio ab irregularitate manifesta, ac ea quæ prouenit ab homicidio voluntario, vel ab eo crimine quod ad forum contentiosum deductum est. Item reseruatur summo Pontifici rehabilitatio ad titulum beneficij simoniacè obtenti, ac condonatio fructuum perceptorum. Vnde Episcopus absoluens simoniacum occultum debet *Papa.*

ipſum remittere ad ſummum Pontificem pro rehabilitatione ad titulum ac condonatione fructuum.

Quæritur vigeſimo de examine maleficorum ſtrigum vel ſagarum.

Acceſſit ſemel ad me pœnitens ſe accuſans quod ludo interfuiſſet, vocabat ſic Sabbatum vbi Hircus adorabatur. Quomodo egerim cum illo memoria non ſuggerit, ſed poſtea rogatus à quodam Epiſcopo in partibus Armoricis de formulâ interrogandi tales pœnitentes, auditis multis quæ in his locis & aliis ferebantur, hanc ipſi tradidi ad vſum Confeſſariorum.

Quæritur 1. an ſuppoſita veritate earum rerum quæ narrantur à multis de ſtrigibus & ſagis, & de Conuentu, quem vocant vulgo *Sabbathum*, in quo viri & mulieres abrenuntiant Chriſto & multa nefanda illic perpetrant, an pœnitentes aliquando de iſtis interrogandi ſint à Confeſſariis in ſacro tribunali pœnitentiæ Sacramentalis.

Reſpondetur in locis ſuſpectis aut diffamatis de iſtis criminibus poſſe & debere aliquando Confeſſarium de iſtis criminibus pœnitentes interrogare, adhibita prudentiæ moderatione tanta quantam requirit eius rei difficultas. Ratio eſt quia ingentia crimina ſunt quæ committi narrantur in iſtis Conuentibus; quorum Confeſſionem dæmon impedire ſatagit, vt impœnitentes moriantur quicumque horum rei ſunt: pertinet autem ad Confeſſarium procurare modis licitis integritatem Confeſſionis, eo magis quo plus reſiſtunt pœnitentes: deinde aut vera ſunt omnino realiterque committuntur iſta crimina, vt verior tenet opinio, aut tantum in imaginatione & preſtigiis conſiſtunt quibus illuduntur miſeri mortales: at quicquid dixeris incumbit ſemper neceſſitas interrogandi de iſtis: nam ſi reipſa committuntur ipſa crimina, nulla eſt difficultas quin de iis ſicut de aliis ius habeat Confeſſarius interrogandi ſecundum clauem ſcientiæ quam in ordinatione recepit: ſi vero tantum in imaginatione & phantaſiâ quam illudat dæmon perpetrantur, nec ſic deſinit obligatio Confeſſarij, quia miſeræ animæ deluſæ iſtis criminibus conſentiunt, ac ſi vera fuiſſent, cum ſunt poteſtati ſuæ relictæ, & approbant ſtatum illum, in quo etiam ſæpe veram pietatem ac religionem ſitam eſſe arbitrantur. Vnde quemadmodum qui inter ſomniandum fornicatur, occidit, furatur, &c. ſi poſt ſomnum ſuiipſius compos factus, conſentit liberè phantaſticis illis peccatis, ac iis complacentiam habet, verè peccat; ſic iſtæ ſtriges ac ſagæ. Vnde & nonnul

nonnulli volunt propter istum consensum posse per iudices morte mulctari. Quod tamen indefinitum esse volumus, cum crimina essent tantum interna.

Quæritur 2. quanam methodo vti poterit Confessarius vt cognoscat an verè pœnitens quem audit, sit horum reus criminum, cùm soleant malefici & sagæ ex præscripto dæmonis cui se adstrinxerunt occultare ista omnia, nec nisi valde raro ac difficiliter de illis se accusare.

Respondetur, hic obstetricis munus subire Confessarium vt educatur coluber tortuosus iuxta Iob 26. & sic debere se gerere, vt vitando curiositatem nimiam ob quam decipi posset à dæmone, domino permittente, non omittat tamen quæ prudenter adhibere potest ad munus sagacis & zelosi Confessarij qui opera diaboli cupit dissoluere, & ab eius laqueis animas miseras redimere.

Debet autem sic progredi in interrogationibus, vt malum primò non aperiat, sed instar cæci qui cum baculo tentat an securè possit progredi: sic præuiis quibusdam interrogationibus coniiciat an verè his peccatis grauioribus immersus sit pœnitens: sicut fieri solet in indagatione peccatorum contra sextum præceptum.

Sed quia hæc satis nota sunt, dico amplius expedite vt in locis suspectis de his criminibus habeantur conciones aliquæ quibus sic in genere detegantur & arguantur ista crimina, vt qui conscij sunt sentiant se argui si non omnino hebetes sunt, qui innocentes nihil de iis suspicentur. Sic nonnulli de Dei veri existentia & perfectionibus infinitis sermonem habent ante diem Confessioni destinatum: exhibent Deum creatorem omnium, maximè Angelorum & hominum, ac deinde annunciant pugnam inter Angelos in cœlo habitam ex qua consequuta sit diuisio eorum in bonos ac malos, in beatos ac damnatos seu dæmones, qui exinde odio & inuidia erga homines perciti, eorum ruinam mille artibus machinantur, inde enim peccatum Adami, hinc Idololatria gentium, hinc quoque peccata maleficorum & Sagorum, à quibus se adorari satagit deludens miseros mortales & ad ruinam omnem impellens. Dum hæc Euangelicus prædicator exagerat pungit corda reorum, innocentibus nihil suspicantibus. His autem alia addi possunt de baptismo Christianorum, de fide data Christo & abrenuntiatione Sathanæ, ac de obligatione Christiani hominis ad permanendum in istis contra tentationes dæmonis qui velut alter Antichristus vult loco Christi adorari, ac quæcumque sancta sunt pollui ac prophanari. Meditatio

tatio quoque dicta vexillorum quæ inter exercitia D. Ignatij reperitur & piis satis nota est,pro concione proponi posset. Hæc methodus remotè saltem disponit ad confitendum peccatum hoc : proximius vero disponunt interrogationes quædam in ipso actu Confessionis maximè cum est generalis.

1. Si cum examinauerit pœnitentem Confessarius de defectu præteritarum Confessionum propter quem necessaria sit generalis quæ defectum suppleat, incitato ad eam benè & integrè peragendam pœnitente incipiat Confessarius examen circa 1. Præceptum de adoratione vnius Dei ac ei simpliciter exhibeat varios modos peccatorum contra hoc Præceptum,inter quæ sit etiam abrenuntiatio Dei coram dæmone sub aliqua visibili specie hirci, aut alterius cuiusdam apparente,tum petat ab eo vt simpliciter & verè dicat in quibus ex his omnibus peccatorum modis sese præuaricatorem agnoscat:si enim dicat in omnibus vel etiam specialiter in dicta abrenuntiatione,tunc magis specialiter examinabit; si hanc abrenuntiationem excipiat aut negat. Non vrgebit magis circa hoc peccatum.

2. Verumtamen experientia docet haud quemquam facile ad tam apertam interrogationem reum se fateri. Ideo aliorum est methodus non improbanda, vt ex interrogationibus circa secundum ac tertium præceptum,adde ex iniuriis & cōtumeliis aduersus S. Eucharistiam, magis tentet Confessarius detegere,num pœnitens dæmoni se deuouerit sagorum more: vbi enim videbit hominem maximum Dei renegatorem ac blasphemum,causam inquirat, aut vbi deprehendit pœnitentem luxuriâ contra naturam pura bestialitate, aut Sodomiâ enormiter infectum. Ex confessione horum peccatorum gradum sibi faciat inquirendo horum peccatorum originem & exordium ad habendam confessionem peccati prædicti:quippe maximæ Dei blasphemiæ, in Eucharistiam iniuriæ insignes & impuritates solent comitari striges ac dæmoni deuotas mentes.Quin etiam in confessione fornicationis vel adulterij per singulas hebdomadas, inquirat an persona cum qua peccatur, sit in aliquo habitaculo fixo sibi noto extra actum peccati, ac vnde accedat cum peccatur, si enim ab ea se in somnis excitari dicat frequenter, aut cum ea in eodem lecto reperiri, grauis est suspicio de dæmone succubo & incubo, quod magis elucidari poterit ex minus calido corpore aut semine, cum dæmones vel corpora mortuorum, vel aërea assumant ad nefandum opus,quæ sunt frigidiora. Habitatio autem

autem cum succubo aut incubo iudicium est pacti cum dæmone initi: nec omittat inter hæc inquirere an benè nouerit pœnitens quod non esset in somno sed in vigilia.

Audiui quosdam Confessarios fide dignos qui alia arte expiscabantur teterrimum hoc peccatum; initio enim prædicationis dabant singulis cruces aliquas aut grana benedicta, vt ea super se deferrent deuotionis causâ: ac cum singuli ad tribunal confessionis accederent, interrogabant num haberent adhuc illas cruces aut grana: nam si hæc abiecissent, coniecturam aliquam assumebant, quod prædicto peccato subditi essent, accedente loci diffamatione. Vnde amplius interrogabant. Fateor tamen leue esse hoc indicium. Grauius multo est quod iidem narrabant, cum examinarent pœnitentes an magno desiderio integrè confitendi tenerentur. Si sic. Vnde illis tantum desiderium: ac in locis prædictis plures respondebant, vel sibi puerulum apparuisse monitorem: vel columbam albam, vel fœminam puerum gerentem, vel grauem aliquem Sacerdotem qui Patronus erat loci: tum vero interrogabant vlterius, num aliquid aliud etiam vidissent. Tum illi. Vel canem vel hominem nigrum deterrentem à confessione: à qua parte erant ista omnia? puerulus monitor & cæt. à parte dextrâ: homo niger à parte sinistrâ. Continuabat confessarius examen. Quos pedes habebat ille an similes pedibus cæterorum hominum. Minimè, inquiebat, pedes equinos modo bubalos habebat. Ex hinc coniiciebant illi, hunc pœnitentem dæmoni addictum esse quem Deus apparitionibus extraordinariis iuuabat, vt ibi abundauit delictum superabundaret & gratia, vnde & diligentiori inquisitione eum pulsans ad confitenda cætera impellebat, gradatim progrediens. Et multos hac methodo horrenda peccata confessos fuisse affirmabat.

Addebant illi & de iunioribus seu viris seu fœminis, quod interrogarent eos, an in nocte euigilassent aliquando. Si sic. Quis eos à somno excitasset? Respondebant homo quidam niger, Tum illi. Quo vos deduxit. Tum illi in campum. In montem, in domum pulchram valde. Tum illi quid ibi actum est, quis aderat & cæt. sicque Sabbati acta resciebant.

Quæritur 3. cum satis constiterit confessario pœnitentem confœderatum esse dæmoni, de quibus ipsum debeat interrogare.

Respondetur teneri discretè interrogare de diuersis specie peccatis quæ à magis & strigibus magis ordinarie committi solent, ni ea ex sese sufficienter declararet, prius ipsum exhortando

exhortando, vt quæcumque gesta sint ab eo circa hoc peccatũ libenter & sine terrore fateatur, ac promittendo illi remissionem omnium, ac iis non obstantibus salutem æternam. Quod si minus apertè ex sese fateatur, petat ab ipso.

1. Num pactum aliquod cum dæmone inierit de abiurando Christo ac eius religione, alterique adhærendo, quibus solemnitatibus id pactum initum fuerit. Si pactum fuerit expressum, vel tacitum, quale est in omni obseruatione superstitiosâ, in quâ expectatur effectus qui non debet rationabiliter à Deo vel naturâ expectari. Quæ causa impulerit. Si corde crediderit dæmonem multa posse, aut vana esse sacramenta Ecclesiæ, quia esset hæresis.

2. Si vnquam dæmonem sub aliqua specie hirci, verbi gratia, aut hominis vel cuiuspiam alterius adorauerit seu exteriori tantum, seu etiam interiori cultu, ac quibus cæremoniis adactum fuerit. Quas orationes adhibuerit.

3. Si adfuerit in aliquo conuentu multorum, & quoties. An pedes ierit. An ab aliquo sibi apparente translatus sit. An inuitauerit ad se transportandum quibus mediis, Quamdiu? Quam sæpe? An volens lubensque?

4. An ibi aliquid habens rei sacræ speciem peractum sit. Vt Missa. Quo ritu. An consensit. An aliquod officium habuerit. An circa imagines Christi & Sanctorum illata iniuria. Et quæ. Quid circa Sacramentum Eucharistiæ, contra quod dæmon horrenda multa & nefanda à sagis committi procurat.

5. An ibi peccatum aliquod carnis perpetratum. Cuiusnam speciei an Sodomiæ, an incestus, an promiscue cum primo aut prima occurrente sibi. An num cum ipso hirco si sint mulieres? An ad eum locum detulerint infantes ipsique deuouerint. Quæ choreæ, quæ saltationes impudicæ, si eas tantum spectauerit an etiam agerit. Si aliquod officium susceperit circa ista.

6. An vnguenta aliqua ibi acceperit, ad causandam pauperiem & detrimenta proximis, ex quibus confecta fuerint, si ex carne infantis occisi. Ex rebus & materia Sacramentorum: an vsus fuerit. Quæ inde detrimenta. Si adhuc pendeant & nondum ad effectum perducta. Quia teneretur restituere & maleficium amouere.

7. Num habita ibi concio, à quo; quid dictum, quia aliquando dæmon in specie hirci concionem habet cum Dei contemptu, negans Christum pro omnibus mortuum, aut in

Eucha

Eucharistia præsentem adesse. Multaque pollicetur sui spectatoribus An igitur istis fidem adhibuerit?

Hæc sunt præcipua capita interrogationum. Qui plura desiderat, adeat Martinum Delrium, lib. 6. *desquis. magic.* cap. 1. Vbi Confessarium & qua iudicem & qua medicum docet de modo sese habendi.

Obiiciet hic aliquis vix esse credibile quod Confessarius possit fraudulenti hostis gesta in persona quam sibi deuinxit, sic in breui Confessione manifesta facere, cum in energumenis vix post innumeros exorcismorum labores quicquam posset certi detegi. Verum tamen, id non debet deterrere Confessarios: quippe in sacramento pœnitentiæ confessio fit libere: at in exorcismis vi quadam & violentia adigitur dæmon: sicut cum rei torquentur ad fatendum crimen. Visum est mihi aliquando quod confessarius plures controuersias terminaret aliquot horis: quam iudices sæculares multis mensibus? vnde hoc, apud me dicebam? In tribunali externo vtraque pars audienda, hic vni parti creditur sine testibus sine cartis, & illi creditur siue pro se, siue contra se loquatur. Vnde facilior est confessario notitia rerum omnium quæ ad pœnitentem spectat.

Quid si auditis ex ore pœnitentis pluribus ex huiusmodi peccatis dubitet & angatur mens confessarij, an vere hæc ita se reipsa habuerint, vel tantum in imaginatione pœnitentis extiterint, aut omnino falsa sint, quod quidam pœnitentes ad interrogata affirmatiuè respondeant putantes se sic omnia peccata dicere, vel quod aliquando redeant qui aut quæ se accusarant de huiusmodi peccatis, retractantes se coram confessario eodem vel alio, quod falsa dixerint.

Respondetur plures iudices in foro externo propter huiusmodi Confessiones (etsi non intendam omnia eorum iudicia sine exceptione rata & probata habere) sententia mortis damnasse plures: cur ergo non magis absoluere poterit Confessarius ad cuius tribunal spectant ea etiam quæ in imaginatione fiunt, si liber consensus accedat, vt supra dictum est de somniantibus postquam euigilauerint consentientibus, maxime si perspexerit Confessarius pœnitentes statum hunc approbasse multo tēpore, multasque eius volitiones habuisse, de quibus etiam eos interrogari censet Delrius ad resciendum numerum peccatorum, ac si interim aliquando pœnituerint. Certè videtur eo securior iudice sæculari spiritualis iudex, quod magis hæc spectant ad eius iudicium, etiam dato & non concesso, quod solum imaginaria fuerint ac somnis dormientium

mientium similia, quæ quamuis libero consensu postea probata minime spectant ad forum externum, vbi de solis internis non fertur damnatio. Recordetur Confessarius quod in hoc foro pœnitenti & pro se & contra se credatur: interim non negligat aliquando in istis angustiis remittere pœnitentem ad aliquot horas, aut vnum diem si commodè fieri possit, vt recogitando in amaritudine animæ suæ tot delicta cum maiori dolore redeat, omissa suppleat, dicat quoque se aliqua non satis percepisse vt ex sese ea repetens, minorem dubio locum relinquat. Protelationes, vero illæ maximè fieri debebunt circa retractantes se, quæ ad hoc inductæ forsan fuerunt per quasdam sortiarias magis obduratas, idque ex instinctu dæmonis ad turbandum omnia & fructum spiritualem Confessionum disperdendum. Cætera docebit vnctio zelantes Confessarios.

Remedia. Quod remedium adhibebit Confessarius circa miseros miserasque quos horum delictorum catena constringit, præter remedia communia circa pœnitentes adhibenda, faciat pœnitentes de huiusmodi renouare baptismi professioné, sæpius renouare piam quamdam protestationem quâ se Christo consecrat anima apud Salesium introductionis ad deuotam vitam seu Philotheæ *p.* 1. Maleficorum maleficarumque vitare consortia præcipiat quantum fieri poterit, libros magiæ comburere. Abiicere si quid in honorem, aut ex præscripto dæmonis gerat. Doceat actum adorationis Dei, eiusque praxim multoties repetendam iniungat, cum ea ignorantiâ & inobseruatione primi præcepti Decalogi, malum istud maximè proueniat, non satagentibus Parochis pluribus ob crassam ignorantiam & corruptos mores in plutibus locis docere populum, aquam benedictam vt in domo habentes ea se ante cubitum adspergant. Frequentem Sacramentorum vsum. Denique animet generosa quadam confidentia contra dæmonem formicam leonem, vt vocant quidam patres: quod ipsum timentibus leo fit, ipsum despuentibus formica: qui sit vt loquitur D. August. canis nexus catenis qui neminem mordere possit, nisi qui mortifera societate ei se iunxerit, & ad eum libero mentis arbitrio propius accesserit. Solo nomine Iesu pronuntiato virtutem eius dissipari, &c. Nihil à misero & damnato Angelo expectandum nisi miseriam & damnationem, cum nemo det qnod non habeat. In solo Iesu spem omnem fœlicitatis constitutam esse. Cuius prouidentia propter delicta nostra aut vt & ei magis assimilemur, miserias aliquas huius vitæ patimur, vt postea fœlices simus.

simus. Manere ignes æternos animas eas quæ aliter credunt.

An iniunget Confessarius huiusmodi pœnitentibus quod accusent eos quos nouerint in huiusmodi fœdere, aut deferant ad superiorem sicut ad patrem aut saltèm moneant privatim vt in posterum abstineant. Plena hic omnia difficultatum salebris. Aliter hic agendum cum reus agitur in iudicio pœnitens, aliter cum extra carceres accedit ad Confessarium voluntariè vt absoluatur, distinguendum etiam si pœnitens authoritatem habeat circa aliquos eosque ad malum istud prouocauerit, nam teneretur magis circa eorum conuersionem laborare. Videndum qua certitudine sciat alios eiusdem criminis esse conscios: nam si tantum id sciat quod in ludo, aut sabbato eos viderit, deferendos minusque accusandos consulerem; quod multos vultus fictos ibi dæmon exhibeat ad maiorem fallaciam. Nec obstat quod dicitur apparere immobiles in sabbato dæmonum, eos qui ficti sunt, sicque discerni ab aliis qui verè intersunt, quos videre est ibi sese mouere ac aliquid agere. Istud enim reuelauit quædam sortiaria, cui quantum fides adhibenda sit iudicio prudentum relinquimus. Distinguendum de peccatis complicum an commissa in præteritum, & an in posterum adhuc committenda sint, idque cum detrimento magno proximorum, in posteriori enim casu maior orietur obligatio ad impediendum malum proximi innocentis. Erit quoque perpendendum an pœnitens interroget Confessarium de obligatione qua teneatur ad accusandum deferendum aut monendum: an vero sit in bona fide, ac de eâ nihil cogitet, vt plerumque aduenire solet: in priori casu tenetur Confessarius aperire veritatem, at in posteriori sæpe præstabit relinquere pœnitentem in bona fide, ne forsan ad actum temerarium, inutilem proximo futurum, & sibi forte damnosum excitetur aut adstringatur. In quam determinationem eo magis propendeo, quod non solum obligatio sigilli in Confessario sit erga pœnitentem, sed etiam erga complices quos nec directè nec indirectè diffamare debet. Denique si omnibus bene ponderatis indicet confessarius muneris sui esse obligare pœnitentem ad deferendum aut accusandum, non aliter id faciat quam seruato ordine correctionis fraternæ, prout in Euangelio continetur, nec nisi ad impediendum graue quoddam malum proximo impendens, sine magno detrimento pœnitentis, cuius etiam saluti & incolumitati prouidere debet, vt non seipsum periculo exponat diffamationis aut grauioris incommodi.

Complices an detegendi.

Cæterum hæc dicta sunt de accusatione delatione, ac monitione personæ alicuius singularis: nam non tanta erit difficultas de delatione horum criminum in genere ad Episcopum eumve qui prodesse poterit si caueatur ne persona vlla in particulari detegatur: aut vicus aliquis in particulari in quo habitent horum criminum conscij, nam sic inquirere facile posset in reos ac in periculum vitæ adducere ex reuelatione confessionis capta occasione. Quod omninò pœnitens caueat; cum non possit licentiam dare confessario reuelandi multos esse in suo oppido, aut regione qui conuentus istos dæmonum adeant: quia non illi ius est alienam famam maculandi, & ius sibi arripit in aliena bona. Atque eo cautior debet esse confessarius in reuelatione horum criminum, quod ex ea processus criminales intentari possent. Quid quod non caueat vanitatis suspicione, qui plusquam expedit, de iis loquitur, metuere proinde debet, ne illa correctione indigeat quam Apostoli reuertentes ad Christum à quo missi fuerant ac ei dicentes, *Ecce dæmonia subiiciuntur nobis*, audierunt. *Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem.*

Porro quod in quibusdam locis magis vigeat, hæc pestis quam in aliis, inter alias causas hæc esse potest, quod in quibusdam oris plures sint dæmones quos diuina iustitia ibi alligauit. Ambrosius Catharinus in c. 2. Epist. 2. D. Petri. Vicissitudines, inquit, habent vt modo in abyssum trudantur, modo super terram permittantur ad tentandum nos sunt & quædam loca, sicut ego certâ experientia deprehendi, vbi dæmones sese apertius ostentant: quos in pœnam ibi puto alligari.

Quæritur vigesimo primo de examine campsoris.

Post examen mercatorum ad campsorem gradum facimus, quod cambium in quo vna pecunia pro alterâ vel diuersa vel alio loco venditur aut permutatur species sit mercaturæ & valde communis apud mercatores, quorum conscientiis, vt Confessarius consulere possit, necesse habet vt scitè monet Cardinalis de Lugo in *Præfatione disp.* 28. quæ est de cambio, huius contractus naturam eiusque iustitiam vel iniustitiam notitiâ non vulgari callere.

Cambiū Parisiense. Quoniam vero multa sunt in hoc officio difficilia propter quamdam similitudinem cum vsurâ, quidam qui hæc non satis attente penetrauerunt, eos minimè audiendos in confessione censent, sed tanquam vsurarios habendos esse, censent. Quorum hominum zelus sine scientiâ minimè probandus, cum officium campsoris sit reipublicæ vtile ac boni publici

causâ

causâ institutum, & si correctis quibusdam iniustitiis exerceatur, culpâ omni vacet ac peccato. Siue enim mutet pecuniam cum alterâ diuersa, id licitum est cum lucro moderato. Hocque vocatur cambium minutum, cuius rei rationem hanc inter cæteras affert Lessius. Quod ab eo qui perit aliquid in suum commodum præstari potest merces repeti, & si interdum gratis præstare soleat. Siue mutet pecuniam absentem & in loco alio existentem pro præsenti, seu præsentem pro absenti & alibi existenti, quod vocatur cambium locale siue per litteras, id etiam licitum cum aliquo lucro, tum propter securitatem quam præstat campsario tum propter laborem & expensas translationis pecuniarum de loco ad locum, quibus eumdem campsarium liberat. Quapropter sapienter monet Emanuel Sa verbo *cambium* nu. 3. ne facile cambia quæ sunt in vsu damnentur. Sed plures sunt maledici de quibus dicit Apostolus, quod regnum Dei non possidebunt, qui vel ex inuidiâ vel ex ignorantiâ, quoscumque vident & audiunt ex pecuniâ mutuata lucrum sumere licet non ex ipso titulo mutui, sed ex alio legitimo ad quem non attendunt, statim vsurarios vocant, ac eos reputant in statu damnationis constitutos. In eoque se maximè pios ac religiosos arbitrantur ac sicut Pharisæus publicanum Euangelicum iudicabat, ita illi plerosque ex fratribus suis iudicio præcipiti & temerario condemnant. Rectè Carbo de restitut. q. 39. cum in republica aliquod officium necessarium est, illud licitè exerceri posse fateri oportet: aliter enim non esset generi humano sufficienter prouisum. Deinde naturæ lex illud euidenter docet vt quisque viuere possit ex ea quam rectè exercet arte: cum non sit alligandum os boui trituranti. Multa tamen cambiorum incommoda explicat postea, quia ars ista campsoria etsi licita, periculosa tamen ac vsuræ proxima est, quoniam variæ sunt praxes campsorum, ac præcipuæ & quæ magis in vsu, licitæ, quoniam sæpe putant se posse lucrari ob causas falsas.

1. Praxis est campsorum qui dant litteras campsariis ad recipiendas pecunias alibi, petuntque maius pretium cambij ratione longioris temporis quo obligatur campsarius ad solutionem. Et si non soluat tempore præfixo, petunt aliquod pretium moderatum pro singulis diebus quibus campsarius est in morâ soluendi. Quibusdam autem visa est ista praxis vsuraria, quia ratione temporis diuturnioris augetur pretium. Maximè cum Pius V. hanc cambiorum conditionem reprobet. Verum licitam esse hanc praxim defendit Lessius

de *iustitia & iure* l. 2. c. 23. dubit. 5. quia ordinariè campsores æstimant carere pecuniâ suâ longiori tempore, tum quia priuantur facultate vtendi suâ pecuniâ & cum eâ lucrandi, tum etiam quia versatur in maiori periculo etiam cum cambium sit species quædam venditionis pecuniæ absentis; quo iure probabile est mercem aliquam pluris vendi ob dilatam pretij solutionem, eodem iure probabile est cambium pluris æstimari ob dilatam illius solutionem, quia pretium vniuscuiusque rei illud est quod magis vulgare & vsitatum inter mercatores, maximè enim pendet ex hominum sensu & æstimatione: at pretium cambij cuius solutio magis differtur communiter maius est, & talis est passim vsus etiam inter probos mercatores, à quibus obtineri non posset vt cambium cum concessione longioris temporis ad soluendum non pluris vendant. Confirmatur amplius quia in illo productiori tempore solutionis habent titulum lucri cessantis, quia si post quindecim dies aut vnum mensem solueretur illis pecuniâ numerata seu pretium cambij, possent ex eadem pecuniâ aliud facere cambium & lucrari. Quæ facultas cum illis tollatur per moram solutionis, æquum est vt illis fiat recompensatio detrimenti per maius pretium cambij. Atque ita cum Lessio docet Antoninus Diana *resolut.* 1. *parte tract.* 8. *resolut.* 15. & apud eumdem Reginaldus *to.* 2. *lib.* 25. *cap.* 34. & alij qui respondent ad oppositas rationes vsuram esse exigere maius pretium ratione dilatæ solutionis per tempus longius, si non sit alius legitimus titulus augendi pretium: at hic est, scilicet titulus interesse lucri cessantis, & taxatio maior huius pretij amplioris ex communi peritorum æstimatione, quod vero spectat ad Bullam Pij V. non est vsu recepta vbique, & dubitatur vtrum obliget in foro conscientiæ.

Sunt autem multæ aliæ praxes cambiorum quæ in magnis vrbibus vt Parisiis & alibi exercentur. In quibus confessor debet reprobare quidquid fit fictè vt cum quis vendit aut emit litteras ad recipiendas vel soluendas pecunias in aliquo loco distanti vbi non soluentur aut recipientur. Secundo debet considerare titulos legitimos ob quos pecunia plus valet in vno loco quam in altero, puta ob valorem ordinarium qui in vno loco maior est quam in alio vel minor, vel ob impensam, quæ fieret in vectura pecuniæ, vel ob periculum & laborem in eadem pecunia transferenda de loco in locum. Nec impedit hoc quod forte, mercator in loco aliquo habeat aliquas pecunias sine impensa aut labore vel periculo vecturæ. Quia propter hanc causam quæ est per accidens, illa, prædicta

dicta non carent suo pretio saltem qui ex isto commodo capit vtilitatem obligatione antidotali recompensare debet. Vnde & ratione distantiæ maioris locorum in quibus fieret permutatio, pretium cambij licitè augetur, sicut & ratione dilatæ solutionis ad tempus prolixius si interueniat ratio lucri cessantis aut damni emergentis, vt cum prolongatur solutio ad proximas nundinas.

Porro Nauarrus in c. *finali* seu *nauig.* de vsuris. Vbi satis exactè difficultates istas examinauit extenditque lucra campsorum quantum extendi posse sibi visa sunt coram Deo. Quo animas, inquit, honorem, facultates tot hominum honestissimorum iustè tueremur. Addit. *Zelus Nauarri.*

Admonemus Confessarios eorum, qui ista arte viuunt vt iisdem cambia & lucra ficta vehementissimè dissuadeant, & persuadeant horum tentationibus fieri, vt ad regnum cœleste per prærupta saxosa & periculosa loca iter faciant, ex quibus offendicula amoris & studij ingentium horum lucrorum eos præcipitare facile possunt in peccatorum adeo profundas valles & restitutionis adeo crebra dumeta, vt tardè aut numquam ab illis assurgere & se extricare queant. Faxit vt cui corona spinea pro omnibus imposita fuit, qui in eam voraginem se præcipitarunt, erigantur & penitus liberentur.

Ex quibus patere potest quid ipse censeret de illo Cambio Parisiensi, scilicet aliquis indiget pecuniâ, quærit ab aliquo campsore, vt illi vendat litteras dirigendas Lugdunum ad recipiendam ibidem summam mille Librarum maiorem aut minorem, seque in ipsum obligat ad pretium harum litterarum intra aliquot menses. Ille vero cum nolit habere pecunias Lugduni nec vlla ibidem habeat negotia, sed velit tantum pecuniam præsentem, quærit alium qui præsenti pecuniâ minori has litteras emat, inueniturque in areâ Palatij ad quam negotiorum causâ campsores & mercatores conuenire solent, qui has litteras & ius in iis contentum ad recipiendas Lugduni pecunias præsenti pecuniâ emit, & aliquando idem campsor qui eas primum dedit, minori pretio redimit. Dubitatur autem an iustè id fieri possit. Quia videtur esse fictio, cum fingat mercator se velle pecunias Lugduni, qui desiderat eas habere Parisiis. Quis has imposturas poterit probare? maximè cum ille qui vendit tales litteras pro recipiendis pecuniis Lugduni, nullas ibidem habeat: sed ex vtraque parte tota negotiatio merè fictitia est. Atque hæc satis ad insinuandas controuersias cambiorum, quorum labirinthum

vniuersum si quis ingredi velit, mitum si egrediatur absque nota.

Quaeritur vigesimo secundo. Quid examinabit Confessarius in pœnitente infirmo, & in articulo mortis constituto.

De examine morientium.

Hæc quæstio supponit pœnitentiam quæ fit ex tremore non esse infructuosam. Quod satis patet: Ezech. cap. 18. *Si conuersus fuerit peccator, ab iniustia sua, omnium inquitatum eius non recordabor.* Et cum actu peccati mortalis in fine sufficiat ad damnandum hominem, cum Deus sit pronior ad misericordiam, multò magis actus pœnitentiæ sufficiet ad saluandum hominem? Quare, & Rex Ezechias in periculo mortis flens fletu magno exauditus est. *Isa.* 38. & latro qui pœnitentiam serotinam fecit, & saluatus est.

Hoc igitur posito: Si infirmus loqui potest & confiteri, eadem methodo vtendum erit in illius Confessione excipienda, ac si esset sanus, ac benè valeret. Sed dubium est, primò, cum accedente Confessario infirmus loquelam amisit, tunc Confessarius debet eum examinare an doleat de peccatis, deiisque se accuset, vt eorum recipiat absolutionem & monete eum, vt si ita est, aliquo signo id ostendat, vt stringendo digitum quem immittet in manu eius, vel aperiendo os, vel oculos. Tuncque poterit Confessarius absoluere, vt censet Suarez de pœnit. *disp.* 23. *sect.* 1. quæ sententia est in Praxi certa & secuta & exercenda, citatque pro ea septem Authores probatque, tum quia accusatio generalis facta coram Deo, si accedat detestatio, sufficit ad remissionem peccati: Ergo similis Confessio sufficit facta homini Dei locum tenenti: quando magis integra fieri non potest. Tum quia Confessarius habet magis specialem notitiam peccati scilicet, in foro exteriori, & in ordine ad absolutionem. Tum quia in aliquo casu sufficeret generalis Confessio, vt si quis oblitus speciei peccati mortalis diceret se peccasse mortaliter, posset absolui: Ergo & hic poterit. Verum est tamen quod tunc Confessarius debeat elicere his signis Confessionem alicuius peccati specialis interrogando eum de peccatis magis communibus personis eiusdem conditionis, cum pœnitente, quod est quasi æquè facile ac elicere Confessionem generalem.

Moribundus sine sensu.

Dubium est secundò si non solùm infirmus loquelam amisit, sed etiam sensus, vt non sit ei vox, neque sensus auditus aut alterius, quo possit cognoscere ex ipsomet Confessarius an doleat de peccatis. Tunc debet examinare præsentes qui infirmo assistunt an petiuerit Confessarium, & signa aliqua doloris

doloris de peccatis ediderit. Et in hoc casu censet adhuc Suarez eadem disp. absoluendum esse à Sacerdote, concepta conditione, in quantum possum; vel si materia est sufficiens. Sic enim non fit irreuerentia Sacramento. Et illa petitio Confessarij & dolor quem habet in ordine ad illam Confessionem, est quædam inchoatio Confessionis, quæ sufficit in his casibus, cùm non potest alia fieri, idque probatum est multis Conciliorum Canonibus, vt inter cætera, Concilij Carthaginensis 4. c. 66. & refertur à Gratiano vigesimâ sextâ, qu. 6. cap. 5. *Is qui in infirmitate*, & ab Iuone Decreti, p. decimâ quintâ c. 8. *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum Sacerdos inuitatus venit oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phranesim versus fuerit: dent testimonium qui eum audierint, & accipiat pœnitentiam. Et si continuò credatur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia.* Quod idem statuit Concilium Arausicanum primum, sub Leone I. cap. 12. *Subito obmutescens, prout statutum est, baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præterita testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* Vbi per hæc verba accipere pœnitentiam, intelligitur accipere absolutionem sacramentalem. In quo sensu dicitur à D. Augustino de infirmis pœnitentibus. *Pœnitentiam dare possumus securitatem dare non possumus*, l. 50. hom. 51.

Infert etiam idem Suarez loco citato, non solùm posse, sed etiam teneri Confessarium tunc absoluere. Quia infirmus est sufficienter dispositus iuxtâ probabilem opinionem, & si Confessarius non absoluat, exponit animam eius periculo æternæ damnationis. Nec est periculum iniuriæ Sacramenti, cùm per conditionem appositam tollatur omnis iniuria.

Obiiciunt quidam hoc esse confiteri per nuntium, quod vetitum à Clemente VIII. Respondeo, non esse propriè confiteri per nuntium cùm pœnitens est præsens. Nec Clemens VIII. fortasse intellexit decretum istius prohibitionis de morientibus qui mittunt ad Confessarium vt illis succurrat. *Confessio per nuntiũ.*

Vnde & Michaël Palatius, in 4. *sent. dist.* 17. *disp.* 9. Non improbaret Sacerdotem, cum recipit nuntium de isto moriente, qui cùm dolore peccatorum Confessionem expetit, si etiam absolueret, quia fortè metus est propter distantiam, ne moriatur infirmus ante eius aduentum. Defendit quippe hic Doctor, in quo doctrina & eloquentia pro palmâ con-

certant, absolui posse absentem. Sacramentum Pœnitentiæ, inquit, exercetur secundùm formam iudicij ex Conc. Trid. *sess.*14. *cap.* 6. at verò iudicium non exigit necessariò præsentiam iudicandi. Vnde 2. Cor. 2. Paulus absens de Corinthio illo flagitioso, *Cui*, inquit, *aliquid donastis & ego:* Quæ verba non solùm quoad absolutionem excommunicationis, sed etiam quoad remissionem culpæ intelligenda: absens igitur Sacerdos poterit absoluere pœnitentem quando vrgens causa hoc poscet. Et quia obiici potest formam absolutionis esse *absoluo te*, quæ verba videntur significare personam præsentem. Præoccupat, hanc formam à Concilio Florentino, non esse traditam vt præcisam, nam illi æquipollens sufficit. Vnde siue dicamus: ego te absoluo, aut dempto pronomine, absoluatur Petrus, verbi causâ, vel absoluo Petrum, forma habebit effectum, vt in baptismali formâ prædictum est.

Forma absolut. Quod ait autem Palatius de formâ absolutionis, haud obscurè scripsit Scotus in 4. *dist.* 14. *q.* 4. Non est necesse, inquit, esse ita præcisa verba in isto Sacramento sicut in Baptismo, & Eucharistia, quia sufficit quòd exprimatur actus sententiæ absoluentis, sicut & in iudicio publico non oportet esse limitata verba. Ait enim vnus de Theodoro Martyre, *iubeo ignibus tradi.* Alter de Cypriano sancto, *Gladio animaduerti placet.* Communiter tamen ista verba sunt apta, *ego te absoluo.*

Hanc autem sententiam Palatij multi alij docuerunt. Paludanus *in* 4. *dist.*17.*qu.*2. Antoninus 3.*p.tit.*17. *cap.* 12. *&* 21. aliique quos refert & impugnat Hiquæus ad *dist.* 14. *lib.* 4. *sent.* super Scotum. Cùm Clemens VIII. eamdem damnet, vt falsam, temerariam, scandalosam & sub pœna excommunicationis prohibeat, ne quis eam vt probabilem priuatim aut publicè amplius doceat. Et ratio est, quia absens nequit cognoscere statum rei sufficienter, vel per litteras, vel per nuntium, qui variari potest & peccare post scriptas.

Et ne dubitari possit, an Clemens VIII. voluerit casum præsentem comprehendere, facit Flauinus Cherubinus in scholio primo, ad hanc Bullam datam an 1602. vbi resoluit nec sic absolui posse eum qui esset inter infideles, & in carceribus secretis ad quem Sacerdos ire non posset. Quia Confessio est actus personalis, id est, fienda personaliter Sacerdoti. Præcepit enim Dominus mundandis, vt irent & ostenderent ora sacerdotibus, *&c.* Sufficit autem contritio carcerato, vel apud infideles existenti. Quare non videtur approbanda talis absolutio, & potius currere debet ad morientem,

tientem, & concito gradu pergere, vt præsens sibi præsentem absoluat. Attamen cùm Clemens VIII. damnet vt illicitam talem absolutionẽ & ex parte conferentis, & ex parte illam recipientis, supple, voluntariè, non determinauit vtrùm inualida foret. Quare in proposito casu non omnino constat, an moribundus sic absolutus à Confessario pergente ad ipsum in viâ, metu, ne deficeret ante ipsam mortem, careret omni eius effectu. De eius salute non omninò desperarem.

Dubium tertium est, & multo difficilius, si moribundus nec vocauit Confessarium, nec edidit signa doloris, nec vlla possit edere, præsente Confessario. Quid tum agendum. Homobonus Pœnitentiarius Bononiensis Examinis Ecclesiastici *parte 1. tract.* 7. *c.* 18. resoluit posse absolui moribundum qui nulla dat signa attritionis; si Christiano more viuere solebat, & bonus ac fidelis homo existimaretur. Quam sententiam illâ ratione confirmat, quòd in necessariis ad salutem tutior pars est sequenda, & certiori periculo occurrendum sit, cessetque periculum irreuerentiæ & sacrilegij tum conditionis appositione, tum authoritate Doctorum hanc opinionem tuentium. Ac ibidem refert ex Molfesio *tract.* 7. *cap.* 5. *n.* 48. Clementem VIII. Pontificem maximum, cum quidam ex fabricâ S. Petri præceps ruisset, & cadentem illum vidisset, absolutionem ei dedisse, dicendo, si tu es capax, absoluo te à peccatis tuis. Iuxtà quam sententiam deberet examinare Confessarius, an infirmus moriens fuerit vir bonus & Catholicus, vt sic eum absolueret. Verum Card. de Lugo *de pœnit. disp.* 17. *sect.* 3. inquisitione Romæ factâ à multis prudentibus viris qui in vrbe aderant tempore Clementis, audiit rem esse fabulosam; Ipseque hanc opinionem impugnat cum multis aliis, quos ibidem refert. Eamdem sententiam multis refellit Martinus Bresserus *lib.* 3. *de conscientiâ cap.* 8. aitque cum quidam in Belgio docerent moribundum absolui posse, nullo dato doloris signo, se sæpius consultum esse, an saltem esset probabile atque adeò practicè licitum. Respondi, inquit, atque etiam nunc respondeo negatiuè; quia nemo quod sciam, eam sententiam libris impressis docuit, vt veram vel probabilem; imò Vasquez *de pœn. q.* 16. *art.* 2. *initio dubit.* 2. addit nequidem vllũm dixisse (Homobonum scilicet non legerat) testaturque eximium & Reuerendum Dominum Malderum, qui fuit Præsul Antuerpiensis, eius sententiæ vsum meritò per suam Diœcesim prohibuisse. Subiungitque post hæc scripta se dictam sententiam legisse

tract.3. de absolutione moribundi, Antonini Dianæ qui eam docet non vt veram, sed probabilem ex principio extrinseco, id est, auctoritate, citatque pro more suo diligenter pro ea auctores & libellos aliquot, se tamen propterea sententiam non mutasse. Certè inquit, authores illius sententiæ vix ducti alia ratione videntur, se, & si pauci, sequi tanquam oues; eo quod vnus id asseruit, & sit fauorabile in praxi, *&c.* quidni dicant simili ratione probabile ac practicabile, quòd aliqui item dixerunt, licere in necessitate confiteri, & absolui à laïco, cùm deest Sacerdos, *&c.* Gregorius XV. dicitur in quodam manuali eam sententiam tenuisse; quin imò iniunxisse praxim. Verùm vt constat ex verbis ab ipso Diana citatis, addidit clausulam plane iuxta conclusionem, *si tamen aliquis testetur eum ostendisse confitendi desiderium.* Quare & hinc infertur contrarium, iuxta axioma, exceptio firmat regulam in contrarium. Prærerquàm quod id factum sit ab Archiepiscopo Bononiensi necdum Pontifice. Hæc & plura Bressetus, quæ libenter commemoramus, sicut & plurium aliorum verba, vt appareat nos non allegare auctores sub fide aliorum, quod dum multi faciunt, plures authores congerunt sæpius ad pompam & ostentationem, quos si consulas oleum & operam perdis, cum sæpius vt falsos, & supposititios assertionis testes productos esse inuenias.

Nec vrgent rationes Homoboni. Periculum enim hominis moribundi non dat ius cuiquam Sacerdoti, vt Sacramentum præter Christi institutionem administret: nam aliàs omnia essent licita in extrema ista necessitate, nec tamen Deus moribundos istos omninò deserit, pulsat enim adhuc mouetque eorum corda secretâ suâ inspiratione, vt actum perfectæ contritionis vel in ipso momento deficientis vitæ eliciant, quo salutem sibi acquirant. At quia secretum istud internum est omninò, nec cuiquam sensibile, nec apparet an gratiæ Dei tunc desint, ideo nullum est signum sensibile quod sufficiat ad materiam Sacramenti, & cui possit à Sacerdote addi forma Sacramentalis. Maximè cùm Sacramenta sint maximi momenti, & præcipua religionis Christianæ materia, quæ ideo tractari debent cum magnâ reuerentiâ & circumspectione, quod non fit à Sacerdote, qui ea exponit probabilissimo nullitatis periculo & sacris verbis nihil operatur, & si prophanus est qui cum aquâ congelatâ baptizaret, & si essentialiter aqua sit, quis ille censendus erit qui absoluit sine vllâ Confessione aut dolore apparenti?

Moribundos Deus adiuuat

Quia

. Quia tamen res ista maximi est momenti ex qua dependet salus animarum, vt magis ab aliis discutiatur, dabo hîc verba S. Antonini Archiepiscopi Florentini in summa *Confessionali*, 3. *part. cap.* 18. Circà infirmos, inquit, sic agendum est. Aut enim talis est in periculo mortis aut non, dico autem periculum mortis non solùm quia in extremis est constitutus, sed quia frequenter contingit homines mori ex illâ infirmitate & Medici dubitant, in tali casu potest quilibet absolui à quolibet Sacerdote de quolibet peccato, & à qualibet sententia absque alia sententia, cum periculum est in mora. Talis enim infirmus, aut iam amisit loquelam, vel vsum rationis, puta quia iam phræneticus, aut non. In primo casu, si bene viuebat vt bonus fidelis, & frequentabat Confessionem & Communionem, & huiusmodi, quamuis non petierit Sacramenta quia ex insperato taliter acciderunt. Vel etiãsi malus & obstinatus diu perseuerans in peccatis, & diu non confessus: Si petiit Sacerdotem vt confiteretur, & ostendit se velle facere omnia quæ debet, intereà factus est mutus, vel phræneticus & periculum est in mora debet præsupponi contritus & faciente aliquo Confessionem Generalem pro eo, sicut fit populo, Sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia & peccato, & potest iniungere circumstantibus aliquid faciendum pro eo vel hæredibus aut consanguineis pro eius anima si velint acceptare, *&c.* si autem non est diu Confessus, vel quia notorius peccator incurrit subitò amentiam, & mutitatem, vel infirmitatem, nec priùs, nec pòst ostendit signa contritionis, nil ei dare debet, nec sacramenta, nec Ecclesiasticam sepulturam. *D. Antoninus.*

Hæc D. Antoninus quibus multùm fulcitur Antonini Dianæ opinio. Posset autem dici in illa opinione, bonam vitam anteactam morientis, extremamque eius necessitatem, in qua pij omnes attentiùs de salute animæ cogitant, signa esse satis probabilia contritionis eius & Confessionis implicitæ peccatorum quam alio modo facere non potest. Quare nihil hîc resolutoriè volumus à nobis affirmatum esse, eo metu ducti ne absque omnino euidenti ratione amplectendo magis seueram sententiam, saluti alicuius obstaculum forsan ponamus. Quod euitare antequam de hac scriberemus quæstione, erat in animo. Cæterùm si quis bene expenderit rationem cur D. Augustinus in lib. *de adulterinis coniugiis.* ad Pollentium *cap. vlt.* velit Catechumenos in adulterio viuentes in simili casu vi morbi præuentos ac sensibus destitutos baptizari debere & eamdem esse causam reconciliationis erga pœnitentes *D. Augustinus.*

nitentes similiter præuentos, non valde ab hac sententia eum alienum esse iudicabit. Hanc enim reddit rationem. *Quis enim nouit vtrum fortassis adulterina carnis illecebrâ, vsque ad baptismum statuerant detineri.* Quamuis hic paulò laxior videatur sanctus Doctor.

Si quis verò nos reos veritatis putet esse constituendos, quòd in hac quæstione, ita fluctuemus ac veluti trepidemus, quasi par sit piaculum in rerum moralium veritate firmiter asserenda titubare, ac in fidei Catholicæ professione, è contra regeremus reos esse seueritatis, qui contrà multos grauissimos, & probatæ doctrinæ Authores audacissimè sententiam proferunt, quæ pluribus interitum procreare potest, ac fœlicitatis æternæ iacturam. Determinatio enim rerum moralium longè est dissimilis fidei assertionibus, quæ verè indubitatæ sunt, vt crimen sit de eis dubitare, cùm rerum moralium assertiones varios habeant certitudinis, aut incertitudinis gradus. Nondum nos verba D. Antonini tam expressa legeramus, cùm in sententiam eius menti oppositam inclinare videbamur. Atque vtinam tales controuersiæ difficiles authoritate Conciliorum aliquando finirentur. Ausim dicere, non minùs vtilem fore ad salutem animarum definitionem plurium casuum conscientiæ quam quæstionũ illarum Theologiæ Speculatiuæ, vt est inter cæteras de processione Spiritus Sancti à Patre & Filio; quæ tot Conciliis confirmata est, propter cuius quæstionis determinationem à multis sæculis Oriens & Occidens conflictantur, cum interitu animarum verè deflendo totius mundi lachrimis. Sed quamdiu de istis silebit Ecclesia, non mirum si locus de iis dubitandi superfit.

Quæritur vigesimo quinto. Vtrùm Confessarius debeat examinare, an moribundus dolorem habeat perfectæ Contritionis an solius Attritionis.

Verba Nauarri in capite *Negotium, dist.5. de Pœnitentia*, iure merito excitare debent Confessarios, vt attendant ad dolorem pœnitentis. Nonne, inquit, Thomas à Vio, arbitratur bonam Christianorum partem, sine iusto peccatorum dolore illa confiteri. Quod mihi adeò persuasum habeo, neque id temerè, vt cũ Propheta clamare cogar: *Saluos nos fac Deus, quoniam defecit Sanctus*, Psal.15. Id verò mortis instantia potissimũ videtur exigere, cùm proximus sit inferni ignis indeficiens & æternus, si desit ille dolor, nec vllum postea superest remedium, sicut in pœnitentiâ quæ fit in robore ætatis, aut vigente sanitate: si enim manca est illa pœnitentia ex aliqua parte, defectus per aliam meliore animo, & cum perfectio-

ri

ti depositione peractam suppleri poterit. Adde quod variis *Contritio in hora mortis,* affectionibus morientis anima exagitatur, vt non semper ob illud motiuum de peccatis doleat, quod requiritur ad sinceram pœnitentiam, qua peccata omnia remittuntur. Quapropter & idem Nauarrus de *Pœnitent. dist.* 7. *capite*, *vltimo* §. *quod quamuis*; cùm aliàs arbitreretur omnes fere illos qui authoritate publica vel iugulantur, vel alio mortis genere plectuntur saluari, mutata sententia, vix aliquos ex eis saluari putat qui vsque ad sententiam iudicis distulerunt pœnitentiam, quod difficilè eis sit mentem post tot facinora in puram Dei bonitatem figere, ac propter Dei amorem peccatum detestari. Nonne, inquit, ab extremo in extremum difficilis est transitus secundùm Aristotelem, nonne difficilis vitæ mutatio? Quis ergo non dicat, mutationem solius dexteræ excelsi, quâ in temporis momento dum à lictoribus in mortem trahitur latro hic, vel homicida, qui diu & summè dilexit summos Dei hostes, nunc repentè summè illos oderit. Quæ Nauarri sententia placuit Doctori Arnaldo seu Abbati San-Cyrano in libro de *Frequenti Communione*, nec facile est euidenti ratione illam refellere, cùm enim nemo sciat de seipso iuxtà illud Ecclesiast 9. *Vtrùm, odio, an amore dignus sit.* Quantò *Damnati ad mortem.* minùs id de alio certò affirmari poterit? *Ouem te putas, hircum te forte Deus nouit.* ait D. Aug. *tract. de ouibus c.* 10. Effatum itaque vulgi est, plures animas è patibulo ad cœlum ascendere quam è cœmeterio aut è tumulo. Si quidem animæ è tumulo in quo conduntur corpora inanimata, ad cælum non ascendunt, sicut à loco patibuli.

Attamen si Suaris sensum sequamur, non ita de miserorum istorum salute desperabimus; censet enim ille, post multam discussionem, lib. 6. *de Prædestinatione*, c. 3. plures è Christianis, qui intra Ecclesiam Catholicam moriuntur saluari in lege gratiæ; ratio est quia ex his qui moriuntur ante adultam ætatem, maxima multitudo decedit cum baptismo; ex adultis verò, licet maior pars hominum sæpius mortaliter peccet; tamen sæpius resurgunt, & ita cadendo & resurgendo vitam transigunt; tandem verò in fine pauci sunt qui per Sacramenta non præparentur ad mortem, & de peccatis doleant saltem per attritionem: Hoc autem sufficit, vt in eo tempore iustificentur. Et postquàm iustificantur, facile solent illo paruo tempore perseuerare sine nouo peccato mortali: ergo pensatis omnibus verisimile est plures ex his Christianis saluari. Ex qua Suaris sententia facile deducitur, non esse ita certam Nauarri opinionem, quæ miseros istos à tormentis

huius

huius vitæ ad tormenta alterius vitæ transmittit, ex eò quod supponat ad legitimam pœnitentiam in morte amorem Dei & perfectam contritionem requiri, cùm alij attritionem solam esse sufficientem arbitrentur. Nec parùm suffragatur hic D. Augustinus in *tract. de Pastoribus, c.* 12. temerariis iudiciis, inquit, plena sunt omnia. *De quo desperauimus subitò conuertitur & fit optimus:* de quo præsumpsimus subitò deficit & fit pessimus. Hæc ibi. Quamuis si generatim rem istam spectemus, tutius, sit numerum saluandorum ex Christianis iudicio diuino committere, attentâ nequitiâ & corruptione hominum, quæ quotidie, fere in omni statu, maior apparet. Vt nequidem vllam congregationem religiosam ausim affirmare esse sine reprobis aliquot, adeo deficit vbique charitas.

Equidem non est tanta difficultas de Pœnitentia quæ fit extra periculum mortis. Definitum est siquidem à facultate Parisiensi in comitiis ordinariis quibus aderam, habitis die tertia Martij, ann. 1638. in aula Collegij Sorbonæ contrà librum inscriptum *de la Saincte Virginité*; non necessariò requiri contritionem perfectam vt quis particeps efficiatur Sacramenti: *Quæ tradit*, inquit, sacra Facultas, *de Attritionis insufficientia & Contritionis ex perfecta charitate absoluta necessitate ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ: & quæ addit & approbat de absolutione, quod nihil aliud sit quàm declaratio iuridica peccati iam remissi: damnauit quoque Facultas, & censuit has propositiones esse quietis animarum perturbatiuas, communi & omninò tutæ praxi Ecclesiæ contrarias, efficacia Sacramenti Pœnitentiæ imminutiuas, & insuper temerarias ac erroneas.* At verò in pœnitentiâ vltimâ quæ fit in periculo mortis, & circà infirmum morientem peculiaris est difficultas.

Quia multi existimant præceptum contritionis perfectæ, & dilectionis Dei super omnia obligare in fine vitæ. Maximè quia in periculo mortis quisque debet adhibere certius remedium quod potest pro salute animæ: at multò certius est remedium contritionis perfectæ cum Sacramento, quàm attritionis cum eodem Sacramento. Illud enim nulli Theologi reuocant in dubium, hoc verò ab aliquibus habetur inefficax ad iustificationem consequendam. Nunquid in re summi momenti ex quo dependet æternitas vitæ & mentis, vlla potest esse superflua diligentia?

Hanc opinionem sequitur Thomas Sanchez, *l.* 1. *in Præcepta*,

cepta, cap. 9. num. 34. Ita vt etiam non debeat Confessarius in periculo mortis attritum absoluere, sed contritum. Bresserus verò lib. 1. *de Conscientia, cap.* 10. censet ex eo saltem capite teneri pœnitentem in articulo mortis se excitare ad contritionem, ne fortè si illam habere non conetur, ne quidem habeat veram attritionem, cùm dubium valde sit, an quis sit, contritus, vel solùm attritus. Porrò ex attentâ meditatione præsentis quæstionis, nonnulli inuenti sunt, qui infirmos omnes moribundos fugiebant, ne eorum Confessiones exciperent, illa obligatione deterriti, quòd vix sperarent infirmos ex verâ contritione peccata detestaturos, vt beneficij absolutionis capaces fierent.

Verùm probabilius est, etiam infirmum in articulo mortis iustificari posse, cum solâ attritione etiam cognitâ tali iunctâ Sacramento. Sunt enim eadem Sacramenta, nec ex diuersis essentialibus constant, in quocumque statu homo reperiatur. Quare Sacramentum quod sano confert gratiam, etiam morienti confert: & opinio inquit Ioannes Sanchius in *Selectis, disp* 19. *num* 8. quæ in salute securam reddit conscientiam, tutam quoque reddit in articulo mortis, cum in vtroque casu æqualiter homo constringatur non offendere Deum. Nec tenetur homo sub pœna peccati adhibere maiorem diligentiam, quàm ea quæ communiter à doctis & sapientibus existimatur sufficiens, nam si quia contritio certior est ex authoritate quorumdam Theologorum, idcirco adhibenda esset in articulo mortis? etiam adhibenda esset cum magna intentione graduali, cum certa duratione, cum multiplicatione, ratione singulorum peccatorum. Hoc enim modo adhibita contritio certior est, quia sunt Theologi, qui hos modos contritionis prorsus necessarios arbitrantur. Quin etiam sæpius iteranda esset contritio, quia dubitari posset num prima vice producta verè fuisset. Et hinc opprimerentur infinitis angustiis morientium conscientiæ. Quin etiam teneretur vir ignoræ linguæ per interpretem confiteri. Quod præclarè reiicit Michaël Palatius in 4. *sent. dist.* 17. *disp.* 9. Quòd si obieceris, inquit, imò tenetur quærere viam certiorem salutis suæ, & certior est via per Confessionem, quàm per solam contritionem. Dicito non teneri fideles ad certissimam viam salutis quærendam, sed satis est si certam sectentur; certa autem est via contritionis cum voto confitendi quando id commodè fieri poterit. Quod autem spectat ad præceptum contritionis, non obligat, nisi cùm Sacramentum administrari non posset ex quocumque defectu, & necessa-

Attritio cum Sacramento.

necessaria est iustificatio seu remissio peccati. Certè D. Augustinus libro *annotationum* in Iob. *c. 6.* nihil vituperat in conuersione morientium ex metu procedente. *Imminente morte terrentur homines, vt conuertantur & confiteantur Deo putredinem peccatorum.* Et in Psal. 91. alludens ad hæc verba Isaiæ 66. *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos.* Sic infert. *Humilis esto & tremens verba eius, & ibi habitat, non timet tremendum domum, quia ipse illam firmat.*

Actus amoris. Magis autem ardua est difficultas de actu dilectionis Dei super omnia, an teneatur Confessarius monere pœnitentem de hac obligatione, & eumdem inducere ad hunc actum, idque ex obligatione. Card. de Lugo de *Pœnit. d.7. sect.13.* excusat Confessarium à tali obligatione Cùm enim dilectio, inquit, non esset necessaria necessitate medij, sed præcepti, posset relinqui infirmus conscientiæ suæ sicut in aliis præceptis. Nam vel infirmus scit obligationem diligendi Deum in illo articulo, vel eam ignorat. Si eam scit, non indiget admonitione: si verò eam ignorat, adhuc non videtur teneri ad docendum pœnitentem de ista obligatione: tum quia prudenter potest credere, quod in vitâ sæpe habuerit actum amoris Dei & satisfecerit præcepto diligendi Deum. Obligatio autem habendi illum actum etiam in articulo mortis non est ita certa, vt graues Doctores eam non negent, vt vidimus (loquitur de Azorio 1. *tom. lib.9. cap.4. quæst.* 1.) Non debet ergo Confessarius iniicere laqueos pœnitenti in re incerta: tum præsertim quia prudenter timere regulariter potest, ne eâ occasione exponat infirmum periculo peccandi mortaliter: si enim infirmus propter suam imperfectionem non mouetur ex se & ex imminenti morte ad diligendum Deum, quem offendit, sed solum ad horrorem peccati propter pœnas inferni vel aliud simile motiuum, timeri potest ne propositâ obligatione diligendi Deum, incipiat iam imputari ad culpam omissio dilectionis, quæ priùs propter ignorantiam, vel inaduertentiam non imputabatur. Expediet itaque & oportebit exigere & excitare pœnitentem ad dolorem de peccatis propter Deum & ad perfectam contritionem & dilectionem Dei super omnia, propositis motiuis opportunis. Non tamen expedit regulariter, proponere obligationem & laqueos iniicere in materiâ præsertim adeo incertâ.

Hanc resolutionem eò facilius amplectimur quod dixerit D. August. *lib.83. quæst.36. Deus solus timeri sine amore non potest.* Quam doctrinam explicauimus in Theologia affectiuâ *parte 3.*

parte 3. *tract.* 3. *medit.* 27. quæ est de attritione edit. vltime anni 1654. ac in eadem Theologiâ, 2. 2. *tract.* 2. *medit.* 23. *puncto* 2. agentes de tempore quo obligat præceptum dilectionis Dei, docuimus ita obligare in articulo mortis, vt tamen si quis frequentiùs Deum vitâ durante dilexisset, non deberet esse anxius si huic dilectioni deesset in illo articulo, cui sæpius antea satisfecisset. Quare quæ prudenter scribit de Lugo, in praxim reduci possunt erga personas quæ in vitâ magis piæ ac feruentes fuerunt: circa personas verò magis rudes, potiùs attendere debet Confessarius, vt in extremis, vel ex perfectâ contritione pœniteant, vel actum perfectæ dilectionis extra Sacramentum exerceant, ne discedant ex hac vita absque eo forsitan, quod nunquam in eâ, vllum charitatis actum exercuerint. Quare & supra 1. *part. quæsito* 6. hoc visum est nobis, esse de obligatione Confessarij examinare pœnitentes etiam dum valent sanitate, an Dei amorem vnquam habuerint, multò ergo magis in extremitate vitæ, in qua anima in proximo est vt Deo vniatur in æternum, vel ab eo separetur, pro dispositione in qua discedens è corpore inuenietur, examinandi erunt de eodem amore, vt pœniteant se nunquam illum habuisse, & ante mortem semel Deum diligant. Quod probatur ex eo quòd teneantur Confessarij eosdem examinare de aliis præuaricationibus diuinorum mandatorum, si quas in eis existere prudenter deprehendant.

Quare non potest probari mens Azorij, *tom.* 1. *inst. moral. lib.* 9. *cap.* 4. *quæst.* 1. vbi censet actum amoris diuini non obligare nisi in quantum necessarius esset ad obtinendam iustificationem & remissionem peccatorum, si Sacramentum non posset applicari. Sequeretur enim ex eius sententia, eum qui haberet copiam Confessariorum, salutem consequuturum, etiamsi ne semel quidem in totâ vitâ primum & maximum mandatum dilectionis, quod Deus potissimùm requirit ab homine, adimpleuisset. Quam doctrinam malè tutam existimamus in lege amoris præsertim, & si in quacumque lege nusquam tuta fuerit.

Nec est quòd tantùm aliqui metuant difficultatem in actu amoris eliciendo. Vbi enim, proponitur motiuum amabilitatis diuinæ, nec restat amplius certamen & tentatio huius vitæ, vt in morientibus, non est aliquid in eo amore ita terribile, vt quemquam ab eo persuadendo deterrere debeat. Verè enim difficilis est amor Dei super omnia, dum inter certamina innumera hujus vitæ constanter in eo & immaculatè perse- *Facilitas amoris diuini in morte.*

uerandum est. Sed cum ferè omnia transierint, quid difficultatis aut amaritudinis est in actu affectiuo charitatis diuinæ, piè propositis aliquibus eius motiuis. Vnde & Gilbertus Tornacensis in sermonibus quos ad Clerum Parisiensem habuit ante 400. annos, qui extant manuscripti in Bibliotheca Choletæa, serm. in Dominica xviij. post Pentecosten. *Dominus dilectionem à nobis postulat, nec istud est difficile ei dare. Dicere potes pauper sum non possum eleemosynam dare; infirmus sum non possum ieiunare; debilis sum non possum orare, sed te excusare non potes vt dicas non possum Deum diligere.* Atque in eadem sententia dixit Idiota cuius pia opuscula in Bibliotheca Patrum reperiuntur, lib.1. Contemplationum Diuini amoris. *Verba tua verissima sunt, misericordissime Domine Iesu Christe, exemplum & forma amoris qui dixisti iugum meum suaue est & onus leue, hoc est Domine, te veraciter diligere & amare, quod summe suaue est & leue, &c. benignissime, Domine Iesu Christe dilector amoris, scio quod tam facile est te diligere, quod ex hoc corpus non affligitur, pes non pungitur, caput non dolet, venter non læditur, lingua non vexatur, crumena non euacuatur, quia dilectio propriè consistit in anima.* Sed & D. Augustinus *lib. de Musica*, sic respondet cuidam dicenti præceptum dilectionis tam factu difficile esse ac arduum quam auditu facile. Quid ergo facile est? ait, an amare colores & voces & placentas & rosas & corpora leuiter mollia, &c. *Deum vero amare difficile est? laboriosior est huius mundi amor:* quod enim in illo anima quærit constantiam scilicet atque æternitatem non inuenit.

Quæritur vigesimo sexto de moribundis qui sunt in occasione peccati, & aliis difficultatibus.

Proponitur hæc quæstio maximè propter angustias quas patiuntur Confessarij dũ vocantur ad excipiendam Confessionẽ moribundorum qui domi concubinã habent, quam tunc moraliter eiicere non possunt, tum ob scandalum, tum quia omnia in domo susque deque verterentur si illa exiret quæ totius rei domesticæ curam habet, tum etiam propter alia impedimenta. Tunc autem habeat in mente Confessarius

Concubina in hora mortis. quod grauiter asserit D. Augustinus l.4. de baptismo contra Donatistas. *Neque vllo modo dicenda est conuersio cordis ad Deum, cum Dei Sacramentum contemnitur.* Sed & primum laboret, vt si fieri possit concubinatus ille vertatur in verum matrimonium quo proles legitimetur si quæ sit, quo moribundus

bundus ille fidem suam adimpleat de illa ducendâ in vxorem si fidem illi dederit: & quo possit ex hac vitâ transire extra statũ peccati. Ad hoc autem implorandum est auxilium Episcopi aut Officialis qui dispenset de publicatione bonorũ. Sed aliunde ista difficile executioni demandari possunt, maximè in his regionibus post arrestum curiæ Parlamenti Parisiensis, quod ob rationes politicas & temporales, vetat ne concubinarij in fine vitæ contrahant cum suis concubinis, priuatque filios ab illis natos hæreditate paternâ. Quod arrestum acerbius sine debitâ reuerentiâ exagitauit & impium vocauit Optatus Gallus de *cauendo schismate*, contra quem Optati librum, ob alias causas celebratum est primum Concilium Prouinciæ Parisiensis sub illustrissimo ac Reuerendissimo Ioanne Francisco de Gondy, cui librum hunc consecrauimus, an. 1640. Quod Concilium edi curauimus in nostrâ *additione in summa Conciliorum*, & exemplo nostro insertum est in collectione vltimorum Conciliorum in Galliâ celebratorum.

Quid ergo aget Confessarius si non sit locus matrimonio celebrando? Si sine absolutione dimittat, mox animam peccati grauissima maculâ fœdatam exhalaturus est, si absoluat est in occasione proximâ peccati cum scandalo, propter quod non est habenda ratio quatuor conditionum supra à Nauarro allatarum vt possit absolui, non obstante occasione peccati, quam quis non vult dimittere.

Opportunè occurrit Carolus Bauccius Pœnitentiarius Neapolitanus de Miscellaneis practicis, *quæstio.* 144. Vbi postquam resoluit non posse absolui concubinarium etiam positis quatuor conditionibus à Nauarro allatis, quando scandalosa est cohabitatio, subiungit hæc: hanc doctrinam limito, quando moraliter non poterit eiici concubina è domo, nam qui est in articulo mortis non potest moraliter eiicere concubinam è suâ domo, & consequenter potest licitè Confessarius absolutionem impendere concubinario, absque eo quod tunc concubina extrahatur è domo, vt rectè docet Bonacina *tom.1.q.4. puncto 14. propositione* 2. *n.*12. quia tunc non potest constitutus in articulo mortis eiicere concubinam. Secluso autem articulo mortis non debet absoluere Confessarius pœnitentem nolentem è domo suâ eiicere concubinam.

Quid si mulier sit honesta sed separata à viro, nec potest consentire & induci ad propositum redeundi si sana fiat.

Examinanda est causa diuortij si factum est ob iurgias & discordias & iustè metuit ne grauet vir & dilapidet eius

bona, itavt iustam habeat causam aut valdè probabilem metuendi ne ad pauperiem redigatur, ex qua multa damna subnascuntur: putant enim quidam sibi obstrictas esse mulieres in omnibus, se non illis. Atque hic casus frequens est. Puto autem non teneri, Confessarium scrupulum iniicere mulieribus separatis & abhorrentibus reditum ad viros ob hanc causam. Probatur quia Thomas Sanchez id docet de viro respectu mulieris quam timet deprędaturam sua bona aut maiorem partem *lib, 9. de Matrim. disp.* 18. *num.* 22. Quia est iste metus cadens in constantem virum: at non est deterioris conditionis circa hoc mulier. Deinde ista bonorum dissipatio per virum sæuitiæ æquiparatur & metui mortis, cum bona sint quædam hominis vita, vt bene, idem Sanchez *lib.* 4. *disp.* 5. *num.* 21. & sequentibus.

Casus reser. in art. mortis. Quid si magnus ille peccator habeat casus reseruatos, an tunc à quolibet Confessario in articulo mortis absolui poterit? respondetur standum esse determinationi Concilij Tridentini sess. 14. cap. 7. *in Ecclesia Dei semper custoditum fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis & censuris absoluere possunt.* Et si autem melius foret vt daretur tunc absolutio per Episcopum aut Pœnitentiarios, si haberi possent; id tamen in rigore necessarium non est, nec opus est vt se coram ipsis sistant iterum confessuri, qui ita absolutionem à reseruatis consecuti sunt. Sic Ioannes Sanchius in *Selectis disp.* 12. vbi tamen excipit excommunicationem; quia nouam incurret si non comparuerit. Articulus autem mortis non est mathematicè accipiendus pro vltimo halitu, sed intelligitur etiam de initio periculosæ infirmitatis, dum timetur amissio loquelæ, vel vsus rationis, vt de dolore laterum. Idem docet Coriolanus *de casibus reseruatis*, *parte* 1. *sect.* 2. *art.* 16. & plures alij.

Acceptatio Pœnitentiæ. Quid si moribundus ille nolit acceptare pœnitentiam, sed offerat se ad illam peragendam in purgatorio. Respondetur confessarium debere illi aliquam pœnitentiam quamuis modicam iniungere, & si nihil aliud illi præciperet in satisfactionem, nisi vt agoniam mortemque lubens pateretur pro expiatione peccatorum, iuxta ea quæ dicit Scotus *in* 4. *sent. dist.* 21. *quæst.* 1. potest benè concedi quod mors voluntariè accepta sit pœna sufficiens pro pœna cuiuscumque peccati venialis, & forte pro magnâ parte pœnæ debitæ pro mortalibus dimissis. Nec obstat quod est pœna necessaria, quia potest aliquis necessarium voluntariè acceptare.

Quòd

Quòd autem pœnitens non possit omnem pœnitentiam recusare, multis probat Coriolanus, libro citato eadem parte *sect.* 3. explicans conditionem decimam sextam Confessionis vt sit *parere parata*. Quia Sacramentalis absolutio est actus iudicialis; iudicium autem debet habere vim coactiuam. Est etiam actus iurisdictionis, cum quo debet esse virtus puniendi & coërcendi reum. Deinde satisfactionem ille debet in compensationem iniuriæ qui offendit: totus autem homo Deum offendit, non sola anima, quæ patitur in purgatorio: tandem Sacramentum Pœnitentiæ debet esse integrum, prout à Christo est institutum: quare non est in potestate hominis hanc integritatem violare: quare pœnitens non potest omnem pœnitentiam post hanc vitam reseruare, in purgatorio perficiendam.

Quid si moribundus ille durante vita multos contractus celebrauit reipsa iniquos, putabat tamen ille eos esse licitos. Sententia est communis, acquisita contractu iniusto retineri non posse. Sentiunt tamen multi probabile esse illum tantum posse retinere quantum per alium contractum licitum lucrari potuisset, puta societatis, cambij, lucri cessantis, aut alterius: Tenet Emanuel Sa verbo *vsura, num.* 8. Lessius *de iustitia & iure, lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 12. cum pluribus aliis Diana, *parte* 3. *tract.* 5. *resol.* 92. vbi pro eadem laudat Tannerum, *in* 2. 2. D. Thomæ *disp.* 4. *quæst.* 7. *dubio* 3. cuius postquam rationes attulit, subiungit; ex quibus Confessarij multos ab onere restitutionis liberabunt. Adde illis Illuminatum Moronum consultorem S. Inquisitionis *responso* 23. vbi multis id probant, *num.* 95. & 96. Maximè quia, nulli fit iniuria, non formalis, quia vterque contrahens intendit licitè contrahere, neque materialis, quia in materia reperitur iustus titulus, qui simpliciter intelligitur volitus. Nec tenetur ratione contractus, quia est sine peccato propter bonam fidem, nec ratione detentionis, quia alter non esset rationabiliter inuitus, cum tantumdem allter initio contractus, lucrari potuisset, siue cum ipsomet siue cum alio.

Quæres de debitis pluribus quæ contraxit moribundus ille in vita, maxime verò in ludo in quo multa perdidit ad creditum ludendo, pro quibus scriptum dedit promissum, vt se expediet ex istis Confessarius, cum ob ista valde sollicitus ille sit. Confessarius, inquit Corradus. 1. p. *Respons. quæsito* 189. sit valde cautus nè absoluat obnoxios restitutioni. Imò erit necessarium non absoluere, si promisit in præcedentibus confessionibus nec restituit. Et eadem est ratio de illis qui *Debita moribundi.*

sunt in articulo mortis, & possunt statim restituere, qui non sunt absoluendi nisi restituant. Nec satis est hoc ad hæredes remittere. Cæterum si commodè in articulo mortis restitutio fieri non potest, committatur hæredibus bona fide.

Quòd verò spectat ad debita illa ludo contracta ad creditum, probatur mihi opinio Adriani *in 4. sent.* & Couarruuiæ parte 2. relectionis cap. *peccatum* de regulis iuris in *sexto* §. 4. contra Medinam, quam etiam vt probabiliorem defendit Carbo *tract. de restit. quæstion.* 42. tutum esse in animæ iudicio qui pecuniam perditam in ludo, nec traditam sed tantum promissam, non soluit. Ratio est quia leges permittunt pecuniam in ludo perditam repetere in iudicio, igitur qui potest solutam iam pecuniam repetere legis decreto, poterit eam nondum solutam retinere; frustra enim quis petit quod statim restiturus est. Et est regula iuris quod exceptio & retentio rei ei competit cui datur actio L. *inuitus* §. *cui damus ff. de* regulis iuris. Ego sanè inquit Couarruuias in hac difficili quæstione, certò scio Adriani sententiam veram esse apud nos, qui huius regni constitutionibus tenemur obedire, propter legem à Carolo Cæsare latam, quâ vetuit etiam ludos vetitos pecuniâ creditâ: nam hac ipsa lege promissio facta inter ludentes, nulla efficitur, & ideo etiam in iudicio animæ nullam habet vim: idque apud me certissimi iuris est. At nos idem asserere possumus pro Galliâ quod ille pro Hispaniâ. Huiusmodi enim ludi sæpe prohibiti sunt edictis regum nostrorum Christianissimorum, vt inter cætera edicto Ludouici XIII. tertiâ die Maij 1611. cuius meminit Teuellus in commentario super *Ordinationes l.4. tit.* 19. quod autem obiicitur legem hanc esse pœnalem & requirere sententiam iudicis, nec non victorem in ludo habere dominium in pecuniam promissam. Refellitur, quòd pœna ista nullam requirat executionem iudicis & quod victor non habet dominium, nisi quando pecunia est tradita.

Ludus.

Quid si moribundus ille in erroribus contra fidem & damnatis à sede Apostolicâ vixisset hactenus, putatque se nihilominus puræ fidei sectatorem ac maxime Orthodoxum. Forte in omnibus casibus nulla maior quæstio, nulla difficilior inuenitur. Obseruare potest Confessarius aliqua dogmata D. Augustini, quibus forte moribundus ille acquiescet, cum hæretici vltimorum sæculorum maximè se iactent esse Discipulos tanti Magistri. Sic ille serm. 11. de verbis Domini, cap. 17. *Si quemquam extra Ecclesiam suorum pœniteat peccatorum,*

Errore in

catorum, & huius tanti peccati quo alienus est ab Ecclesiâ Dei cor impœnitens habeat : Quid ei prodest illa pænitentia ? & c. 19. *sed nec dicendus est esse in Ecclesiâ & ad istam societatem spiritus pertinere, qui ouibus Christi corporali tantum commixtione ficte commiscetur.* Sanctus enim Spiritus disciplinæ fugiet fictum. *Sap.* 9. & c. 24. *Vnum ergo suffugium est, ne sit irremissibilis blasphemiâ, vt cor impenitens caueatur, nec aliter pœnitentiâ prodesse credatur nisi in Ecclesia teneatur.* Et serm. 22. de verbis Apostoli. *Respondere deberent si Deum timerent : humanum fuit errare, diabolicum est per animositatem in errore manere.*

Quæres quid si peccator ille nollet pœnitere, sed desperaret de peccati remissione, aut nollet proponere meliorem frugem. Blandè primum, inquit Bernardus Posseuinus de *officio Curati, cap.* 7. omni possibilitatis artificio conetur eum lucrari. Si omnia cedant irrita, asperius eum terreat de vilitate suâ respectu maiestatis Dei offensi, etiam si infirmus esset imperator, & incussione terroris ob vicinum infernum. Benè etiam mihi cessit, cum non possem inducere, vt rectè confiteretur quispiam ægrotus. Interrogaui, scis in quo statu manes; & respondente, scio me malè habere; adieci, imo cùm iam moriaris & pedes posueris in inferno per tua peccata, dormis, quasi alienum factum agatur : & si contigerit istum induratum resistere Spiritui sancto, nunquam deseretur. Hæc ille & quædam alia.

Quibus addendum est quod habet Thomas Cantipratanus in lib. 2. de *apibus, c.* 43. nota ergo in excitatione dormientis quantam diligentiam, quantam instantiam orationis velit circa morientes clementia saluatoris, vt ab inimici insidiantis calcanei nostri tueantur incursu. Multum ergo reprehendâ est negligentia quorumdam, qui sine compassione, sine corde, sine intensissimâ etiam obsecrationis ope, itâ vident fratres, quasi viderent pecudes morientes. Et tales quidem timere debent, ne eis idem iusto iudicio rependatur in fine; & sic auxilio destituti, angustissimè à dæmonibus arceantur. In quibusdam regularium Monasteriis approbabilis valde consuetudo tenetur, vt scilicet imminente fratris fine, disciplinas acerbissimas singuli cum inuocatione Sanctorum accipiant, in propulsationem dæmonum & morientis subsidium.

Dices forsan peccatorem illum propter peccata præterita destitutum esse auxilio diuinæ gratiæ, & sic non posse pœnitere. Respondetur neminem sic vnquam deseri à Deo,

quamdiu viget ratio & vita, quin habeat auxilium sufficiens ad resurgendum à peccato, licet forsitan illud non sit ex specialioribus, sicut diximus 1. 2. tract. dit. 10. puncto 3. *in Theologia affectiua*: alioquin non illi imputaretur ad peccatum, quemadmodum ratione priuato, etiam suâ culpâ, non imputantur contra rationem agit ex impotentiâ mentis. Potest enim peccator, quiuis ex auxilio gratiæ vt causâ principali & libero arbitrio vt causâ minus principali, pœnitere, quamdiu rationis lumen non est extinctum: & vt quilibet iustus vsque ad finem vitæ peccare potest: sic quilibet iniustus pœnitere. Innuit hoc D. Augustinus l. de naturâ boni contra Manichæos c. 48. ô magna patientia tua Domine. *Tantum valet prapotens misericordia & potestas tua & veritas baptismi tui, clauesque Regni cœlorum in sancta Ecclesiâ tuâ, vt non de illis desperandum sit.* Et si quid alibi sapere aliter visus est, correxit l. 1. retract. c. 10. *Quoniam de quocumque pessimo in hac vitâ non est vtique desperandū nec pro illo imprudenter oratur.* Ratio est quia Christus pro omnibus peccatis mortē subiit, scribente eodem D. Augustino *tract. 92.* in Ioannem. *Christi enim sanguis sic in remissionem omnium peccatorum fusus est, vt ipsum etiam peccatum posset delere quo fusus est.* Præterea hoc docet D. Thomas 3. *q. 86. art. 1.* dicere, inquit, quod aliquod peccatum sit in hac vitâ de quo quis pœnitere non possit, est erroneum. Primo quidem per hoc tolleretur libertas arbitrij. Secundo quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ per quam moueri potest cor cuiuscumque peccatoris ad pœnitendum. Quod etiam non possit per pœnitentiam remitti aliquod peccatum, est erroneum, primò quidem quia repugnat diuinæ misericordiæ. Secundò quia hoc derogaret virtuti passionis Christi.

Placet subiungere ex *l.* 4. reuelationem sanctæ Brigittæ *cap.* 7. vidisse illam in repræsentatione diuini iudicij, dæmonem in formâ Æthiopis petere à Christo iudice vt sibi liceret punire corpus cum anima cuiusdam moribundi, donec separarentur, in quo multo plus inerat vitij quam virtutis, Respōdit bonus Angelus sub specie militis. *Misericordia Dei quamlibet personam sequitur vsque ad mortem & vsque ad vltimum punctum, & postea fit iudicium. In isto vero homine de quo loquimur adhuc coniuncta sunt anima & corpus & discretio manet in eo.*

Quæritur vigesimo septimo de examine reorum.

Etsi aliqua iam attigerimus de iis in examine peccatorum

contra

contra octauum Præceptum Decalogi, res tamen tanti momenti, in qua agitur de sanguine & vitâ, non perperam amplius agitabitur.

Ac primò scitè monet Nauarrus commentr. ad caput *inter verba* q. 111. confessarios carceratorum pro delictis & suorum iudicum debere esse admodum doctos & prudentes, de multis enim temerè interrogant iudices sicut & Prælati religiosum, omnia sibi licita arbitrantes in hoc mundo, dum non deprehendunt à quo corriguntur. Quare vtiliter legerent quicumque ibi tradit Iurisconsultus ille ac Theologus clarissimus tam circa hoc caput, quam in aliis tractatibus, ne dum putant crimina de mundo tollere, ipsi se aliis criminibus implicent.

Ac primo reus vt fateatur crimen coram iudice debet de eo esse diffamatus, & interrogatus de alio crimine de quo non est diffamatus, non tenetur illud fateri, nisi esset circumstantia illius criminis de quo præcessit infamia.

Interrogati rei de complicibus, non semper tenentur eos manifestare, & si id præcipiatur à Iudice: tale enim præceptum intelligitur, saluâ correctione fraterna secundùm S. Thomam 2.2. *q.33. art.1. ad 5.* videlicet quod si qui furatus est vel damnificauit monitus secretè satisfecerit, provt coram Deo debet in sua conscientiâ, non erit, qui sciuerit, obligatus id reuelare. Nauarr. ibid. in *corollario 52. sextæ conclusionis.*

Determinat etiam Cajetanus 2. 2. *q.69. art.* 2. Antequam reus aut testis teneantur respondere Iudici de crimine, oportet eos scire, se interrogari iuridice existente scilicet semiplena probatione aut Indiciis æquipollentibus, quia sicut nemo tenetur implere legem priusquam promulgetur, ita nemo tenetur obedire priusquam sciat mandatum esse iustum.

An vero teneretur Confessarius reum obligare, delicto tantum semi-probato, cum ex eius confessione damnandus est ad mortem, ad triremes aut alio graui supplicio afficiendus, quo aliter non plecteretur. (vt alienæ sententiæ relator magis quam propriæ assertor hic sim) variant in hoc authores, quia putant, iudicem non habere authoritatem & ius imponendi præceptum intolerabile & minimè consentaneum conditioni humanæ, quale esset in hoc casu præceptum impositum per quod obligaretur, vt proprio ore author suæ damnationis efficeretur. Qua de re plures laudat Ioannes Sanchez *in selectis* disp. 43. n.29. Quorum ipse est trigesimus tertius. Vt in talibus angustiis iudicia sua non per-

ſtatim proferant Confeſſarij quæcumque eruditione pollere ſe arbitrentur.

Iſtæ tamen reſolutiones vix ſunt alicuius momenti in Galliâ, cum reis iam incarceratis non detur facultas agendi cum Confeſſario, niſi poſtquam iam latum eſt mortis iudicium: vt proptetea parum vtile ſit plura ſuggerere Confeſſariis, præter eas quæ aliis pœnitentibus communia ſunt, niſi ea forſan quibus poterunt, miſeros homines ſeu iuſtè ſeu iniuſtè damnatos conſolari. Quo onere liberat nos Corenus in Clipeo patientiæ l.31.c.2. ſequentibus verbis.

ad Heb. 9. *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* Non tantum tibi, chariſſime frater, ſtatutum eſt mori, ſed & in omnes homines lata eſt ſententia mortis, etiam in ipſum iudicem, qui te condemnauit. Hoc cum ita ſit, ſupereſt, vt vnuſquiſque ſtudeat & quærat bene, & in Chriſto mori. Si hoc generè mortis non mulctareris, fortè in Domino non moreretis; atque ita in æternum damnareris hoc præuidit Deus, qui hæc tibi euenire permiſit. Tibi nunc ſuppetunt vires animæ ad tuam examinandam conſcientiam, illamque integra peccatorum tuorum confeſſione purgandam, quod fortaſſe non potuiſſes, ſi aliter obiiſſes; non eſt igitur quod doleas, ſed quod Deo optimo maximo gratias referas. Nulla alia de re penitus cogites, niſi de mundanda tua conſcientia, vt mundus exeas ex hoc mundo. Nam ſecundùm Diuum Cyprianum, *Serm. 4. de morte* *Qualem te inuenit Deus cum vocat, talem pariter & iudicat.* Iam temporaliter mori ab homine iudicatus es; caue, ne tua impatientiâ, malitia aut pertinacia æternaliter mori à Deo iudiceris.

Lib. de teſt. an. Noli mortem timere, quæ te liberat ab omni timore, *Non eſt timendum*, inquit Tertullianus, *quod nos liberat ab omni timendo.* Oſtendit Diuus Cyprianus, quibus timenda eſt mors, *Ibid.* cùm ſic ſcribit: *mori planè timeat, ſed qui ex aqua, & Spiritu non renatus gehennæ ignibus mancipatur: mori timeat, qui non Chriſti cruce & paſſione cenſetur: mori timeat, quem de ſæculo recedentem perennibus pœnis æterna flamma torquebit*- mori, inquam, timeat, qui Chriſtianus non eſt, vel qui Chriſtiano more mori non vult: tu vero non timeas, cùm, vt bene *Hom. 5. ad pop.* poſſis mori habeas. *Vis ſcire cauſam*, inquit Chryſoſtomus, *cur mortem timeamus? non habemus conſcientiam puram? quod ſi hoc eſſet nihil nos mors terruiſſet*, At poteris tu puram habere, ſi vt docet, peccata tua confitearis, antequam moriaris.

Dices: non mori timeo, cum omnibus ſit moriendum, ſed hoc

hoc mortis genus perhorresco. Audi precor, D. Augustinum, *Sunt homines, qui quamuis mortem ipsam non timeant, genus tamen aliquod mortis horrescunt. Nihilominus autem, vt ipsa mors metuenda non est, ita etiam nullum mortis genus metuendum est quod quoque Christi cruce ostendendum fuit; nihil enim erat inter omnia genera mortis illo genere execrabilius & formidolosius.* Innuit ille Doctor, nullum genus mortis esse pertimescendum, postquam Christus voluit crucis pro nobis subire tormentum; quod quidem genus mortis fuit omnium horribilissimum: ille enim maledicebatur qui in crucem agebatur: *maledictus omnis qui pendet in ligno.* Exagerat Apostolus qualitatem mortis Christi, cum de eius obedientia vsque ad mortem disserens, addit, *mortem autem crucis*, erat mors crucis non tantum ignominia & opprobrio plena, sed & maximo dolore; ac prolixo cruciatu, qui etiam à cruce cruciatus denominatus est. Hinc à Liuio vocatur crux, *infamis arbor:* à Seneca, *infœlix lignum:* ab aliis *teterrimum supplicium.* Ab ipsis Iudæis apud ipsum sapientem crucis mors vocabatur turpissima, *morte turpissima condemnemus eum.* Quamuis igitur hoc genus mortis esset turpissimum grauissimum atque crudelissimum ob intensos & prolixos dolores, quos cruci clauis affixi patiebantur, illud tamen elegit Christus, atque sine culpa patienter pertulit.

Lib. 83. q. 25.

Ad Gal. 3.

Ad Ph. 2

Sap. 2.

Quia igitur Christus, est speculum patiendi, & præmium patientis; est tibi ille proponendus: nam in suorum consolationem eadem, vel similia eorum, quæ ipsi passuri erant, imò longè grauiora, passus est. Nam, si tibi iam à tribus, aut quatuor horis significata est mortis sententia, & Christo etiam fuit significata, non aliquibus tantum horis antequam moreretur, sed antequam nasceretur, cantat enim Ecclesia: se volente natus ad hoc passioni deditus, agnus in cruce leuatur immolandum stipite. Verè propter illam iam diu sibi notam mortis sententiam dicere potuit; dolor meus in conspectu meo semper. Præterea, si funibus ligaris, vel ligandus sis, fuit & Christus ligatus: nam reste Euangelista, ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum. Si per vias ciuitatis ducendus sis; & ipse etiam ductus fuit: & duxerunt eum vt crucifigerent. Si patibulo sis suspendendus, alio ignominioso supplicio afficiendus & Christus, carnis conditor suspensus est patibulo. Si verearis populum respicientem, & Christo moriente, stabat populus spectans, & deridebant eum Pontifices. Si in loco publico

per

per manus carnificis mori, & tanquam malefactorem haberi perhorrescas, & Christus in simili loco per manus Iudæorum
Is. 53. libenter pro te crucifixus est, *& cum iniquis reputatus est.* Vide te nihil pro peccatis tuis passurum, quin Christus prius pro te passus sit. Erit igitur tua consolatio, amarissima Christi passio, non tam attendas quid ipse passurus sis, quam quid ille passus sit. *Ipse enim*, ait Propheta, *vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Quæ verba expendens Bernardus sic hortatur, *ô homo quam grauia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem & mortem sempiternam nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur.*
Serm. 3. Nat. Dom.

Sunt tibi adimplenda hoc tuo supplicio ea quæ desunt passionum Christi in carne tua: *adimplebo* ait Paulus, *ea quæ desunt passionum Christi in carne mea.* Sed quid deest passioni Christi? frater mi, quamuis Christi passio plena & sufficientissima fuerit, ad totum mundum, imò ad mille mundos redimendos, si totidem fuissent; videtur tamen aliquid ei deesse, nimirum communicatio & participatio passionis & meritorum Christi, mediantibus iis quæ parte nostra debemus agere, vel pati. Christus quidem passus est in sua carne, sed nondum in tua. Cum ipse patienter passus sit pro te, restat, vt & tu libenter patiatis pro ipso. Necesse est enim, vt actionibus, aut passionibus bonis meritum passionis Christi nobis communicetur. Quod autem alij sibi bonis operibus applicant, hoc tibi hodie supplicio tuo & pœnis tuis est applicandum: non enim tibi prodesset Christi passio, si illius tibi deesset communicatio: non potest autem tibi communicari nisi bona agendo, vel mala æquo animo patiendo. Igitur quod bene agendo tibi applicare neglexisti, illud mediante huiusmodi supplicio applicabitur: dummodo patienter ad satisfaciendum pro peccatis tuis hanc subeas mortem, & hoc deerat passioni Christi, scilicet modus tibi applicandi, & communicandi. Gaudebat Paulus in suis passionibus, & tormentis propter huiusmodi adimpletionem & communicationem. *Gaudeo*, inquit, *in passionibus meis.* Similiter & tu ob eandem causam magis debes gaudere, quam tristari. Non modicum tibi hodie à Deo confertur beneficium, cum tibi subeundum sit supplicium, quo filij eius communicatur & applicatur meritum, & quo tandem æternum consequuturus es præmium.
Coloss. 1.

Noli itaque cogitare, quam passurus es pœnam, sed quam commi

commisisti culpam, quæ damnationem merebatur æternam, quam incurrisses, si hoc supplicium euasisses. Scito nullum peccatum remanere impunitum: pro quocumque delicto sunt pœnæ exoluendæ, vel hic, vel in futuro. Pœna sequitur peccatum, sicut vmbra corpus. Vide quid dicit Augustinus: *impunitum non debet esse peccatum, puniatur à te, ne tu pro illo puniaris. Peccatum tuum iudicem te habeat, non patronum.* Quod à te non fuit punitum per pœnitentiam, debet modo puniri per hanc latam à iudice sententiam, ne in æternum puniatur: satius tibi sit hic ad tempus, quàm in alio sæculo in sempiternum cruciari. Effice, vt tua patientia, & contritione, pœna æterna tibi pro temporali commutetur. Quod si te excuses, & nolis tuum agnoscere peccatum, & patienter hanc subire pœnam, reuera erit hoc supplicium initium futuri & æterni, & sic ab vno tormento ad aliud migrabis, quod maximè est tibi cauendum. *Lib. de vtil credo.*

Propterea recordare duorum illorum latronum cum Christo crucifixorum, quorum alter paradisum adeptus est, quia pœnas peccatis suis debitas patienter subiit; dicebat enim *nos iusta factis recipimus.* Alius verò quia non dolebat de peccatis suis, sed de tormentis quæ indignanter & impatienter ferebat; meruit à paradiso excludi & ad flammas æternas detrudi, quem istorum vis imitari? crede mihi, pium imitare latronem, & cum illo peccata tua confitere, ad Christum recurre, patienter hæc tormenta sustine, illaque pro peccatis suis deberi tibi fatere,

Caue, ne fias impio latroni similis, cui nihil sua impatientia, nec sua iactata conuiria, nec verba blasphemiæ profuerant, non curabat esse cum Christo, sed volebat esse sine cruce, non fatebatur se illa tormenta mereri, à quibus optabat liberari: non suam cogitabat nec confitebatur culpam, sed pœnam, non, inquam, dolebat de peccatis, sed de tormentis. Pius verò libenter patiebatur in cruce, quia optabat regnare cum Christo. Nunquam periit vt ab illo supplicio liberaretur, sed tantùm, vt sui Christus recordaretur; *memento mei*, inquit, Non fuit quidem in eius potestate euitare crucem, sed fuit in eius voluntate patienter subire crucem. Libenter pati voluit, quod euitare non potuit: fuit ei illa patiendi necessitas, merendi opportunitas; non enim poterat euitare illud, ad quod damnatus erat supplicium, sed ex illo sibi comparauit meritum: nec potuisset impetrare à iudicibus, ne ad tempus torqueretur, sed à Christo impetrauit, ne in æternum damnaretur. Fac & tu similiter, *Luc. 22.*

vt

vt tibi similiter contingat, itaque die; Ego digna factis recipio, &c. *Domine memento mei.* Et sicut crux patienter perpessa fuit pio larroni vehiculum, quo tenderet ad Christum; ita etiam hoc paribulum erit tibi alterum vehiculum, quo ducaris ad cœlum, si illud æquo & libenti animo patiatis.

Habes nunc maximam catervam te comitantem, & tibi compatientem: sed breui habebit anima tua Angelos in Paradisum eam comitantes & deferentes. Cupiunt autem, vt æquanimiter hanc mortem pro peccatis tuis patiaris, vt tandem cum illis æterna beatitudine potiaris. Asserit Diuus Thomas, quod si quis tormenta illata, ac mortem patienter sustineat, quamuis pro suis criminibus inferatur, valet tamen ad diminutionem pœnæ, & ad liberationem etiam à tota pœna secundum quantitatem patientiæ & cōtritionis: idcirco debes toto corde dolere de peccatis commissis, & Deum optimum deprecari, vt hoc tuo supplicio perfectam conferat tibi patientiam. Illum insuper exora, vt hoc tuum supplicium dignetur pro pœnis peccatis tuis debitis suscipere. Esto bono animo: nouit Deus te non potuisse alio modo satisfacere eiusmodi pœnis, nisi hoc genere mori. *Grande scelus,* ait Ambrosius, *grandem necessariam habet satisfactionem.* Illud ergo non recuses pati, quod tibi vides deberi. Crimen commisisti, de quo fortè nunquam doluisti, nec doluisses, si hanc pœnam euasisses: hoc Deus præuidebat, qui te salutem quærebat. Nunquam Deus te per hominem castigasset, si te per te ipsum castigasses: nam (teste Gregorio) *Dominus delictum sine vltione non deserit; aut enim ipse hoc homo in se pœnitente punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit.*

Ad virgin laptam.

Lib. 9. moral, cap. 27.

Cæterum patienter mori pro delictis, est satisfacere pro delictis: satisfacere autem pro delictis, est vitam æternam acquirere, quam tuis delictis amiseras. Noli igitur impatientia perdere, quod patientia tua potes lucrari. Recordare multos in inferno cruciari, qui forte non tot, quot tu crimina perpetrarunt; & si ab illis pœnis eriperentur, libentissimè hoc præsens tuum supplicium, imo longe grauius ad finem vsque mundi paterenrur. Quare tu per aliquas horas illud sustinere reformidas; non erubescas tolerare, qui non erubuisti peccare. *Sunt multi*, inquit Augustinus; *quos peccare non pudet, ô incredibilis insania! de vulnere ipso non erubescu. Dic: iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccaui.* Christus qui

In Psal. 5

fuit

fuit sine peccato, non fuit tamen sine flagello, & sine patibulo vt diximus: & tu cum peccato,velles esse sine flagello? & si peccasses, & pœnas in hoc mundo non dedisses, de illis fuisses,quibus Deus iratus dixit: *Dabo vos in opprobrium sempiternum & in ignominiam æternam, quæ nunquam obliuione delebitur.* Satius tibi sit nunc transitorio pudore suffundi, quam perpetuo confundi; gaudeas, inquam, hic pro peccatis tuis exiguam sustinere confusionem, vt in futuro æternam euadas damnationem. *Ierem. 20.*

Dices, falsò accusatus, & iniustè condemnatus sum, & hoc me angit; quin imo beatus eris, si sine crimine iudiceris. Hoc non erit tibi dedecori, nam culpâ, non pœnâ erubescimus. Gaudeamus igitur,quod dignus inueniaris, qui cum innumera iustorum multitudine iniustè patiaris; reuoca in mentem quanta passi sunt multi iusti viri,qui aduentum Domini præcesserunt, de quibus sic Apostolus: *alij ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt.* Cogita etiam, quam multi sententia iudicum post Christi mortem, nullo patrato crimine, atrocissima perpessi sunt tormenta. Itaque, si verbi gratiâ suspendio sis afficiendus, propone tibi beatum Gorgonium & Diuum Dorotheum, qui etiam suspendio necati sunt. Si igini tradendus sis, veniat tibi in mentem Laurentius, qui in ipso vrebatur: item Prisca Virgo tredecim annorum, quæ primo affecta verberibus, deinde feruenti adipe delibuta, in equuleo suspenditur, tandem vngulis ferreis excarnificata in rogum coniicitur. Simili tormento sunt affecti sancti, Polycarpus, Nicetas, Attemon, & alij quam plurimi; sed præcipuè beatus Agapitus, qui non tantùm igne, sed & fumo cruciabatur: nam quindecim annos natus primùm neruis diutissimè cæsus, postea in tetrum carcerem coniectus, & ardentibus carbonibus capiti eius impositis, iterum verberibus affectus, nudus ita pedibus suspensus est, vt ingens fumus è subiecto igne os eius obrueret. Tum feruens aqua in eius ventrem effusa est maxillæque confractæ. Si membratim secandus sis, recordare beati Adriani qui virgis cæsus, deinde præcisis manibus, & pedibus aliisque membris confractis, animam Deo reddidit. Si verò securi percutiendus, & capite plectendus, memor eris eorum qui hoc genere mortis vitam finierunt, inter quos Ioannes Baptista: Pantaleon, qui equuleo tortus, & admotis ad eius corpus laminis candentibus cruciatus tandem gladio percussus *Ad Hebr. 11.*

percussus est: Diuus Blasius etiam ferreis pectinibus dilaniatus, capite plexus est: beata Melitina suspensa, ac laniata, demum securi percussa est: virgo quoque Barbara post diram carceris macerationem, lampadarum adustionem, mammillarum præcisionem, aliaque tormenta, capite plectitur: Timotheus Antiochenus primo acerbissimè cæsus est, dein eius corpus excarnificatum viua calce perfunditur, tum demum capite truncatur. Dicat nunc Gregorius: *electos Dei*
In. Iob. *cernimus & pia agere, & crudelia tolerare.* Neminem occiderunt, nihil rapuerunt, nullum oppresserunt nullius tantum putarunt esse violandum, & tamen, ait Ambrosius, grauiora latronum sustinere cogebantur supplicia, cur non vis aspera, & ipsam mortem patienter, sicut & illi, subire, qui optas ad illorum societatem peruenire? Nullum ipsi commiserant delictum, propter quod talia perferre mererentur, & tamen libenti animo propter Christum tolerauerunt. Nunquid tu illis iustior es? fortè non patrasti crimen de quo accusaris, sed quanta alia commisisti peccata, de quibus nullam egisti pœnitentiam? adest modò tempus, quando pro illis hoc supplicio satisfaciendum est. Si verè te peccasse pœniteat, penè innocens eris iuxta illud.

Quem pœnitet peccasse, penè est innocens.

Propterea non verearis omnia confiteri peccata tua, vt propitium habeas Deum, fatere te reum, & ab ipso omnium peccatorum tuorum veniam humiliter postula. Doleas non quod coram populo ignominiosè moriaris, sed quod toties coram Deo tam impudenter peccaueris: omnibus qui te accusarunt, condemnarunt, aut quouis modo tibi nocuerunt, ignoscas, & dic cum Christo *Pater ignosce illis.* Tunc enim liberè poteris Deo tuam commendare animam. Interim semper versetur Iesus in ore vel corde tuo, Iesum inquam, inuoca, quem citò visurus es, illum videbis ad dexteram patris sedentem, quem alij viderunt in patibulo crucis pendentem, inter quos mater eius beatissima virgo Maria, refugium peccatorum, auxilium Christianorum, consolatrix afflictorum: dolebat tunc pia mater videns filium patientem, sed gaudebit nunc, si videat te de peccatis dolentem, veniam petentem, illa confitentem, inimicis parcentem, & mortem æquo animo ferentem. Illam igitur inuocans & orans dic: *Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, &c. vel Maria, mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.*

Hæc

Hæc etsi pluscula libenter hic atteximus quod multa ex iis vtiliter seligi poterunt à prudenti confessario etiam pro aliis alio mortis genere morientibus, aut morborum & ægritudinum vel feritate vel prolixitate dire vexatis, quibus consolationem adhibere opus est pij animarum medici, quamuis & aliquas meditationes ad hoc aptas iam ante duos annos Gallico sermone ediderimus in libro nostro prænotato, *consolatio cordis afflicti.*

Cæterum non omittam monere talium reorum Confessarios vt solliciti sint de actu amoris diuini eliciendo ab ipsis reis mox exspiraturis iuxta dicta quæsito 25. & alibi, ne forte ipsi nunquam Deum amauerint.

Verum quidam adhuc dubitant an si viuus combutendus aut lento supplicio atque ideo crudeliori perimendus, liceat Confessario petere, vt vel sacculus puluereus pectori appendatur vel cum appensus est carnificem monere vt ignem apponat, vel suadere vt strangulетur accelerandæ mortis causâ.

Delrio *disquis. mag.* l. 6. cap. 1. sect. 3. vulgus Doctorum, ait, putat incidere in irregularitatis notam. Scilicet ob defectum lenitatis. At mihi hic lenitas exuberare potius videtur quam deesse & opus meritorium puto, quodque non Sercerdotem modo, sed & quemuis prælatum deceat maximè. Non tam mors acceleratur, quam cruciatuum finis accersitur. Moriturus ille certo est, agiturne per tot supplicia.

Non decet tamen Confessarium reo de sententia mortis nuntium ferre: vt plurimum enim rei à tali nuntio abhorrent, minusque postea rectas eius admonitiones admittunt. Nec expedit etiam ipsum adesse præsentem cum torquentur rei, quia si ad silentium hortetur, augeantur, si ad confessionem cur mors inferatur. Vnde Canon. 33. Concil. Antisiod. *Non licet Presbytero, nec Diacono ad trepalium vbi rei torquentur stare.* Morienti tamen adesse contra dæmonis insidias opus est Sacerdote dignum & quod Deus in cœlo remunerabit.

Quæritur vigesimooctauo, an Confessarius debeat examinare vtrùm dolor moribundi se extendat super omnia peccata etiam venialia, nullo excepto.

Hæc proponitur quæstio propter difficultatem quæ aliquando accidit, cùm moribundus obstinato animo persistit in aliquo peccato veniali quod non vult corrigere, quantumcumque conetur Confessarius, putà non vult aliquid

modicum restituere ad quod non obligatur sub mortali, Non vult aliquos ex proximis videre; etiam si illis ex animo omnem remittat iniuriam, & tamen tenetur sub veniali, ad aliquod leue scandalum euitandum. Certum est autem quòd si moribundus peccaret in istis, & huiusmodi mortaliter, quòd nullo modo absoluendus esset, donec retractaret & corrigeretse. Sed supponimus hic difficultatem esse de vno veniali aut pluribus.

Fuit autem opinio Simonis de Cassia *l.* 8. *in Euangelia c.*23. peccatum etiam veniale voluntariè retentum & per Pœnitentiam non deletum in hac vitâ authorem suum detrudere in infernum. Quamuis dictum hoc statim corrigat, & velit eximi à cordibus fidelium.

Ex principiis autem Theologiæ concluditur moribundum hunc absoluendum esse, & dolorem eius de mortalibus sufficientem esse, vt salutem consequatur, postquam in purgatorio integram venialis peccati deletionem consequutus fuerit. Mayronis Doctor illuminatus *in* 4. *sent. dist.*18. *q.*3. Dicendum, inquit, quòd de venialibus quantùm de se est, non tenetur quis confiteri. Vnde in puncto mortis potest quis peccare venialiter: nec hoc salutem impedit. Hanc quæstionem eodem modo dissoluit Corradus 2. *p. Responsorum quæsito* 494. saluo tamen, inquit, semper in hoc & in aliis cunctis assertionibus nostris iudicio sanctæ Romanæ Ecclesiæ, *&c.* Et quamuis sanctus Doctor in *q. De malo q.*7. *art.* 2. dicat quòd non sit probabile, vt aliquis in charitate existens & qui cognoscat se morti proximum, non pœniteat de omnibus etiã venialibus peccatis, non tamen asserit esse impossibile. Sed ponamus quòd hic casus detur vt quis in morte nolit pœnitere de aliquo veniali, & sic moriatur vtrùm damnetur? Videtur non damnari, saluo meliori iudicio: & ratio est, quia veniale peccatum stat cum gratiâ Dei. Si ergo decedit cum gratia Dei, non damnabitur; sed in purgatorio purgabitur eius culpa venialis. Quòd autem voluntas obstinata peccandi venialiter non sit mortalis, nec excludat à Regno cœlorum, sed in purgatorio purgetur expressè habetur ab ipso sancto Doctore loco citato *q.* 11. de malo circa finem 11. articuli. Quod ante ipsum asserebat Richardus *à Sancto Victore tract, de different, peccati mortalis & venialis. Videtur mihi,* inquir, *veniale peccatum, quod in Christo renatis per se solum nunquam inducit æternum supplicium.*

Porro si opus est Confessario iuuare moribundum, vt cum maiori deuotione, & merito ex hac vitâ decedat, legi poterit

retit opusculum quoddam à nobis concinnatum, quod vocauimus *exercitium morientium*, quod est inter paruos tractatus Philosophiæ nostræ affectiuæ. Hoc legisse quemquam, vt putamus, non pœnitebit,

Quæritur vigesimo nono. An Confessarius in sua vocatione saluari possit, cui tot difficilia proponuntur, vt horum pars millesima non hic explicetur.

Quidam deterriti tot difficultatibus, non solùm iudices esse in sacro pœnitentiæ tribunali refugiunt, sed etiam arbitrantur moraliter impossibile esse, vt quis, nisi valde extraordinariis gratiæ diuinæ auxiliis fulciatur & adiuuetur, salutem suam operari possit. Cùm aliter fieri non possit quin sæpius errent & labantur Confessarij dum tot pœnitentes immorigeros, stupidos, ignorantes, perplexis negotiorum & casuum mæandris ac difficultatibus inuolutos, ingratos Deo & hominibus, perfidos, inconstantes, in rebus æternis cæcutientes, in vitâ corruptissimâ perseuerantes, & statim post absolutionem ipsam sæpe tanquam canes immundos ad vomitum redeuntes, itavt post plures annos, ne hilum quidem correcti & emendati videantur, facillimè tamen absoluunt.

Equidem quæstio ista admirationem stuporemque in animum iniicit. Nec negauerim periculosum esse statum Confessariorum, ni sibi ipsis seriò attendant, & ita de aliorum salute procurandâ se immisceant, vt tamen propriam non negligant. Quod enim de Pastoribus generatim dicit Zamorensis in *humana vita speculo l. 2. cap.* 12. iure merito de Confessariis dici poterit, Quis, oro, tam sibi impius, quis tam sui oblitus existit qui sponsorem seu alienæ vitæ se constitui fideiussorem optat, qui vitam vix tueri potest? aut quid tam insanum, tàm inconsideratum, quàm alienarum culparum strictam rationem sese redditurum promittere, qui suas aut non videt, aut non intelligit? quid tam dementiæ proximum; quàm alienorum facinorum fieri diligentem indagatorem, qui suorum negligentissimus est inquisitor? aut quis aliena peccata portare se pollicetur qui suis premitur? quis purgandi alios onus suscipit qui purgatore indiget? aut illuminandi plurimos officium accipit? *&c.* qui se non videt quomodo alios considerat? periculosa certè atque grauis est sarcina pastoris: nam cuiusque ouis deperditio illius periculum est, ad quem Propheta ait, *Et erit anima tua pro anima illius*, & cætera quæ fusiùs persequitur.

Notanda etiam verba Baptistæ Corradi 1. parte *respon-*

dem & bonum consequi & purgationem tueri ac conseruare: verùm si vtrumque non datur, illud certè præstat, in publicorum negotiorum procuratione nonnihil interdum sordium contraxisse quam omninò à gratia excidere: quemadmodùm scilicet à patre, & hero quandoque obiurgari satius est, quàm domo eiici, & exiguo splendore perstringi, quàm prorsùs obscurari. Quæ verba sæpiùs trepidantem me ob varios pœnitentiæ casus, non mediocriter consolata sunt, & consolati debent quemlibet Sacerdotem, vt probatus in doctrinâ, & moribus, pio zelo ducatur ad eripiendas animas è faucibus inferni. Scilicet si Sacerdos in otio torpeat, dum multa messis Ecclesiæ probis indiget operariis, forsan reprobabitur à Christo, vt qui ei cooperari in salute animarum quas super vitam propriam dilexit, omninò noluit, cùm posset. Si aliunde ad opus arduum se accingit, labitur in aliquos defectus & peccata, quæ tamen pœnitentiâ emendabit statim, effulgente cœlesti lumine. At præstat iuxtà mentem Theologi, obiurgationem aliquam propter hæc errata à Domino audire, quàm penitus à domo cœlesti eiici, sicut eiiciuntur serui inutiles qui in domo magnâ patrisfamilias, nihil omninò ex opere peragendo perficiunt: an non Deus qui toties misericordiæ suæ thesauros elargitur tot peccatoribus, tot perfidis, tot corruptis, & perditis aliàs, per ministerium Confessarij, ipsi suo cooperatori, ne quidem stillam vnam misericordiæ dispensabit? At non didici ego, nec animum meum inducere possum, vt non melius sperem de tam pio Domino, cuius misericordia super omnia opera eius.

Accedit & aliud quod metuentes ac sibi ipsis cauentes Confessarios non modicum subleuare potest. Scilicet quod inter innumeras ambages difficultatum quas dissoluendas habent, non tenentur necessariò probabilissimam, & securissimam ac strictissimam sententiam sequi, sed tuta conscientia illis est, si verè probabilem sequantur, ac secundùm eam pœnitentem dirigant ac absoluant. Quod inter cæteros multis probat Martinus Bresserus, l. 3. *de conscientia*, cap. 5. Quia si non liceret sequi conscientiam probabilem boni, quòd cùm illa sit conscientia etiam probabilis mali adeóque periculum peccati: ergo nec liceret etiam sequi conscientiam probabiliorem, nec probalissimam, nec etiam moraliter certam, nisi absolutè certa esset. Aliàs enim cum ea potest consistere aliqua conscientia, & formido probabilis peccati, & parum refert, inquit, siuè sit periculum paulò *Opinio probabilis.*

maius vel minus, modo reuerà subsit periculum: illud autem haud dubiè excedit captum modumque agendi humanum. Satis laboramus miseri homines, vt sciamus quid sit probabile, vix docti discernere possunt, quid sit probabilius. Certi autem præter articulos fidei vix quidquam est in rebus humanis, vbi multa falsa sunt probabiliora veris, vt verè dixit Aristoteles. Quod satis probant virorum & si doctissimorum inter se dissensiones ac opiniones variæ: itaque non debuit nec prudenter exigi potuit alia humanorum actuum regula quàm opinio ac conscientia probabilis. Quæ proinde obiectum etiam sufficienter proponit sub ratione boni. Benè Albertus Magnus *in 4. sent. dist.* 17. *art.* 60. quædam in genere peccatorum adeo perplexa sunt, quod etiam magni Cleri per maximas distinctiones vix enotare possunt, & dubia multa adhuc post eorum discussionem remanent.

Hanc verò sententiam multis confirmat Ioannes Nyder *in consolatoria timoratæ conscientiæ*, tertia parte *cap.* 11. 12. *&* 13. allatis antiquorum Doctorum verbis idem asserentibus, vt Godefridi de fontibus, Bernardi Claromontensis, Petri de Palude, & aliorum veterum Facultatis Parisiensis Magistrorum, quos studiosus lector pro otio consulere poterit, vt videat authores fere omnes in id ipsum consentire: ex quo tum Confessarij, tum pœnitentium onus leuius sit, cum moraliter impossibile esset perseuerare in officio Confessionum audiendarum, nisi hac libertate Christus nos donasset, cùm sæpe sæpius strictiores sententiæ incommoda innumera afferant. Quapropter iuxta præscriptas à nobis regulas, *parte* 1. huius examinis *quæsito* 13. possunt Confessarij liberantem opinionem quæ probabilis est, consulere, dum condemnantem, & si forsan quibusdã gradibus probabilitatis excedat, difficile esse amplexandam iure meruunt. Quare plurimùm interest vt studiis librorum Theologiæ assuescant, nec casuum conscientiæ definitores qui meliùs audiunt, omninò contemnant, quamuis lauream Doctoralem in famosa vniuersitate adepti sint, cùm ex eis multa addiscantur ad praxim necessaria, quæ non aliâ viâ in mentem veniunt, etiam Doctoribus ipsis qui maximè ob doctrinam Scholasticam, & acumen subtilis ingenij laudari sunt, qui nisi seueritatem scholæ hac lectione temperarent, infinitis difficultatibus animum suum superari experirentur.

Monita quædã.

Sed & recordentur confessarij multos esse in quibus titubat fides, nutat spes, extincta est charitas tam erga Deum

quam

quam erga proximum: & si dicant se euangelio credere, ita tamen viuunt ac si de falsitate eius non dubitarent. Nam si illa sunt vera, difficile est diuitem ingredi regnum cœlorum, quid cumulandis quotidie diuitiis tot Christiani inhiant? & si illud est verum quærendam gloriam quæ ex Deo, non quæ ex hominibus est, cur tot ex solo iudicio hominum pendere volunt, & tam pauci Deo placere solliciti sunt? & si firma sit fides aliquando dictum Dominum, *Ite maledicti in ignem æternum, & venite benedicti possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi*, cur nihil minus timent plerique quam gehennam, nihil minus sperant quam regnum Dei? quid possumus aliud dicere quam multos nomine Christianos re paucos, qui contendunt intrare per angustam portam, vt probe monet Ioannes Picus in *Epist. ad Franciscum Nepotem*. *Mat.25.*

Sed & metuendum ne Lutheri dogma, quod pœnitentia sit solum resipiscentia & animi mutatio absque operibus laboriosæ satisfactionis, verbo improbantes, facto tamen tueri videamur, vt nihil dicam amplius; pœnitentia enim vera postulat tristitiam *quæ secundum Deum*, vt loquitur Apostolus 2.Cor.7. Est enim pœnitere vt docet D. Augustinus Hom.50. in lib.50. Homiliarum pœnam tenere, *vt semper in se puniat vlciscendo quod commisit quis peccando.* Vt scilicet videat quam amarum sit dereliquisse Deum summum illud æternumque bonum, ad hæc vt seueri iudicis personam induat peccator, ac de seipso pœnas sumat, vt ebriosus non solum à continentia se contineat, sed etiam abstinentia & ieiunio superioris vitæ delitias castiget: auarus ante actam tenacitatem liberalitate in pauperes compenset, luxuriosus domandæ & macerandæ carni impensius studeat. *Lutheri. dogma.*

Quod cum satis rarum sit in pœnitentibus huius temporis, hinc ansa somnum suum excutiendi multis Confessariis: ipsis enim opponitur à pluribus multos pœnitentes post multas peccatorum expiationes nihilo meliores esse, iisdem peccatis insordescere, in eodem volutabro luti inhærere. Quid ergo proficiunt Confessarij, an non ipsi nimiâ suâ in absolutione concedendâ facilitate, authores sunt peccatorum, in quæ tot pœnitentes statim reuoluuntur? Non est igitur modus eorum agendi ordinarius Deo beneplacens, atque adeò ne rei sint tot delictorum quæ perpetrantur à Christianis, qui Confessionis tribunali aliquando se subiiciunt, stringere debent disciplinam, reiiciendo, remittendo, iniungendo plura opera ante absolutionem, prohibendo etiam Commu- *Recidiuum.*

nionem ad sex & plures menses, nec etiam debent vllam fidem adhibere verbis aut lachrymis pœnitentium, quia sæpe fallunt, sed debent diutius eorum actiones obseruare in domo, in foro, in palatio, & tum demum absoluere cùm certissimâ experientiâ de vitæ mutatione constiterit.

Ad quæ responderi potest. Primò Rhetoricam esse exaggerationem quorumdam prædicatorum Pœnitentiam non remittere peccata, nisi in gratiâ perseueret peccator. Quem errorem legimus apud Radulphum Ardentium sermone 22. post *Trinitatẽ* & apud Antonium de Padua etiã sermone 22. *post Trinit.* cuius erroris refutationem habet Hugo de Sancto Victore Primarius sui temporis Theologus loco supra à nobis indicato, *parte* 1. *quæsito* 11. Deinde etiam à vero alienum est, quòd Confessarij nullum fructum spiritualem referunt ex laboribus suis in sacro tribunali impensis. Cum non aliâ viâ efficaciori plures animæ è faucibus inferni eruantur, & in pietatis Christianæ exercitiis stabiliantur, enutriantur, foueantur perficianturque, quàm per pœnitentiam, etiam eo modo quo administratur & administrari solita est, & quam Ecclesia sæpe in Conciliis Generalibus congregata non reprobauit, vt aliam nouo prorsus modo administratam subrogaret. Cùm hæc (sublatis quorumdam erratis & forsan plurium, quæ hîc tuenda non suscepi) ita imbecillitatis humanæ sanandis vulneribus sit necessaria; vt qui eam ex Ecclesiâ sustulerit, omnia subitò repleuerit peccatis innumeris longè frequentioribus & grauioribus, quàm quæ committi solent. Vt patuit aliquando in vrbe Germaniæ, in qua referente Dominico Soto *in* 4. *lib. Sentent.* cùm ex Decretis Lutheranæ doctrinæ abolita esset auricularis Confessio, confestim magistratus ciuitatem esse corruptissimam expertus, libello supplici Imperatorem requisiuit, vt ciuili decreto illam restitueret, quam diuina lege statutam esse hæresis non admittebat.

Si verò aliqui post concessam absolutionem statim ad vomitum redeunt, vt nimiùm luctuosa docet experientia; attamen non illis fuit inutilis pœnitentia, quâ plura peccata vitæ anterioris remissa illis fuerunt, quæ nusquam in tota æternitate illis ad culpam imputabuntur, qua etiam per aliquot dies aut saltem per aliquot horas grati, & accepti Deo fuerunt ac participes misericordiæ eius, dum interim diuinæ voluntati se submitterent. Sed & si plures pœnitentium iisdem peccatis ita se deberent iterum coinquinare, non propterea cessandum esset à labore Confessariis. Refertur in homilia

homilia de *pœnitentiâ* ab antiquo authore Græco conscripta ex veteri manuscripto Bibliothecæ Christianissimi Regis extracta, quæ creditur esse Amphilochij I.o nsis Episcopi, quondam dæmonem multa Christo improperas quod Sacerdoti cuidam ex malo habitu in eadem semper peccata grauissima prolabenti per multos annos, toties misericordiam concederet, quoties illam cum humilitate & fletibus expeteret, quasi Christus non esset iustus iudex qui peccatorem illum suprà modum pollutum & quotidie illi illudentem, & mentientem fulgure terribili non combureret, cùm semet propter paruam elationis transgressionem de supernis cœlorum infernè præcipitem egisset. Refertur, inquam, vocem quamdam de altari auditam fuisse in eo templo in quo hæc Sathan coram imagine Crucifixi irritatus dicebat, quæ vox talia personabat. *O male & noxie draco! non fuit satis mala tua voluntati exsaturanda, quod mundum totum absorbueris, plene dolo vt etiam ineffabili benignitatis meæ misericordia arctius implicatum festinaueris rapere & deglutire insane! Nunquid tantos eius lapsus habes, vt statim contrà sanguinem pretiosum appendas, quem pro illo effudi pendens in cruce. En cedes morsque & sanguis eius iniquitatibus commiserationem conciliarunt. Et quidem ipse cum it ad peccatum, non illum reiicis, sed suscipis cum gaudio, fore sperans vt eum lucreris, nec aduersaris quin in tuam eum sortem recipias: ego autem vsque adeò bonus & misericors, cuius miserationes nequeũt sermone exprimi: qui principi Petro iussi, vt offendenti ipsum septuagies septies in die dimitteret, non parcã? Nunquid non cõpatiar? Nunquid nõ eius miserebor? Vtique planè, etenim postquam accederit ad me, non eum auersabor, vsque dum in sortem recipiam. Propter quippe luxuriosos & propter iniquos & propter peccatores meipsum cruci addixi, manusque meas intemeratas propter illos rursum expandi, vt qui vult saluus fieri, euadat & fiat saluus. Neminem enim diuersor repulsumque à bonitate mea volo, quamquam decies millies in die ad me ingrediatur, mihique appropinquet. Etenim non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Hæc ibi, quæ si apud aliquem fidem non mereantur, parabolam existimet, & perpendat quæ ad præsens in titutum apposite dixit, Gerson in libro de trahendis paruulis ad Christum, *Sentinam nauis exhauriens, idcirco deserit opus, quia reddit tantumdem aquæ, quantum expulerit? Si quotidie manus sordidantur, non minus abluimus illas, quia & si redeant sordes, non ea tenacitate cohærescunt.* Accidit aliquando vt peccator ille qui toties proposito suo defuit, aliquâ tamdem vice absolu-

tus nusquam postea relabatur, sed mutatâ penitùs in melius vitâ totus Deo adhæreat, atque ad æternam fœlicitatem, post multos lapsus perueniat. Sic nempe D. Petrus inter medios fluctus, modo cadendo, modo sese erigendo peruenit ad Christum. Quod egregiè annotatum est à D. Maximo hom. 4. de sancto Petro. *Sanctus dum fluctuat, dum mergitur, dum periclitatur, sic peruenit ad Dominum, ostendens nobis quod non nisi per pericula properatur ad Christum.* Sed & quamuis nihil proficerent erga pœnitentes Confessarij, meminisse debent ipsorum esse dumtaxat laborare ad conuertendas & perficiendas animas, non vero reipsâ conuertere & perficere, hoc enim opus Dei est: quare non ratione fructus, sed laboris mercedem accipient. Sic Angeli dicunt Ieremiæ 51. *Curauimus Babylonem & non est sanata.* Cura à Confessariis exigitur, non curatio, nec medicus in culpa est si appositis contrà vim morbi remediis quæ ars docet; æger non releuatur. Quoties Christus ipse peccatores adhortatus est, nec persuasit, vt perfectè conuerterentur? Sed qui plura desiderabit, legat Alphonsum Rodriguez 3. *part. praxis perfectionis*, *tractat.* 1. *cap.* 18.

Seueritas Confessarij. At si seuerissimi essent Confessarij. Nihil forsan esset in Ecclesiâ perniciosius, & ad ruinam infinitarum animarum ad votum aduersarij aptius. Cùm eorum tribunalia tàm multi peccatorum reformident, vt vix post multos annos ad illud se sistant, cum etiam plures Confessariorum humanissimè cum illis agant, quid fieret si se tam terribiles & reformidandos iudices exhiberent? *Nemo quemquam eripit ad id quod ipse est: nisi aliquantulum ad id quo est ipse, descendat.* ait D. Augustinus *epist.* 269.

Exemplum mansuetudinis. Quàm exosa Deo sit talis Confessariorum acerbitas, iam à primordiis Ecclesiæ Magnus Dionysius Areopagita, à quo primum religionem Christianam accepimus, satis significauit in *epistolâ ad Demofilum monachum*, quem tot scripturæ exemplis & mirabili Christi Domini apparitione Carpo factâ, de mansuetudine erga pœnitentes, instruit: eumque vehementer obiurgat quod pœnitentem quemdam inclementer repulisset. Doceri enim ij, inquit, non supplicio affici debent: quemadmodum etiam cæcos non punimus, sed manu ducimus. At tu virum qui ad lucem etiam aspirare & contendere incipiebat, colapho capiti infracto repellis: & cùm magno pudore accedentem impudenter calce pulsas: quod quidem magno horrore dignum est. Christus qui benignus sit in moribus errabundum quærit, & fugientem accersit vixque

que inuentum, in humeros imponit, & plura alia lectu dignissima in hac Epistolâ, quæ non minus quadrant in Confessarios, qui solis verbis atrocioribus repellunt à se pœnitentes sine iustâ necessitate, vt imperitè fit hodie à pluribus in ruinam & scandalum animarum, quam in illum monachum, qui facto & opere crudeliter in peccatorem misericordiam postulantem egerat. Sed si illa antiquiora videantur, audiant saltem quibus verbis Petrus Blesensis *in epist.* 24. increpet quemdam alium Abbatem de nimia erga pœnitentes austeritate. Pastor itaque, inquit, pœnitentem blandè suscipiat: nec ipsum grauioris pœnitentiæ obseruantiis, aut graui & tyrannicâ vultuositate confundat. Sed si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto qui spiritualis est instruat eum in spiritu lenitatis considerans semetipsum ne tentetur. Apostolus Paulus loquitur sapienti, eumque scandalizare nō metuit. *Peribit*, inquit, *in tuâ scientiâ frater tuus pro quo Christus mortuus est.* Quanto frater infirmior est, tanto ei mansuetior & diligentior esse debes. Infirmior quidem filius teneriùs à matre diligitur. Sis ergo infirmanti misericors vt misericordiā consequaris: in qua enim mensurâ mensus fueris, remetietur & tibi. Iudicium enim sine misericordia fiet ei, qui non fecit misericordiam; misericordes verò misericordiam consequuntur. Christus splendor & figura substātiæ Dei peccatores blādè suscipit. Tu peccator quâ præsumptione eum despicis & repellis, *&c.* vis sub certis finibus limitare misericordiam Dei, cuius misericordiæ non est finis. Paterfamilias largus est & auarus dispensator; existimasti iniquè quod ero tui similis ait Dominus, & misericordiam meam de duritiâ metiris? quid scis si iam lachrymis & contritione mundatus est, *&c.* O beata spes confitentium! iste prodigus filius qui adeo immaniter peccauit in cœlum & in terram, *nec in aliquo satisfecit*, statim reconciliatus est patri. Longéque promptior & ardentior erat pater ad miserandum quàm filius ad misericordiam obtinendam. Nolite timere pusillus grex, accedite securi ad thronum gloriæ, qui non audebatis vel de gratiâ cogitare. Venite omnes qui laboratis & onerati estis. Venite omnes qui computruistis in immundiciis vestris. Velit nolit superstitiosa hypocrisis Pharisæi, baptismus pœnitentiæ cunctis exponitur. Hæc Petrus Blesensis & alia, quibus si quispiam plura desiderat legere potest orationem XXIX. Basilij Seleuciensis in illud Matth. II. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos.* Quam vocem bonitatis plenam totum orbem iugo Christi subdidisse, salutis fontem esse, verbum esse quod

terram

terram captiuam agat, orationem esse mundi purgatricem, & verbum esse quod verbi res propter verbum stabiliuit, non vulgari eloquentiâ demonstrat. Tanta nempe virtus est in discreta moderatione circa mentes plurium peccatorum. Sed huic inimica est quorumdam hæc ratio.

Vel adest vel non adest gratia Dei : si adest, quantumcumque pœnitentes repellamus durè, redibunt semper, quia illi nunquam resistitur. Si non adest gratia, frustra est quicquid agimus. Concatenata quippe est praxis nouâ cum doctrinâ nouâ, vt oculati plures iampidem perspexerunt.

Atque hæc licet pro temporum necessitate ita delineemus, addimus tamen & cum certâ scientiâ subiungimus, vt in negotio pœnitentiæ obuient sibi misericordia & veritas, seque inuicem osculentur iustitia & pax, iustitia & veritas, vt pœnitentia non sit solum resipiscentia, sed etiam vindicta præteritorum peccatorum. Nimirum Confessarios non ita faciles & mansuetos esse conuenit, vt non etiam ratione peccatorum cum benignitate seueritatem misceant. Præclarè siquidem dictum est à Gregor. Nazianz. orat.32. *Cunctisque animarum dispensatoribus legem statuo, vt nec per duritiam hominum animos exasperent, nec per summissionem insolentes & elatos efficiant.*

Quod autem dicitur non debere Confessarios verbis & lachrymis pœnitentium credere, id certè ab instituto Christi alienum, qui verba ipsa pœnitentium voluit esse materiam Sacramentalis pœnitentiæ. Oportet-ne ergo Sacerdotes cursitare per plateas, volitare per nundinas, penetrare interiora & magis abscondita cubicula pœnitentium, vt oculis suis obseruent, qualiter sese gerant, si verbis eorum stare non debeant? Quis vnquam prudens hoc probauerit? Quis potius non vituperet Confessarios qui nimis assiduâ familiaritate cum pœnitentibus suis conuersentur, vnde & minuitur reuerentia pœnitentium ad Confessarios, quos sæpius alloquuntur, & eorumdem crescit verecundia, ne liberè confiteantur, si quid forsan grauius admiserint? Pœnitenti & pro se & contra se creditur in hoc foro, quia est accusator & testis simul, nec testes alij requiruntur,

Aliud malum affert nimia ista familiaritas Confessariorum cum pœnitentibus, maximè si sint sequioris sexus. Est enim fœmina sæpe magis in virum propensa quam vir in ipsam, vt nisi pudore donata esset à Deo, *in errorem si fieri posset inducerentur electi, & non fieret salua omnis caro.* Quare sæpe est electum Sathanæ ad omnem nequitiam instrumentum, potissimum

tissimum verò ad virum sacrum emolliendum & è proposito fidei ac castitatis deturbandum : eius illecebrositas & superflua colloquia diuturniora, sine iusta necessitate plurimos omni fere sæculo prostrauerunt. Exempla recentiora sunt, vt vetera prætermittamus, in Roberto Sacerdote Curato ad Cameracum *l.2. Apum c.30.* in Simone de Tornaco Academiæ Paris. Magistro *ibid. c.48.* Vbi & alia exempla referuntur, in Sacerdote Hispano Decretorum Doctore, cuius casum ob nimiam familiaritatem cum monialibus Romanis formæ elegantis, refert Girlandus, *de sortilegiis q.17.* in Roberto de Licio cuius meminimus in *Supplemento 3. Theol. affect.* in Francisco à Cruce etiam Doctore, qui apud Peruanos viuicomburio mulctatus est. In Pandulpho Ricasolo Canonico Florentino, qui multorum ad confessiones apud eum deponendas accursu frequentatus erat ob sanctimoniæ opinionē, In Guilielmo Postello aliisque apud Theophilum Raynaudum in Dissertatione *de sobria alterius sexus frequentatione per sacros & religiosos homines.* Liber est sane non tantum animarum medicis, sed etiam ipsis ægrotantibus vtilis, nisi dedecora illa dedeceret propalare coram omnibus. Quid muliercula illa, quid illa monialis etiam cratibus ferreis inclusa non potest se continere, quin pluries per hebdomadam Confessarium suum alloquatur per horas integras? pessimi latronis absoluta esset confessio generalis à quo tempore illum affatur & post aliquot dies iterum, iterumque ad illum ipsum opportunè importunè reditura est, obdormiscentibus interim vel dissimulantibus Prælatis, maximè ob id Dei iudicio obnoxiis. Diceres maleficio amatorio plures ex huiusmodi pœnitentibus infectas esse. Vix dum lucescit dies cum de Confessario sollicitæ sunt, non secus ac tres Mariæ de Christo vngendo cum suis aromatibus. Dum adhuc sunt tenebræ mittunt ad ipsum summo mane, vt resciant eius statum qui per totam noctem earum mentibus sese obtrusit, vt tantum studium demonstrat : ex quo spiritu vertigo tanta? & vir sacer innocens erit talibus pellaciis, etsi nulla turpitudo consummata sit, delinitus? Quid si videas alterius thronum turba muliercularum circumuallatum assidue fere, quarum singulæ cum à paucis diebus conscientiam confessione exonerarint, non minus quam horam integram insumunt ad aures ipsius semel aut bis etiam per singulas hebdomadas, semper ad idipsum paratæ? sed forsan Confessarius vir est eximiis, ingenij, doctrinæ, prædicationis, aliarumque gratiarum dotibus præpollens? nihil singularis virtutis plus

plus in ipſo quam in illis apparet, qui quindecim talium perſonarum confeſſiones ſolent abſoluere, dum adhuc ille cum primâ ſuâ Bearâ luctatur, etſi nihil plus noui afferat hac vice quam aliâ, nec generaliter confiteatur. Quo in caſu iuſta protelationis tantæ cauſa habenda eſſet, nec enim ſemper in culpam Confeſſarij recidit tanta prolixitas, quam etiam ipſe odioſam habet, memor fortaſſis illius moniti D. Franciſci ad ſuos Regulares, *verbum abbreuiatum faciet Dominus ſuper terram*, cum de modo cum mulieribus ſeſe habendi illos inſtrueret ad auertenda Sagittarij inferorum à venere an venenata dixerim, ſpicula.

At enim dicet vir ſacer, malo vnum aut vnam pœnitentem benè & debitè abſoluere, quam centum perperam: & id magis laudant pij omnes ac religioſi. Quid quod talis & talis pœnitens ſcrupuloſa eſt vehementiſſimè, vt vel excludenda ſit omnino à confeſſionali, vel tanto tempore audienda & abſolutioni ſuſcipiendæ præparanda.

Quid nos ad iſta regeremus? res enim ita ſe habet aliquando, nec deſunt Confeſſariis prætextus liberandi ſe apud plures homines ſi iſta rarò & infrequenter acciderent. Certè vltimus ex ſcrupuloſis valde pœnitentibus viris pluſquam per quadraginta horas nec detinuit ſpatio menſis & amplius. Vnde non eſt mens noſtra hic litem criminalem coram hominibus peragere, ſed in viſceribus Chriſti manere, vt quoniam eſt viro negotium lubricum colloquium tam diuturnum cum molliore ſexu, perpendant apud ſe tanquam Deo rationem redditurі, quid vtilitatis ſpiritualis afferant & mulieribus & puellis, & ſibi ipſis maximè adeo moroſæ confeſſionis eiuſdem perſonæ auditiones, & quid proximo ſcandali, qui vt nouit aliquando iuſtam ſubeſſe rationem tamdiu commorandi: ſic cum ſit ſæpius & ordinariè, & etiam in locis ſecretis ſemotis arbitris, cauſam habet admirandi cum S. Fulgentio *ſerm.* de Herodiade *neſcio quid habet ſemper muliebre nomen cum ſanctis*, aut cum Tertulliano, qui etiam ipſe per molliorem ſexum in errorem lapſus eſt, licet nullo interueniente fœdo commercio, dicendi de talibus viris & religioſis quod ipſe dixit de illis filiis Dei, qui videntes filias hominum quod eſſent pulchræ dilexerunt eas, & nihilominus vt habet in libro de habitu muliebri *poſt libidinum vaporata momenta cœlum ſuſpirabat.*

Quare ſi Confeſſarius ſuæ ſaluti ſecurè velit conſulere, nec cum ſeipſo in ruinam & inferos præcipitare mulieres ſeu maritatas ſeu viduas, ſeu adhuc innuptas, aut etiam moniales

les ipsas, quarum benè multas ad supplicia æterna destinatas esse vehementer vereor ob peccata quæ vel in ipso confessionis actu vbi Deum pacare deberent, vel sub prætextu ipsius confessionis perpetrant, cautionem hanc adhibeat vt quam sæpe potuerit Deo sacrificium immaculati agni offerat commendans Deo suam castitatem, & extra iustam necessitatem familiaritatem omnium cuiuscumque ætatis mulierum etiam sanctitatis fama illustrium ac monialium & carne iunctarum, vt decet hominem Deo sacrum, studiosè deuitans, ne quod aliis accidit sibi ipsi accidat, aut si liber sit, à plena prolapsione, potiori ratione possit dicere cum D. Basilio Cæsariensi, vt est apud Cassianum *l.6. instit.c.9.* & *mulierem non cognosco & virgo non sum.* Licet eius virginitati plenè suffragetur Gregorius Nazianzenus *orat. in eius laudem.*

Sed vt plures sint qui in certamine illo castitatis superiores sint, adhuc illis prouidendum ne in minori prælio contra auaritiam aut superbiam inferioris inueniantur. Quales sunt qui non nisi nobiles lubenter admittunt, pauperibus fere exclusis, quibuscum sic durè agunt vt secunda vice ad ipsos non redeant. Solorum diuitum ambiunt confessiones audire, parum memores verborum Christi Domini, Matth.11. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Sed non semper impunè id ferunt, cum longè grauiora sint negotia diuitum & aliquando etiam accidit vt illius confessionem excipias qui te postea odio habet, quia eius crimina nosti. Monet de hoc S. Ephrem Syrus & suspicor me aliqua aduersa passum fuisse ob id ipsum. Quare nemo potentioris desiderare debet secreta de decora agnoscere.

Atque cum circa hæc omnia prudens cautio adhibita fuerit, non est quod desperent Confessarij probabilis scientiæ, si suo officio in conspectu iudicis cuncta cernentis, quem sibi ob oculos mentis ponunt, satisfacere velint. Quapropter his remotis obicibus, libet eos compellere iisdem verbis potentissimis, quibus Ioannes Carmelita ad zelum animarum omnes prouocat in libro *de prudentia iustorum, parte 4. cap.19.* vbi Christum sic loquentem inducit. Perit mundus, ô filij! & infinitus est numerus stultorum per viam perditionis velociter currentium: & non est qui doleat vicem pereuntium. Ego fudi sanguinem meum, vt educerem homines de lacu miseriæ, de luto fæcis, & statuerem supra firmam petram pedes eorum: & non est qui adimpleat ea quæ desunt passionum mearum in corpore meo, quod est Ecclesiâ, Princeps;

ceps tenebrarum. Satan circuit terram & perambulat eam quasi Dominus, gloriaturque se innumerabiles populos prædari & exiguum esse numerum qui salui fiunt. Et tamen multi serui mei, qui succurrere possent, non miserentur proximorum. Quid dicam vobis, serui mei, qui ad misericordiam spectaculo pleno doloris non mouemini? Quomodo non liquefiunt viscera vestra super fratribus vestris? *&c.* Beati eritis si & vos fideles serui mei fueritis, & zelo domus meæ extimulati publicis vel priuatis actionibus reduxeritis alios ad cultum & amorem meum. Ego vos tenerrimè amabo: & quia fecistis rem hanc, nec vestræ commoditati, vel vitæ pepercistis, &c. Ego vos de prælio reuertentes amantissimè amplector, vt in Ecclesia magnâ meâ sine fine mecum lætemini, & bibatis de torrente infinitæ voluptatis meæ.

Atque si his stimulis excitatum te & pro animabus libenter impendentem tempestas aliqua Ecclesiæ aliò euocat. Attamen cogitare debes, vt monet D. Augustinus *l. de Catechizandis rudibus, cap.* 14. Excepto quod scimus misericorditer nobis agendum esse; quicquid cum hominibus agimus & ex officio sincerissimæ charitatis: Hoc ergo excepto; incertum esse quid vtilius agamus & quid opportunius aut intermittamus, aut omninò omittamus. Quia enim merita hominum pro quibus agimus qualia sint apud Dominum non nouimus, quid eis ad tempus expediat, aut nullâ, aut tenuissimâ & incertissimâ coniecturâ suspicamur potius quam comprehendimus. Quapropter res quidem agendas pro nostro captu ordinare debemus: quas eo modo quo statuimus, si peragere potuerimus, non ideo gaudeamus quia nobis, sed quia Deo sic eas agi placuit. Si autem aliqua inciderit necessitas, qua noster ille ordo turbetur, flectamur facile ne frangamur, vt quem Deus nostro præposuit ordini ipse sit noster. Æquius est enim vt nos eius, quam vt ille nostrum sequatur ordinem. Cur ergo nos dolemus homines à Domino Deo tanto potiore præcedi, vt eo ipso quo nostrum amamus ordinem, inordinati esse cupiamus? nemo enim melius ordinat quid agat, nisi qui paratior est non agere quod diuinâ potestate prohibetur, quam cupidior agere humanâ cogitatione meditetur, quia *multæ sunt cogitationes in corde viri, consilium autem Domini manet in æternum*, Prouerb. 19.

EXAMINIS

POENITENTIVM

Ordine Doctrinæ,

PRÆFATIO. 233.

Scoti

SECVNDA PARS EXAMINIS poenitentium.

Super præceptis diuinis & præceptis Ecclesiæ

Tria

Quæritur

Somnus

Vsura

Conclu-

Metus

De

TERTIA PARS EXAMINIS poenitentium.

De Examine diuersorum statuum personarum, 594.

Sponsalia

Non

Ordina

Tria

TERTIA PARS EXAMINIS pœnitentium.

De Examine diuersorum statuum personarum, 594.

Sponsalia

Non

Ordina

Tria



Confessa

PERMIS

PERMISSIONS.

VEu le liure intitulé , *Tractatus de Triplici Examine Ordinandorum Confessariorum Pœnitentium Authore* M. LVDOVICO BAIL cy deuant imprimé à Paris par Louis Billaine, en suitte du Priuilege de sa Maiesté du seiziesme Fevrier 1635. qui est expiré : Ie n'empéche pour le Roy qu'il soit permis à SIMON POTIN Maistre Imprimeur à Lyon d'imprimer le susdit liure, auec les deffenses à tous autres en tel cas requises & accoustumées. Fait à Lyon ce huictiéme Iuillet mil six cent soixante-dix.

VIDAUD

SOit fait suiuant les conclusions du Procureur du Roy ce 20. Iuillet 1670.

DE SEVE.

FINIS.

12/2003